

Manibus antiquis causa quietis eris.
Sisyphe cui tradas revolubile pondus habebis,
Velabunt celeres nunc nova membra rotæ.
Hicrit, & ramos fugiet, qui captet, & undas,
Hicconsumpto viscere pascet aues.
Nec mortis pœnas mors altera finiet huius,
Honq; erit tantis vltima nulla malis.
Inde ego pauca canam, frondes vt si quis ab Ida,
Et summam Lybico de mare carpat aquam.
Nam nque quot flores Siculanascuntur in Hybla,
Quotve ferat dicam terra Cilissa crocos.
Nec (quum tristis hyems Aquilonis inhorruit alis)
Quam multa fiat grandine canus Athos.
Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri,
Ora licet tribuas multiplicata mihi.
Tot tibi væ misero venient, talesq; ruinæ,
Vt cogi in lachrymas me quoque posse putem.
Illæ me lachrymæ facient sine fine beatum,
Dulcior hic risu tunc mihi flens erit.
Natus es infelix (ita dij voluere nec vlla)
Commoda nascenti stella, leuisve fuit.
Non Venus affulsit, non illa Iupiter hora,
Lunaq; non apto, Solve fuere loco.
Nec satis vtiliter positos tibi præbuit ignes,
Quem peperit magno lucida Maia Ioue.
Te fera nequicquam placidum spondentia Martis
Sydera presserunt, falcifera; q; senis,
Lux quoque natalis (ne quid nisi triste videres)
Turpis, & inductis nubibus atra fuit.

Hæ

Ossibus inque tuis tali genus hæreat illud,
Traditur Icarij quo cecidisse gener,
Vtque loquax in equo est elisus guttura acerno,
Sic tibi claudatur pollice vocis iter.
Aut vt Anaxarchus pila minuaris in alta,
Iactaque prosolitis frugibus ossa sonent.
Salmacis vtque patrem condat te Phœbus in ima
Tartara, quod natæ fecerat ipse suæ.
Inque tuos ea pestis eat quam dextra Chorebi
Vicit, opem miseris Argolicisque tulit.
Vtque nepos Æbræ Veneris moribundus obiram,
Exul ab attonitis excutiaris equis.
Propter opes nimias vt perdidit hospes alumnum,
Perdat ob exiguas te tuus hospes opes.
Vtque ferunt fratres sex cum Damasichthone cæsos,
Intereat totum sic genus omne tuum.
Addidit vt fidicen miseris sua funera natis,
Sic tibi sint vitæ tædia iusta tuæ.
Vtque soror Pelopis saxo dureris oborto:
Et læsus lingua Battus ab ipse sua.
Aera si misso vacuum iaculabere disco,
Quo puer Oebalides ictus ab orbe cadas.
Si qua per alternos pulsabitur vnda lacertos,
Omnis Alybena sit tibi peior aqua.
Comicus vt liquidis perijt dum nabat in vndis.
Et tua sic Stygius strangulet [illegible] æquor,
Aut vbi ventosum superabis nauita pontum,
Contacta pereas vt Palinurus humo.
Vtque cothurnatum vatem iuuenta Diana

Dilanie

Subtrahitur pressoque mollis arena pede:
Sic tua nescio quæ semper fortuna liquefcat,
Lapsaque per medias effluat vsque manus.
Vsque pater solita vanas mouerit aquas,
Plenus inexstincta consistere fame.
Nec dapis humanæ tibi eruut fastidia, quaque
Parte petes, Tydeus temporis huius eris.
Atque aliquid fatis a despere solis in ortus,
Cur externas vnus aquatur equi.
Tendabisque iterum fallere Iunone.
Tuque alijus posito tentet vtrum numinis opto,
Tantalides in sis, tu Teregue puer.
Et tua sic latos spargantur mensa per agros,
Tanquam quæ patrias deuorare vias.
Aere perillo vetos imitere tumentes,
Ad formam tuæ conuenientis sono.
Vsque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,
Moreboui Paphio clausus in ære gemas.
Dumque redire voles sæui meliores in annos,
Vt vetus Admeti decipiare socer.
Atq; ques in medij mergare voragine cœni,
Dummodo sint saltu nomina nulla tuo.
Atque vtinam pereas clausi de cœnibus orti
[illegible] ua manu.
Et quæ Bi[illegible] que Medusæ
Enni[illegible] ta libello,
Et quibus [illegible] ecce [illegible] aquæ.

Vltrices

Præ

Vtq; nouum passa est genus Hippomenia pœna,
Tu tamen Attalicis altaferetur adulter humo.
Sic vbi via tuos innisa relinquitis artus,
Visceraque ipsa tuis effluat ense foris.
Visceraque ipsa tuis effluat ense foris.
Fixa sub Emboio Graia fuere sinu:
Vtque feroxperijt, Sulmo me, & aquoreus tor,
Sic te marsuas adiuuet ignis aquas.
Mens quoque sic sanis vacuis agitetur, vtilli,
Vnum qui toto corpore vultus habet.
Vtq; Dyanæa Rhodopeia regna tenenti,
In gemino dispar cui pede cultus erat:
Vt sint Otreo quondam, genetoq; draconum,
Hyantameneque patri, Cabalinosque vno.
Nec tibi comitem matrona pudicior ulla,
Quæ posuit Tydeus cruho[illegible]
Quaque sui Vxorem iunxit
Locrensin aurelia dissimul
Tam quoque Dis faciant pe
Coniugis quam Tala Ty
Quaque parare suis lethum patruelibus ausæ
Bistidas, & Canaces sicut facis audeas igne.
Nec nisi per crimen sit tibi fida soror.
Filia sit pro qua Peleperia Thestij,
Myrrha suo patri, Nyctimeneq; fuo.
Filia ne ve magis capiat sit fida parentis,
Quam tua, vel Pretida, vel tua Nisi fuit.
Infamemque locum sceleris, quæ nomine fecit,

8317

Excidat ante pedes lingua resecta tuos.
Cognitor vt tardæ Blæsus cognomine Myrrhæ,
Orbis in innumeris inuenitare locis.
Inque tuis opifex, nati quod fecit Achæo,
Noxia luminibus spicula condat apis
Fixus, & in duris carparis viscera saxis,
Vt cui Pyrrha sui filia fratris erat.
Et puer Harpagidæ referas exempla Tyestæ,
Inque tui cæsus viscera patris eas.
Truncaque geras sæuo mutilatis partibus ense,
Qualia Nicerni membra fuisse ferunt.
Vt ve Syracosio præstricta fauce poetæ,
Sic animæ laqueo sit via clausa tuæ.
Nuda ve direpta pateant tua viscera pelle,
Vt Phrygij, cuius nomina flumen habet.
Saxificæ videas infælix ora Medusæ,
Cephenum multos quæ dedit vna neci.
Potniadum morsus subeas (vt Glaucus) equarum,
Inque maris salias Glaucus (vt alter) aquas.
Vtque duobus idem dictis mihi nomen habenti
Præfecent animæ Gnosia mella viam:
Solicitoque bibas veluti doctissimus olim
Imperturbato quod bibit ore reus.
Nec tibi, si quid amas, fœlicius Hæmone cedat,
Vtque sua Macareus, sic potiare tua.
Vt videas, quod iam, cum flammæ cuncta tenerent,
Hectoreus patria vidit ab vrbe puer.
Sanguine probra tuas, vt auo genitore creatus,
Perfacinus soror est cui sua facta parens.

Hæc est in fastis, cui dat grauis Allia nomen,
Quæque dies Ibin publica damna tulit,
Qui simul impurè matris prolapsus ab aluo est,
Cinyphiam fœdo corpore pressit humum.
Sedit in aduerso nocturnus culmine bubo,
Funereoq; graues edidit ore sonos,
Protinus Eumenides lauere palustribus vndis,
Qua cana de Stygijs fluxerat vnda vadis.
Pectoraq; vnxerunt Erebeæ felle colubræ,
Terq; cruentatas increpuêre manus.
Gutturaq; imbuerunt infantia lacte canino,
Hic primus pueri venit in ora cibus.
Perbibit inde suæ rabiem nutricis alumnus,
Latrat & in toto verba canina foro.
Membraque vinxerunt tinctis ferrugine pannis,
A male deserto quos rapuere rogo.
Et ne non fultum nuda tellure iaceret,
Molle super silices imposuere caput.
Iamque recessuræ viridi de stipite factas
Admorunt oculis vsque sub ora faces,
Flebat, vt est fumis infans contactus amaris:
De tribus est quum sic vna locuta soror:
Tempus in immensum lachrymas tibi vouimus istas,
Quæ semper causa sufficiente cadent
Dixerat, & Clotho iussit promissa valere,
Neuit & infausta stamina pulla colu.
Et ne longa suo præsagia diceret ore,
Fata canet vates, qui tua, dixit, erit.
Ille ego sum vates, ex me tua vulnera discres,

Non licet hoc Cereri dissimulare sacrum.
Vtque nepos dicti nostro modo carmine regis,
Vtque nepos dicti nostro modo carmine regis,
Cantarunt Iuscos dante parente bibas.
Aut pia te caso deceant adultera, sicut
Quæ cecidit Lucon vtinice, dicta pia est,
Inque pyram tecum charissima pignera mittas,
Quem finem vitæ Sardanapalus habet.
Vtque necatorum Dareti fraude secundi,
Sic tua succedens deuoret ora canis.
Aut vt oloryfera quondam Sicyone fugato,
Sit frigus mortis causa famesque tuæ.
Aut vt Alcmeonides insanis pelle iuuenci,
Tuque tuo thalamo ingulueris more Pheræi,
Quidquid est leibo coniugis ense tuæ.
Quosque putas fidos vt Lartiadas Alcidas,
Vulnere non fidos experiare tuo.
Vtque Milo, sub quo cruciata est Pisa tyranno,
Vinus in occultas præcipiteris aquas.
Quaque in Admetum Pheresia regna tenentem
A Ioue venerunt, te quoque tela petant.
Aut vt Amastriacis quondam Lenæus ab oris
Nudus Achillea desiluaris humo.
Vtque vel Enydam, vel circumbusta Thrasyllis
Est Iarissæa rapitus ab hoste rotis,
Vel quæ Fineæ intactus mœnia sæpe,
Corpore lustrauit non diuinus suo,

Vulnera tot queueras, quot dicitur ille sutisse,
Cuius ab inferijs cultior abesse solet,
Attonitusque feces, vt quos Cybelea mater
Incitat ad Phrygios vitia membra modos.
Deque viro fias, nec fœmina, nec vir vt Atys,
Et quatias molli tympana vncta manu.
Inque pecus magna subito vertare parentis,
Vitior vt est fœtæ, vtilaque versa pedi.
Solaque Limone pœnam ne sentiat illam,
Et tua deuse fero viscera carpat equus
Aut vt Cassandra dominus, non mitior illo,
Sanctus ingesta contumulauit humo.
Aut vt Abantiades, aut vt Lirnesius heros,
Cæsus in aquoreas præcipitatus aquas.
Victima vel Phœbo sacras mactatus ad aras,
Quam tulit a Cano Theodotus hostie necem.
Aut te deuoueat ceruis Abdera dicbus.
Saxaque deorum grandine plura petant
Aut Ionis infesti telo ferare trisulco,
Vt Ixions Hippomene, Dositheusque pater.
Vt soror Antonios, vt cui mastrueta Mata est,
Et temere opiatos qui male rexit equos.
Vt Ieros Aeolides, vt sanguine natus eodem,
Quo genita est liquidis quæ caret Artios aquis.
Vt Macedon icta est rapidis cum coniuge flammis,
Sic precor arderet vindicis igne cadis.
Preadaque sis illis, quibus est Laiomia Delos,
Ante diem rapto non aduenda Thraso.

Dent modo dij vires in mea verba suas.
Carminibusque meis accedant pondera rerum,
Quæ rata per luctus experiere tuos,
Nève sine exemplis æui cruciere prioris,
Sint tua Troianis non leuiora malis:
Quantaque clauigeri Pæantius Herculis hæres
Tanta venenato vulnera crure geras.
Nec leuius doleas, quam bibit vbera ceruæ,
Armatusque tulit vulnus inerme potens.
Quique ab equo præceps alienis decidit armis,
Exitio facies cui sua penè fuit.
Id quod Amyntorides videas, trepiduque ministro
Prætentes baculo luminis orbus iter,
Nec plus aspicias, quam quem sua filia rexit,
Expertus scelus est cuius vterque parens.
Qualis erat postquàm est index de lite iocosa
Sumptus, Apollinea clarus in arte senex.
Qualis ipse fuit, quo præcipiente columba
Est data Palladiæ præuia, dux que rati.
Quique oculis caruit, per quos malè viderat aurum,
Inferias nato, quos dedit orba parens.
Pastor vt Æthneus, cui casus ante futuros
Telemus Eurymedes vaticinatus erat.
Vt duo Phineidæ, quibus idem lumen ademit,
Qui dedit, & Thamyræ, Demodocique caput.
Sic aliquis tua membra secet, Saturnus vt illas
Subsecuit partes, vnde creatus erat.
Nec tibi sit tumidis melior Neptunus in vndis,
Quam cui sunt visæ frater, & vxor aues.

Soler-

Situa contigerit Minoas puppis ad vndas,
Te Corcyræum Cressia turba petat.
Lapsuramque domum subeas, vt sanguis Alebæ,
Stella Lycoriadæ cui fuit æqua viro.
Vtque vel Euenus torrenti flumine mersus
Nomina des rapidæ vel Tyberinus aquæ.
Hyrtacidæque modo defixa cadauera trunco
Digna feras, hominis sit caput esca tuum.
Quodque ferunt Brotheum feciſſe cupidine mortis,
Des tua succensæ membra cremanda pyræ.
Incluſusque necem cauea patiaris vt ille
Non profecturæ conditor historiæ.
Vtque reportori nocuit pugnacis Iambi,
Sic sit in exitium lingua proterua tuum.
Vt ve parum stabili qui carmine læsit Athenas
Inuisus pereas deficiente cibo.
Vtque Lyræ vates fertur perijsse seueræ,
Causa sit excidij dextera læsa tui.
Vtque Agamemnonio vulnus dedit anguis Oresti,
Tu quoque de morsu virus habente cadas.
Et tibi coniugij nox prima nouissima vitæ,
Eupolis hoc periit, & noua nupta modo,
Vtque cothurnatum perijsse Licophrona narrant,
Hæreat in fibris fixa sagitta tuis:
Aut lacer in sylua manibus spargare tuorum,
Sparsus vt est Thebis angue creatus auo.
Perque fero montes tauro rapientes traharis,
Vt tracta est coniux imperiosa Lyci.
Quodque suæ pressa est pellex inuisa sorori,

Quique Cretoptadem dirripuere Linum.
Ne ve venenato leuius Feraris ab angue.
Quam fenis Oeagri Calliopesque nurus.
Quam puer Hysiphiles, quam qui cana primus acuta
Cuspide inspecti robora fixit equi.
Ne ve gradus adeas Elpenore cautius altos
Vimque feras vini quo tulit ille modo.
Tamque cadas dominus quâ quisquis ad arma vocauit
Inuit inhumanum Thiodamanta Dryops.
Quam ferus ipse suo perijt mactatus in antro
Proditus inclusa Cacus ab ore bouis.
Quam qui dona tulit Nesso tincta veneno,
Enboicasque suo sanguine tinxit aquas,
Vel de præcipiti venas in tartara saxo,
Vt qui Socraticum de nece legit opus.
Vt qui Thesea fallacia vela carinæ
Vidit in Iliaca missus ab arce puer.
Vtque nutrix eadem materera Baccbi,
Vt cui causa necis serua reperta fuit.
Vt cui causa necis serua reperta fuit.
Lidia Sciopidis vt virgo misit ab altis,
Dixerat inuito quæ mala verba deo.
Fata tibi occurrat patrio pophularis in arua,
Strague Papblagon causa leuna nocis.
Quig Lucrgidem lacerauit ab arbore natum,
Idmonaque andacem, te quoque rumpat aper,
Isque vel examinis faciat tibi vulnus vt illi,
Ora super sani quem cecidere suis.
Aiqueidem simile primus quem morte peremit,
Phygia venator, sisque Berentiades.

Solertique viro lacera quem fracta tenentem
Membra vatis semel est misserata soror.
Vel tua, ne pæne genus hoc cognouerit vnus,
Vsceva diuersis scissa feranter equis.
Vel quæ, qui redimi Romanos iure putauit,
A duce Punico perierit, ipse feras.
Nec tibi subsidio sit præsens numen, vt illi
Cui nihil Hercei profuit ara Iouis.
Vtque dedit salius æsumno Thessalus ossa,
Vt quoque saxoso præcipitere iugo.
Aut velit Enyalij, quis ceperum ceperit ab illo,
Sint artus artis anguibus esca tuis.
Vel tua mauimet, sicut Alcinoia fata,
Per capiat infusa feruidus humor aquæ:
Vtq; parum mitis, sed non impune Prometheus,
Aeriis volucres sanguine fixus alas.
Aut velit Alcides magno ter ab Hercule quintus
Casus in immensum prouocaue furem.
Aut vt Amanitem turpi dilectus amore
Oderit, & sano vulneret ense puer.
Nec tibi sida magis misceri pocula possint,
Quam qui cornigero de Ione natus erat.
More vel intereas capris insidentis Acbei,
Qui miser anisera tesis pependit aqua:
Aut vt Achilleidem cognato nemine clarum
Opprimat hostili regula tacta manu.
Nec tua quam Pyrrj felicius ossa quiescant,
Sparsa per Ambracias, quæ iacuere vias.
Natique vt Acacida iaculis moriaris adactis,

PARS TERTIA
DE
DIVINO, ATQVE TREMENDO
MISSAE SACRIFICIO.

TRACTATIO THEOLOGICA
Scholastica, Moralis, Expositiva,
& Canonica

VALDE VTILIS THEOLOGIS SCHOLASTICIS,
Moralibus, Expositivis, & Professoribus Iuris Canonici.

PRODIT NVNC PRIMVM CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

AVTHORE R. PATRE
GABRIELE
DE HENAO

VALLISOLETANO SOCIETATIS IESV
MAGISTRO OLIM THEOLOGIÆ
Scholasticę in Regali Salmanticensi Collegio
eiusdem Societatis, & nunc ibidem
Interprete Bibliorum
Sacrorum.

SALMANTICAE.
CVM PRIVILEGIO REGIO.
IN TYPOGRAPHIA SEBASTIANI PEREZ.
ANNO DOMINI 1661.

Es de el Mº Baranta Viso de Burgos

PARS TERTIA

DE

DIVINO, ATQVE TREMENDO

MISSAE SACRIFICIO.

TRACTATIO THEOLOGICA

Scholastica, Moralis, Expositiva,

& Canonica

VALDE VTILIS THEOLOGIS SCHOLASTICIS,

Moralibus, Expositivis, & Professoribus Linguarum [illegible]

PROFIT NVNC PRIMVM CVM INDICIBVS [illegible]

AVTHORE R. PATRE

GABRIELE

DE HENAO.

VALLISOLETANO SOCIETATIS IESV

MAGISTRO OLIM THEOLOGIÆ

Scholasticæ in Regali Salmanticensi Collegio

eiusdem Societatis, & nunc ibidem

Interprete Biblicorum

Sacrorum.

SALMANTICAE

CVM PRIVILEGIO REGIO

IN TYPOGRAPHIA SEBASTIANI PEREZ.

ANNO DOMINI 1681.

OMNIBVS SANCTIS CVRIAE Cœlestis.



VB FOELICIBVS AVSPICIIS Animarum Purgatorij in lucem emisi secundam de Sacrificio Missæ partem; nunc sub vestra tutela (O Cœlites beati, ac triũphantes) tertiam hanc produco, non pœnitens, sed potiùs gaudens de non ampliùs quæsita, nec petita mortalium vmbra pro meis Opusculis. Vobis igitur (Cœlestes Cives) libentissimè dico postremos meos labores de tanto Sacrificio, nam etsi illud soli Deo, qui vos coronavit, offeratur, vnà tamen vobis sibi maximus defertur honor, & vestrùm memoria solemnissimè colitur, Deoque de vestris victorijs gratias agens Ecclesia, vestrùm patrocinia implorat, vt pro nobis intercedere dignemini in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris. [1] Quare valde gratum, iucundumque vobis cadit, dum augustissima hæc victima Numini litatur; & fortè etiam, dum Tractationem de ea vobis religiosè sacramus. Quin, si placet, Ara Cœli nitens quædam stella nuncupatur; vel floridiori eloquio Hymnographus Græcus [2] *Aram lucis adyti*, & S. Methodius [3] *altare animatum panis vitæ, pinguedinemque omnis Sacrificij* [4] B. Virginem appellat; vel altare (vt inquit S. Aug.) [5] est Christus; vel populus; ille sanè quem prosperrima sorte fruentem, periculis liberum, spolijs onustum *populum accinctum*, Habacuc Propheta, & Psaltes nominavit. [6] Vnde si quasi altare, aramq; Deus supernè paravit, quidni licebit de Sacrificio Cœlis digno, & quod perferri in sublime altare per manus sancti Angeli desiderat Ecclesia, [7] scriptionem in Cœlestium laudem destinare? S. Gertrudis Mansfeldensis [8] vidit quandoque, cum pulsaretur campanula ad elevationem hostiæ in templo, Filium Dei in Cœlo obtulisse suum cor Patri. *Quo factum est, vt vno, eodemque momento Dominus hoc perficeret in Cœlis, quod per Sacerdotum ministerium agebat Ecclesia sua in terris.* Nuncupamus itaque iure meritò Cœlitibus tractationem de Sacrificio, quod etiam nunc à Christo vt principaliori Sacerdote offertur è Cœlo, vt suo loco declaravimus; [9] extraordinariumque est, & mirissimum, sed dignum in hoc non taceri, quod, traditur in Historia inventionis S. Firmini Martyris, dum de S. Honorato Præsule Ambianensi, [10] *Is cum sacrum corpus Christi super altare B. Mariæ semper Virginis consecraret, palmam Domini meruit conspicere, & vice sua mysterium sacræ consecrationis perficere: qui, repletus Spiritu sancto, alacri corde de mensa Sacrificium manu Saluatoris consecratum accipiens, atque summa cum deuotione sumens, ab omni inquinamento carnis, ac spiritus post modùm mansit illæsus.* Sic in illa Historia. Et quidem (O Cœlicolæ fortunatissimi) verendum esset, ne aliquali gaudio fraudaremini, si aliorum patrocinio munirem munus, quod vobis est tam placidum, atque honorificum. Vt enim Aureum Os eloquitur, [11] *Quid putas pro Martyribus offerri, quòd vocantur in illa hora, licet Martyres sint, etiam pro Martyribus magnus honor nominari, Domino præsente, dum mors illa perficitur, & horrendum Sacrificium, & ineffabilia Sacramenta? Nam quasi, sedente Rege, quæcumque voluerit, perficit; vt autem surrexerit, quæcumq; dicit, frustra dicit: ita & nunc, quandiu proposita fuerint mysteria, omnibus honor maximus in memoria haberi.* Ita S. Chrysostomus. Et cur ego piè non præsumam, fore nonnihil ad honorem, aut saltem ad obsequium vestrum

[1] Conc. T. Sel. 22. *in Doct. de hoc Sacrific. C. 3. post S. Aug. L. 8. de Civ. Dei C. 27. & L. 22. C. 10.*

[2] Apud Buteonem *p. 132.* & apud Rayn. *in Nomenclatore Mariano p. 4.*

[3] *In Orat. de Hypap. & apud prælaud. Rayn. p. 3.*

[4] *In eadẽ Orat. & apud eundem Rayn. p. 49.*

[5] *L. 2. qq. super Exodum q. 98.*

[6] *C. 3. v. 16.*

[7] *In Can. Missæ, & in C. Vtràm sub figura 2. de Consecr. dist. 2.*

[8] *L. 4 Insin. diuinæ pietatis C. 62.*

[9] *Disp. 11 huius Operis.*

[10] Apud Bolland. *nostrũ 11. Januarij in vita S. Salvij C. 2.*

[11] *Homilia 21. in acta.*

[12] Franc. Turr. Alfons. Salm. & cum ipsis Nigron. *ad regul. 2 Cõmunium S. I. n. 21. pag. 149*

si lucubrationes de sanctissima actione Sacrificali ad vos dirigam, quibus ipsa est adeò gloriosa, laudatoria, atque panegyrica. Adde, & quibus vt ipsa fiat, & ritè, tam ingens est, sed sine anxietate, desiderium, tantaque cura. Huc referunt nonnulli [12] verba illa Petri, [13] *In quem desiderãt Angeli prospicere*, id est, in Christum immolatum incruentè, & contentum sub Eucharistiæ speciebus. Porrò vt ritè ea actio exerceatur (quem in scopum vigiliæ nostræ collinearunt) quanto studio vos invigiletis, satis ostenderunt duo illi Angeli, qui ad altare ministrarunt sub humana assumpta forma Venerabilibus Drodoni, [14] & Ioanni Parmensi [15] Ordinis Seraphici. Id ipsum eveniſſe legimus, celebrante S. Vluvaldo Episcopo Vvigornienſi. [16] Nec dissimile contigit S. Samsoni Antistiti, [17] qui semper inter Missarum solemnia propè se adstare intuebatur Angelos; & in solito benevolentiæ more hostiam simul cum ipso frangebant. Sancto Gregorio Magno [18] operanti Sacris, & salutanti populum eis vocibus *Pax Domini sit semper vobiscum*, reposuit altè Angelus *Et cum spiritu tuo*. Sanctissimæ Virginis imago narratur [19] ad Sacerdotis verba, absente Camillo, respondisse. Eademq; Virgo, cum V. Hermannus sacrificaret, visa est eius manus frigore contractas delinire Cœlesti igne. [20] Aptè tunc, & pulchrè Hermannus dicere posset,

Regales inter mensas, laticemque Lyæum
Cœlestem inspiras ignem. ———

V. Bonifacio Episcopo Lausanensi, postq; Cisterciensi Monacho ad altare consistenti adstiterunt duo Angeli, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram, suisque ipsi manibus elevabant, deponebantque illius brachia, quæ præ nimia corporis fragilitate, debilitateque movere non valebat, ministrabantque omnia necessaria, & valde amicabiliter, & humiliter capita sua inclinabant ad eum. [21] S. Clementi Ancyrano detulit Angelus panem, & calicem ad rem divinam in carcere peragendam. [22] S. Ildephonso Toletano Pontifici, [23] & S. Bonito Claromontano [24] penulæ ad celebrandum cœlitus datæ à Deipara associata Angelorum, & Sanctorum splendidissima pompa sat sunt decantatæ; Sanctusque Bonitus, *ministrantibus Sanctis, veste nuptiali ornatus est, ac diuino altari applicitus*, vt signatè ait Vincentius Bellovacensis. [25] Quæ exempla memorasse sufficiat, vt Innotescat (O beati Cœlites) quàm sitis operosi, atque officiosi erga Missæ Sacrificiũ, & quam ob causam S. Cyrillus Alexandrinus [26] scripserit de Angelis, nobili vestrum parte, *propemodùm cum Hierophantis sacrificare*, & Sophronius Hierosolymitanus [27] eosdem vocet *Mystas, & Sacrorum Antistites, atque Ministros*. Nisi vnus, & alter respexerit ad præsentiam, quam Angeli sæpe visi sunt exhibere diviniſsimæ actioni, provt tam de ipsis, quàm de alijs Sanctis testatissimum est ex Patribus, & ex Historijs Ecclesiasticis: [28] Nosterque S. Parens Ignatius in exordio Sacri prospexit omnium ferè Beatorum exercitum non longè ab altari, cum proferret illa verba *Et omnibus Sanctis*. [29] Quòd si non rarò præsentes estis Sacrificio, indè etiam elucet, quantæ illud sit vobis venerationi, & reverentiæ, indeque etiam erigimur in spem, accepta vobis fore nostra de illo scripta. Vanos Deos interesse Sacris, vtpotè gratissimis sibi, existimabant Ethnici. [30] Hinc Homerus,

——— *Pallas venit obvia Sacris,*
Et Neptunus, ———

Rursus de Iove,

Ivit ad hesterna convivia lauta, secuti
Pone Dij simul omnes. ———

In nostro Sacrificio continetur verus Deus, & Homo Christus, immolaturque incruentè; nihil ergo mirum, si sæpe adsitis, vt Christum colatis, eiusque adspectu oblectemini, vtque vestro exemplo excitetis nos ad observantiam, & religionem diviniſsimi Sacrificij. Quam in nobis vos procurare, & fovere summa ope, monstravit insigniter Angelus ille, qui intento audiendis Missis Ferdinando Antolinez [31] (nonnulli appellant Patchalem Bivas) [32] pugnavit in ipsius figura adversus Mauros. profliga-

[13] Petri 1. 12.

[14] Vvad. *in Annal. Minor. an.* 1287. *n.* 15. Arturus à Monast. *in Martyrologio Francisc.* 6. *Decemb.*

[15] Idem Arturus 19. Martij.

[16] Surius 15. Octobris.

[17] Bibliotheca Floriacensis *in eius vita C.* 13.

[18] Ioan. Diaconus *in eius vita.*

[19] Cæsarius *L.* 7. *Miracul. C.* 21.

[20] Surius 7. Aprilis.

[21] Sic Scriptor vitæ *C.* 7 *de quo B. Menologium Cisterciense* 19. *Feb.*

[22] *Acta eius q.* 2. *& C.* 6. *apud* Bollãdũ 23. *Ianuar.*

[23] *Post innumeros alios* Antonius de Quintanad. *in Sanctis Toletanis* 24. *Ianuar. pag.* 405.

[24] Vinc. Bellovacẽsis *Lib.* 7. *Speculi Hist. C.* 97. *& alij apud* Bollãdũ 15 *Ianuar.*

[25] *Ibidem*

[26] Apud I. Ludov. de la Cerda *C.* 23 *de Excellentia Cœlestium Spirituum n.* 17.

[27] Apud eundem *ibidẽ*

fligavitque eos; ille etiam, qui pro Vvaltero de Birbach intereſſente Miſſæ decerravit, vicitque in hatiludio; [33] ille etiam, qui Andreæ Daco [34] peregrino Hieroſolymis, & relicto à ſocijs ob moras, quas in Sacro trahere voluit, occurrit in reditu, & invitans, vt in clunes equi, quo ferebatur, aſcenderet, deduxit ipſum veſpere diei eiuſdem in patriam ſuam. Vt autem Angeli beneficentiſsimi ſunt erga devotos, attentoſque Miſsis, ſic è contrà acerrimè diſciplinam exigunt ab minus attentis, provt ex ſequenti narratione B. Veronicæ de Binaſco [35] diſcere eſt, [Miſſę Sacra agente Sacerdote, quopiam die, iuxta altare genuflexam Sororem curioſiùs inſpexi ſola mentis inſtabilitate. Verùm cum à corporeis ſenſibus me abſtrahi contigit, Angelus Domini, qui mihi adeſſe conſueverat, me tanta ſeveritate increpuit, vt diem extremum claſura fuerim, ſi corpori mens mea iuncta foret talia ſuſtinens. Heu quàm ingens fuit horror ille arguentis Angeli! quàm dura verba! quam terribilis vultus! Inter cætera verò reprehendentis Angeli iſthæc verba fuere. Sicne egiſti cordi laxans habenas? Cur oculis divagata es? Cur Sororem illam curioſiùs inſpexiſti? Profectò haud leviuſculè in Deum peccaſti. Regrediens autem Virgo ad corporeos ſenſus trium dierum ſpatio innumeras effudit lachrymas. Dixit quoque, Chriſtum grave quid piam ſibi demandaſſe ad peragendam pœnitentiam eiuſce inſtabilitatis oculorum. Secretius itidem demandatum ſervare Virginem iuſsit Chriſtus Maximus: quamobrem affirmare conſueverat Veronica dicens, quando Miſſæ Sacris interſum, nec quidem caput movere auſim metuens divinæ Maieſtatis vltionem.] Hactenus de ea narratione, omiſsis multis alijs, quæ veſtrùm (O Empyrei Proceres) erga ſacratiſsimam Liturgiam declarare ampliùs poſſent ſolicitudinem, vt ſanctè, ritèque à mortalibus peragatur, & vt peragi videatur religiosè. Quæ quidem curæ ſunt nobis non levi argumento de non deſpiciendo à vobis hoc munuſculo litterario, in quo tractamus de ipſa re, in qua veſtram diligentiam, & ſtudium collocatis. Olim Tantalum ad amoris ſpecimen Dijs in cibum appoſuiſſe humani corporis partem, finxerunt Antiqui; at nos meliori conſilio deſtinamus vobis tractationem de Sacrificio, vbi Chriſti corpus, & ſanguis cibus eſt, & potus gratiſsimus mortalium, fuitque plurium è vobis, antequàm ad Cœleſte Regnum migraretis. Imò & de omnibus vobis dici poteſt, *manducare nunc ſpiritualiter Chriſtum, in quantum ei vnimini fruitione charitatis perfectæ, & viſione manifeſta, (quem panem expectamus in patria) nen per fidem, ſicut nos ei hìc vnimur.* Quæ ſunt verba Angelici Doctoris. Finxerunt itidem Antiqui, Ganymedem,

A ſuperis Cœlo poſitum, Diùm inter honores,
Pulcher vt ante Iovem miſceret pocula menſis.

Nos Deum Hominem inter huius Sacrificij pocula in veſtrùm omnium laudem, & obſequium litamus ſaniori mente, ſcriptionemque de exanimi hac mactatione vobis inſcribimus, flexis deprecantes genibus, extenſiſque ad Cœlum palmis, vt in cumulatiſsimam remunerationem ſitis pro nobis apud Deum interceſſores, quo vberem gratiam largiatur ad dignè offerendam immaculatam, divinamque hoſtiam, & ad id vt mereamur eſſe veſtrùm Socij poſt curſum mortalis vitæ. Vos autem macti eſte immortali, regnateque in æternum fœlices. Ita adgaudet, & applaudit

Veſtrum minimus Capellanus, & humillimus Cliens
GABRIEL DE HENAO.

LICEN-

[28] *De quibus nos in Liſp. 29. S. 25. legendumque eſt* Beyerlinck *in Th. magno vitæ humanæ tom. 7 V. Sacrificium, pag. 30.*

[29] Scriptores *vitæ ipſius.*

[30] Apud Stuckium de *Sacrificijs Gentilium fol. 74. & 75.*

[31] R. Alf. Sap. *p. 3. C. 20 fol. 259.* Marian. *L. 8. Hiſt. C. 9.* Ioannes Vaſæus *in Chronico anno 941.* Morales *L. 17 C. 27. Vbi de Angelo arante pro S. Iſidoro Agricola audite Sacrum.*

[32] Ferd. Perez de Guzman *in Valerio Hiſt. L. 1. tit. 6 C. 11.* Ioannes Oſorius *tom. 4. Concionū in ea, quæ eſt de Miſſæ Sacrif. pag. 91.*

[33] Cæſarius *L. 7. C. 39. & Script. vitæ ipſius conuerſi ex militia ſæculari ad Ordinem Ciſtertienſem in quo vixit, & obijt cū ſanctitatis fama, C. 1 apud* Bolland. *22. Ianuarij.*

[34] Tho. Cantipratanus *L. 2. boni vniuerſalis de Apibus C. 46. n. 3.*

[35] Iſidorus de Iſolanis *L. 3. vitæ ipſius C. 9.*

LICENTIÆ, ET PRIVILEGIVM REGIVM.

LA licencia del P. Martin de Lezaun Provincial de la Compañia de Iesus de Castilla; dada en Madrid 20. de Iulio de 1657. la licencia del Doct. D. Gabriel Vazquez Provisor, y Vicario General del Obispado de Salamanca, sede vacante, dada en la misma Ciudad 31. de Março, con la Censura, que la precedio, como tãbien con la que precedio a la licencia del Consejo Real de Castilla, la Suma del Privilegio Real por diez años despachado en el Oficio de Martin de Villela Secretario de su Magestad en 15. de Otubre van puestas en los principios de la primera, y segunda parte, y por esso no se ponen tercera vez aqui.

ERRATA.

PAGINA 2. Numero 1. Linea 7. D. 11. corrige 12. 5. 8. 16. Massali cor. Missali. 7. 16. 9. Scotus cor. Sotus. 9. 20. post lineã 50. appone in marg. num. 21. ante Sed etsi. 21. 63. 22. Bustamẽte cor. Bustamante. 26. 77. 38. devotissimè cor. devotissimè. 30. 94. 12. 31. cor. 13. 30. 95. 9. Capellanei cor. Capellani. 34. 108. 38 num. 2. cor. 1. 34. 8. 19. in 19. cor. in D. 19. 38. 123. 54. supestitem cor. superstitem. 44. 147. 46. ordinatur cor. ordinaretur. 48. 164. 2. exquitiùs cor. exquisitiùs. 51. 175. 32. Domi cor. Domini. 63. 219. 38. aggreren cor. aggrederer. 68. 241. 8. Res. 14. cor. 72. num. marg. 158. mutandus est in 258. 73. 267. 9. translocata est lit. g. cor. yrgenti. 86. 313. 21. quaquam cor. quanquam. 86. 313. 34. in eius D. cor. in 22. D. 98. 356. 11. spiritualite cor. spiritualiter. 102. 368. 7. pricipaliter cor. prine. 120. 443. 19 fovorabili cor. fav. 121. 447. 6. cum cor. cum. 123. 454. 7. cõquestum cor. conquestus. 123. 455. 21. nobilis cor. notabilis. 124. 460. 15. pertinet cor. pertinent. 132. 488. 35. dubus cor. duobus. 15. 591. 22 D. 17. cor. D. 27. 163. 616. 43. duobus cor. duabus. 166. 627. 15. Palludius cor. Palladius. 166. 627. 16. candila cor. candida. 236. 896. 3. largire cor. largiri. 262. 984. 37. iudicium cor. iudicio. 267. 14. 15. Magono cor. Magno. 268. 21. 8. S. 13. adde D. 28. 268. 19. 4. priavtus cor. privatus. 280. 68. 21. circumstantis cor. circumstantijs. 284. 86. 11. ijdem cor. iisdem. 305. 175. 1. repetionem cor. repetitionem. 304. 171. 15. adnum. 19. cor. 14. 316. 218. 21. advesus cor. adversus. 317. 221. 9. millionidus cor. millionibus. 319. 227. 6. Idolalitricè cor. Idololatricè. 328. 257. 16. cranibe cor. crambe. 331. n. marg. 258. mutandus est in 268. 334. 282. 11. 12. & 13. lit. t. est translocata. 329. 259. 18. dicdis cor. dicendis. 350. num. marg. 353. mutandus est in 354. 396. 132. 2. Sef. 22. cor. Sef. 2. 407. 168. 6. Mam cor. Nam. 415. 204. 1. prorante cor. procurante. 416. 206. 13. maneat cor. moneat. 421. 221. 9. Prebyter cor. Pref. 423. 228. 25. cum cor. cum 429. 254. 20. audiendo cor. audienda. 443. 304. 18. cocubitus cor. concubitus. 545. col. 2. lin. 35. & iterata adde & de iterata. & lin. 55. adde post 283. 529. & lin. 57. 521. cor. 155. 572. lin. 10. opininionibus cor. opinionibus. 230. 875. 38. Laudavi Authorẽ, cuius Opus fuit postea prohibitum ad tempus. Mea Operis laudatio intelligatur, salvo Superiorum iudicio.

His demptis, respondet suo exemplari. Salmanticæ die 19. Octobris. Anno 1660.

Magister Antonius Aluarez Valuerdius
Vniversitatis Corrector.

SVMA DE LA TASSA.

TASSARON los Señores del Consejo Real este Libro intitulado *De Sacrificio Missæ Pars Tertia* compuesto por el P. Gabriel de Henao de la Compañia de Iesus à cinco maravedis cada pliego: y à este precio mandaron se vendiese, y no mas; como consta de la certificacion, que dello dio Miguel Fernandez de Noriega Escrivano de Camara del Rey N. S. de los que residen en su Consejo, su fecha à 26. dias de Noviembre de mil seiscientos y sesenta años.

LECTORI

LECTORI.



N (Lector amice) TERTIAM NOSTRAM & postremam de Sacrificio Missæ partem; in qua vix aliquid reperies, quod ad Theologiam Moralem, aut ad Ius Canonicum, Antiquitatem ve Ecclesiasticam non spectet; atque id etiam de secunda, si ipsius lectionem non es dedignatus, compertum tibi esse potest; curavi enim in primam conijcere pleraque, quę Scholasticę, & subtilioris propria videbantur. Sed si quid ex vna, & altera Theologia sim consequutus ab anno 1632. quo post peractum triennium Philosophicum studere cis, & ab anno 1643. quo ipsas publicè tradere cępi, prosequutusque sum ad hodiernum vsque diem, penè absque intermissione, duxi illud valde opportunum, vt minus imparatè scriberem. Sunt, qui non desiderent exercitationem in Scholis, vt de materijs Moralibus convenienter tractetur. Nec ego negaverim, memorari aliquos, qui extra Palęstræ sudores praclarè, & cum laude versati sunt in hoc negotio. Sed certè rari fuerunt, & infatigabili studio privato suppleverunt quidquid deerat exercitationis. Cuius quidem defectus in causa est, vt cum innumeri edant hoc sæculo libros Morales, pauci dici possint Authores; sed multi Compilatores. *Quadruplex genus est faciendi librum*, aiebat S. Bonaventura in proœmio ad l. 1. Sent. q. 4. *Aliquis enim scribit alienam materiam, nihil addendo, vel mutando, & iste merè dicitur Scriptor. Aliquis scribit, aliena addendo, & iste Compilator dicitur. Aliquis scribit & aliena, & sua, sed aliena tanquã principalia, & sua tanquam annexa ad euidentiam, & iste dicitur Commentator. Aliquis scribit & sua, & aliena, sed sua tanquam principalia, & aliena tanquam annexa ad confirmationem, & talis debet dici Author.* Sic Seraphicus Doctor. Iuxta quem prius genus est librariorum, qui non tam componunt, quàm transcribunt libros. Secundum est eorum, qui, nihil de suo adhibendo, nisi stylum breviorem, & aliquando diversum ordinem, vtuntur alienis laboribus longioribus; & vtinam non abvtantur, quia vel non calleant, vel non reddant integrè sensa ipsorum! Tertium genus est nobilius, & quartum nobilissimum; sed non multorum, nam addere sua siue tanquam annexa, siue tanquam principalia, quæ plausum, & æstimationem in Theatro litterario comparent, difficile admodùm est, & nisi præeat diuturna illa exercitatio, difficillimum prorsus, vt ipsa ostendit experientia, atque adeò omitto fari plura. Nec satis est illa exercitatio, vltra namque requiritur vsus tractandi conscientias proximorum, qui si desit, inest periculum, ne ad theoriam magis, quã ad praxim scribatur. Etsi verò ego his instructus aggressus sim scriptionem Moralem, non ideo gloriabor de Authoris nomine, cum præterea opus sit maturo iudicio, prudentiaque non vulgari, alijsque dotibus, si quo in Authore, maximè in Morali Theologo. Inopiam tot ornamentorum pensavi summa diligentia, quantum in meis viribus fuit, circa difficultatum examen, & lectionem Doctorum, quibus mea addidi siue vt principalia, siue vt annexa ad confirmationem opinionum, quas sequor in nullius verba iurans, sed per nullum non proficiens. Suscepti argumenti gravitas, & amor explorandæ veritatis vijs omnibus, & locis, quibus Theologia Moralis direscit, fecerunt, vt hæc Tractatio evaserit extensior, quàm pro aliquorum palato, qui de rebus Moralibus non appetunt nisi breves quasdam quæstiones, & resolutiones. Per me hi quęrant alios, & vt minus operę ponant, adeant Casistas, aut Summistas vernaculæ linguæ. Multi quanquam non fastidiant diffusas Tractationes Morales, ast volunt, vt in benignitatem propendeant. Idem etiam ego volo, si authoritas Maiorum. & ratio patiatur. Cæterùm si post accuratam discussionem resistat Priorum censura, & argumentorum pondus, culpanda non est rigiditas, neque enim ad placitum cuiusque est, vt quod iuxta veritatis normam scribat, benignum sit, aut rigidum. Iam qualiscumque sit conditionis meum hoc Opus, enixè Deum precor, vt illud dirigere dignetur ad maiorem Sacrificij Eucharistici laudem, & ad legentium vtilitatem; humillimèque ab ijs, vt meminerint mei semel saltem inter rem divinam. Valete.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM, & Sectionum.

PRAEMITTITVR ORATIO DECLAMATORIA DE Christo Dño instituente, & auspicante Sacramentum Eucharistiæ, & ineruentum sui Sacrificium.

DISPVTATIO 28. De Missæ ritibus tã in verbis, quàm in actione consistentibus. pag. 1.

Sectio 1. De obligatione ad Missę ritꝰ. p. 1.

Sect. 2. Quorum verborum omissio in Missæ ritibus sit, necne peccatum mortale? p. 5.

S. 3. Sitne culpa gravis omittere preces aliquas præponendas, & postponendas Missæ, necnon divinum Officium Psalmodiæ? p. 12.

S. 4. An, & quale sit peccatum additio verborum in Missa? p. 19.

S. 5. Plura de licita, aut illicita additione verborum. p. 22.

S. 6. Vtrùm sit peccatum, & quale mutatio verborum Missæ in alia significationis diversæ. p. 26.

S. 7. An mutatio verborum Missæ in alia eiusdem significationis sit peccatum, & quale? p. 30.

S. 8. Num verborum Missæ mutatio per transpositionem sit peccatum, & quale? p. 34.

S. 9. Vtrùm, & quo pacto peccetur in verborum Missæ mutatione per interpositionẽ? Agitur de hac vt facta etiam per orationem mentalẽ. p. 35.

S. 10. An, & quando liceat in Missa interruptio per actiones extraneas ab ipsa, sed quin ipsa prorsus relinquatur? p. 37.

S. 11. Quænam sint honestæ causæ interrumpendi Missam? p. 40.

S. 12. Quisnam absolvere debeat Missam interruptam? p. 44.

S. 13. Intra quod tempꝰ perfici debeat, aut possit Missa interrupta? p. 48.

S. 14. Liceatne aliquando interruptio, qua relinquatur Missa vna imperfecta, & inchoetur alia? p. 52.

S. 15. Num in Missa mutatio, per quã omnino ab ea incæpta desistatur, sit peccatum, & quale? Quas item ob causas liceat ante consecrationem? p. 57.

S. 16. Quodnam sit principium, & quinam finis Canonis? Observantur circa ipsum nonnulla scitu digna. p. 62.

S. 17. An, & quando liceat dimittere omnino Missam post consecrationẽ? p. 66.

S. 18. De rituum in verbis mutatione, qua loco vnius Missæ dicatur alia. Et primò an semper sit peccatum nõ dicere Missam diei præscriptam in Missali? p. 72.

S. 19. Quando sit peccatum, & quale dicere Missam prohibitam manifestè tali die in Missali? p. 75.

S. 20. An causæ de proximo allegatæ sint sufficientes, vt extra Dominicã diem, & Officij duplicis celebretur Missa votiva, aut de *Requiem*, omissa Missa diei, v. g. festi semidup. p. 80.

S. 21. Sintne & aliæ causæ, ob quas liceat idem ipsum, quod supra? Agitur de Ecclesię cura subveniendi animabꝰ Purgatorij per Sacrificia. p. 85.

S. 22. Defendit se Author ab recens imputata sibi minus sana sententia circa Sacrificium Missæ pro animabꝰ Purgatorij. p. 92.

S. 23. Num animę Purgatorij suscipiãt spiritualiter Eucharistiam eis in Missarum Sacrificijs, quæ pro ipsis offeruntur, indeque reportent fructum aliquem? p. 96.

S. 24. An mutatio rituum liceat, quando Sacerdos celebret Missam in Ecclesia, vbi in vtu sint alij diversi ab ijs, qui in Sacerdotis propria? p. 102

S. 25. An, si aliquibus concedatur facultas celebrandi de Beato Missam, sit eo ipso permissum alijs celebrare de illo? p. 109.

S. 26. Adducuntur ad examen multæ mutationes in ritibus Missarum, vt constet, an, & quatenus sint licitæ, vel illicitæ? p. 115.

S. 27

S. 27. Mutationes aliæ examinantur. p. 121.
S. 28. Mutationum aliarum discussio. p. 126
S. 29. Exagitantur mutationes aliæ. p. 130.
S. 30. Quanta sit obligatio dicendi in Missa quædam voce clara, & quædã secreto? p. 135.
S. 31. Quàm exactè pronunciari debeãr verba Missæ? p. 142.
S. 32. Num longum, vel potiùs breve tempus insumendum sit in Missa? p. 144.
S. 33. Quodnam medium sit servandũ, ne Missa possit censeri nimis longa, neque nimis brevis? Affertur circa id regula Sacerdotum Societatis Iesu, notanturque aliqua de ritibus Missæ in eadem Societate. p. 151.
S. 34. De Missæ ritibus in actione consistentibus. Quænam in eis mutatio sit illicita graviter, vel leviter? p. 153.
S. 35. Quatenus sint vetitæ mutationes aliquæ in ritibus actionũ? p. 158.
S. 36. Percurruntur breviter aliæ mutationes in ritibus actionum, & instrumentis sacris. p. 162.
S. 37. An, & quatenus vetita sit mutatio rituum accidentalium in materia consecrationis? p. 164.
S. 38. De alijs mutationibus, quæ cauendæ sunt in ritibus accidentalibus circa materiã consecrationis. p. 168
S. 39. An rituum in Missa mutatio excusari aliquando possit à culpa ob Impotentiam? An etiam aliunde excusari valeat? p. 174.
S. 40. An Missę veræ ineam, quę ficca, & nautica dicitur, sit licita mutatio? p. 176.
S. 41. Nostra sentẽtia negativa, & responsio ad argumenta affirmativæ. Vbi obiter de Missis defunctorum pro vivis, quasi mortui iam essent. p. 180.
S. 42. Explicantur multi textus Iuris Canonici pertinentes ad ritus Missæ. p. 184.
S. 43. Elucidantur alij textus. p. 188.
S. 44. Aliorũ textuũ enucleatio. p. 193
S. 45. Aliorum textuum expensio. Fitque excursus adintricatos quosdam Canones Concilij Iliberritani. p. 196.
S. 46. Illustrantur alij textus. Agitur item de necessitate signorum crucis ad Sacrificium Missæ. p. 200.
S. 47. Aliorum textuum declaratio. De communione Laica variæ sentẽtiæ multorum Authorum. p. 203.
S. 48. Complurium aliorum Doctorũ, & nostra sententia de communione Laica. p. 208.
S. 49. De communione peregrina opiniones quorundam. p. 209.
S. 50. Aliorum iudicia de communione peregrina. p. 213.
S. 51. Discutiuntur duo Can. loquẽtes de cõmunione peregrina. p. 217.
S. 52. Duo Decreta Conciliorum de eadem cõmunione peregrina. p. 220
S. 53. Coniectura nostra de communione peregrina. p. 224.
S. 54 Miscellanea de benedicto pane, qui quandoque erat vicarius communionis Eucharisticæ. p. 228.
S. 55 Rursum de pane benedicto p. 234
S. 56. Exponuntur quidam textus de Missa in communi. Vbi de prima Missa celebrata ab Apostolis. p. 238.
S. 57. Plura de Missa prima. p. 243
S. 58. Reliqua de Missa prima. p. 250.
S. 59. Adnotatio de Hispanorum Missa ex tempore Apostolorum. Et coronis Disp. p. 256.
Disputatio 29 De præveniendis, supplendisq; defectibus, qui circa Missæ celebrationem contingere valent p. 263.
S. 1. Quid faciendum sit, quãdo Sacerdos, qui incæpit, nequit perficere Missam? p. 263.
S. 2. Animadversiones nonnullæ circa defectum declaratum. p. 266.
S. 3. Quid faciendum sit, quãdo Sacerdos, qui incæpit Missam, recordatur se esse cum aliquo obice, quo aliàs impediretur à Missæ inceptione? p. 269.
S. 4. Quæstiones selectæ circa secundũ defectum præfatum. p. 272.
S. 5. Quæstiones aliæ selectæ expediũtur. p. 277.
S. 6. Quid faciendum sit, quando in hostia, vel in calice deprehenditur aliquid nocivum? p. 283.
S. 7. Dubitationes nonnullæ circa tertium defectum explanatum sedantur p. 285.
S. 8. Quid faciendum sit, quando deprehenditur inter celebrandum defectus aliquis materiæ requisitæ ad consecrationem? p. 288.
S. 9. Prosequitur declaratio pertinentium ad quartum defectum. p. 291.

¶ S. 10.

S. 10. Annexa quędam difficultas vincitur. p. 294.
S. 11. Corollaria quædam circa quartum defectum explanatum. p. 296.
S. 12. Alia corollaria. p. 298.
S. 13. Quid faciendum sit ad emendandos defectus, qui in forma contingere possunt? p. 302.
S. 14. Continuatio sermonis de eodem quinto defectu. p. 305.
S. 15. Deductiones quędam circa dubiũ de defectu in mater. & intent. p. 306
S. 16. Quæstio singularis de simulata forma consecrationis. p. 310.
S. 17. Alia ratio pro responsione negativa ad quæstionem. Liberantur Missionarij Societatis I. apud Sinas à criminatione de doctrina liciti Sacrificij simulatè oblati Idolis. p. 315
S. 18. Convertitur in Modernum quędam nota de novitatibus, qua invrere tentat Scriptores S. Iesu. p. 321.
S. 19. Reliqua circa quintum defectũ, & multa circa quartum. p. 329.
S. 20. Quid faciendum sit, quando hostia consecrata dilabitur in calicem? Vbi de nonnullis alijs defectibus accidentalibus. p. 331.
S. 21. Quid faciendum sit, quando sanguis, aut corpus Christi dilabitur in locum extraneum? p. 335.
S. 22. Quæstiones pertinentes ad septimum defectum. p. 337.
S. 23. Agitur singillatim de corp. Xpi, quando dilabtur in locũ extran. p. 340
S. 24. Additamenta aliqua. Et quã fuerit antiqua in Eccles. cura, ne Ench. fragmẽta decidãt in locũ extr. p. 343
S. 25. Num Angeli colligant decidua Eucharistiæ fragmenta? p. 346.
S. 26. Explicantur alia circa septimum defectum. p. 349.
S. 27. Obscurus quidam Canon Concilij Tolet. XI. illustratur. p. 354.
S. 28. Notantur negligentiæ alię circa Eucharistiam. p. 356.
S. 29. controvertitur incidenter, num sub speciebus Sacramentalibus deficeret præsentia corporis Xpi, quando à bruto aliquo tererentur dentibus? p. 358.
S. 30. Quid faciendum de specierum consecratarum portione corrosa à bruto? Imponitur clausula Disput. cum advertentijs nonnullis circa S. Thomam, & Rubricas Mis. p. 361.
Disput. 30. de Præcepto Ecclesiastico audiendi Missam. p. 365.
S. 1. Detũrne præceptũ audiendę Missæ? Quale sit, & quando latũ. p. 365.
S. 2. Præceptum audiendæ Missæ quibus diebus obliget, & in quibus horis eorum dierum? p. 369.
S. 3. Quæ Missa debeat audiri, & vbi? p. 371. [p. 373.
S. 4. Quantum Missæ debeat audiri?
S. 5. An debeat vna Missa continuatè audiri, & an aliquando multiplex? p. 380.
S. 6. De præsentia ad audiendam Missam. p. 387.
S. 7. De intentione satisfaciendi præcepto auditionis Missæ. p. 390.
S. 8. De intẽtione audiendi Mis. p. 391
S. 9. De attentione externa in Missa audienda. p. 392.
S. 10. De attentione interna. p. 397.
S. 11. Disquiritur incidenter de attentione Sacerd. celebrantis Mis. p. 404.
S. 12. Quænam personę obligentur hoc præcepto? p. 408.
S. 13. De personis, quæ excusantur à præcepto audiendæ Missæ? p. 409.
S. 14. An Laicus, qui causam Interdicto non dedit, & qui privilegio Bullæ Cruciatæ, simili vel alio fruitur, debeat tempore Interdicti audire Sacrum in die præcepti? p. 411.
S. 15. Interiecta tractatio de privilegio Oratorij ad audiendam Missam ratione Bullæ Cruciatæ. p. 415.
S. 16. Intercalaris alia disscussio de habentibus potestatem consecrandi Ecclesias, altaria, & vasa sacra, ad celebrandas, & audiendas Missas. p. 419.
S. 17. Regressio ad causas excusantes à præcepto audiendæ Missæ. p. 426.
S. 18. Aliæ excusationum causæ. p. 431
S. 19. Tres quæstiones de præcepto audiendi Missam. p. 437.
S. 20. Vtrùm audientes Missam teneãtur assistere in statu gratiæ? p. 439.
Disput. 31. De iusto Missæ stipendio. p. 448.
S. 1. Stipendium Missæ est licitum per se, caret Simoniæ labe, debeturque ex iustitia. p. 448.
S. 2. Ex declarato ad Missæ stipendium titulo suborta duo dubia decidũtur. Primum quoad Sacerdotes diuites, secundum quoad pauperes. p. 451.
S. 3. Ex Decreto Sacrę Congregationis Eminentissimorum Card. Concilij Trident. circa stipendium Missarum deducuntur multę illationes. p. 453.

S. 4. Aliæ illationes. p. 457.
S. 5. De distributione stipendij. p. 458.
S. 6. De tempore, intra quod celebrare debet, qui stipendium recepit. p. 462.
S. 7. Quodnam sit iustum stipendium? p. 463.
S. 8. De augmento stipendij ex authoritate Summi Pontificis. p. 467.
S. 9. De potestate reducendi ad minorem numerum Missas dotatas. p. 468
S. 10. Multi casus explicati, in quibus authoritate privata non potest fieri reductio Missarum ad minorem numerum. p. 471.
S. 11. Delibantur, aut prætermittuntur alia puncta de quibus sermo habetur in Sacræ Congregationis Decreto. Quod an sit vbivis receptum? examinatur. p. 477.
S. 12. De Missę stipendio prohibito Sacerdotibus Religiosis Societatis Iesu. p. 480.
S. 13. Expediuntur duæ difficultates circa stipendium Missarum vetitum in Societate. p. 484.
S. 14. Alia difficultas. Vbi de Missis, ad quas ex regula tenentur Sacerdotes Societatis, & an cum eisdem possent satisfacere obligationi ortæ ex stipendio? p. 486.
S. 15. Duæ aliæ difficultates. p. 495.
S. 16. Tres aliæ difficultates, in quib⁹ agitur, an licita sit Magistris, aut Doctoribus Societatis acceptio, & retentio distributionum Academicarum? p. 502.
S. 17. Duæ difficultates circa gratiosas donationes Societati factas occasione ministeriorum spiritualium, & circa expensas, vt possit exercere se in illis. p. 507.
S. 18. Intricata quædam obiectio dissolvitur, declarato Sacerdotum Societatis ab alijs discrimine quoad nō reportandum stipendium ob Missas, & ob munera alia spiritualia. p. 510.
S. 19. Num lex Societatis de recusando stipendio munerum spiritualium nova sit, & singularis in Ecclesia Dei? Defenditur à calumnijs hæreticorū, ostenditur eius perfectio, & afferuntur considerationes, vt in Societate vigeat. p. 515.
Panegyrica gratiarum actio pro fine totius Tractationis de Sacrificio Missę ad Christum Dominum in eo oblatū, & in Eucharistia latentem amanter. p. 522.
Clavis Magistri Sententiarum circa ea puncta, quæ in hac tertia parte examinantur. p. 528.
Familiaris Epistola Authoris ad D. Licentiatum D. Michaelem de Arostegui, & Echazarreta Socium Collegij Maioris S. Bartholomæi cum indice Canonum, & Conciliorum elucidatorum in hac tertia parte. p. 533
Index ex vniuerso corpore Iuris Canonici. p. 535.
Index ex Conciliis. p. 539.
Ex Canonibus Apostolorum. p. 543.
Ex Bullis Pontificijs, quæ non sunt insertæ in corpore Iuris Canonici. p. 543.
Ex Iure Civili. p. 544.
Ex Partitis. p. 544.
Ex Scriptura Sacra. p. 544.
Idex Rerum, & Verborum. p. 545.
Protestatio Authoris. p. 571.

ORATIO DECLAMATORIA
de Christo Dño instituente, & auspicante Sacramentum Eucharistiæ, & incruentum sui Sacrificium.

SOLI quàm celerem equum in religionis specimen fecit sacrum Antiquitas,

Ne celeri fiat victima tarda Deo,

vt nonnemo cecinit. Quodnam autem Deo Opt. & Max. in salutem mortalium, in amoris ostentum Sacerdos Mag

nus ſecundùm ordinem Melchiſedech Dominus Ieſus Chriſtus offerret munus, niſi divinum? Quid ſummę Omnipotentiæ libaret, niſi victimarum, & Sacrificiorum ſupremam? Brevi clauſula cinxero, quid, niſi ſe ipſum?

Ne magno fiat victima parva Deo.

O eximium pietatis opus! qui totius Vniuerſi machinam verbo perfecit, alio verbo ſe totum minutiſsimo puncto clauſit ad nobilius Sacrificij prodigium; ſic enim miraculoſa ſphęrula capit quem mundi in infinitum propè latiſsima ſpatia non capiunt. Proh diuinę Sapientiæ, & Omnipotentiæ ſecretum! O Sacrificium admiratione pleniſsimum! Patratum fuit verbo, nec mentibus humanis poterit patefieri. Rudis quæque Suada, & elinguis argutior eloquẽtia, quæ tot vnico latentia prodigia advmbrare præſumpſerit. Solũ itaque, fide magiſtra, calamum ducemus potiùs ad cultum diviniſſimi operis, quam ad demonſtrationem.

Nox erat; ſeu heu digna, quę ſemper tulerit noctis vmbram, & nomen, ſi ab homine ſpectes ſcelera, quibus ipſam obſcuram, & tenebroſam reddidit! Nox; ſed ò digna, quæ dierum primatum obtineat, ſi à Deo cenſeas miracula, quibus fulſit! Illa, illa, quę pudendi mortalibus facinoris tragædiam explicuit, vix primos decerpſerat, neſcias, vtrùm ſanctiores an fœdiores horarum excurſus, cũ divinus mortalium Aſſertor in triclinium, pro conditione domus honeſtum, ſecum alumnos ſuos ſecretè abduxit. Oculorum vigor excitatiſsimus, color vultus ardentior, quã pro verecundia, mitior, quàm pro rubore Solis coacto in criſtallum, verbis ſuę faces incluſę, ad amoris tenerrimi lenocinia blanditiæ compoſita, quidquid erat ab homine comis dimiſsionis, quidquid à Numine pulchræ maieſtatis, fulgura ab adſpectu, fulmina ab afflatu, denique oris, & animi omnia, & ſingula novi, inauditique facinoris mox futuri ſpecimen ſparſere per circumfuſam ſuorum expectationem.

Iam innocuæ vitæ flexus ad occaſum vergebat, vtque mortali vitæ clauſula immortalis ab amore deſcenderet, ſcientiſsimus artis præclarè faciendi, non verborũ, ſed eximium operum ex Rhetorica Cœleſti adiunxit epilogum. Itaque in huius admirabilis Sacramenti, & Sacrificij inſtitutione penetralia cordis arcana in aures fidas effudit: ibi per quæſtuoſa munera beneficentię ſinus exhauſit: ibi demum miraculorum apparatum aperùit tam ſtupendi, & inſolentis vultus, vt tantum deſideres fidei ſupra mentem humanam ad credendum, quantum potentię ad patrandum ſupra mortales vires divina manus exeruit. Deus Opt. Max. præclara geminæ naturæ complexu Maieſtas, quã in ſuos tunc temporis indulgens! vt Niobe propè ſis, niſi plus, quam obſtupeas: quã demiſſa in omnem be-

nigni-

nignitatem, & patientiæ cultum ! vt penè Luciferum referas, nisi plus, quàm diligas. Si oportuerat acerbæ morti hac Deum facinorum laude præludere, liceat signatè exclamare, O sacra, atque inaudita Sacerdotis Maximi victima, quæ Numinis ludibrio, ac morte constiterit !

Hoc Sacramentum, & Sacrificium divinus Sacerdos vltrò spectabilis eximiè auspicaturus, quod non in pelagus exvberantis amoris honestissimos cordis laxaverat sinus ? quàm non animi benevolè amantis effigiem stupentibus altè condiderat ? quo non incendio grato populatus suorum adfectus in omnis amoris blanditias solvit pectus amabile ? O Numinis pietas, vt indulges amori supra mortalium ingenium, vt indulges non supra mortalium favorem ! Quòd si cupido est nosse, quanto fuerit Christus nobili çstu in huius Sacramenti, & Sacrificij institutione ? Nihil Dei Hominis tãto in opere iucundissima obsidione ab amore vacavit. Id quod generatim dici tantùm à nobis potest, nam intimos amoris sensus altè Christi animo admissos ecquis fœlice exploratione recluſos perducet ad liquidum ?

Hic ego, si cum illo commentitio Momo interessem Vulcano, dum hominis lineamenta in corpus rude transferret, & futuras lineas delicata mentis acie secaret (fas sit, fabulis per speciem annuere) auderem, non illi molesta expostulatione committi, sed flagitatione supplice exorare, vt in hominis pectore sua fenestella maneret, qua liceret, cordis vultum, non ad frontis scenam mimica simulatione advmbratum, sed larvæ expertem, ac nudum, in adspectus sinceri lucem admittere ; qua solicitissimis oculorum pateret demum prospectus liberior in cordis adyta, & latentis animi sensus. O quos tenerrimos incarnati Numinis in corde motus scriptis cõmendarem, & famę, si curiosis oculis inspector accederem, si per sacri pectoris rimas totam intuentium luminum hilaritatem plenè consumerem ! Si quid tamen coniectura assequi datur, & divinos ex nostris moribus æstimare, Deus in huius noctis silentio, vt erat vultu magnificum quid spirante, & per ingentium cogitationum vota diffuso, in hosce maximè æstus adfectuum vim excelsę mentis effuderit.

Ita nè me à mortalium consortio demum abire ? & posse solicitum pectus abesse plorantibus ? O vices secundas hominum nõ sine adversi mixtura ! Ah gaudia mortalium quàm non estis timori inaccessa ! Revolare ad Patris aulam, & amplexus Filium, legis est divinæ ; at à discipulorum, & charorum complexu, ac sinu sese didascalum, & amicum abducere, quid humani consilij sit ? O vos

mortales

mortales plus, quàm fraterna insinuatione meo pectori adfixos! Duas res sibi coniunctissimas vno pectore videar ægré complecti, Patris obsequium, discipulorum amorem: nec vitam vtili mora producere Filio divino liceat, si flexerit oculorum dulcedinem ad Patris scitum, nec desiderata morte defungi magistro amanti, si discipulos, & amicos in consilio habeat. Quid itaque? Vitam ducere perseverem? O nefas, vel tenui renisu Patri obsistere! Subduxero animam huic luci mortali? O marcentis amoris vmbra, amicos premere vel absentis fastidio!

Ad hæc: quidquid fuit à gremio Parthenico ad hoc ætatis, & Patris imperio, & mortalium bono pietate libenti transmisi. Erone deinceps parcus? Mẹrebunt quidem ad tempus ipsi, si abeam, si moriar, Patri obtemperans; sed tristitia vertetur in gaudium, fientque æternùm fœlices. Ergo addubitem mori, etsi per immania tormẽta? Ah! tantus est hominum amor, vt metus omnis vestigia etiam absterserit, vt imminentia ludibria asserat etiam in partem dulcedinis. Quid enim? Iudæ proditionem voce etiam amici munerabor; traditoris osculum ea fronte annuenti simillima, qua manu obsequium fidi socij, accipiam: oratio, quò penetret hilarior in Cœlos, non squalido ritu, sed erumpet ab horto purpurea: vincla obvijs, ac gratulabundis vlnis amplexabor: iam vter plus in colaphum studij conferet, servus impactæ alapæ manum, ipse faciem adhibendo? Petri abnegationem galli non cęsi victima, sed vocula expiabo cantantis: irrisionis ab Herode nihil amplius, quàm colore togæ candidatus incedam: columna flagellis infamis erit non tam in metam gloriæ, quàm in tesseram: spinę pro rosis plena cruoris fronte rubescent; tanti sunt coronato dolori! clavos, quia ferreos, provocabo magnetico amore: cruci non supercilium dedero, sed brachia, explicatissimo etiam pectore: Golgothæam rupem non pugnantis amphitheatrum, sed theatrum interpretabor amantis: sepulchrum in horto secundus Adam pro paradiso gloriabor incolere. Quid plura? Animo inter obedientem Patri, & amantem discipulos obnoxio, nec verear mori, neque optem; nec timeam tormenta, neque eis me vltrò exponam?

Sed en Patris imperium in audientis animo fidenter ingerit: veni, ò Fili! Mortalium amor interim & ipse blandè suggerit: manè, ò Deus! O manere, & abire! Res sunt extremũ oppositę. Quas tamẽ in animo est ad concordię decus raro artificiò accersere. Huc, ò sapientia, quidquid est cultarum cogitationum evolve: huc, quidquid est ingentium virium, ò potentia, explica, vt dum primas insignis operis lineas solerter duxero, mox illas prosperiùs, quàm pro

expecta-

expectatione mortalium ad minimum punctum reducam. Ergo manere, & abire obsequioso, & amanti licebit; neque supra fas officiosæ pietatis assurget tam ardui conatus ingenium. Tota me audebo iam iam spectabili maiestate recipere ad Patris Regiam: toto etiam me Numine intimè credidero tenui panis amictui. Ibo suavi industria in eorũ oblectamẽta, à quib⁹ sum habendus ludibrio. Hinc in mortalium pectus rimabor aditum, & insinuatus cordi hunc illi favorem impendam, vt claudat arcto, ac profundo pectore quantũ quantum deliciarum est, quibus sinus Patris per gaudiorum congeriem imbuitur. Non ero tantũ vobis, ò mortales, in amoribus (quod est vestri erga me obsequij) ero etiam in pectore (quod mei erga vos est muneris) ita me in hanc benignitatem dimittam, vt vobiscum animorum mixturam nobilem fecerim: ita amoris vestri studium pleno Dei incarnati pretio, ac dignitate paciscar; ita firmiter adstricti purissima animorum miscebimus fœdera, consociatis affectibus, & voluntatibus coadvnatis.

Per hæc amatoriæ dulcedinis illicia beneficum pectus agentẽ excepit facti mirissimi pulchra, eleganſq; molitio. Sed vt Deus nihil operosiùs exequitur sedula manu, quàm volucri mente agitat, panis candidi partem potenti afflavit verbo. Illicò geminę naturę Maiestatẽ in tenue, ac versabile compendium delicata subtilitate transmisit. Nihil Numinis extra panis amictum leviter eminebat. (Disce, facinora præclara silentio saltem obtegere.) Omnia ille lineamenta viventis in totum absorpserat. (Disce, quã ducatur vita fortunatiùs, & securiùs in cordis sacrario, quàm in publica frontis luce) Illud obtectum peregrinis coloribus simulationem amoris involucro candido industriè obvmbrabat. (Disce, amare tam arcanè, quã dulciter. Præstat, hoc optabili igne flagrare, quã nitere.) Illud intimè infusum panis speciem non auxerat mole, sed pretio. (Disce, quantulo fluxarum rerum impendio augustissimum operũ steterit Deo.) Denique tenuis domuncula non tumuerat ad adspectũ, non angustos laxaverat sinus ad magni hospitis ingressũ. (Disce, Cœlestibus bonis quantũ plus insit in recessu, quã in facie mundialium.) Ergo tota Dei Hominis amplitudo semet intra modici edulij involvit angustias, & brevitate panis obiecta cohibet toto Cœlo fusissimam pulchritudinem, & fœlice æmulatione fert orbiculus quem non comprehendit qua latè patet Orbis. Nec minori potentia, aut amore suum etiam sanguinẽ calici immisit, & sublaticis Lyæi speciebus ad mortalium sitim exsatiandam arte mirabili paravit. Quo factum est, vt priùs illum in mensa, quàm in cruce effunderet; in mensa vivens, in cruce moriens; in mensa iaculo amoris, in cruce

clavis,

clavis, mucroneque lanceæ; vtrobique Sacerdos, & victima. Vnde theologicè modulatus est Baptista Mantuanus in Carmine de Sacris diebus, dum de Eucharistia,

Non fuit ex avibus, non ex Cerealis aristæ
Fruge, nec ex gregibus Sacrum, tenerovè iuvenco,
Qualia Gentiles, & gens Iudæa solebant
Reddere Cœlitibus. Sacrum fuit ipse: Sacerdos
Ipse fuit. Sed se velavit imagine mira.
Nam quæ panis erat, quæ vini essentia quondam,
Fecit, vt in Christi corpus, sacrumque cruorem
Transierit subitò, salvis vtriusque figuris.
Huc æterna suas tulit Omnipotentia vires.

Et Christus quidem mortem avidissimè exoptans pro salute mortalium, veluti morarum impatiens antevertit inimicorum furori, & quasi moti prius visus est per incruentum sui Sacrif. nempè per separationẽ sui corporis à sanguine ex vi verborum, quæ protulit. *Discumbentibus enim secum discipulis ad edendam mysticam Cœnam, cum in Caiphæ atrio tractaretur, quomodò posset occidi, ille corporis, & sanguinis sui ordinans Sacramentum, docebat, qualis Deo hostia deberet offerri*, vt ait S. Leo Papa Serm. 7. de Pass. Dñi.

Vbi verò novus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech reposuit vno in ferculo, vnoque in poculo Ambrosiam, Nectarque Cœleste, & vbi Deo operatus est augustum, pretiosumque Sacrificium, tunc convivator ipse, & convivium placidè invitat accumbentes, gaudetq; mortalium famem, ac sitim explere esca, potuq; delicioſissimo, imò & se ipso Deo Homine eos pascere. O benignitas, ò indulgentia! Cariùs tibi, ò Numen, voluptas nostra, quàm vita, constitit. Fecisti nos verbo, toto reficis Deo, tuo saturas corpore, & sanguine recreas. *Et ex quo à te dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.* Quæ sunt verba S. Cypriani, vel Authoris antiqui sub nomine ipsius in Serm. de Cœna Dñi. Atque vt ait S. Eligius Homil. 15. *Certè Redemptor N. consulens nostræ fragilitati, tradidit nobis hoc Sacramentum, vt quia ipse iam non potest mori, & nos quotidiè peccamus, habeamus verum Sacrificium, quo possimus expiari à peccatis.* Sic S. Episcopus Noviomensis.

Nec plura nos de susceptа Declamatione.

***

DISP.

DISPVTATIO XXVIII.

DE

MISSAE RITIBVS TAM IN VERbis, quàm in actione consistentibus.



ORVM OMNIVM TRActationi impēdit S. Thomas 3. p. quæstione 83. articulos 4. & 5. Vbi præcipuè agit de significatione, & conveniētia rituum, qui ad verba recitata in Missa, & ad actiones in ea factas spectant. Nos de huiusmodi convenientia, & significatione nihil dicemus, remittentes Lectorem ad Authores, qui ante, & post S. Thomam explicarunt copiosè, atque eruditè ritus, cæremoniasque Missæ. Quapropter tantùm attingemus ea, quæ Theologiæ Moralis, faculitatisque Canonicæ propria sunt.

SECTIO I.

De obligatione ad Missæ ritus.



ACRVM CONCIlium Tridētinum sessione 7. Can. 13. ferit anathemate eum, qui dixerit, *Receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse.* Quibus in verbis comprehendi ritus Missæ, nemo ibit inficias. Idem Concilium grauissimis verbis generatim præscribit sess. 22. Decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, hanc esse peragendam, vt decet: monetque Ordinarios locorum Episcopos, *Ne superstitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propositis caueant, ne Sacerdotes ::: ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeāt, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti, & laudabili vsu receptæ fuerint.* Id ipsum de non adijciendis nouis precibus, vel cæremonijs tantum iri voluerunt Concilia antiquiora, Carthaginense 3. C. 23. Milevitanum 2. C. 12.

Cap. 12. Africanum Cap. 70. Toletanum 4. Cap. 12. & 13. Circa cuius postremi Concilij decretum consulatur Blasius Ortizius in Descriptione Toletani summi Templi C. 41. Consonant cum allegatis Cōciliis alia relata in C. *De ijs, qui* 13. C. *Placuit* 14. D. 13. & C. *Conuenit* 13. de Consecratione Dist. 5.

2 Porrò autem Pius V. Pontifex Maximus anno 1570. in Bulla, incipiente *Quo primùm tempore*, de editione Missalis Romani, *Mandat, ac districtè in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, vt cæteris omnibus rationibus, & ritibus ex alijs Missalibus, quantumvis vetustis, hactenus obseruari consuetis, in posterum penitus omissis, ac planè reiectis, Missa iuxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent, ac legant: neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quàm quæ in hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumant.* Ita iubet Pius Quintus omnibus, & singulis, quorum in Ecclesijs ritus Romanus celebrandi iam olim floruit, nam si alius viguit *à prima* ipsarum Ecclesiarum *institutione, à Sede Apostolica, approbata, vel consuetudine, quæ, vel ipsa institutio super ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesijs assiduè obseruata sit*, noluit Pontifex obligare ad formulam Missalis editi, sed permisit, vt illâ altera retineretur, vel hæc assumeretur.

3 Verba Concilij Tridentini, & Pij V. significant præceptum; & præter quàm quòd sonant præceptum grauiter obligans, ipsa materia est per se grauis, vt potè pertinens ad Dei cultum, & ad peragendum ritè, atque ordinatè tantum Sacrificium, necnon ad bonum, vtilitatemque spiritualem fidelium. Ideò omissio, vel commissio contra hoc præceptum, & in hac materia erit per se peccatum lethale, etiādum absit ingens scandalum aliorum; aut periculum notabile, vt ipse Sacerdos dilabatur in peccatum mortale; aut etiam dum absit intentio extrinseci finis enormiter praui. Nihilominus in horum etiam defectu accidet sæpè, vt omissio, vel commissio, (sed hæc rariùs) sit peccatum veniale, vel ob leuitatem verbi, aut cæremoniæ detractæ, aut additæ, vel ob inaduertentiam leuiter culpabilem; & aliquando inaduertentia poterit esse omnino inculpabilis, ac naturalis.

4 Si omissio, vel commissio talis sit, vt ob adempta, vel adiecta, vel mutata scienter, & à consilio videatur introduci in Ecclesia nouus, & diuersus ritus celebrandi, erit absdubio peccatū lethale, idq; maximè prohibetur à Cōcilio Tridentino, & Pio V. Si omissio, vel commissio procedat ex formali cōtemptu præcepti præfati, erit etiam absdubio iuxta Azorium tomo 1. Lib. 10. C. 29. q. 6. Franciscum de Lugo Lib. 5. Cap. 9. quæst. 1. num. 7. Fagūdezium Lib. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ Cap 21. num. 7. graue peccatum. Sed Sotus in 4. Dist. & quæst. 1. art. 8. §. *Si autem*, ait, contemptum in hac re obtenuitatem materiæ posse esse venialem. Id quod non reprobatur à Tāburino Nostro L. 2. de Sacrificio Missæ Cap. 5. §. 2. num. 3. Estque conforme doctrinæ multorum apud Castrum Palaum tomo 1. Tract. & D. 2. punct. 9. §. 2. num. 5. qui dicunt, nō delinqui mortaliter in formali contemptu præcepti lati à Legislatore etiam diuino, si parvipendatur præceptum non absolutè, & simpliciter, sed secundùm quid, prout scilicet versatur in materia leui. Applaudit huic doctrinæ Paulus Maria Quarti q. Proœmiali in Rubricas Missalis Romani sect. 2. punct. 4. V. *Secūda sententia*, etsi immediate antea (non percipio, quā consonè) tradidisset, nō posse non ratione formalis contemptus esse mortiferam præfati præcepti trāsgressionem, quę aliàs ob materiæ levitatem venialis foret, si non inficeretur eo despectu. Qua in parte assentior huic Authori, prędallegatisque Azorio, Francisco de Lugo, & Fagundezio; vt & generatim censeo, contemptum formalem præcepti siue diuini, siue humani in materia siue graui, siue levi imbibere deformitatem lethalem. Cuius principij satis apud Theologos vulgati probatio non est huius loci. Neque ad hanc sedem spectat discutere, an omissio, vel commissio contra præfatum præceptum, etiam si sit in re levi, evadat mortalis ob consuetudinem, & frequentiam præcisè? Nimirùm supponenda est ex Tractatu de peccatis pars affirmativa cum maiori, melioriq; parte Theologorū; atq; ita in re præsenti probat Quartus suprà, V. *Oppositatamen*. Vnde qui per

totum

totum annum in Missis præteriret ritum aliquem, non peccaret lethaliter hac precisè de causa, si præteritio vice vna, vel altera esset tantùm obnoxia peccato veniali: quanquam timeri debeat, ne negligentia adeò intolerabilis sapiat contemptum, vt aduertit Gavantus parte 3. in Rub. Missalis tit. 11. num. 13.

5 Hactenus de obligatione ad ritus Missę inducta per Concilium Tridentinum, & Pium Quintum. Deveniamus ad inductam per Rubricas Missalis. Imò vnam, eandemque vtrobique agnoscamus; nam Rubricę continent ritus, cæremonias, & preces ab Ecclesia approbatas, ac frequenti, & laudabili vsu receptas in Missarum celebratione; de huiusmodi autem ritibus monet Concilium Tridentinum Episcopos, vt caueant edicto, & propositis pœnis, ne à Sacerdotibus immutentur. Atque ita quidem re ipsa cavit Pius Quintus post aliquos annos. Rursus in Rubricis traduntur ritus adhiberi consueti in Sacramenti, & Sacrificij Eucharistici celebratione; at tales ritus, vt & in vniuersum qui obseruantur in Sacramentorum administratione, non possunt sine peccato à Ministris prolibito omitti, vt declarat Concilium Tridentinum. Præterea Pius Quintus mandat, ac districtè in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, vt Missa decanteturr, ac legatur iuxta ritum, modum, ac normam traditam à se in Missali; iubetque, ne aliæ cæremoniæ, vel preces addantur, vel recitentur, quàm contentæ in eodem Missali. Dum verò id imperat, respexit profectò ad ritum præscriptum in Rubricis sui Missalis, exclusitque cæremonias, vel preces inibi non propositas. Quare Pij Quinti præceptum cadit super Missalis Rubricas; atque adeò illæ sunt materia præcepti lati à Pio Quinto, seu sunt præceptiuæ, supposito præcepto eius Pontificis præfixo ad Missale, in quo illæ describę extant. Vnde infero, Rubricas importare obligationem sub peccato mortali ex genere suo, & perse. Quæ est sententia Francisci de Lugo suprà numero 6. cum Suario, Henriquez, Azor, Conincho, Filliucio, Petro de Ledesma, Pitigiano, & Bonacina, & cum alijs apud Quartum suprà sect. 2. punct. 1. Ver. *Confirmatur*, estque adeò communis, vt possent addi mille alij patroni.

6 Quin potiùs pauci sunt, qui discordent, loquendo de Rubricis in genere. Azor suprà ait, [Quidam affirmant, alij verò negant, Rubricas tantam vim habere, vt eum, qui sine iusta, & probabili causa non seruat scienter, lethalis peccati reum faciant. Nihil certi ex ipsis regulis colligi potest. Sed probabilior est prima sententia] 1. Baptist. Bernardus Possevinus Libro de Officio Curati Cap. 2. num. 16. scribit [Tutior est sententia Suarez; sed non improbabilis contraria negans, illa sub præcepto proponi in Rubricis Missalis] Fagundez inquit suprà, [Non peccare, communiter loquendo, mortaliter illum Sacerdotem, qui aliquā, aut aliquas Regulas Missalis scienter sine causa omittit, modò non omittat tantam illarum partem, vt novum ritum in Ecclesiam introducat. Et huius opinionis videtur esse Sylvester Verb. *Missa* 1. num. 2.] Subscribit Ioannes Machadus Lib. 4. de Confessore, & Parocho perfecto, parte 1. Tract. 10. documento 1. num. 4. non benè allegato ad marginem Laymano, vt constabit legenti ipsum Lib. 4. Tract. 5. Cap. 6. num. 12. §. *Missale*. Adhæret etiam Basseus in floribus totius Theologiæ practicæ, V. *Missa* 6. num. 6. Item Diana part. 2. Tract. 14. Resol. 55. notatq; intelligendum esse Fagundez [Si Sacerdos vnam, vel alteram Rubricam non obseruaret; non autem si nullā, aut si in rebus substantialibus Sacrificij delinqueret] Bruno Chasiaing parte 2. de Privilegijs Regularium Tract. 8. C. 1. propos. 11. inquit, [Celebrans, si Missalis Rubricas non obseruet, non peccat mortaliter, dum modò non notabiliter eas omitteret; quod faceret, si ferè omnes, aut multas omitteret. Et huius sententiæ est Diana::: quæ sententia mihi multùm placet: & ex vsu virorum proborum, & magnæ litteraturæ probatur, parùm enim curant de huiusmodi, nec signa crucis, & cæteras cæremonias punctualiter obseruant eo tempore, quo signatur in Rubricis, sed paulò ante, vel paulò post] Sic Bruno. Sed ego non laudarem tantæ probitatis eos, qui tam indiligentes sunt circa

Missæ ritus, nam peccant venialiter, & vt minimũ incurrunt moralem imperfectionem. Stephanus Bauny parte 1. Theologiæ Moralis Tractatu, & quæstione 10. ait, [Neque tamen sic sum rigidus, vt credam, omissionem cuiuslibet cęremoniæ Sacerdoti piacularem esse: vt enim priuatim communibus Ecclesiæ precibus aliquam interserere, cum scandalum non metuitur, culpa est humana, sic de vsitatis aliquam adimere, aut in cæremonijs aliquid invertere, aut facere, quod Ecclesiæ seruare non sit solemne, veniale tantùm est]

7 Lenis hæc opinio confirmari potest ex quadam Epistola R. admodùm Patris Everardi Mercuriani IV. Generalis Præpositi Societatis nostræ scripta ad Reuerendum Patrem Ioannem Suarez Prouincialem Castellæ, & accepta anno 1575. die 27. Iunij, cuius Epistolæ, prout habetur in transcriptis Collegij Methymnæ Cãpi, is est tenor, [Quantùm ad id, quod V. R. quæsiuit circa cæremonias Missalis Romani, obligationemque seruandi illas. Respondetur, si obseruentur res præcipuę, & quæ communiter ab omnibus obseruantur, procedaturque bona fide, non fuisse intentionem Papæ obligare sub peccato. Et sic sua Sanctitas declarauit rogatus de hoc puncto; quanvis ipsi in desiderijs erat, vt omnes cæremoniæ, & regulæ ad vnguem obseruarentur. De quo iam nos fecimus certiores multas Prouincias. Quapropter V. R. diligenter curabit, vt in Castellana idem fiat.] Huic Epistolæ non sit maior fides, quàm quę debetur scripto non authentico, licet reperiatur in libro antiquo continente responsa Præpositorum Generalium Societatis nostræ. Et in sensu quidem istis litteris declarato fateor probabilem esse opinionem contrariam nostræ, licet verba Pij V. denotent præceptum grauiter obligans ex genere suo ad omnes Rubricas in generali, & ad singulas in particulari, sicque cunctas includant, vt nullam sigillatim excludant. Nec valet dicere, eò tendere verba, vt præcaueant noui ritus in Missa introductionem, intentionemque eius; à quo periculo procul est omissio, vel commissio contra vnam, vel alteram Rubricam. Etsi enim is fuerit finis Pontificis, non tamen vnicus; permissoque, & non concesso, fuisse vnicum, ast præceptum comprehẽdit omnes in communi, singulasque Rubricas in particulari; nec opus est ad huius, siue ad cuiusvis alterius præcepti violationem intentione opposita fini ipsius, sed satis est omissio, vel commissio contra rem imperatam: & alioqui non esset reus peccati contra illud præceptum Pontificium, qui remota ea intentione immutaret scienter, & pro suo libito accidentales omnes ritus Missæ. Insuper si semper omittatur, vel addatur cæremonia aliqua, erit aliqualis introductio noui ritus, tametsi non tanta, quanta, si cunctæ, aut multæ cæremoniæ accidentales præterirentur, vel inferrentur. Vnde cum [Standum sit verbis legis secundùm interpretationem Iuris, etiamsi Legislator dicat, se aliter intellexisse, vt docet Sà V. *Lex*, n 25. non recedo à sententia, quam præelegi.

8 Alia media referenda, & impugnanda supereſt, Gavanti in Rubricas Missalis parte 3. tit. 11. Marchini Tractatu 3. de Ordine parte 3. Cap. 6. Thomæ Tamburini suprà, §. 1. Quarti suprà, punct. 2. Ex quibus Gavantus non agnoscit, præceptivas esse cunctas Rubricas, sed dividit eas in omnino, & certò, in propè, vel dubiè præceptiuas, & in merè directiuas. Illæ sunt præceptiuę omnino, & certò, in quibus traditur quidpiam pertinens ad essentiam, integritatemvè substantialem Sacrificij, vel Sacramenti, & in quibus dicitur, trãsgressorem grauissimè, vel grauiter peccare, easque, de quibus Doctores concordãt in asserenda grauitate. Illæ sunt propè præceptivæ, quæ cum controverterentur inter Doctores, præhabitæ fuerunt à Summo Pontifice inclinante in tutiorẽ partem. Illę sunt præceptiuæ dubiè, de quarum grauitate, vel leuitate disputatur hinc, & inde à Theologis. Denique illæ sunt directiuæ tãtùm, quæ instructionem, & consilium solummodò continẽt. Exhibet Gavantus exempla suę diuisionis. Sed vt taceam, hanc esse intricatam, parùmque Dialecticam, & incerta pleraque exemplа; verba Pij V. nullam talis diuisionis ansam præbent, sed extenduntur vniuersaliter, & indefinitè ad omnes Rubricas absque

vlla

vlla prorsus exceptione. Cum igitur præceptiva sunt ea verba, erunt etiam præceptiuę Rubricæ omnes ad vnam. Vrgeo, penès Gauantum illæ sunt præceptiuæ omnino, & certò, in quibus asseritur, peccare grauissimè, vel graviter Sacerdotem transgressorem. An quia præcisè ibi asseritur? Minimè, siquidem vti alia ibi dicuntur à Pontifice, vt consulente, & instruente, ita etiam posset, & illud asseri ab eodem, vt Doctore priuato, & neque vt Superiore. Ergo si sunt omnino, & certò præceptivæ; ea videlicet de causa erit, quia supponitur præceptum in Bulla præfixa Missali. Quod quidem præceptum non limitatur inibi ad Rubricas, in quibus habetur hæc vox *grauissimè*, seu *graviter peccat*.

9 Marchinus, & Tamburinus partiuntur itidem Rubricas in præceptivas, & directiuas: illę solæ sunt præceptivæ, quæ notant aliquid, quod aliàs ex Iure, vel ex legitima consuetudine, vel ex tenore Rubricarum ipsarum graviter, & sub mortali iubetur; cæteræ verò sunt directiuæ; imò omnes in Missali contentæ, qua præcisè in ipsis sistitur. Citat Tamburinus Cardinalem de Lugo D. 20. sect. 4. n. 104. vbi nihil tale ait; & quanvis in n. 106. de quadam singulari Rubrica dicat, nō esse materiam præcepti, sed instructionis, & consilij, ampliandum id non est ad omnes alias contramentem; & verba tanti Doctoris. Ipsemet Tamburinus postea in §. 2. & 3. tradit, peccari per se graviter, si quidpiam omittatur, vel addatur in Missa, suadetque sibi id ob authoritatem Tridentini, & Pij V. Ergo siquidem per omissionem, vel additionem rituum plerumque contingat transgressio Rubricarum, erunt hę præceptivæ ex vi geminæ illius authoritatis. Vlteriùs si quædam Rubricæ sunt præceptiuæ ex vno, vel alio capitum, quæ à Marchino, & à Tamburino designantur. Quidni omnes evadent eiusdē conditionis ratione præcepti impositi à Tridentino, & Pio V. circa vnam æquè, ac circa aliam, seu generaliter circa omnes.

10 Tandem Quartus distribuit Rubricas in præceptiuas, & directivas; priores sunt illæ, quæ præscribunt ritus seruandos in ipso actu celebrationis Missæ; posteriores verò sunt, quę continent aliquid seruandum à Sacerdote ante, vel post Missam, aut à Ministris, & ab alijs circumstantibus, assistentibusque Choro; illæ etiam, quę loquūtur de defectibus contingibilibus inter sacrificandum, nisi aliunde constet de præcepto. Sed contra Quartum insurgo, quia quoad omnes Rubricas constat de præcepto Tridentini, & Pij V. nulla enim ibi fit exceptio; & nomine Missæ, celebrationisque eius intelligitur in verbis Tridentini, & Pij V. quidquid ex Ecclesię institutoantecedit, comitatur, subsequiturque Missam, & quidquid intra eam evitandum sit, aut supplendum. Desumo insignem confirmationem ex Bulla quadam Pij V. data anno 1570. die 17. Decembris, incipiente *Ad hoc nos Deus vnxit*, vbi dispensans pro Regnis Hispaniæ in nōnullis, quæ eodem anno, pridie Idus Iulij, præscripserat Missale novum, ait Pius V. *Orationes, quas Sacerdotes dicere tenentur, dum se induunt, & exuunt, finita Missa, non iuxta huius Missalis præceptum, sed prout hactenus in illis partibus recitare consueverunt, recitare possint.* En sunt præceptiuæ Rubricæ continentes ea, quæ recitanda sunt a Sacerdote immediatè ante, & post Missæ celebrationem. Nō nego, multos Doctores, agendo de aliquibus Rubricis in particulari, dicere eas esse mere directivas, instructionis, & consilij, aut doctrinales; sed nec dicunt de omnibus plerique illorum, nec verba Tridentini Concilij, & Pij V. patiuntur, vt de aliquibus in particulari dicatur. Atque ita mihi videtur, salvo aliorum iudicio, si melius sit.

SECTIO II.

Quorum verborum omissio in Missæ ritibus sit, necne peccatum mortale?

11 TAMETSI peccatum mortale per se sit, omittere aliquid recitandum, aut agendum in Missa, nihilominus vltra excusationem ob leviter culpabilem inadvertētiā erit sæpè veniale propter levitatē materiæ, si desit formalis contemptus

tus, scandalum graue; & adde, si velis, nimia frequentia. Quas restrictiones subintelligi ego volo pro decursu totius Disputationis, ne molestus fiam repetendo. Et in primis omittere scienter vnum, aut alterum verbũ Canonis, quod extra formam consecrationis sit, quodque relinquat integrum sensum aliorum, non est peccatum mortale, est quippè levis materia ratione quantitatis, & significationis, intentique ab Ecclesia finis, qui est cultus diuinus, & ornatus Sacrificij: quicquid nimis scrupulosè censeat Nuñus Cabezudus 3. part. quæst. 83. art. 4. dub. & conclus. 2. dissentientibus reliquis scribentibus post Suarium tomo 3. in 3 part. Disp. 83. sect. 3. V. *In quo est*. Cæterùm omissio pauciorum verborum ex Canone sufficiet ad peccatum mortale, quàm si extrà contingat, quia post consecrationis verba Canon est nobilior pars Missæ, vtpotè proximior Sacrificio, & sublimioribus plena mysterijs; sed quæ levitatẽ materiæ admittat, vt dixi. P. Bernal Disput. 6. de Sacramentis sect. 5. §. 1. num. 93. censet, octo, vel decem nomina Sanctorũ in Canone esse materiam levem. Diana parte 10. Tract. 16. Resol. 36. consentit quoad quatuor saltem nomina; Quartus quæst. Proœmiali, sect. & puncto 3. V. *Dico quartò*, quoad quinque. Authores quidem communiter vnius, aut alterius tantùm nominis, vel verbi præteritionem excusant à peccato graui; octo autem, vel decem recedunt valde ab vno, aut altero. Vnde nisi Bernalis authoritas probabilitatem det tãto illi recessui, improbandus omnino erit. Timeriq; debet, ne quis post hac extẽdat omissionem leuem ad duodecim, vel quatuordecim voces, sicut ex præteritione leui vnius, aut alterius asserta à Theologis prioribus, deventum est paulatim ad trium, aut quinque, & posteà ad octo, vel decem.

12 Doctrina superior de peccati grauitate, si paucissima verba omittãtur in Canone, non est intelligenda, nisi de verbis, quę sint simpliciter necessaria ad vsitatam ipsius integritatem. Vnde citrà mortalem culpam omittentur tempore Paschali ea, quæ interponenda sunt in Oratione *Communicantes*, vel in *Hanc igitur oblationem*. Ita innumeri post Suarium suprà; refertque multos Diana parte 10. Tract. 15. Resolut. 42. Discordat Auersa quæst. 11. sect. 12. §. *Quartò ergo*. Sed certè quòd eis extraordinarijs, & mobilibus verbis non recitatis remaneat adhuc Canon cum consueta integritate, sufficiens est ratio discriminis ad alia verba ordinaria, & immobilia, estque conveniẽs caput minuendi culpam; non solùm si prætereatur diuisiuè vna, vel altera oratio, sed collectiuè etiam vna, & altera iuxta censuram Quarti suprà, sect. 3. punct. 1. §. *Colligitur quartò*, de quo nos infra feremus iudicium.

13 Ex dictis de Canone, circumscriptis verbis consecrationis, colligitur à fortiori, maiorem esse culpam, si ex illis omittatur aliquod; quãtumvis nõ sit necessarium ad validitatem formæ: quippe si necessarium sit, non vacabit grauissimo piaculo, & sacrilegio omissio, vti a nemine dubitari potest. Nihilominus pręteritio particulæ *Enim* in verbis consecrationis non pertinget ad culpam lethalem, vt scripsi Disputatione 12. de Eucharistia, num. 31. contra Ægidium Romanum super Cap. *Cum Marthæ* de Celebratione Missarum, parte 1. & contra alios: sed mihi fauent permultiibidem citati, quibus adiungo Thomam Tamburinum suprà Cap. 5. §. 2. numero 3. Franciscum de Lugo Lib. 1. Capite 1. quæst. 2. num. 21. Lib. 4. Cap. & quęstione 3. num. 19. Emmanuelem Mascarenhas Tractatu 1. de Sacramentis, Disput. 2. Cap. 4. num. 62. Tractatu 4. Disput. & Cap. 2. num. 108 Quartum suprà, sect. 3. punct. 4. in 3. Difficultate; alijque passim consentiunt.

14 Circa particulam *Est*, etsi eius expressionem non esse necessariam ad formæ validitatem sẽtiat Bernal Disputatione 39. de Eucharistia, sectione 2. §. 1. tamen in numero 28. affirmat, vt & Lessius, Ægidius, ac Præpositus adducti à nobis in num. 29. præcitatę Disputationis, non carere culpa graui eius omissionem, etiam citra contemptum formalem. Sed addit [Per incogitantiam, aliquo modo vincibilem, ab illa exprimenda abstinere, graui Dei offensione vacaret: gravi autem, & levi, si retticeres ad euadendam necem, quam aliquis tibi, si exprimeres, minaretur, non quidem in odium Fidei, vel Ecclesiæ contemptum,

tum, sed ob aliquem alium finem neutri contrarium] Quæ additio non displiceret mihi, si placeret suppositio de nõ requisita ad formæ valorem expressione verbi *Est*. Sed eam suppositionem refutavi in illo num. 29. Ipsaque permissa, & non concessa, videtur contra Bernalem vrgere id, quo in §. 2. numero 42. suadet, præteritionem vocis *Enim* non esse culpam mortalem, scilicet [Quia hæc vox non solùm non pertinet ad essentiam formæ, sed nec ad ipsius substantiam, & simul est vna dumtaxat vocula: quæ tria simul sumpta proculdubiò materiam levem efficiunt.] Hæc autem non minori vi faciunt ad probãdum, liberam esse à peccato mortali omissionem vocis *Est*. Et in adverbio *Enim* elicitur ratio, quam idemmet affert pro gravitate culpæ in omissione verbi *Est*. Enrationem Bernalis §. 1. num. 28 [Circa substantiam actionis gravissimæ omnium, quæ in Ecclesia exercentur, & quę à Sacerdote vt Ecclesiæ Ministro, & in Christi nomine exercetur, discedere ab eo ritu, quem & ipsa Ecclesia perpetuò sequitur, gravis deordinatio est.] Huic rationi, si reflecteretur aduersus omissionem particulæ *Enim*, responderet Bernal, non esse gravem deordinationem; quidni ergo licebit respondere circa verbi *Est* reticentiam? Ego adhiberem aliam rationem petitam ex periculo adeò probabili non consecrandi, cui exposita esset omissio verbi *Est* apud Latinos.

15 Quam etiam ob causam delinqueret graviter, qui in consecratione calicis prẽteriret aliquod nomẽ, aut verbum ex ijs, *Noui, & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; cum admodùm probabile sit, ea omnia pertinere ad essentiam formæ. Accedit, quod in istis verbis expressiùs significantur magna mysteria intenta à Christo Domino, quando ipsa protulit iubens, vt eadem in sui commemorationem recitarentur à Sacerdotibus.

16 Quoad syllabas verborum consecrationis, cum sit valida forma, etiam si aliqua syllaba omittatur, sed citra intentionem variandi sensum intentum à Christo Dño, & ab Ecclesia, non peccabitur graviter obnõ expressionem vnius, aut alterius, siue non expressio proveniat ex ignorantia legum Grammaticæ, siue ex negligentia voluntaria crassa, atque supina, nam ob levitatem materiæ non erit nisi peccatum veniale. [Imò quanuis non adhibeatur diligentia proferendi *M.* finale in *meum*, vel si fortè nõ proferatur *T.* in verbo *Est*, nullam profectò reor culpam incurri] ait Scotus in 4. Dist. & q. 1. art. 8. V. *Si autem* [eus enim non est tam istarum minutiarum obseruator.] Quæ Soti benignitas approbari potest saltem proscrupulosis, quorum aliqui tam nimij sunt in pronunciatione litterarum finalium, vt sępè extorqueant risum in audientibus.

17 Iam verò cum docuerimus, non esse peccatum mortale præterire aduertenter vnum verbum Canonis, imò neq; vnum cõsecrationis, si ad formæ essentiam non pertineat, sequitur à fortiori, vacare culpa gravi omissionem cuiusuis alterius verbi extra Canonem. Si prætereatur quidpiam, absque quo salvatur necessaria, & consueta Missę integritas, nõ incurretur peccatum lethale. De *Gloria*, vel *Credo* asserunt multi tum ob non mutilatam integritatem ordinariam Missæ (quæ ratio vel in omissione verborum intra Canonem approbata fuit à nobis suprà) tum ob non ingentem quantitatem. Fortè in magna aliqua festivitate non prætermitteretur *Gloria*, vel *Credo* sine gravi reatu ob scandalum saltem præsentium. Norandum que est, varietatem dicendi in vna Missa, & non in alia *Gloria*, vel *Credo*, excusare non rarò à peccato etiam veniali omissionem, vt quæ pertæpè accidat ex inadvertentia naturali. Huiusmodique adnotatio potiori de causa est habenda præ oculis circa orationes illas, quæ in Canone pauciès interponuntur, maior enim est desuetudo.

18 Prior illa ratio de salva integritate necessaria, & consueta Missę, etiam si pretermittatur *Gloria*, vel *Credo*, extendi valet ad Psalmum *Iudica me Deus* in exordio Missæ, ad Sequentiam in Missis de Pentecoste, de Corpore Christi, de Commemoratione omnium fidelium defunctorum, de in die obitꝰ, & de Anniversario, item ad plures orationes, quàm vnam in principio, & fine Missę, necnon ad Prophetias vltra vnã, aut vltra Epistolam in Missis, in quibꝰ multæ

multæ debent recitari. Paritati argumenti manus dant Quintanaducñas tomo 1. Tract. 7. Singulari 39. num. 2. si Missæ sint priuatæ, & scandalum absit, Bordonus in Consilijs Regularium tomo 2. Res. 64. num. 33. apud Dianã parte 9. Tract. 6. Res. 19. Tractatu 8. Res. 53. Quartus suprà, sect. 3. toto punct. 1. Sed prior illa ratio, si modificetur per posteriorem, non cogit, nam Prophetiæ v.g. aut Sequentiæ, etsi non sint solitæ dici in alijs Missis, sunt tamen partes notabiles penes Ecclesiæ intentionem, & penes quantitatem pro Missis, in quibus debent dici. At *Gloria*, vel *Credo* (idem de extraordinariè interpositis in Canone) partes sunt quantitatis exiguæ. Præterea videtur Ecclesia obligare magis ad Prophetias, aut Sequentias, quàm ad *Gloria*, vel *Credo*, quia illarum onus raro injecit, & addicit paucis diebus; horum verò pensum sæpè, & pluribus diebus, sæpèque ab eo liberat: & aliunde quantitas illarum est magna. Quo infringitur instantia emergens ex verbis raro adiectis intra Canonem. Quòd si quantitatis magnæ non sit habenda ratio, sequeretur, non peccaturum graviter, qui in Missa de Sabbatho quatuor temporum Pentecostes non recitaret Psalmum *Iudica me Deus*, Prophetias, Hymnum Angelicum, Sequentiã, Symbolum, adijcienda ad *Communicantes*, & ad *Hanc igitur*, omnesque Collectas præter tres. Quam sequelam etsi admittat Quartus, quia adhuc stat Missa simpliciter integra cum suis partibus consuetis; sed præseferre absurditatem, iudicant docti nonnulli viri, quos consului. Qua propter cum Diana supra refragor opinationi trium Illorum Authorum.

19 Omissio precum dicendarum à Sacerdote cum Ministro ante gradus altaris, vel Epistolæ, vel primi Evangelij (etiam si sit brevissimum, vt in Missa de Circumcisione Domini) vel oblationis siue hostiæ, siue calicis, vel Præfationis, vel orationis Dominicę, vel subsequentis immediatè ad ipsam, vel verborum ad fractionem hostiæ, & mixtionem cum sanguine, vel deprecationis *Agnus Dei*, vel orationum subiunctarum, vel verborum siue *Domine non sum dignus*, siue *Quid retribuam Domino*, &c. vel postremi Evangelij non est immunis à peccato mortali, quia partes illæ vsque ad Præfationem inclusiuè sunt valdè principales, & necessariæ ad integritatem Missæ, vt & illæ aliæ ex oratione Dominica vsque ad sumptionem Sacramenti; & præterea illæ aliq componũt Canonem iuxta sentẽtiam multorum, saltemq; ad eius dignitatem proximè accedunt. Sic satis exactè expendit Quartus supra, sect. 3. punct. 2. & 3.

20 Discordat quoad Evangelium vltimum Tamburinus supra, cap. 5. §. 2. num. 5. propter paritatem rationis ad *Gloria*, vel *Credo*, vel ad vnam, alteramve orationem, quæ potest sine peccato gravi omitti. Et confirmatur eadem opinio, quia Missæ complemẽtum, & integritas salva stat ante illud Evangelium, vt monstrant verba antecedentia *Ite, Missa est*, necnon C. *Cum ad celebrandas* 65. de Consec. Dist. 1. vbi dicitur, *Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenitur, populus non ante discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur: & vbi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis*. Quibus in verbis solemnitas Missę completa asseritur post populi benedictionem, quæ præcedit Evangelium S. Ioannis. Et in C. *Missas* 64. ibidem legitur, *Missas die Dominico Sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat*. En tota Missa absoluitur benedictione data à Sacerdote, nam per *totas Missas* idem significatur, ac per integras, vt latè notat Ferdinandus Paez in Repetitione eleganti ad eum textum. Confirmatur rursus, quia si in die præcepti non audiatur Evangelium postremum, non peccatur etiam venialiter, eo quòd illud non sit de integritate Missæ. Sed adhuc non assentior Tamburino, nam, vel attenta sola quãtitate, solet maior esse Evangelij vltimi, quàm vnius, aut alterius Collectę, & quàm Hymni Angelici, vel Symboli. Et quicquid sit de quantitate, illud Evangelium est pars notabilior, & principalior ex intentione Ecclesiæ in ordine ad Missam, estque magis necessaria ad consuetam huius integritatem. Vnde maius in populo suboriretur scãdalum, si viderent omitti à Sacerdote illud Evangelium, quàm vnam Collectam, vel Hymnum Angelicum. Et

quanuis

quanuis antiquioribus temporibus integritas Missæ non conflaretur ex Evãgelio secundo, vt potè quod tunc non recitaretur, secus in præsentiarũ. Refert ex Durando Lib. 4. Rationalis C. 24. Gavantus in Rub. Mis. p. 1. tit. 13. lit. *R.* lectionem Evangelij S. Ioannis fuisse iam sua ætate in vsu apud quosdam. Quod ego in Durando non lego. Refertur quidem in C. *Quidam Laicorũ* 2. de Celebratione Missarum, *quosdam Laicos habuisse in consuetudine, vt per singulos dies audirent Euangelium In principio erat Verbum.* Vbi Abbas Panormitanus obseruabat [Illud Evangelium non esse de necessitate dicendum in qualibet Missa, nam si hoc esset verum, non notarẽtur isti Laici, quòd in singulis Missis volebant audire illud Evangelium; non tamen per hoc putes, malum esse in qualibet Missa illud audire; maximè cum hodie hoc habeat communis consuetudo. Sed damnatur hæc superstitio, quia credebant isti, sicut dicunt quædã vetulæ, quòd nõ poterunt isti sine pœnitentia decedere, audiendo illud Evãgelium, vel quid simile] Locus hic Panormitani est egregius ad noscẽdam antiquam consuetudinem lectionis Euangelij illius in fine Missæ. Ioannes Burchardus in Ordine celebrationis insistens ei consuetudini designavit pro fine Missæ idem Evangelium; demumque Pius V. lege sanxit, vt communiter illud, & nonnunquam aliud clauderet Missam. Quare iam vltimum Evãgelium spectat ad Missæ integritatem. Patres in C. *Cum ad celebrandas*, & in C. *Missas* loquuntur tempore, quo Sacrum finiebatur per populi benedictionem, & ideo huius mentionem faciunt, quippe mens Patrum in illis Canonibus fuit, ne fideles discederent ante Missæ finem (qui vt tunc erat benedictio, sic & nunc Evangelium) sed retinente adhuc Ecclesia ritum dicendi *Ite, Missa est* eodem tempore, quo anteà. Et hinc probabilius mihi est, audiẽtem ex obligatione Missam reum esse peccati venialis, nisi audiat Evangelium vltimũ. Sed etsi nõ esset, arguitur inde ineffaciter; alioquì neq; Sacerdos foret reus eius peccati, si non recitaret postremũ Evangelium: quod neque à Tamburino, neque ab vllo Doctore concederetur. Ratioque disparitatis debet apud omnes esse, quia diversum ferendum est iudicium de omissione in recitando Euangelio à Sacerdote, quàm in audiendo à fideli, quippe Missa constet Sacerdotis verbis, & actionibus, maneatque imperfecta, & trunca, si Sacerdos omittat Evangelium postremum. At ex auditione Missæ à fideli neutiquã hæc componitur, neque hæc remanet mutila ob non auditum ab ipso vltimum Evangelium. Quo ex discrimine cognoscitur, posse aliquam Missæ partem esse materiam venialis culpæ, si omittatur audiri à fideli, & esse materiam peccati lethalis, si omittatur recitari à Sacerdote. Exempli gratia. pars Missæ vsque ad primum Evangelium est penes communem sententiam materia noxę levis respectu omittentis audire, & est materia piaculi gravis respectu omittentis recitare, vt nemo negabit; sicut & requiri multò maiorem causam ad licitam omissionem recitandæ partis illius, quàm ad audiendæ; imò & ad priorem omissionem requiri causam gravissimam, cum ad posteriorem modica sufficiat, persuadeo mihi. Vnde non approbo, quod ait Hieronymus Llamas 3. parte Methodi curationis animarum C. 5. §. 8. [Vsque ad initiũ Evangelij, moraliter Missam integram reputari credimus, cum minor pars illi deficiat; imò etiam si Sacerdos illuc vsque iusta causa omitteret dicere, vel quia non posset, vel non inueniret, credimus non peccare, & Missam integrã dicere: secus sine necessitate.] Sic ille.

22 Hucvsque explicui satis distinctè eas Missæ extra Canonem ordinarias partes, quarũ omissio sit grauiter culpabilis. Porrò earundem ad modicum, & non integrè, vel aliarum partium, vt totius Gradualis, vel Tractus post Epistolam, vel Collectæ alicuius erit omissio leviter damnanda. Quòd si in vna, eademque Missa omittatur ex Epistola v. g. vna pars, ex Euangelio primo alia, vel totum Graduale, totus Tractus, & vna tota Collecta, peccabitur proculdubiò magis, quàm si prætereatur pars solius Epistolæ, vel solùm Graduale; proveniet que omissio ad gradum culpæ mortalis, si omissæ partes tot sint, vt conflent quãtitatem notabilem, eo enim ipso notabiliter truncatur, & deformatur Missa. Et quò partes fuerint principaliores, eò minor quantitas sufficiet ad aggravandum peccatum. Atque

23 Atque hinc noviter roboro, quod supra contra Quartum dicebam num. 18. Nam si omissio partis Epistolæ, & partis Evangelij in eadem Missa est peccatum lethale, fatente Quarto sect. 3. punct. 2. in fine, tametsi omissio vnius solius non esset nisi veniale. Ergo omnium partium extraordinariarum, & mobilium simultanea omissio vacabit gravi culpa, tametsi permitteremus, peccaminosam leviter esse omissionem partis vnicæ. Si respondeas pro Quarto, omissionem omnium esse quidem maius peccatum, sed veniale, quia cum omnes illæ non sint de consueta integritate Missæ, nõ redditur hæc trunca, & imperfecta notabiliter per talem omissionem, vti redditur per partis Epistolæ, & partis Evãgelij, vt potè quæ sint vsitata complementa Missæ. Contra, nam esto Missa vt in communi non reddatur mutila, secus Missa hæc in particulari, cuius proprium est, compleri per omnes illas partes; & omnium illarum omissio nõ potest nõ esse partium notabilium dignitate, & quãtitate respectu talis Missæ.

24 Occasione horum adverto, videri valdè probabiliter P. Bernalio D. 39. de Euch. S. & §. 2. numero 42. omissionem repetitam aduerbij *Enim*, semel in corporis, semel in sanguinis consecratione, fore gravem culpam, tametsi non foret nisi levis, quando semel tantùm contingeret. Quòd si bis, aut ter in Missis eiusdem diei, vt Nativitatis Christi Dñi, vox *Enim* prætermitteretur, ait Bernalius, peccati mortalis fortassis damnandum à Doctoribus. Sed meo iudicio non à Doctoribus, qui vnicam prætermissionem liberarent ab ea damnatione, nam in diversis eiusdem etiam diei Missis omissiones separatim intentæ non respiciunt partes omissas vt coalescentes in eandem quantitatem, aut materiam. Omitto Bernalium, & pergo ad alia.

25 Quando Sacerdos solemniter celebrat, tenetur non prætermittere privatam recitationem eorum, quæ Chorus, & Ministri cantant, sic enim iubent Rubricæ Missalis recogniti à Clemente VIII. imò & editi à Pio V. iubent, inquam, quia ad centendũ, esse solummodò directivas quoad id, non apparet sufficiens vllum fundamentum. Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 6 num. 107. ait [Posse videri levitatem materiæ, si omittantur à Sacerdote, eò quòd tunc non omittatur Epistola, vel Evangelium in Missa, siquidem cantatur solemniter à Ministris, ad quos spectat: lectio autem illa, quæ omittitur, videtur esse magis privata, nõ tam pro populo, quàm pro ipso Sacerdote.] Consentiunt Dicastillus Tract. 3. D. 4. dub. 13. num. 256. Thomas Tamburinus Lib. 2. de Missa C. 5. §. 2. num 6. Aversa q. 11. sect. 12. V. *Item peccare*, Quartus supra, sect. 3. punct. 7. V. *Secunda sententia*, Mascarenhas T. & D. 5. C. 15. num. 444. Leander Tractatu 8. D. 7. q. 60. Dissentit Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 9. q. 2. num. 20. si Sacerdos omittat omnia, scilicet *Introitũ, Kyrie eleison, Gloria, Epistolam, Graduale, Euangelium, Credo*, ad *Offertorium, Sanctus, Benedictus, Agnus Dei*, ad *Communionem*, quia omnia hæc simul apparent materia grauis. Sed responderi potest, esse quidem materiam gravem, si omittantur à Sacerdote, Choro, & Ministris, non tamen si à Sacerdote solo, cuius in eis dicendis vices gerant Chorus, & Ministri. Nec materiæ gravitas est adeò perspicua, vt post editionem Missalis a Pio V. & post recognitionem a Clemente VIII. non scripserint plures apud Dianam parte 2. Tractatu 14. Resol. 42. parte, & Tract. 5. Resol. 45. Tract. 13. Res. 95. parte 9. Tract. 6. Res. 19. contra Fernandez de Moure in Examine Theologiæ Moralis parte 3. C. 5. §. 12. num. 15. posse à Sacerdote omitti sine vllo peccato.

26 Imò Sà V. *Missa*, num. 52. scripsit sequutus Navarrum C. 16. de Oratione num. 45. & Miscellaneo 78. de eadem Oratione n. 1. laudatum in hoc a Thoma Sanchez Libro 7. Consiliorum C. 2. dub. 13. num. 2. [Missam cantantem præstat audire, quę alij cantant, quã interim per se legere] Quæ verba desumpta sunt ex his Navarri in priori loco [Meliùs foret eis, qui celebrant solemniter Missam cum Diacono, & Subdiacono, audire Epistolam, & Evangelium devotè, non dicendo illa per se, quàm antea recitare, & postea indevotè audire.] Sed manentibus illæsis his verbis Navarri, leguntur mutata iuxta Romanum exemplar correctum (vt dicitur) authoritate

vene-

veneranda Magistri Sacri Palatij ea alia Emmanuelis Sà. Vnde à Diana, Auersa, & Quarto citatur Sà secus, ac ipse scripsit ex Navarro. Contra quos duos, & contra Thomam Sanchez sentio, non præstare; & ad minus esse peccatum veniale, si ante, vel post non legat per se Sacerdos, quæ alij cantant; quia Rubricæ Missalis præscribentes, vt legat, non sunt solummodò instructivæ, & directivæ, sed præceptivæ, & obligatoriæ. In eis verò, vt primò etiam sunt editæ à Pio V. continetur, vt Sacerdos per se dicat in Missa solēni *Introitum, Kyrie eleison, Gloria, Euangelium, Credo.* Ita lego in Missali edito anno 1572. Eademque est ratio de *Epistola*, & de cæteris, quæ à Choro cantantur. Id ipsum ordinatur magis expressè in Rubricis recognitis à Clemente VIII. Quare quòd Navarrus, Sà, & Sanchez dixerint, melius esse oppositum; debet verti inadvertentiæ circa Rubricas Pij V. cum quarum notitia non staret, vt iudicaretur perfectius, quod esset contra ipsas, proindeque contra consilium saltem, & directionem Ecclesiæ. Vnde minus cautè affirmat Tamburinus supra, esse probabile pro hoc tempore dictum Thomę Sanchez. Rursus quia Navarrus dixit, Missale Pij V. non ordinasse quidpiam quoad id, ideo Vega, Petrus de Ledesma, Bartholomęus à S. Fausto, & Villalobus præbentes fidem Navarro sine maiori examine asseruerunt, nullam extare ordinationem, seu regulam Pōtificiam de prefata lectione secretè exequenda à Sacerdote, quare, si omittatur, nullum incurri peccatum.

27 Ex his colligitur, *Passionem Domini* dicendam esse à Sacerdote submissa voce diebus illis, quibus à Diacono cantatur. Sic saltem feria sexta in Parasceue faciendum esse, exprimit Missale recognitum à Clemente VIII. Deinde colligitur contra Pellizarium in Manuali Regul. tomo 1. Tractatu 5. C. 9. sect. 2. num. 36. *Prophetias*, quæ Sabbatho sancto leguntur in Choro, dicendas etiam esse in cornu Epistolæ ad altare submissa voce à Sacerdote iuxta eiusdem Missalis admonitionem. Quare non sufficiet, dici in Choro à Clericis, aut propè altare à Diacono, vel Subdiacono. Et in Choro debent legi omnino integrè, vt & à Sacerdote: quod si secus alicubi fiat, est corruptela, & non consuetudo legitima.

28 Si contra superiora quispiam opponat exemplum assistentium in Choro, qui non tenentur voce submissa recitare lectiones, capitula, orationes cantatas ab alijs; sed satis est, quòd attentè audiant. Respondetur, in his materijs non exemplis, sed prescriptis regulis duci debemus. Nec omnia, quę in Officio Chori licent, ad Officium Missæ extendere fas est. Habemus præterea rationem discriminis, quia Sacerdos solemniter celebrans nō desinit esse principalis offerens, quamuis alij cantent in Choro; oportet autem, vt principalis offerens conficiat æquè Missam recitando verba illius, ac si alij non cantarent. Cæterùm in Officio Psalmodiæ nullus Choristа prę alio gaudet principalitate.

29 Dignum adnotatione est hoc in loco, eum, qui solemniter celebrat, obligari strictiùs ad non omittendos ritus Missę, quia hęc ordinatur magis, quàm privata, ad Dei cultum. Et ideò si in Missa solemni nec semel dicas v. g. *Agnus Dei*, &c. vel *Domine non sum dignus*, &c. delinques graviter, & grauiùs, quàm si in privata non diceres; si proferas semel, vel bis, sed non ter, defectus erit venialis, vti in privata ex censura Quarti supra, sect. 3. puncto 5. V. *Quoad orationes*, sed culpabilior. Videturque eidem Authori in puncto 7. omissionem cuiusvis ritus, qui specialis sit Missę solemnis, non futuram nisi venialem. Rursus probatur id, quod dignum esse adnotatione dixi, nam ob solemnis Missę publicitatem magis imminet periculū scandali. Exempli gratia, si in Missa coram vno tantùm Ministro, aut paucis assistentibus omitteretur submissa recitatio orationis dicendę immediatè post primum *Dominus vobiscum*, vix sequeretur scandalum, aut modicum; è contrà autem magnum, si in Missa solemni, & coram frequenti populo non cantaretur. Vnde siue omissio secreta eius orationis esset independenter ab scandalo peccatū lethale, vt existimant Auersa supra, V. *Quare*, & Franciscus de Lugo supra, n. 16. siue solummodò esset veniale, vt indicat Quartus supra, punct. 2. cum non accenseat eam partibus ordinarijs Missę à principio vsque ad Canonem,

nem, quarum præteritio sit mortalis; attamen omissio publica esset culpa lethalis, & gravior ob adiunctum magnũ scandalum.

SECTIO III.

Sitne culpa grauis, omittere preces aliquas præponendas, & postponendas Missæ, necnon diuinum Officium Psalmodiæ?

30 QVÆSTIO versatur primò circa preces præparatorias ad Missam, circa eas item, quæ præscribuntur dicendæ, dum Sacerdos lavat manus, & induit se vestibus sacris, necnon circa illas, quæ, dum se exuit? Respondeo, primas preces posse omitti sine vllo peccato, tum quia in Missali proponuntur vt dicendæ *pro opportunitate Sacerdotis*; tum quia Sacerdotes valde exacti, & timorati solent eas omittere absque scrupulo non tantùm peccati, sed etiam imperfectionis moralis; tum quia in eodem Missali habentur aliæ orationes, quæ possint dici ante, & post celebrationẽ, quin in mentem alicui venerit, dicendas esse ex obligatione; tum quia in Cæremoniali Papę Lib. & sect. 2. Cap. 26. & 28. prohibentur dici ab Episcopo ante Missam solemnem defunctorum; sed posse ante eam dici ab alijs Sacerdotibus, observat cum Gavanto Diana parte 10. Tract. 12. Res. 20. vbi ex eodem Gavanto addit, non esse omittenda oscula crucis in amictu, manipulo, & stola, quando induuntur ad celebrandam Missam defunctorum. Tũ denique quia non expedit, onera superimponere, quibus tempus insumatur, quando plures Sacerdotes vix semihoram secernunt ad Missę Officium. Satis quidem est, consulere eas preces.

31 Deinde respondeo, de secundis precibus extare regulã expressam in Missali, titulo de ritu servando in celebratione Missæ §. 1. num. 1. & 2. quin adijciatur, dicendas esse pro opportunitate Sacerdotis, & quin diverso modo hæc regula præscribatur, ac aliæ, & quin Sacerdotes scientia, & conscientia præditi assuescant omittere illas, imo & quin audeant omittere semel. Constat tandem ex verbis Pij V. allatis num. 10. fuisse abipso propositã eam regulam vt præceptivam. Quare censeo, singulas eas preces debere dici sub peccati venialis pœna, sunt namq; singulæ materia levis. Ast quid, si omnes omittantur? Videntur enim omnes componere materiam gravem, & de omnibus vt collectivè omissis fuisse loquutos Navarrum, Azorem, & Syluium, cum dixerunt, esse lethale peccatum, si prætereantur. Nihilominùs, quia id non iudicatur communiter, & quia omnes illę preces non componunt vnum quasi Officium integrum, vt notat Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 12. num 241. ideo omnium omissio non erit peccatum lethale, sed tot erunt peccata venialia, quot orationes omittantur. Dicere autem loco earum Psalmum *Miserere* non excusabit à peccatis venialibus, cum enim detur præceptũ earum determinatè, non satisfiet tali præcepto, si Psalmus *Miserere*, aut alię orationes ad libitum Sacerdotis recitentur. Si Sũmus Pontifex dispensaverit, vt fecit Pius V. pro Hispanis, non tenebitur Sacerdos Hispanus nisi ad preces, quas Pius permisit. Sed me latet, quales illæ fuerint.

32 Tertiò ad quæstionem respondeo, de postremis precibus sic loqui Missale in titulo præcitato, §. 12. numero 6. *Eo modo, quo venerat, redit ad Sacristiam Sacerdos, interim dicens Antiphonam Trium puerorum, & Canticum Benedicite. Si verò sit dimissurus huiusmodi paramenta apud altare, vbi celebrauit, finito Euangelio prædicto, ibidem illis se exuit, & dicit Antiphonam prædictam Trium puerorum cum Cantico, & alijs orationibus, vt suo loco ponuntur.* Et in Concilio Toletano IV. Capite 14. dici, *Hymnum trium puerorum, in quo vniuersa Cœli, terræque creatura Deum collaudat, & quem Ecclesia Catholica per totum Orbem diffusa celebrat, quidam Sacerdotes in Missa Dominicorum dicerum, & in solemnitatibus Martyrum canere negligunt: proinde sanctum Concilium instituit, vt :: in omnium Missarum solemnitate idem in publico decantetur.* Continetur autẽ hic hymnus inter postremas preces. Vnde existimo cõsequenter ad superiora, & præsertim ad expressam mentem Pij V in verbis

verbis adductis num. 10. reum fore peccati venialis, qui eas omitteret advertenter. Sed quia video, multos Sacerdotes arctæ conscientiæ non recitare totam gratiarum actionem post Missam, vt in Missali ponitur, & quia Dicastillus supra, num. 242. testatur, proximam Missalis regulam communiter non esse acceptam vt præceptivã, sicut neque hoc modo est accepta alia in principio eiusdem tituli §. & num. 1. scilicet quòd antequàm Sacerdos induat se vestibus sacris, *orationi aliquantulùm vacet*; ideo probabilem esse fateor opinionem contrariam liberantẽ à peccato veniali. Qui tamen ad perfectionem aspirat, par est, vt non prætermittat absque rationabili causa gratiarum actionem, ne moralem saltem imperfectionem incurrat. Novi pios Sacerdotes, qui ob non firmam memoriam ad recitandum sine libro Canticũ trium puerorum substituebant alium Psalmum faciliorem reddi ex memoria.

33 Iam secundò versatur quæstio circa Matutinum cum Laudibus. Conveniunt Doctores plerique, esse peccatum lethale, si celebretur sæpe Missa solemnis, seu maior, non præmisso Matutino cum Laudibus, imò & sine Prima in Choro Ecclesiarum, quibus inest obligatio canendi Officium divinum. Dixi *sæpè*, quia si semel, aut iterùm ex rationabili, & gravi causa, cessanteq; scandalo Matutinum, Laudes, & Prima non præmittantur Sacro, nullum erit peccatum. Dixi item *in Choro*, nam ipse, qui facit Sacrum solemne, non obligatur, vt priùs recitet Matutinum, Laudes, & Primam; nec ampliùs obligabitur ad Matutinum, vel etiam Laudes prærecitandas, quàm si facturus esset Sacrum privatum.

34 Conveniunt deinde Doctores, non esse peccatum lethale, imò nec veniale, si Sacerdos ob infirmitatẽ excusat à recitatione horarũ Canonic. sacrificet, licet nec dixerit, nec dicturus sit Officium diuinum, sæpè enim contingit, vt inualetudo, quæ excusat ab hoc, non excuset, aut non impediat, quominus Sacrum celebretur.

35 Rursus Doctores conveniunt, posse sine peccato etiam veniali celebrari Missam siue solemnem, siue privatam à Sacerdote, qui nec Matutinum dixerit, si anticipandi Missam, po ponendiq; totum diuinum Officiũ detur iusta, gravisque causa. [Vt si repentè occurreret aliqua necessitas, cui non posset obviari, puta, quia Monasterio imminet scandalum grave, aut aliquid tale.] Ita Sylvester V. *Missa* 1. num. 6. [Si illi, qui nondum Matutinas dixit, causa incumbit celebrandi, quia vel Prælatus præcepit, vel aliquis eleemosynam offert, vt statim dicat.] Ita Sotus Lib. 10. de Iustitia q. 5. art. 4 Concl. 2. [Si subita necessitas occurrat, v. g. accedit illustris, vel magnus Princeps rei divinæ gratia audiendæ, nec adest tunc vllus Sacerdos, qui sacrificet, nisi qui preces nondum matutinas recitavit; adest etiam populus in die festo Sacrum auditurus :: Si præterea necesse sit, vt Sacrificium fiat ob mortuum subitò delatum in templo sepeliendum, vbi de more vita defuncti sine Missæ Sacrificio non sepeliuntur.] Ita Azor tomo 1. L. 10. C. 28. q. 17. [Si tempus instet, vel occasio celebrãdi, vel opportunitas elabatur.] Ita Franc. Lugus L. 8. C. 9. q. 6. n. 59.

36 Demùm conueniunt omnes ferè Doctores, posse, præsertim iã, pro libito Sacerdotis, Missæ postponi privatam suam recitationem Primæ, proindeque nec peccatum veniale fore, etiamsi absque causa vlla iusta, quãtumcumque levi, postponatur. Videatur Tho. Sanchez L. 7. Consil. Moral. C. 2. dub. 40. His suppositis, restat decidere, an sit peccatum mortale, vel veniale, vel nullũ, celebrare, antequã ipse Sacerdos dixerit Matutinum, & Laudes, si celebrandi anteà non detur gravis, aut vlla iusta causa?

37 Primus, quem sciam, Dominicus Sotus prelo vulgavit, non esse peccatum mortale, si absque causa iusta gravi, aut etiam vlla Sacerdos faciat Sacrum ante Matutinum dictum. Docet expressè tum in loco præcitato de Iust. tum in 4. Dist. 13. q. & art. 2. fine. Allegat in priori loco Sylvestrũ Prieratẽ præclarum Scriptorem Summistam. Sed hic Author (vt iam obseruauit Azor supra) solùm tradit, aliquando licere Sacerdoti iusta de causa gravi ante matutinas preces sacrificare. En Sylv. verba, [Qui autem celebrat, non ante horam, sed ante Officiũ dictum matutinum, secundùm Veruecensem peccat

mortaliter. Et idem communiter tenent omnes Sūmistæ hac ratione, quia est contra consuetudinem. Sed quicquid sit de consuetudine, quam viros doctissimos sæpè negantes audivi, ratio tamen est inefficax, quia non omnis cōsuetudo habens vim legis obligat ad mortale, sicut neque omnis lex; sed obligat sic, quando sic intendit Princeps; quem, nō est verisimile, voluisse adhoc sub præcepto ligare illum privatum, vbi repentè occurreret aliqua necessitas, cui non posset obviari, puta, quia Monasterio imminet scandalum grave, aut aliquid tale.] Hæc Sylvester. Pro eadem Dominici Soti opinione refert Henriquez L. 9. C. 24. §. 7. in Glossa, lit. *M.* Victoriam, Soto antiquiorem, Canum, Mantium, Peñam, & Recentiores Dominicanos innominatos; fueruntque Dominicani omnes ab Henriquez, & à me prænominati.

38 Hęc novitas (innovant enim aliquando in rebus Moralibus sapientissimi, religiosissimique Patres Dominicani, & non soli Patres Societatis Iesu, vt his improperat nescio quis) passa initio est suas minus placidas cēsuras Ioannis Stephani Duranti L. 3. de Rit. Eccles. Cathol. C. 24. n. 13. Navarri de Orat. C. 30. n. 70. C. 21. n. 30. Francolini de tempor. horar. Canonic. C. 42. Scripsitq; præcitato loco Azor [Sanè Sotus in hac controversia communi omnium opinioni se opponit. Omnes enim ad vnum Canonici Iuris Interpretes, & Theologi, & Sūmistæ censent, lethale peccatum committere Sacerdotem, qui ante preces matutinas sacrificat, nisi id iusta causa fecerit. Sic Hostiensis, Paludanus, Gabriel, Antoninus, Summa Confessorum, Astensis, Angelus, Rosella, Pisana, Tabiena, Armilla, vt cæteros taceam; quos omnes citat Francolinus in Tractatu de tēporibus horarum Canonicarum C. 42. Quæ opinio est longè tutior, ac multò probabilior. Nam præterquàm quòd est communi consensu recepta, mirificè cum ipsa Ecclesiæ consuetudine cōgruit, & cum ipsius Officij Ecclesiastici præceptionibus, & regulis, quibus præscribitur, vt matutinarum precum persoluto penso Sacerdos paratus ad sacrificandum accedat:: Mihi sententia Sori non placet, quamvis quidam viri docti, & pij eam & sequantur, & tueantur. Necenim est, cur opiniones cōmuni omnium testimonio, & authoritate approbatæ suo loco moveantur, nec cur cōsuetudines moribus vtentiū receptas facilè deseramus.] Hactenus Azor Noster. Sed & multò acriùs loquutus est Antonius Rubius Franciscanus L. 5. Assertionum Cathol. contra Eraſmum, Errore 9. fol. 145. & 146. cuius verba exaravi D. 27. n. 230.

39 Nihilominus præsenti tempore tot, imo plures fautores adepta est opinio Soti. Marchinus T. 3. de Ordine, p. 3. C. 5. n. 3. in syllabum pro ea redigit viginti, & octo Authores. Auersa q. 11. S. 12. V. *Sed absolutè* addit vndecim, & se ipsum. Barbosa p. 2. de Offic. & potest. Episcopi, Alleg. 24. n. 15. adijcit quinque, & se ipsum. Ego vltra illos annumero Ovandum in 4. Dist. 13. propos. 8. Didacū de Tapia q. 11. de Euch. art. 5. Castrum Palaum tomo 2. Tract. 7. D. 2. punct. 4. num. 6 tomo 4. Tract. 22. D. vnica, punct. 10. n. 14. Guilielmum Mercerum 3. p. q. 83. pag. 294. Malletum in Malleatione 5. de Sacramentis, Bracteā 57. Mal. 30. Bract. 62. Bartholomæum Hugolinum de Officio, & potestate Episcopi Cap. 16. §. 2. num. 1. Sylvium 3. p. q. 83. art. 2. §. *Post meridiem*, Caramuelē in Regulam S. Benedicti n. 1441. Marcum Vidalem in Arca vitali, Inquisit. 2. de Horis Canonicis, n. 50. Francis. de Lugo L. 5. de Sacramentis C. 9. q. 6. n. 61. Gasp. Hurt. D. 4. de Sacrif. Miss. Dif. 12. V. *Addimus*, Tho. Tamburinū L. 1. de Missa C. 7. §. 2. n. 1. Arriagam tomo 7. D. 54. num. 24. & 25. Emmanuelem Mascarenhas Tractatu 5. de Sacramentis Disp. 5. Cap. 1. num. 224. Quartum in Commentarijs ad Rubric. Missalis p. 2. tit. 1. sect. 1. Dub. 1 V. *Tertia sententia*, Hieronymum Garciam in Summa Morali de Excellentijs Sacerdotij Tract. 2. Dif. 5. dub. 3. n. 3. Ægidium Trullench. L. 1. in Decalog. C. 7. dub. 19. n. 4. L. 3. de Sacram. C. 8 dub 20. n. 3. Machad. tomo 2. de Confessore, & Parocho perfecto L. 4. p. 1. T. 10. Docum. 1. n. 4. Eligium Bassēū in Floribus Theologiæ practicę Verbo *Horæ Canonicæ* 3. numero 3. Nicolaum Baldellum tomo 2. Theologiæ Moralis Lib. 3. Disput. 31. num. 11. & 12. Adamum Tannerum tomo 3. Disput. 4. quæstione 1. Dubio 5. numero 170.

Ioannem

Ioannem de Salas Disp. 19. de Legibus sect. 11. num. 92. Stephanum Lauuy tomo 1. Theologiæ Moralis Tract. 10. quæst. 8. Pellizarium in Manuali Regularium Tract. 8. Cap. 2. num. 112. Ludovicum Caspensem Tract. 23. S. 2. numero 65. Thomam Sanchez Lib. 7. Consiliorum Cap. 2. dub. 38. num. 2. Hermannum Busembaum in Medulla Theologiæ Moralis, Tract. & Cap. 3. dub. 5. pag. 720. Qui viginti septem Authores coniuncti alijs conficiunt numerum septuagesimum tertium, possemusque tot quærere, vt ad millenarium propè accederent, nisi citati sufficerent in specimen nostræ diligentiæ, vbi & suam collocarunt Marchinus, Averla, atque Barbosa.

40 Opinio Soti vltra tot suffragatores nititur fundamentis satis solidis. In primis enim inter matutinas preces, & Missam nulla datur cōnexio, aut ordo. Et quanuis aliquis daretur, vt inter ipsas horas Canonicas, non erit peccatum mortale, si invertatur absq; iusta causa gravi, aut etiam absq; levi; sicutneq; est peccatū mortale, invertere absq; vlla causa ordinē earundē horarū in privata recitatione. Secundò consuetudo recitandi Matutinū ante Missā non fuit olim constans, & certa, vt ex Sylvestro vidimus supra; sed esto constans, certaque fuerit, & generalis, nescitur, introductam fuisse, atque inualuisse vt obligantē graviter; nisi autem consuetudo introducatur à subditis, & approbetur à Superiore vt obligans, aut vt obligans graviter, minimè obligat, aut minimè obligat graviter. Tertiò nusquam in Iure communi extat Canon, quo præcipiatur, vt Missam præeat privata horarum Canonicarum recitatio, atque adeò nec Matutini.

41 Verum est, in Missali, titulo de ritu seruando in celebratione Missæ §. & num. 1. haberi, *Sacerdos celebraturus Missam, præuia confessione Sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulàm vacet:* & titulo de defectibus in celebratione Missarum occurrētibus §. 10. num. 1. proponi inter defectus in ministerio ipso occurrentes, *Si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit.* Quibus in locis non minùs præceptivè loquitur Pontifex, quàm in cæteris alijs Rubricarum, nec loquitur de sola Missa solemni, neque de sola recitatione Matutini cum Laudibus in Choro; secundusque locus cōiungit defectum Matutini cum Laudibus dicti de defectibus alijs valdè notabilibus, qui si occurrant, Missa debeat non dici omnino, aut non nisi ex grauissima causa queat dici.

42 Sed respondetur, in priori loco illud de vacando orationi esse consilium, & instructionem, nec mirum proinde, si quod de Matutino, & Laudibus dicitur, sit solum modò consilium, & instructio. Ac sanè quoad Laudes loquitur Pontifex ex probabili opinione, quòd vnam horam Canonicam componant cum Matutino, nam si diuersam componant, vt fert etiam probabilis opinio, fortè non addidisset Laudes. Et Authores quidem, qui à Soto discordant, non solent exprimere, neque in priori loco expressit Pius V. præmissionem Laudum, sed solius Matutini; & aliqui apud Fagundez Præcepto primo Ecclesiæ Libro 3. Capite 17. numero 31. & apud Franciscum de Lugo supra, num. 52. exprimunt, necessariam non esse præmissionem Laudum, vti non est opus ad Missam primam in nocte Natalis Domini. Docetque Suarez tomo 2. de de Religione Tractatu, & Libro 4. C. 24. num. 8. [Minorem defectum esse, dictis Nocturnis, dicere Missam ante Laudes, quia minor est materia, & mutatio, & quāuis aliqualis sit defectus, vt in eadem Rubrica supponitur, facilius tamen, & ex leviori causa posse à culpa excusari.

43 Secundus locus non modicè vrget, præsertim cum in limine illius tituli, seu in §. 1. legatur, *Alij verò sunt defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen cum peccato, aut cum scandalo contingere.* Quorum defectuum vnus est iuxta secundum locum *si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit.* Sed adhuc respondetur, non asseri à Pontifice, semper contingere defectus memoratos in §. 10. cum peccato, aut cum scandalo, sed posse cum eo contingere; nec asseri, posse contingere cum peccato mortali determinatè, sed cum peccato, siue illud sit mortale, siue veniale. Notandumque est, Pontificem §. 8. vbi refert defect.

dispositionis animæ, qui ex parte Sacerdotis queunt contingere, non apposuisse defectum Matutini cum Laudibꝰ dicti, vti videtur debuisse apponere, si ante Missam non recitasse Matutinum cum Laudibꝰ, esset per se peccatum lethale. Ita Suarez loco proximè allegato.

44 Et in num. 7. scripserat [Illud generale præceptum in virtute sanctæ obedientiæ latum à Pio V. dicēdi Missam iuxta ritum Missalis non obligat cum illo peccati mortalis rigore ad obseruandas singulas regulas, & ordinationes Missalis in particulari, sed generaliter ad vtendum illo ritu, & nō introducendum alium; in particulari verò ad singula iuxta modum, quo vnaquęque res præcipitur, ordinatur, aut consulitur, & iuxta grauitatem eius:: In illa autem particulari regula dicendi Matutinum cum Laudibus ante Missam non ponitur verbum indicans præceptum graue; & potiùs præsuppositiuè (vt sic dicam) quàm præceptivè proponitur; qui modus dicendi etiam in rebus consilij seruari solet:: Præterea illa propriè non pertinent ad ritus Missæ ibi institutos, & præceptos, sed præsupponuntur iuxta eam cōuenientiam, vel obligationem, quam secundùm se habent. Ibi verò ex vi illorum verborum nulla adiungitur obligatio.] Sic Doctor Eximius. Possuntque eius verba confirmari exindè, quòd præceptum in virtute sanctę obedientię non imponitur, nisi cum materia gravis est, & cum intenditur obligare graviter; certum autem est, materiam cuiusque ritus prescripti in Rubricis à Pontifice non esse gravem; & extra Pontificis intentionem esse obligare graviter ad vnumquemque ritū. Quare præceptum in virtute sanctæ obedientiæ impositum cò respiciet, ne omittantur ritus pertinentes ad essentiam, vel ad integritatem substantialem Missæ, & Sacrificij, ne item cæteri ita omnino, vel ex parte omittantur, mutenturvè per detractionem, aut additionem, vt videatur introduci modus prorsus diversus celebrandi. Hæc quidem omnia gravia sunt; & Pontifici in animo fuit, obligare ad ea graviter, exprimiturque luculenter in ipsis verbis. Sed quòd Matutinum, & Laudes recitentur privatim ante Missam, non videtur materia gravis, nec satis constat de Pontificis intentione obligandi ad id graviter. Vnde in trāscursu enervatur argumentum Marchini supra, num. 12. contra Soti opinionem, cuius est precipuus inter Modernos impugnator. Argumentum illud huiusmodi est. [Ferè omnes Doctores, negantes talem omissionem esse mortalem, concedunt esse venialem:: Sed cum sit in materia gravi religionis, videtur accedere ad culpam mortalem. Ergo.] Sic Marchinus. Attamen, omissa pro nunc Maiori, Minor non premit, nam probanduma restat, omissionem Matutini, & Laudum ante Missam esse in materia gravi religionis. Cur non poterit esse in sola levi? Loquor de omissione vt ante Missam, & non absolutè, quia posteriori isto modo absq; dubio est in materia gravi respectu Sacerdotis, & cuiuscumque obligati ad horas Canonicas. Sed relicto Marchino.

45 Dici vlteriùs potest ad obiecta ex Rubricis, Pontificem loqui ex opinione probabili, religiosiorique, quin facere velit prejudicium alteri opinioni oppositę probabili, religiosęq; simpliciter; vt quoad Laudes vix iam erit, qui neget.

46 Sed adhuc contra sententiam Soti opponet quis authoritates alias. Nam Innocentius IV. in Diplomate super compositione Archiepiscopi Nicosiensis in Cypro, & Suffraganeorum eius cum Græcis Episcopis ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum iussit anno 1253. vt *Sacerdotes Græci dicerent horas Canonicas more suo; sed Missam celebrare, priusquàm Officium matutinale compleuissent, non præsumerent.* Noster Ioannes Mariana Libro 15. Historiæ de rebus Hispaniæ Capite 17. narrat, Ioannem Toletanum Præsulem anno 1322. promulgasse Constitutionem pro Sacerdotibꝰ Hispanis [Ne vnquam diuina hostia sacrificarent, nisi matutinis precibus exorato Numine.] Testaturque Hispanus Author Speculi conscientiæ, (qui Franciscanus fuit, eiusque Opus impressum anno 1543.) de more fuisse in Castella non celebrare ante recitatam etiam Primam. Inter Synodalia Statuta Odonis Episcopi Parisiensis (qui vivebat anno 1175) istud legitur,

Nullus

Nullus antequàm matutinas dixerit Canonicas, & Primam, præsumat aliqua necessitate celebrare Missam. Iulius III. Papa anno 1552. in Bulla concessa Societati, & incipiente *Sacræ Religionis* sic loquitur ad Præpositum Generalem, *Vt tu, & Societas huiusmodi quietiùs, & deuotiùs in humilitate spiritus Altissimo gratum præbere possitis famulatum, facultatem, & licentiam anteponendi, & postponendi Officiũ diuinum, aliàs vobis concessam, ad hoc, vt tu, & pro tempore existentes Religiosi Societatis huiusmodi, ex legitimis, ac iustis causis, in quo tuam, & successorum tuorum Præpositorum Generalium pro tempore existentium, & aliorum, quos ad hoc substituerit, cõscientiam oneramus; Officium ipsum celebrationi Missæ liberè, & absque conscientiæ scrupulo postponere possitis, authoritate, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.* Hæc Iulij verba satis ostendunt, opus fuisse privilegio, & dispẽsatione, ne nostri Sacerdotes lethaliter peccarent, postponendo diuinum horarum Officium celebrationi Missæ. Qua ex persuasione P. Ioannes Polancus Societatis nostræ in Directorio Confessarij, edito Romæ circa id tempus, scripsit titulo de Sacerdotibus, & alijs Clericis, interrogandos eos esse [Si non cõfessi de mortali celebraverint habentes Confessarium, vel non dictis Matutinis, &c.] Responderi potest, has omnes authoritates cõvincere viguisse antiquitus consuetudinem non immolandi ante recitationem Matutini, aut etiam Primæ, & ab aliquibus fuisse reputatam tanquam graviter obligatoriam, atque vt talem observatam, ac intimatam alijs; sed posteà decursu tẽporum innotuit, quòd non debuerit, vt talis censeri, adimpleri, & proponi alijs: vel saltem nõ ex levi motivo fuit dubitatum à viris doctis, & pijs, num Maiorum iudicio standum esset: qua dubitatione paulatim increscente, & dein efformato iudicio probabili de nõ obligante graviter ea consuetudine, deventum est ad statum, quem experimur, negandi apertè gravem eius moris obligationem, quin subortum fuerit scandalum in Ecclesia Dei, & quin Summi Pontifices, alijve Ecclesiastici Censores reclamaverint.

47 Inquies ex Marchino suprà, num. 14. non esse rationabile, velle reuocare in dubium obligationem antiquæ huius cõsuetudinis non celebrãdi nisi post dictas matutinas preces; alioquì aperitur rima ad idem ipsum circa alios ritus receptos in Ecclesia Dei vt necessarios ex præcepto. Responderi potest, quando consuetudo antiqua pia est, vt hæc, laudabilem esse prosequutionem eius tam factis, quã verbis; sed non esse non rationabilem subdubitationem de eius obligatione, si prudentum iudicio iusta supperat causa, provt in præsenti contingit, secus in alijs à Marchino memoratis. Scirequo oportet ex Dominico Bañez 1. p. q. 1. art. 8. pag. (mihi) 126. [Posse aliquod dogma in vno tempore esse commune omnibus Theologis, & deinde tempore succedente, & veritate magis patefacta, communiter reselli ablq; temeritate:: Quod enim in vno tempore occultatur, postea per studium, & diligentiam advenientium multoties innotescit. Quare semper iuniorum sententia requirenda est; antiquis tamen proprius honor deferendus.]

48 Vrgebis adhuc ex Marchino supra, num. 13. ob consuetudinem antiquam lethifera est, per se loquendo, & independenter ab scandalo, omissio Matutini in Choro ante Sacrũ solemne. Ergo eiusdem consuetudinis de causa erit mortalis omissio Matutini privati ante Missam privatam. Responderi potest annuendo antecedenti, non præcisè ob consuetudinem antiquam, sed ob rationem illius, nimirũ, [Quia ad commune bonum, & bonum rẽgimen Ecclesiæ spectat, vt hic publicus cultus Dei statutis temporibus, & debito ordine fiat:: Si autem Missa diceretur ante Matutinum in hoc publico Officio, non posset non notabiliter immmutari hic ordo, & tempus præscriptum ad Missam, vel Matutinum.] Ita Suarez D. 82. sect. 1. in fine, & ante ipsum, & post ipsum alij apud Baldellum suprà, num. 11. & apud Franciscum de Lugo suprà, num. 57. quorum aliqui prerequirunt etiam Primã, & diebus ieiunij Nonam, & non festis Sextam, & festis Tertiam iuxta Can. *Solent* 50. *Nocte sancta* 48. de Consecratione Dist. 1. Præstitit autem ratio non valet in præmissione Matutini priuati ad Missam privatam. Rursus Antecedens negatur ab Arriaga suprà, n. 25. & à Quarto supra, dub. 2. qui im-

meritò testatur de mente Doctorum, qui adhęrent opinioni Soti, si excipiatur Suarez. Immeritò, inquam, nam plerique illorum conceptis verbis renuunt Antecedenti.]

49 Ex quibus omnibus liquet, dictum esse à nobis supra, non temerè, opinionem Soti nitì fundamentis satis solidis. Existimamus itaque, eam esse valde probabilem, præsertim hoc tempore, quandò tot tam graves, pijque Doctores eam approbant post attentũ, accuratumque examen, & quando Sacerdotes tam Regulares, quàm Sæculares timorati, ne peccatum perpetrẽt lethale, amplexantur passim eam in praxi.

50 Discutiamus iam, an saltem sit nunc peccatum veniale, celebrare Missam ante Matutinum dictum, si non subsit levis vlla rationabilis causa anticipandi Missam, sed solùm Sacerdotis arbitrium? Sotus Libro 10. de Iustitia q. 5. art. 4. ait [Forsan ob consuetudinem venialis esset culpa, vbi fieri posset commodè, si non priùs nocturnum persolueretur Officium.] Sic ille. Sed de consuetudine iam diximus. Verisimileque est, consuetudinem non fuisse nisi pro earum precũ nocturna recitatione in Choro, quibus succederet diurna celebratio Missæ. Quid, si privatim recitantes imitati sunt ordinariè eos, qui publicè in Choro, vndenam constat, imitatos nõ esse liberè, sed ex obligatione levi? Idem Sotus in 4. Dist. 13. quęst. & articulo 2. inquit [Ordinem præmittẽdi Matutinum Missæ sine causa peruertere, peccatum esset, & forsan non gravius, quàm veniale.] Quibus in verbis nõ dubitat, vt in prioribus alijs, an sit peccatum, sed an sit mortale, vel veniale? P. Sanchez supra, dubio 38. num. 6. cum Ledesmâ, & Medina censet, esse peccatum veniale propter cõsuetudinem. Cuius censuræ sunt etiã alij apud Franciscum de Lugo supra, num. 63. & apud Marchinum supra, num. 8. asserentem, videri sibi certam. Addique possunt multi ex prędcitatis.

51 Suarez verò supra, Vers. *Ex his verò*, Scortia Lib. 2. de Sacrificio Missæ, Cap. 6. num. 4. Bonacina tomo. 1. Disp. 4. quæst. vltima, puncto 9. num. 7. alijque apud eundem Lugum num. 61. necnon plures, quos iam antea allegatos non repeto, sentiunt, nõ esse per se peccatum veniale; licet per accidens sit, quia sine rationabili causa nimium postponitur, & extra statutum tempus recitatur Matutinum: quod peccatum veniale ex tardiori huius recitatione cõtingere posset eodem modo, siue Missa celebrata fuerit priùs, siue non, nisi celebratio Missæ fuerit causa differendi ad intempestiuam horam recitationem Matutini. Sed quid, si Sacrum ex priuilegio fiat tribus horis ante ortum Solis, aut duabus post mediam noctem? Tunc enim Matutinum poterit dici ante auroram, vel in ipsa aurora; quo tempore recitatur absq; omni culpa, & absque nota dilationis; imò & dummodo dicatur ante meridiem, sunt, qui putent, non peccari venialiter, nec differri culpabiliter. Quare non placet, quod tradit Suarez tum ibi, tum tomo 2. de Religione Tractatu, & Libro 4. Cap. 24. num. 7. scilicet si Sacro postponatur Matutinum, *non posse vel Matutinum, vel Missam, vel vtrumque non dici intempestiuo tempore; quod factum sine causa sufficit ad venialem culpam.*

52 Subiungit Suarez in loco secundo, omissionem Matutini ante Missam esse peccatum veniale propter Rubricas Missalis; concordatque Frãcisus de Lugo supra, num. 63. Sed si ex Rubricis colligitur, esse peccatum; non nisi lethale esse, contendi ab aliquo posset. Etsi enim non omnia præcepta Rubricarum obligent sub mortali; at omissio Matutini ante Missam materia est capax, ad quam detur obligatio sub mortali, si præceptum accedat, vt de omissione Matutini in Choro ante Missam solemnem iudicant plerique.

53 Inquies, Rubricas de Matutini præmissione loquentes non esse acceptas communiter cum tanto rigore, vt obligent sub mortali, sed tantùm sub veniali ad priuatam recitationem Matutini ante Missam. Asi non minori iure inquiet alius, non esse acceptas vt præceptivas, sed vt instructiuas, & vt significantes, non quid fieri debeat, sed quid deceat. Et ita dixere Ægidius Coninch quæst. 83. artic. 2. Dub. 4. num. 220. Thomas Tamburinus supra, num.

num. 5. Arriaga suprà, num 25. Quartus suprà, dubio 1. V. *Tertia sententia*, Mascarenhas suprà, num. 224. §. *Respondeo, Rubricam*, alijque. Rursus alius dicet, si Rubricæ illæ latæ sunt vt præceptivæ, & vt tales initio acceptatæ, iam vsu in contrarium prævalente cessasse obligationem illarum, quoad præmissionem Matutini priuati ad Sacrum priuatum. Ac sanè considerato vsu Sacerdotum, qui non tantùm reformidant admissionem peccati mortalis, sed etiam venialis, video alios nō angi scrupulis, si sola sua voluntate anteponāt Missam Matutino; alios verò agnoscere se reos peccati venialis, vel, ne se reos agnoscant, curare, ne sola sua voluntate anteponant. Vtraque ergo sententia est probabilis.

54 Ego tamen magis propendeo in eam partem, quæ affirmat, esse per se peccatum veniale, si mero Sacerdotis arbitrio Missa præmittatur Matutino; latisque sit, temporum decursu, & Doctorum post Sotum subtilibus discursibus in hanc partem deveniisse; quin eò vsque procedatur, vt non modò mortalis peccati, sed venialis etiam terror adimatur, cum tamen non iam diu dominaretur timor noxæ lethalis.

55 Petes, quænam sit causa iusta levis, quæ sufficiat, vt absq; peccato veniali celebretur Missa, Matutino non dicto? Respondeo, plures posse assignari, similesque illis, quę communiter putantur sufficientes, vt horę Canonicæ priuatim recitentur cum antepositione, vel postpositione notabili, quin incurratur peccatum veniale. Quapropter maior deuotio, commoditas vè faciendi Sacrum, aut etiam intendendi posteà alijs negotijs honestis, periculum item superuenientis occupationis sat erit, vt absque veniali peccato celebretur Missa ante persolutum matutinum Officium.

56 In nostra Societate Iesu causa itineris iudicata est iusta, & ideo in Compendio Privilegiorum V. *Horæ Canonicæ*, §. 1. post illud Iulij III. num. 46. exaratum dicitur [Hac facultate, dum opus fuerit, vti poterunt itinerātes; reliqui verò ex concessione Superioris.] Sed quia Collector Compēdij posteà V. *Officia*, §. 2. habens sermonem de eodem priuilegio apposuit [Hæc facultas cōceditur omnibus Sacerdotibus] visum est, debere corrigi vnum, vel alterum locum; placuitque R. admodùm P. N. Generali, vt emēdaretur primus, & vt absque recursu ad licentiam Superioris possent Sacerdotes Nostri iusta ex causa anteponere Missam matutino Officio. Atque, vt notat Suarez tomo 4. de Religione, Tract. 10. Lib. 8. Cap. 3. num. 5. minor causa iusta sufficiet Nostris ob privilegium illud Iulij III. quàm si non fuisset Nostris indultum.

57 Qui censuerit, qualemcumque rationabilem causam sufficere; vel ex mero etiam arbitrio Sacerdotis posse absque vllo peccato postponi Matutinum Sacro, dicat, privilegium illud fuisse concessum, non quia re vera opus illo esset, sed ad tollendos Nostrorum, à quibus postulatum fuit, scrupulos, & ad removendas dubitationes fundatas in tanta opinionum diuersitate. Mihi quidem verba Iulij III. onerantis conscientiam Superiorum impartientium licentiam, vt non nisi ex legitimis, ac iustis causis eam præberent, ostendunt, Pontificem tūc temporis iudicasse, necessarium fuisse privilegium, ne delinqueretur lethaliter postponendo Matutinum Missæ absque causa valde graui. Hactenus de omissione rituum, qui in verbis consistunt.

SECTIO IV.

An, & quale sit peccatum additio verborum in Missa?

58 DE huiusmodi additione dico, esse expressè prohibitam à Concilio Tridentino, & a Pio V. imò & expressiùs, quàm vetita sit omissio, vt constat ex locis exaratis in num. 1. Et meritò, tum quia ex genere suo grauiùs delinquitur committendo, quàm omittendo, tum quia additio verborum exposita magis est superstitioni, quàm omissio, tum quia vsurpatur Ecclesiæ potestas, & iurisdictio, tum denique quia magis imminet introductio novi ritus in celebrando, & maius scandalum audientium; præ-

sefertque speciem quandam contemptus. Erit autem additio culpa gravis, aut leuis pro grauitate, aut leuitate verborum additorum.

59 Si *Gloria*, vel *Credo* advertenter, sed citra contemptum, & animum introducendi nouum ritum adijcitur in Missa, in qua debet non dici, videtur fore peccatum veniale. Ita Aversa quæst. 11. sect. 12. §. *Sextò*, & Franciscus de Lugo Lib. 5. Capite 9. quæst. 2. num. 15. & 24. Sed in Missa defunctorum fore mortale ob magnã deformitatem, persuadent sibi. Consentit Quartus quæst. Proœmiali, sect. 5. punct. 2. V. *Colligitur tertiò*, si data opera fiat, quia præsumitur animus introducendi nouum ritum. Quod à fortiori iudicarent, si in Missa defunctorũ addatur tam *Gloria*, quàm *Credo*; multòque magis, si cætera alia, quæ debent omitti iuxta §. 13. tituli de ritu seruando in celebratione Missæ. Non declarant Authores illi, an sit peccatũ mortale, si in alijs Missis, quæ debent dici absque *Gloria*, & *Credo*, addatur vtrumq; simul? Vnius, aut etiã plurium Collectarũ adiectio reputatur ab Aversa suprà, §. *Quare* peccatum tantummodò veniale. Non possumus facilè in hac re censuram fixam, ratamque ferre.

60 P. Suarez Disput. 83. sect. 3. V. vltimo obseruat, [In genere peccãdi per additionem verborum facillimè fore culpam grauem, si materia sit alicuius momenti: sed hoc maximè verum esse, si in his, quæ publicè dicuntur, hæc additio fiat, quanvis etiam neque secretè facienda sit, nam si addantur ipsi Sacrificio Missæ, procedunt omnia dicta. Si verò Sacerdos non intendat aliquid addere Officio Missæ, sed vt priuata persona eo tempore priuatam aliquam deuotionem secretè recitaret, non peccabit quidẽ directè contra prædictum præceptum, malè tamẽ, & imprudẽter faciet, sacrũ ministerium priuatis precibus omnino ab illo distinctis interrumpendo] Sic Suarez, subscriptus à Tannero tomo 4 Disput. 5. quæst. 10. dub. 1. num. 15. à Francisco de Lugo suprà, num. 24. Et eandem doctrinam repetit in Disput. seq. sect. 2. V. *Tertiò dicendum est*, nisi quòd non loquatur ex preisè de secreta recitatione priuatæ deuotionis, neque ad eam restringat illud de non peccando directè contra præfatum præceptum, deficiente animo inducendi nouum ritum; vt neque limitant Coninch quæst. 83. art. 5. numero 267. Castrus Palaus Tract. 22. Disput. vnica, punct. 11. num. 1. Sed coarctant adeã recitationem vt secretam, quod, seclusa intentione illa, non delinquatur directè aduersus prædictum præceptum, Henriquez Lib. 9. Cap. 30. §. 4. Filiucius tomo 1. T. 5. & Cap. 5. numer. 156. Granadus tomo 5. Controver. 6. Tract. & Disput. 14. num. 4. Vazquez quæst. 83. in notatione ad art. 4. Ioannes Baptista Scottia Lib. 2. de Missæ Sacrificio Cap. 17. num. 1. Dicastillus Tract. 5. Disput. 4. dub. 13. num. 268. aliique communiter. Si cui tamen probabile videatur, recitationem additam, etiamsi publica sit, non opponi directè Pij V. præcepto, quando nõ procedat ex intentione addẽdi aliquid Officio Missæ, cauere adhuc oportet, ne transeat in peccatum lethale obscãdalum, quod importet. Porrò intentione præfata deficiente, ideo in secreta saltem recitatione non peccatur directè, proindeque neque mortaliter contra iussionem Pij V. quia ipse exprimit, ne *præsumatur addere*; præsumptio autem requirit malitiosam intentionem.

61 Citati proximè Authores dicunt, committi peccatum veniale, si citra animum mutandi ritum Missæ, addatur secreta aliqua oratio ex deuotione Sacerdotis priuata, sed indiscreta. Ita etiam Diana parte, & Tract. 5. Resol. 63. Thomas Tamburinus Lib. 2. §. 3. num. 2, Quartus suprà, V. *Dico secundò*, cum alijs. Sed Henriquez suprà ait, [Si pia deuotio moueat, nõ prohibetur Sacerdos submissè quædã proferre, vt *O sacrum conuiuium*, ne spiritum videatur extinguere] Ni fallor, loquitur de tempore posito inter verba illa *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi*, & ea altera, quæ *Communio* vocantur; meminique, me audisse nonnullos, qui tunc dicerent. Et Ioannes Tabiensis in Summa V. *Missa*, numero 20. testatur, fuisse suo tempore in vsu apud ferè omnes, vt quando elevabant corpus, pronunciarent, *Adoramus te, Christe*, & post communionem, *Nunc dimittis*, vel aliquid huiusmodi] Referrq; Gavantus parte 1. in Rub. Miss. titul. 16. num. 2.

num. 2. Sacram Congregationem Cōcilij Tridentini declarasse ad Sess. 22. *Licet novæ preces, & non receptæ in Missa prohibentur, tamen non prohibentur iaculatoriæ, dummodò ob illas nihil omittatur in Missa.* Totidem verbis extat declaratio inter alias editas ex Bibliotheca Cardinalis Roberti Bellarmini ad Cap. 6. Sessionis 22. pag. (mihi) 239. Vnde Gavantus, Tannerus, Quartus suprà, V. *Colligitur quartò*, cum Nauarro, & Victoriano Premoli non damnant peccati venialis, si omnino secretè adijciatur aliqua breuis oratio iaculatoria. S. Franciscus Xauerius in Missæ Sacrificio frequenter adhibebat pro infidelibus orationem quandam vocalem non admodùm breuem abse compositam, vt videre est in Turselino Lib. 4. de vita ipsius Cap. 7. Egimus in num. 41. Disput. 17. de Apostoli Indorum facto. Nunc notamus, non licere per se, interponere iam tam longas orationes vocales, ne dum à Sacerdote, sed neque etiam ab Ecclesia cōfectas in aliud tempus; diciturq; Pius V. relegasse ad triremes quendam Sacerdotem, quòd inter Missæ celebrationem recitasset cum populi scandalo Litanias, & alias preces, provt memorat Matthæus Kellisonus 3. parte, q. 83. art. 6. V. *Notandum primò.* Nunc etiam non interserere breues orationes vocales iaculatorias, consultius erit.

62 Similiter consultius erit, non recitare aliquam orationem vocalem in progressu è Sacristia ad altare; etsi id laudabile esse, contendat Quartus suprà, sect. 6. puncto 2. allegato Nauarro Cap. 19 de oratione, num. 105. Victoriano Premoli, & Bonamico. Sed Nauarrus eo loco, vbi etiam citatur pro oratione præfata iaculatoria, nihil dicit; quin potiùs Cap. 16. num. 76. asserit [peccare illos Sacrificos, qui inter principium, & finem Missæ interponunt preces aliquas peculiares per Missale non statutas.] Et vt constat ex seqq. loquitur de precibus etiam breuissimis. Non possum iudicium ferre de duobus alijs Authoribus, nam eorum scripta ad meas manus non pervenerunt. Quidquid illi dixerint, satius Sacerdoti erit, orare mentaliter, quando è Sacristia ad altare procedit. Et casu quo vellet orare vocaliter, excusabilius erit, vsurpare aliquam orationem institutam ab Ecclesia, licet in aliud tempus, quàm ab se compositam, sicut minus culpabile foret, addere, quando vna tantùm oratio dicenda est, Commemorationem aliquam confectam ab Ecclesia pro alia Missa, quàm si adderetur Cōmemoratio, aut oratio proprio ex Marte concinnata. Additio quidem prioris illius Commemorationis non excederet venialem culpam, vt neque excedit omissio Commemorationis vnius, quando recitari debet: quod & de omissione vnius, aut alterius orationis principalis asseritur à Quarto p. 1. tit. 9. dub. 1. sed non de omissione trium dicendarum post Epistolā, post *Orate fratres*, & post communionem, nam hæc ter repetita omissio pertingeret culpam lethalem.

63 Noster Quintanadueñas tomo 1. singularium in 36. Tractatu 7. num. 1. ait, [In Canone nomen Regis exprimunt plures ::: quod addere non audent alij, cum non adsit privilegium ad hoc; & in Canone, vt pote sacratissima Missæ parte nihil vel minimū tollēdum, nec etiā addendum est.] Loquitur Quintanadueñas de Rege Hispaniæ, & de eius nomine proprio. Sed ipse, aut meticulosi illi debuissent advertere, in omnibus Missalibus pro Hispania Regem, & eius nomen proprium cum littera N. post Papam poni; & Pium V. in Bulla *Ad hoc nos Deus vnxit*, habere hæc verba, *In Canone quoque Missæ, post Romani Pontificis, & Prælati nomina, Regis mentio, provt hactenus in dictis partibus seruari solitum est, fieri debet.* Vbi nedum permittit, sed etiam iubet, nominari Regem Hispaniarum, vt benè notat Ioannes Bustamente Libro 1. Cæremoniarum Missæ Cap. 5. num. 6. eiusdemque concessionis meminerunt Gavantus parte 1. in Rubr. Mis. tit. 8. litt. N. Thomas Tamburinus L. 2. C. 5. §. 3. n. 9.

64 Idem Pius V. in eodem Diplomate concessit, [vt in Confessione per Sacerdotem dicenda nominari posset nomen Patroni Ordinis, vel Ecclesiæ.] Et absque privilegij fauore esse in vsu apud Religiosos, nominare Sanctum Patriarcham sui Ordinis, testatur Tamburinus suprà, numero 9. advertitque ibidem, non esse licitum addere in Canone nomē Sancti alicuius.

Huc

Hoc facit, quod ex nonnullis refert Gabriel Lect. 32. in Canonem Missæ, litt. K. [quosdam Patres ex singulari quadam reuerentia, & deuotione, quã ad certos Sanctos habuere, ipsorum nomina studuisse apponere in Canone, & quorundam iam appositorum remouere: sed transacto die in crastino repetisse illos deletos, & priores litteris aureis inscriptos] Nec solùm in Canone, sed neque etiam in Litanijs fas est addere Sanctum aliquem, etsi canonizatum, vt declarauit Sacra Rituũ Congregatio apud Gavantum in Rub. Breuiarij sect. 9. Cap. 4. num. 10. & in Manuali Episcoporum V. *Litaniæ*, num. 5. Quod intelligit Tamburinus suprà de Litanijs publicis corã populo. Video, in more esse Prouinciæ huius nostræ Castellanę, & aliarũ Hispaniç addere SS. Ignatium, & Xaverium Litanijs, quas quotidie recitamus, siue in Sacello domestico, siue in Ecclesia, necnon Litanijs, quæ alta voce cantãtur die Sabbathi Sancti. Vtinam quotidianæ Litaniæ vsitatæ in Societate nostra tanti apud Deum, & Sanctos valeant, quanti olim, quę dicebantur in pijssima Prædicatorum Religione magnis inimicorum vexata infectationibus. Abijt in prouerbium, *Cauete à Litanijs Prædicatorum, quia mirabilia faciunt.* Sic narrant in Chronicis Ordinis Prædicatorij Antonius Senensis anno 1250. Ferdinandus del Castillo Libro 2. G. 51. & in S. Thomæ vita Gũdisalvus de Arriaga Cap. 12. num. 4. pag. 288.

SECTIO V.

Plura de licita, aut illicita additione verborum.

65 IN Hispania est valdè frequens ad orationes in principio, propè mediũ, & in Missę fine additio Collectæ cuiusdam, quam refero, prout soleo recitare in hoc Collegio Salmanticensi, *Et famulos tuos Papam nostrum N. Antistitem nostrum N. Regem nostrum N. Reginam Patronos nostros, & Principem nostrum, cum prole Regia, populo sibi commisso, & exercitu suo, Nos, & Societatem nostram ab omni aduersitate custodi; & animas Philippi, & Margaritæ Regum Fundatorum nostrorum Regni Cœlestis facias esse consortes; pacem, & salutem nostris cõcede temporibus; & ab Ecclesia tua cunctã repelle nequitiam; & gentes paganorum, & hæreticorum dextera tuæ potentia conterantur; & fructus terræ dare, & conseruare digneris. Per Dominũ*, &c. vel *Qui viuis*, &c. Alicubi nomen Antistitis ponitur post *exercitu suo*, & post *hæreticorum* dicitur, *qui in sua feritate confidunt*, & in portub. post *terræ* additur *maris*, & post *digneris* adijcitur, *& nauigantibus portum salutis indulge.* Regulares aliqui tacita Antistitis, seu Episcopi dignitate, & nomine dicunt, *Generalem nostrum, Nos, & Ordinem nostrum ab omni*, &c. Apud Academias nonnullas dicitur, *Nos, & Vniuersitatem nostram ab omni*, &c. In Oppidis etiam quorundam Magnatum dicitur, *Nos, & Duces*, vel *Marchiones*, vel *Comites nostros ab omni*, &c. Sed vndenam liceat additio huius Collectæ? Sunt, qui affirment, permisisse Pium V. per Breue, alij Gregorium XIII. alij Sixtum V. imò & vnius ex ipsis authoritate fuisse compositam. Legantur Bustamante supra, num. 16. post Zamoram, & post Cęremoniale Patrum Carmelitarum Excalceatorum, Laurentius Vvander Hammen in libello de Decretis Sacræ Rituum Congregationis in ordine ad Missam cum selectis obseruationibus Gavanti, Cæremoniale pro Prçmonstratensibus, Authore Emmanuele de Herrera Lib. 2. Cap. 1. num. 16. & 17. Quintanadueñas tomo 1. Tract. 7. singulari 35. & 36. Mẽdus Disquis. 7. de Ordinibus Militaribus, quçst. 11. §. 1. num. 108. Mascarenhas de Sacramentis Tract. & Disp. 5. toto ferè Cap. 16. Antonius de Leõ Pinelo Cap. 10. vitæ Illustrissimi dignitate, litteris, & sanctitate Archiepiscopi Limensis Turibij Alfonsi Mogroveji Cap. 10. pagina 163. Dicastillus Tract. 5. Disput. 4. dub. 13. num. 267.

66 Cæterùm nullus ex præcitatis ait, visum à se Breue Pontificium, & iam vnus vni Pontifici, alius alij tribuit siue Breue, siue dispensationem verbalem. Nauarrus Lib. 3. Consiliorum tit. 41. Consil. 3. num. 1. additionem Collectæ illius reuocat in antiquum vsum, & in Pontificum tacitam permissionem; Cap. 19. de Oratione n. 100. inquit, [consuetudinẽ illam

illam non esse adeò religiosam, vt aliqui arbitrantur; tum quia noua est:: tum quia non videtur fuisse grata veteribus sacris Doctoribus ::: tum quia distrahere viderur mentes audientium Missas ad cogitãdum plus de bellis, & personis nominatis, quàm de Missę mysterio] Henriquez Lib. 9. C. 30. §. 4. Cap. 32. §. 3. probat ex consuetudine additionem illius Collectæ, quam piam, & laudabilem vocat. Vnde credibilius mihi est, Pontifices viua voce non dispensasse in tali additione, nec enim id latuisset Nauarrum, & Henriquezium, viros adeò diligentes in comperiendis huiusce generis concessionibus. Consuetudo quidem fuit antiquissima. Nam Marcus Maximus Episcopus Cæsaraugustanus in Chronico, anno 612. scribit, *Pro Papa Romẽsi, Rege Gothorum, Episcopo, & prole Regia, & populo fiebat quotidiana commemorario* in Hispania, in qua claruit Marcus Maximus, obijtque anno 616 iuxta Chronicõ Luitprandi num. 22 Notat autem eruditissimus Franciscus Bivar in Commentario ad Marcum Maximum, authoritate Pij V. & Gregorij XIII. eum morem fuisse approbatum.

67 Quem, provt redactus est ad Collectam prefatam, supponunt, & non improbãt, duę Declarationes Cardinalium, altera ad annum 1602. die 10. Iunij, relata à Barbosa in Summa Decisionum Apostolicarum, Collect. 297. num. 17. *Nepotsit Episcopus cogere Regulares, vt faciant commemorationem ipsius in vltima Collecta.* Altera ante annum 1612. quo Emmanuel Rodriguez edidit tomum 4. Summæ, in cuius C, 51 num. 13. proponitur his verbis, *Si quis, Missali novo omisso, vteretur antiquo, mortaliter peccat. Cum Cæsar Episcopus Novariensis in Hispanijs Nuncius Apostolicus esset, fuit coram eo dubitatum, an Religiosi peccarent omittendo in Canone Missæ commemorationem pro Episcopo loci, in cuius locum ponebant Superiorem Ordinis: consulta ab ipso Nuncio Sancta Sedes Apostolica respondit, eos mortaliter peccare, cum sit ad vnguem Missale obseruandum; nec in Collectis Missæ posse aliquid addi sub eadem pœna præter orationem solitam pro Rege, & eius prole, & exercitu.* Declarationis huius mentionem fecerunt Portel in Dubijs Regularium V. *Missa*, num. 14. Villalobus tomo 1. Tract. 8. Diffic. 31. numero 3. Diana parte 2. Tract. 14. Res. 40. Nec est confundenda, vt fit à P. Mẽdo suprà, num. 109. cum alia, de qua Gavantus parte 2. in Rubr. Miss. tit. 8. num 2. litt. *N.* in qua dicitur, *Non debere Regulares in Canone nominare Antistites suos Generales*, nam eâ, de qua Rodriguez, edita est ante annum 1612. & quæ à Gavanto refertur, prodijt anno 1615. die 12. Nouembris. Stet itaque, antiquam esse, & permissam consuetudinem Collectæ illius.

68 Imò non desunt, qui cẽseant, si non grauem, saltem leuem obligationem inesse Sacerdotibus in Hispania, vt dicant Collectam illam. Ita Quintanadueñas in singulari 35. præcitato, vbi etsi impugnet innominatos aliquos obligantes sub mortali, sed ipse sub veniali obligat, nisi iusta causa excuset. Attamen & id secundum est præter, vel potiùs contra communem existimationem de vsu illius Collectæ ad libitum. Videmus frequentissimè, omitti à Sacerdotibus valde pijs, & diligentibus in adimpletione omnium, quæ ad Missam spectant. Sentit nobiscũ P. Mendus suprà, num. 108. post Laurentium Vvander Hammen.

69 Patri Quintanadueñas videtur, Hispanos Sacerdotes posse vbilibet celebrantes recitare Collectam illam: testisque locuples est Nauarrus in Consilio præallegato, vsitatam fuisse suo tẽpore in Vrbe in Ecclesijs, quas Hispanorum vocant; tametsi nonnihil discriminis appareat inter eas Ecclesias, & alias siue Vrbis, siue aliorum Regnorum, vel Prouinciarum nõ subiectarum Regi Hispaniæ. An autem huius nomen tàm appellatiuum, quàm proprium exprimendum sit in Canone, quando celebratur à Sacerdote vasallo Regis Hispaniæ extra Ecclesias prefatas Vrbis, & extra Regna, vel Prouincias subditas suo Regi? Dubitari potest, siquidem dispensatio Pij V. solũmodò fuit pro Hispaniarum Regnis, vt constat ex Bulla. Mihi satis sit, proposuisse dubitationem. Suboritur alia, an per Regna Hispaniarum intelligantur omnia Regna subiecta Regi Hispanõ, vel tantùm ea, quę sunt sita intra Hispanias? In Indijs quidem tam Occidentalibus, quàm Orientalibus nominari Regem nostrum intra Canonẽ,

vsus

vsus fert, præsertim cum adeas extensa, & ampliata sint omnia ferè privilegia, quæ Regnis Hispaniarum concessa novimus. Quoad alia Regna, vel Provincias, vt Siciliam, Belgium, &c. varius est vsus, vt audio. Sed vbi nominationis vigeat mos, (qui ab Hispanis saltem constanter seruari dicitur) poterit retineri ob concessionem Pontificiam expressam, vel tacitam.

70 Sed iam quoad modum vtendi Collecta illa superest nonnihil scrupuli, nam videntur plura in dies addita, & nunc etiam addi, quàm quæ antiquitus dicebantur, & in vna Diœcesi non obseruatur eadem omnino forma, ac in alia, nec eadem prorsus in vno Regularium templo, ac in alio. Verùm quia Summus Pontifex, aut Sacra Rituum Congregatio formam certam non designavit, standum erit consuetudini cuiuscumque Diœcesis, vel Religionis. Sed forma à multis vsitata nominandi Antistitem, seu Episcopum post personas Regias videtur corrigenda exemplo Canonis, vbi Antistes nominatur ante Regem. Nec quia in Collecta is nominatur, ingerendi sunt Fundatores, Parronivè Ecclesiæ, aut Domini loci, nisi vt summùm, qui sint magni Dynastæ. Ideo autem in forma, qua vtor celebrãs in hoc Collegio Salmanticensi non recuso, (vt aliqui scrupulosiores) nominare Philippum III. & Margaritam Austriacam pijssimos, & magnificentissimos Reges Fundatores nostros, quia ab initio fundationis in vsu fuit apud plerosque ex Nostris, & quia eorum, quorum viuentium fiebat dignè commemoratio, videtur absurdo vacare, si iam mortuorum fiat.

71 Generalis Prælatus Religionis non est nominandus in Collecta loco Episcopi, vel post ipsum, vbi antiqua consuetudine non sit introductum, nam si sit, poterit nominari; imò iuxta Declarationem Cardinalium adductam num. 67. Episcopus non potest cogere Regulares, vt faciant commemorationem ipsius. Id quod latè adstruitur à Mascarenhas in Cap. 16 præcitato ex num. 455. vsque ad 458. inclusiuè. Neque obstat contra consuetudinem nominandi Generalem ea altera Declaratio ibidem transcripta, nã non vetat, nisi vt in Canone Missæ ponatur Superior Religionis pro Episcopo loci; nos verò nunc non loquimur, nisi de Collecta. Et quanvis in Declaratione prohibeatur etiam, ne in Collecta Missæ addatur aliquid præter orationem solitam pro Rege, & eius prole, & exercitu, non excluditur nominatio Prælati Generalis, si antiqua consuetudine sit inuecta; & nomine solitæ orationis subintelligitur tota eius forma vsitata; atque adeò nominatio Prælati Generalis, si de more antiquo sit: alioqui neque Papam, neque Episcopum liceret nominare, neque dicere reliqua, quæ post mentionem exercitus sequuntur, vt benè expẽdit Mascarenhas suprà, num. 455. in fine. Fateor, fore laudabilius, si Religiosi, quibus in vsu fuit nominare suum Generalem, conformarent se plerisque alijs Sacerdotibus Regularibus, & Sæcularibus in non nominando nisi Episcopo loci.

72 Nuper dubitatum fuit, an in oratione de Sancto liceat addere cognomen ipsius, si oratio careat nota aliqua, per quam discernatur vnus Sanctus ab alio eiusdem nominis? Quintanadueñas suprà Singulari 38. respõdet, licere absolutè, imò & expedire. Sed in fine, occurrens argumento ex præcepto Pij V. de nihil addendo in celebratione Missæ, ait, doceri ab Authoribus, non esse lethale, si id, quod additur etiam scienter, est quid leue. Sed repono: cum ijdem doceant, esse veniale; sequitur, licere citra culpam lethalem, non tamen citra venialem, addere cognomentum Sancti. Audiui aliquos, qui adderent. Sed contrarium est tutius. Nec prœualere debent rationes, quas cumulat Quintanadueñas, sed potiùs subticentia cognominum in orationibus omnium ferè Sanctorum apud Missale, cum tamen rationes illæ non sint tam abstrusæ, vt latere potuerint Summum Pontificem, aut Sacram Rituum Congregationem.

73 Hucvsque tractavimus de prohibita additione ad Missæ verba extra formam consecrationis. Exinde patet, esse multò magis veritam additionem ad ipsam consecrationis formam; quæ cum sit quid sacratissimum, non potest vel vnius verbi adiectio vacare culpa graui, imò neque hæresi, si fieret ex persuasione de eius necessitate ad valorem cõsecrationis.

Si

Si addatur verbum destruens significationem eorum, quæ sunt de formæ essentia, non conficitur Sacramentum, nec Sacrificium, atq; adeò committitur enorme sacrilegium. Si verò verbũ additum non immutet significationem aliorum, nõ peccatur tam grauiter, sed tamen lethaliter. Ita Quartus in q. Proœmiali S. 4. punct. 1. Huc appositè faciunt illa S. Cypriani verba in Epist. 63 ad Cęciliũ de Sacramẽto Dominici calicis, *Si nec minima de mandatis Domini licet soluere; quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ Passionis, & nostræ redemptionis Sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud, quã diuinitus institutum sit, humana traditione mutare?* Nõ inuenio Authorem, qui expressè dicat, in additione ad verba consecrationis posse dari leuitatem materiæ, quando non destruitur sensus formę vti plures dicũt in detractione dari tunc posse. Conficitur ex vno ad aliud non imbelle argumentum; tametsi, vt adnotaui in n. 58. additio per se sit maius peccatum, quàm detractio verbi.

74 In consecrationis forma additio, qua repetatur eadẽ forma super eandẽ materiam, cum anteà semel fuisset validè prolata, piaculum est sacrilegum contra veritatem formæ, quę suo frustratur effectu, necnon contra religionem debitam ipsi formæ, & Sacramento. Narratur in Prato spirituali C. 150. de quodam Episcopo magnæ virtutis, & meriti, quòd coram Papa Agapeto iterarit quartò *Sanctam oblationis orationem*, id est, consecrationis verba; nec viderit S. Spiritus adventũ (vt solebat, trãsubstãtiatione facta) quoadvsque recessit Diaconus criminosus, qui ipsi assistebat. Sed vt diuinitus factũ est ob causas expẽsas à Baronio anno Christi 536. n. 69. ne vel prima prolatio verborum suum sortiretur effectum, sic etiam Deus inspirauit repetitionem. Nõ absimiliter cogitari potest euenisse ex dispẽsatione diuina extraordinaria trã substantiationem, quando, vt traditur in eodem Prato spirituali C. 199. quidam Sacerdos *senex, sanctus, sed rudis diuinorum dogmatũ* deceptus ab hæreticis *dicebat in simplicitate, & innocentia, quæ nõ decebant secundùm rectã fidem ignorans, quòd falleretur*. Nisi cui magis placeat, errorem non fuisse talem, qui tolleret sensum formæ verum. Sed omissis his casibus raris.

75 Si citra causam repetatur vnum verbũ formæ consecrationis, peccabitur venialiter, secluso scandalo, & contemptu. Si cum causa, vt ob maiorẽ securitatem rectæ, & exactæ pronunciationis, vel nec peccabitur venialiter, vel si venialiter, sed leuissimè ratione nimietatis in curãda pronunciatione. Sufficiant hæc quoad additionẽ & re petitionem formę cõsecrationis, quoadvsq; in Disput. seq. dicamus plura, cum adueniat sermo de precauẽdis, & emendãdis defectibus, qui in ea forma possunt contingere.

76 Ex prædictis colligitur etiam à fortiori, esse peccatum lethale, si addantur, dicanturque integrę Missæ vltra contentas in Missali Romano, & vltra approbatas à Sacra Rituum Cõgregatione. Quòd prohibuit hæc pia Sacra Congregatio, annuente Vrbano VIII. Papa, & imperante, vt istud Decretum apponeretur in Missali Romano in posterum imprimendo. Et quidẽ *non decet tantum mysterium pro affectu cuiuslibet tractari*, vt ait Concilium Colonienſe celebratum anno 1536. parte 2. C. 11. Quam ob rationem displicuerunt ei *peculiaria Missarum argumenta recens præter veterum institutionem inuenta*: Et antea in Cap. 7. dixerat, *Sunt in Clero zelum quidem Dei habentes, sed non secundum scientiam, qui priuatis quibusdam affectibus ducti, vel testamento, vel (vt vocant) fundationibus efficiunt, vt nouæ festa præter Ecclesiæ authoritatem solemniter subinde celebrentur. Quo interim fit, vt preces horariæ, ac reliqua publicè recepta, pro affectu cuiuslibet facilè nouentur, id quod nobis non satis probatur. Neque enim errarunt Patres, à quorum institutis in dicendis precibus vtinam tam longè discessum non fuisset. Quòd si hìc singulorum affectibus indulgebitur, tandem antiquus ritus penitus euanescat.* S. Bernardus in Epist. 174. *præsumptam nouitatem contra Ecclesiæ ritum* vocat *matrem temeritatis, sororem superstitionis, filiam leuitatis*; aitque, *consulendam priùs fuisse Apostolicæ Sedis authoritatem, & non præcipitanter, atque inconsultè paucorum sequendam simplicitatem imperitorum*. Scripseratque in principio, *Numquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus? Periculosè præsumimus quidquid ipsorũ in talibus prudẽtia præteriit. Nec verò id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Pa-*

trum quiuerit omnino diligentiam præterijsse.

77 Apprimè ad idem conducit locus Lucæ Tudensis ex L. 2. contra Albigenses C. 3. vbi de Ministrorum Ecclesiæ obligatione sic fatur. [Debent, inter Sacramenta, exercitia gerere honestatis ::: & quæ à Patribus sanctis sunt tradita, & antiqua consuetudine approbata, omni honestate, & deuotissimè venerari, & per ea nobis, & proximis Dei misericordiam implorare. Nullius nouitatis assertores ab eis aliquatenus deuiare. Proprium est enim elatæ scientiæ, quæ tempestatibus nostris nititur dominari, nouitates semper quærere, alioque ad sequendum se trahere. Quos verò non potest ducere ad sequelam, persequi, & odire, & multoties dictis Patrum detrahere non veretur. Oriuntur plerumque ex præsumptione schismata, & errores, quibus inimici veritatis pascuntur hæretici. Immutationibus Ecclesiasticarum consuetudinum deijciunt simplices, & non esse vera, vel sancta, quæ à Patribus sunt statuta, dubitare compellunt. Horum protervè sapiētū Hispaniarū Doct. Isidorus procacem præsumptionem deprimit, cum dicit: Antiquæ, & approbatæ consuetudines Ecclesiæ Dei non debent aliquatenus immutari, nisi evidens communis vtilitatis, aut ineuitabilis emergat necessitas. Humiles autem, & veritatis Doctores, qui, propriam gloriam recusantes, quærunt ea, quæ Dei sunt; & non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram, SS. Patrū imitantur vestigia, doctrinā deuotissimèamplectuntur, tantòque propensiùs alios ad hæc obseruanda studeant inducere, quātò potiora bona per ea credunt hominibus cœlitùs impertiri.] Hucvsque Hispanus noster Lucas Episcopus Tudensis. Complura in eandem rem afferri possunt ex Rodulpho de Riuo Decano Tungrensi in toto Libro de Canonum obseruantia. Et operæ pretium erit, legere sapientissimum, iuxtaque versatissimum in omni librorum genere Patrem Theophilum Raynaudum sectione 3. Heteroclitorum spiritualium puncto 3. ex pagina 464. vsque ad 482. vbi doctè, eruditè, & eleganter exagitat eos, qui publico in Sacrificijs, Officijsque alijs Ecclesiasticis cultu non approbato ab Ecclesia, audent prosequi Sanctos, vt si quis celebraret Missam de S. Abel, S. Henoch, S. Abraham.

SECTIO VI.

Vtrùm sit peccatum, & quale mutatio verborum Missæ in alia significationis diuersæ?

78 IN primis verborum in alia mutatio est prohibita a Concilio Tridentino non secus, ac omissio, & additio. Eritque peccatum aduertenter facta, & graue, aut leue, prout materia grauis, aut leuis fuerit. Quòd si inaduertenter fiat, & inaduertentia sit omnino naturalis, nullum erit peccatum mutatio; erit verò leue, si inaduertentia oriatur ex leui negligentia, & graue, si ex graui, verseturque circa mutationem in materia graui. Sic Coninch quæstione 83. articulo 5. numero 267. Notatque Quartus quæstione Proœmiali sectione 5. puncto 2. grauitatem materiæ pensandam esse ex notabili discōuenientia ad præcepti violati finem, qui est maiestas, decorumque Sacrificij, necnō significatio mysteriorum repræsentatorum in Missa.

79 Hinc si verba Missæ mutentur in alia diuersæ omnino significationis, quod perinde est, ac detrahere quædam verba, & adijcere diuersa alia, peccabitur grauiter, aut leuiter iuxta materiæ grauitatem, aut leuitatem. Et esse quidem materiam grauem, peccarique mortaliter, si à Religiosis omittatur in Canone Missæ commemoratio pro Episcopo loci, & ponatur in eius locum Superior Religionis, respondit Sancta Sedes Apostolica, vt refertur in Declaratione Cardinalium, quam transcripsi in num. 67. Quæ responsio est admodùm difficilis, tum in se, tum in ratione mortua ibi proposita, nimirùm quia Missale ad vnguem est seruandum. Anne committitur peccatum lethale, quoties ad vnguem non seruatur Missale? Vt si non seruetur in conclusione vnius orationis, dicendo,

Per

Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. vbi præscribitur in Missali, quod dicatur, *Qui vivis, & regnas, &c.*

80 Emmanuel Rodriguez, primus, quem sciam, eius Declarationis attestator, dixit, [se non damnaturum ad mortale eos, qui non habentes notitiã præfatæ Declarationis, nescientes, esse authẽticam, adderent aliquid in Collecta.] Sic ille. Sed quid, si adderent in Canone Missæ Superiorem Ordinis? Licet autẽ habeatur notitia Declarationis, sciaturque, esse authẽticã, ipsa in se videtur durissima. Certè neque ipsa, neque ipsius vt authẽticæ notitia potest facere, vt si materia sit levis, qualis videtur nomen Prælati Generalis positum pro Episcopi nomine, delinquatur lethaliter in tali mutatione. Et rogo, an abstrahẽdo à Declaratione, ab eiusque vt authenticæ notitia, sit in se gravis materia illa? Rursus rogo, an ignorãtia de Declaratione tollat gravitatem materiæ illius? Primum est ægrè credibile. Secundum est falsum, nam cum Declaratio præsupponere debeat gravitatẽ materiæ illius, nequit ignorantia adimere eam gravitatem, vt neque notitia eam inducere.

81 Vnde non sedat animum quod inquiunt Portel, & Villalobus, videlicet excusandum iri, qui ignorãs eam Declarationem nominaret suum Generalem, omisso Episcopo. Non, inquam, sedat, tum quia quod explorare volumus, est, an materia illa sit gravis, & an iuxta merita ipsius Papa respondeat, patrari peccatum lethale in tali mutatione: tum quia si materia illa gravis in se sit, posset aliunde, quàm ex ea Declaratione, cognosci gravitas illius, & proinde peccari mortaliter cum ignorantia eius Declarationis.

82 Hieronymus Garcia Tract. 3. de excellentijs Sacerdotij Diffic. 8. dub. 6. punct. 2. n. 26. affirmat, esse concordes omnes Authores in agnoscendo peccato mortali, si loco Episcopi nominetur Generalis; militat enim potior ratio, quàm si in Canone omittãtur duo, vel tria nomina Sanctorum. Sed ipse nec potiorem rationem proponit, nec verum est illud de concordia omnium Authorum.

83 Marchinus Tract. 3. de Ordine p. 3. C. & n. 6. interpretatur Declarationẽ, quatenus sit peccatum lethale, si illa mutatio fiat ex cõtemptu, vel ex animo introducẽdi aliũ ritum in Ecclesiam. Quod non est speciale in hac mutatione præcipijs, neq; itẽ præ omissionibus, additionibusq; quorũcunq; verborũ Missæ iuxta ipsum Marchinũ. Consentit Quartus q. Proœmiali, S. & punct. 3. V. *Ad Declarationem*, necnon Tamburinus L. 2. C. 5. §. 3. n. 6. & 7. vbi ait, si secludatur contemptus Episcopi, & animus introducendi novum ritum, vacare culpa lethali mutationẽ illam aliquando factam. Quo dicendi modo significat, inficiendam malitia lethali, si semper, aut frequenter fiat. Et quicquid sit de Tamburini mente, Mascarenhas Tract. 5. de Sacramentis D. 5. C. 16. n. 460 hanc interpretationem adhibet Declarationi, quod scilicet loquatur de frequenti vsu mutationis illius, secus, si Generalis semel, aut bis nominetur tacito Episcopo. Hi Authores non adeo captiuant intellectum in obsequium Declarationis, quã Lezana tomo 1. qq. Regular. C. 21 n. 30. nec tam in confuso loquuntur, quã Bordonus apud Aversam q. 11. sect. 12. V. *Quarto ergo*. Primus ait, [etsi durum videatur damnare culpæ lethalis mutationem illam, credendum tamen est, ita esse, si cõstet de Declaratione. Secũdus inquit, mutationem illam non esse adeo grauem, quòd non possit excusari à mortali.] 84 Marchini interpretatio non debuit omnino placere Quarto, nã is sect. 2. punct. 4. docuerat, posse dari in re levi contemptum præcepti venialem. Rursus idem Quartus sect. 5. punct. 2. censet, si aliquid in Missa addatur animo introducẽdi novũ ritum, sed in re modica, nõ committi nisi peccatum veniale. Videtur autem mutatio illa esse modicæ materiæ. Nõ igitur penes principia Quarti Declaratio de peccato lethali in mutatione illa, orta vel ex contemptu præcepti, vel ex animo introducẽdi novũ ritum, stat salua, & inconcussa. Quod argumentum potest ex parte confici contra Tamburinum, vt qui Cap. 5. §. 2. num. 3. referat, & non improbet illud de veniali contemptu, si res levis sit. Vlteriùs contra eundem Tamburinum, & contra Mascarenhas insurgi potest, quia frequentia mutationũ illarum in materia levi

nequit esse causa, vt transeant in peccatum mortale, præsertim cum materiæ illarum inter se non vniantur, nec quasi continuentur ad inuicem, neque coalescant in vnam. Mascarenhas hanc obrationem fatetur, frequētem omissionem nominandi vnum, aut duos Sāctos in Canone non esse peccatum lethale, & cum accingeretur ad assignādum discrimen à mutatione illa frequēti, præterijt illud in §. *Argues*; tandēq; in § sequenti recurrit ad id, vt grauius per se sit, addere in ritibus Missę, quàm omittere. Quod etsi verum sit, non satis est ad præsens punctum, siquidem non omnis additio sit peccatum mortale. Cur ergo additio, seu mutatio illa erit piaculum lethale, & non sistet intra sphęram venialis, quod cæteris paribus grauius sit peccato omissionis?

85 Sunt, qui se expediant à tot difficultatibus negando, authenticam esse eam Declarationem. Innuit id Emmanuel Rodriguez, exprimitque Hieronymus Rodriguez in Dubijs Regular. Resol. 25. de Missæ celebratione, num. 14. & post ipsum Quintanadueñas tomo 1. Tract. 7. Singulari 36. num. 3. Erunt etiam, qui se liberare velint à tot obicibus, dicendo, Declarationes Cardinalium esse quidē magni habendas, sed non continere vim legis, etiam si sint in forma authentica, quandiu non pronunciantur consulto Summo Pontifice. Sed quicquid sit de hoc effugio quoad alias occasiones, attamen quoad præsentem non prodest, nam non à Congregatione Sacra Cardinalium, sed à Sancta Sede Apostolica prodijt responsum de peccato lethali in mutatione illa, vt in Declaratione traditur.

86 Ego, si alicunde constet, Papam, non vt Doctorem priuatum, sed ex Cathedra dedisse responsum illud, vel confugiam ad interpretationem Marchini; vel asseram, etsi mutatio illa sit in materia leui ex se, & non opposita notabiliter maiestati Sacrificij, significationique mysteriorum in eo repræsentatorum, adhuc esse lethaliter peccaminosam ratione finis intēti à Papa in commemoratione Episcopi etiam à Religiosis; qui est dignitatis honor, & attestatio inferioritatis Religiosorum respectu Episcopi. Si opponatur causalis illa, *Cum sit ad vnguem Missale obseruandum*, quæ non denotat specialem eius finis intentionem. Fatebor ingenuè, interpretationem Marchini conciliari melius cum causali illa, nam si ex contemptu, vel ex animo introducendi nouum ritum non seruetur ad vnguem Missale, peccabitur mortaliter, quantulacumque, & quàm modica sit materia ex se. Nec ego assentior principijs, ex quibus ad hominem argumētatus sum cōtra Quartum.

87 Concludo, debere sub peccato graui, vel leui nominari in Canone Episcopum loci, in quo celebrat Sacerdos. Ita præscribitur titul. de Ritu seruando in celebratione Missæ, §. 8. numero 3. Vnde nominandus non est Episcopus celebrantis, si alius sit, quàm qui loci; etsi olim contrarium visum sit Alcuino, & Innocentio Tertio apud Gauantum ad eum, §. 8. & apud Quartum ibi, sect. 1. dub. 2. vbi congruentes assignat rationes, vt potiùs nominetur Episcopus loci.

88 Sed quæres, an si Sacrum fiat in loco, cuius Ordinarius non sit Episcopus, sed alius iurisdictione quasi Episcopali gaudens, possintne, aut debeant omitti verba, *Et Antistite nostro N.* vel quisnam ex duobus illis possit, aut debeat nominari? Respondeo, probabile esse, posse, & debere omitti ea verba; rursusque probabile esse, posse, & debere nominari Episcopum, cuius Diœcesis est vicinior, & ad quem pro Ordinatione itur: minimè verò debere, nec posse nominari illum aliū. Postrema hæc pars expressa est, vt mihi videtur, in Rubrica proximè allegata, cuius verba huiusmodi sunt, *Vbi dicitur, Et Antistite nostro N. specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarij in propria Diœcesi, & non alterius Superioris, etiamsi celebraus sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi iurisdictione.* Expendantur verba illa, *Et non alterius Superioris*, quę neutiquam diriguntur ad excludendam nominationem Episcopi, cui subditus sit celebrans extra eius Diœcesim, nam hæc exclusio postea fit, sed diriguntur, vt excludatur quicumque Superior, qui non sit Episcopus. Præterea ex vsu præsenti Romanæ Ecclesiæ vox *Antistes*, simpliciter, & absolutè prolata, restrin-

restringitur ad Episcopum. Vnde malè post vocem Antistes sequetur nomen Prioris, aut Abbatis iurisdictione quasi Episcopali præditi. Indecens etiam videtur, vt cum in Hispania nominandus sit post Antistitem Rex, nominetur is post personam Episcopali dignitate non præfulgentem.

89 Contradicunt nobis Quintanadueñas tomo, & Tractatu 2. Singulari 6. latissimè, & ex ipso Mendus Disquis. 7. de Ordinibus Militaribus, quæst. 11. §. 2. Sed cum non meminerint principalis nostri argumenti fundati in Rubrica, ex qua potiùs, quàm ex alijs congruentijs proprio discursu inventis decernendum est in hac materia, ideò audiendi non sunt. Quòd autem, obijciente P. Mēdo, Caramuel ad Regulam S. Benedicti, & alij Authores moderni, imò & Sanctus Basilius apud Benedictum Haeftenum in Disquisitionibus Monasticis Lib. 3. Tractatu 5. Disquis. 2. num. 3. & apud Cerdam in Aduersarijs Cap. 66. num. 9. insigniant Abbates nomine Antistitum, parum prodest. Nam vt taceam de Caramuele, & alijs Authoribus modernis, qui non sunt norma loquutionis Ecclesiasticæ Romanę, Sanctus Basilius, vel eius Interpretes adaptant Abbatibus nomen illud, quod antonomasticè convenit Episcopis, quia ex adiunctis erat procul à Lectoribus periculum confundendi Abbates cum Episcopis. Quid? quod Interpretes Sancti Basilij, vt & Caramuel, appellant Antistites eos etiam Abbates, qui non pollent iurisdictione quasi Episcopali: Nemo tamen audebit nominare in Canone quemcumque Abbatem loci, vbi celebret. Iustinianus etiam initio Institutionum se nuncupat Antistitem Iuris, passimque hoc nomine honoratitur celebres Iurisconsulti. Anne inde vox *Antistes* iuxta vsum præsentem Ecclesiæ Romanæ extendi poterit in Canone ad Iurisperitum? Et vt demus, Abbates fuisse olim simpliciter dictos Antistites; non tamen nunc. Sic quondā Episcopus quicumque appellatus est Papa, & Pontifex Summus, vt multis exemplis comprobat Raynaudus in Corona aurea super mythram Romani Pontificis pag. 207. & 247. modò autem vtrumque nomen est restrictum ad Episcopum Romanum. Et hæc satis pro nostri responsi postrema parte, quę censetur, diciturque certa à Quarto suprà, V. *Secunda*: à Quarto, inquam, viro peritissimo rituum Missæ.

90 Secunda nostri responsi pars est Gavanti ad præcitatam Rubricam, quia cum aliquis Episcopus sit nominandus, nullus in quæstionis casu magis congruenter, quàm qui est vicinior, & ad quem ob id recurri debet pro Ordinatione, vt statuitur in Concilio Tridentino Sess. 23. Decreto de Reform. Cap. 10. Sed quia potest contingere, vt duæ, vel plures Diœceses Episcopales sint æqualiter vicinæ territorio, cui præest Abbas, vel Prior fruēs iurisdictione quasi Episcopali, & quia hic sępe habet potestatem concedendi litteras dimissorias ad Ordines suscipiendos à quovis Episcopo, sæpeque potest concedere Ordines saltem minores, ideò congruentia illa non convincit, sed ad solam quandam probabilitatem adsciscendam sufficit.

91 Prima pars nostri responsi est Quarti suprà, & probatur, quia tunc tantùm est dicendum, *Et Antistite N.* quando Sacrum fit in Diœcesi propria Antistitis, & in loco, cuius detur verè Episcopus, vt constat ex verbis Rubricæ. Sed in casu quæstionis id non verificatur, nam non celebratur in Diœcesi propria Episcopi vicinioris, neq; in loco, cuius ille sit verè Episcopus. Quòd enim sit vicinior, & quòd debeat ordinare incolas loci illius, non satis est, vt locus ille dicatur pertinere ad eius Diœcesim, nec vt ipse Episcopus dicatur Antistes loci illius. Cæterùm quia Rubrica non exprimit, subticendum esse illud, *Et Antistite N.* nisi quādo vita functus est Episcopus ordinarius loci, in quo sacrificatur; & quia sua est congruentia pro Episcopo viciniori, ad quem itur pro Ordinatione, ideò hęc prima nostri responsi pars plus non est, quàm probabilis. Et quando duo Episcopi essent æquè vicini, Superiorque gaudens quasi Episcopali iurisdictione posset concedere litteras dimissorias, vt subditi ordinarētur à quocumque Episcopo, atque etiam posset cōferre minores Ordines (qui casus rarissimus erit) adhuc non deesset nota aliqua, ob quam foret nominandus vnus Episcopus præ alio; vel tunc consulenda esset Sancta Sedes Apostolica.

92 Iam verò si in Missæ partibus extra cõsecrationis formam mutatio verborum in alia diversæ significationis non vacat culpa, multò minus vacabit, si fiat in forma consecrationis, nam hæc eo ipso irrita erit, & proinde mutatio erit grauiter peccaminosa, atque sacrilega; vt si dicatur, *Illud est corpus meum*, *Hìc* (sumendo vocem adverbialiter, id est, in hoc loco) *est corpus meum*, *Hoc fuit*, *Hoc erit*, *Hoc sit*, *Hoc sit corpus meum*, *Hoc transit in corpus meum*, *Hoc est corpus Christi*. Quòd si mutatio fiat in verba, de quibus dubitetur, an sint eiusdem, vel diuersæ significationis, vt si dicatur, *Hæc est caro mea*, ipsum periculum consecrationis irritæ erit in causa peccandi lethaliter, si suscipiatur vltrò, aut ex causa leui.

SECTIO VII.

An mutatio verborum Missæ in alia eiusdem significationis sit peccatum, & quale?

93 SI ea alia verba sint eiusdem linguæ, & non pertineant ad formam consecrationis, delinquetur leuiter (vbi nec interueniat cõtemptus, neque sequatur scandalum) quia in accidenti violatur prçceptum. Nihilominus tot verborum potest in alia fieri mutatio, vt sapiat contemptũ, sitque grauis deordinatio, & intolerabilis abvsus.

94 In essentialibus ad formam consecrationis mutatio vnius solius vocis in aliam eiusdem linguæ, & significationis excusabitur ægrè à peccato lethali, si fiat ex malitia, quippe redoleat contemptum; & quòd sit contra tam antiquum, & firmum Ecclesiç vsum in re adeò sacra auget valde culpam. Neque opponas exemplum adverbij *Enim*, cuius omissionem non esse peccatum lethale, concessi in numero 31. Nam disparitas est aperta, tum exinde quòd adverbium *Enim* non sit de essentia formæ consecrationis, tum etiam quia in omissione vocis facilior est lapsus ex negligentia, quàm sit substitutio vocis æquipollentis: vnde si *Enim* omittatur, peccabitur minus, quàm si mutetur in *Quia*; & minus, si subrogetur adverbium *Quia*, quàm si pronomen *Istud*, dicendo, *Istud est enim corpus meum*. Quanquam & ex negligentia possit peccari in substituendo adverbio *Quia*, & pronomine *Istud*; tuncque peccatum non erit tantum, quantum est, quando ex malitia, & data opera fit substitutio.

95 Quò plurium verborum in alia eiusdem linguæ, & significationis mutatio fiat, eò grauius erit peccatum lethale. Atque hinc valde peccabitur, si loco formæ, qua in consecrando calice vtitur Ecclesia Romana, adhibeas aliam, qua vsi quondam sunt Hispani, & non diu longè Toleti, atq; Salmanticæ Capellanei Liturgiæ Muzarabicæ: quæ forma istius modi fuit, *Hic est calix noui testamenti, in meo sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Nam etsi huius, & Romanæ eadem sit significatio, tamen non posset iam non esse immane scelus, secluſa inadvertentia, & ignorantia, transgredi præceptum, & vsum Romanæ Ecclesiæ mutando tot verba pertinentia ad rem grauissimam.

96 Quod expressi de forma vsitata antiquitùs in Liturgia Muzarabica subintelligendum est de alijs formis diuersis quoad verba, tametsi non quoad significationem, consuetis olim extra Ecclesiam Romanam, nisi & nunc etiam expressè, vel tacitè ab ea permittantur in aliqua gente, vt apud Græcos. Qua licentia, aut permissione deficiente, foret absurditatis plena discordia ab vsu Ecclesiæ Romanæ in re tanti momẽti. Et expedit quidem maximè, vt in forma consecrationis servetur vniformitas, quantùm fieri potsit; cum vniuersim in ritibus, Officijsque Ecclesiasticis tam conueniens sit. Qua de causa Patres Concilij Toletani IV. adeò incubuerunt ei procurandæ, prout noscitur ex Cap. 12. & 13. seu potiùs ex 7. vsque ad 17. & in 2. aliàs 1. præmisserant, *Placuit, vt omnes Sacerdotes, qui Catholicæ fidei vnitate complectimur, nihil vltra diuersum, aut dissonum in Ecclesiasticis Sacramentis agamus: ne quælibet nostra diuersitas apud ignotos, seu carnales schismatis errorem videatur ostendere, & multis existat in scandalum varietas*

rietas Ecclesiarum. Vnus igitur ordo orandi, atque psallendi nobis per omnem Hispaniam, atque Galliciam conseruetur, vnus modus in Missarum solemnitatibus, vnus in vespertinis, matutinisque Officijs: nec diuersa sit vltrà in nobis Ecclesiastica consuetudo, qui in vna fide continemur, & Regno. Sic Toletanum Concilium IV. post Gerundense C. 1. relatum C. *Institutio* 31. de Consecratione Dist. 2. post Bracarense 1. C. 1. exaratum Cap. *Placuit omnibus* 14. Distin. 12. & post hæc tria Concilia aliud Toletanum 11. C. 3. transcriptum C. *De his, qui* 13. Dist. 12. Consonant Concilio Agathense C. 30. adductum C. *Conuenit* 13. de Consecratione Dist. 5. Veneticum sub Leone 1. C. 15. Epaunense sub Symmacho Cap. 27. Horum Conciliorum decreta valde conducunt pro tota Disput. præsenti, ideoque non semel sunt memoranda, vt iam de nonnullis feci in numero 1. Sed pro puncto, in quo versamur, vt scilicet forma consecrationis sit vna apud omnes, vrgent maxima vi.

97 Mutatio litterę, aut syllabæ in aliam, quę diversum sensum non reddat, non erit, vel in ipsa forma consecrationis, peccatum mortale, si absit contemptus, & scandalum. Imò neque erit peccatum veniale, si non fiat ex industria, aut ex negligentia, sed procedat ex impedimento linguæ, vel ex inculpata ignorantia legum Grammaticæ. Sint exempla huius mutationis, si dicatur, *Hoc est corpus meus*, *Hic* (sumendo vocem pronominaliter) *est corpus meum*, *Hunc est corpus meum*, *Hoc est corpum meum*, *Hoc est corput meum*, *Hoc est corpus meun* (pronunciando tanquàm *N.*) *Hic est calis*, pronunciando tanquàm *S.* & non intendendo significare aliud diversum à calice. Nam licet vox *Callis* cum duplici *ll.* significet in lingua Latina quid diversum à voce *Calix*, tamen vt hìc, & nunc profertur in ipso actu, & forma consecrationis vini significat calicem audientibus ex communi modo percipiendi. Ita Mascharenhas Tract. & Disput. 1. de Sacramentis C. 4. num. 59. post Dianam parte 2. Tract. 17. Resol. 14. cum Pitigiano.

98 Addoque, subrogationem litterę *S.* pro *X.* in isto casu nõ obstare, quominùs tam respectu proferentis, quã respectu audientium salvetur significatio, quæ necessaria est ad essentiam formæ, & quæ ab Ecclesia est intenta. Huc deservit textus celebris in Cap. *Retulerunt* 86. de Consecratione Dist. 4. Ibi: *Si ille, qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ loquutionis, infringendo linguam:: dixisset, Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta, non possumus consentire, vt denuò baptizentur*, quia nimirùm validè erant baptizati. Vlteriùs addo, subrogationem litteræ *S.* talem esse hoc in casu, vt non ducat audientes, aut eos, qui audirent, vel possent audire, si præsentes essent, in notitiam diversi significati, ac ducit littera *X.* non mutata, quia subrogatio tribuitur communiter, aut tribueretur pronunciationi pravæ, non autem animo significati diversi.

99 Secùs esset in casu, quo quis baptizaret dicens, *Ego te baptizo in nomine Matris*, &c. mutans litteram *P.* in *M.* proferensque *Matris* loco *Patris*, idque bona fide, & absque intentione sinistra. Adhuc, inquam, secus esset, & non valeret baptismus, vt ait Franciscus de Lugo L. & C. 1. q. 2. n. 22 nemoque negabit, vti mihi persuadeo. Ratio disparitatis est, quia voces *Pater*, & *Mater* significant diversas valdè res, & mutatio *Patris* in *Matris* non imputabitur communiter pronunciationi non rectæ, sed intentioni significandi vna voce diversum quid, ac alia, eo quòd vel malè pronunciantes non soleant litteram initialem *P.* mutare in *M.* vti solent mutare litteram finalem *X.* in *S.* Si alicubi *P.* tam facilè, & ordinariè mutaretur in *M.* quàm multis in locis modò mutatur *X.* in *S.* videtur (salvo meliori iudicio) discurrendum esse eodẽ modo in vtroque casu. Notet obiter pius Lector, quanti dispendij sit in negotio Sacramentorum mutatio vnius litterulæ, si varietur significatio; etsi Scęvola l. *Qui habebat* 54. *ff. de Manumissis testamento* responderit alio in negotio, *non obesse, quòd in syllaba errasset* testator.

100 Progredior ad aliam mutationem, qua retento eodem sensu assumantur verba ex alia lingua, seu idiomate, quàm eo, quo in Missa vtitur Ecclesia Occidentalis, quodque totum est Latinum, exceptis paucis vocibus Hebræis, & Græcis. Dico itaque, esse per se peccatum mortale, si in Ecclesia

cleſia Occidentali celebretur Miſſa, aut notabilis eius pars recitetur alia lingua, quàm Latina; id enim eſt contra antiquiſsimam, & graviſsimam Eccleſiæ Occidentalis conſuetudinem. Vnde Patribus Cōcilij Tridentini Sel. 22. in Doctrina de Sacrificio Miſſæ C. 8. *Viſum eſt, non expedire, vt vulgari paſſim lingua celebraretur Miſſa.* Et in Can. 9. pronunciarunt anathema in eum, qui dixerit, *Lingua tantùm vulgari Miſſam celebrari debere*: Patreſque Concilij Auguſtenſis Cap. 15. ſanxerunt, *Vt lingua Latina, cui velut diuino inſtrumento, in ipſa crucis ara ſacris vſibus deputato, Eccleſia Occidentalis religionem Chriſtianam fert acceptam, in Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque Eccleſiaſticis Officijs :: retineatur, & excluſa reuocetur.*

101 Reſolutioni propoſitę adhibeo exceptiones. Prima ſit, niſi Græcus celebret in Occidentali Eccleſia more patrio permiſſo. Secunda, niſi Summus Pontifex diſpenſet, vti Ioānes VIII. cū Moravis anno 880. vt cōſtat ex eius Epiſtola ad Moraviæ Principem, vbi ait, tranſcribente Baronio, *Nec ſanæ fidei, vel doctrinæ aliquid obſtat, ſiue Miſſas in eadem Slauonica lingua canere, ſiue ſacrum Euangelium, vel Lectiones diuinas noui, & veteris Teſtamenti benè translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum Officia omnia pſallere: quoniam, qui fecit tres linguas principales, Hebræam ſcilicet, & Græcam, & Latinam, ipſe creauit & alias omnes ad laudem, & gloriam ſuam. Iubemus tamen, vt in omnibus Eccleſijs terræ veſtræ propter maiorem honorificentiam Euangelium Latinè legatur, & poſtmodùm Slauonica lingua translatum auribus populi Latina verba non intelligentis annūcietur, ſicut in quibuſdam Eccleſijs fieri videtur. Et ſi tibi, & Iudicibus tuis placet, Miſſas Latina lingua magis audire, præcipimus, vt Latinè Miſſarum tibi ſolemnia celebrentur.* Sic Ioannes Papa. Et cum quidam in ſacro Senatu circa diſpenſationem hanc anteà habito diſcordarēt, eiuſque ſententiæ eſſent, ne à Papa concederetur, audita eſt vox de Cœlo, *Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei*, provt refert Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemiæ C. 13.

102 De Clemente VIII. Papa tradit Scortia L. 2. de Sacrificio Miſſę Cap. 12. diſpenſaſſe cum Ruthenis, ſeu Ruſsis, vt peragerent Sacrum lingua Slavonica. Et hæc quidem celebrari ab ipſis, narrat Alexander Gvvagninus in Deſcriptione Moſcovię: quod de Moſcovitis ſua lingua vulgari teſtatur Sigiſmundus Liber in Deſcriptione eiuſdem Moſcoviæ: Noſterque Azor tomo 1. Lib. 8. C. 26. q. 6. tractans, an ſanctum Miſſæ Sacrificiū fieri debeat proprijs, & maternis cuiuſque gentis, & nationis linguis? defendenſque, non debere, habet hæc, [At Eccleſia permiſit, inquies, vt Alexandrini populi, & Ægyptij Arabicè divina Officia faciant, Armeni Syriacè, & Moravi olim Slavonicè, Dalmatæ Dalmaticè, & Ruſsi, ſiue Rutheni vulgari ſua lingua, & ſermone. Concedo; ſed id factum eſt, quia Alexandrini, Ægyptij, & Armeni id extorſerunt in Græcorū odium, à quibus ſe iam olim ſegregarant: Moravi verò id introduxerunt, quia ij, qui apud ipſos Chriſti Evangelium promulgarunt, videlicet Cyrillus, & Methodius ante ſexcentos annos à Romano Pontifice impetrarunt, vt eis rem divinam facientibus lingua, & ſermone Slavonum vti liceret, quòd ea gens ipſis authoribus in Chriſtum Dominum credere cœpiſſet.] Hactenus Azor. Mihi non conſtat de diſpenſatione expreſſa cum Ruthenis, nec de ea meminit Spondanus, cum ad annum 1595. numero 14. ägit de obedientia, quam Clementi VIII. præſtiterunt.

103 Dicaſtillus Tract. 5. D. 4. dub. 13. num. 270. inquit, Dalmatas quoſdam in Europa obtinuiſſe facultatem ad celebrandum lingua vernacula; & pro Sinis in Oriente comparatam etiam dici ad ſacrificandum lingua Mādarinorum, ſeu Magiſtratuum. Sed quod ad Damaltas attinet, potiùs crediderim, eos ex tempore S. Hieronymi vſos Liturgia, quam S. Doctor perhibetur compoſuiſſe lingua Dalmatica, vt notat Azor ſupra. De Sinis autem vehementer dubito ob ſilentium Patris Alvari Semmedi, qui noviſsimè ſcripſit de Imperio Sinenſi, culturaque eius Evangelica per Societatis Ieſu Religioſos, poſtquàm ipſe viginti duobus annis inter Sinas eſt commoratus; niſi ab anno 1642. Pontificium privilegiū emanarit.

104 Illud mihi certum eſt, Gregorium VII. Papam adduci non potuiſſe, vt Duci Bohemorum Vratislao

conce-

concederet simile privilegium, nam rescribēs ad ipsum anno 1080. ait apud Baronium, *Quia vero Nobilitas tua postulauit, quòd secundùm Slauonicam linguā apud vos diuinum Officium celebrari annueremus: scias, nos huic petitioni tuæ nequaquàm posse fauere. Et hoc nempè sæpe voluētibus liquet, non immeritò sacram Scripturā Omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, fortè vilesceret, & subiaceret despectui, aut praue intellecta à mediocribus in errorem induceret. Neque enim ad excusationem iuuat, quòd quidam religiosi viri hoc patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt; cum primitiua Ecclesia multa dissimulauerit, quæ à SS. PP. postmodùm formata Christianitate, & religione crescente, subtili examinatione correcta sunt.* Sic Gregorius VII. tacitè, prudenterque occurrens obiectioni ab exemplo Moravorum, quibus facultatem iam non denegarat Ioannes VIII. [natam recens Ecclesiam lacte nutriens parvulorum, sperans opera eius, qui linguas infantium facit disertas, fore, vt Moravensis Ecclesia, Matris, ex qua genita est, lingua perfectè loquutura esset.] Quæ sunt verba Conditoris Annalium Ecclesiasticorum anno 880. num. 20. Consulat Lector Melchiorem Inchofer in Annalibus Ecclesiasticis Regni Hungariæ circa cōcessionem Ioannis VIII. & denegationem Gregorij VII.

105 Nostri muneris non est, adstruere contra Hæreticos, quàm æquum sit, ne Missa celebretur lingua vulgari. Præstiterunt id abundè, & nervosè celeberrimi duo Cardinales Hosius in Dialogo de Sacro vernaculè non legendo, & Bellarminus Lib. 2. de Verbo Dei C. 15. Lib. 2. de Sacramētis C. 31. L. 2. de Missa C. 11. Iacobus de Ledesma Opusculo integro de hac re, Antonius Rubius in Assertionibus Catholicis contra Erasmum Lib. 7. Errore 2. Petrus de Bollo in authentica probatione Sacrificij Missæ pag. 22. & 23. Suarez Disp 83. sect. 1. V. *Tertiò principaliter*, Azor supra, Sylvius 3. p. q. 83 art. 4. pag. 395. Iacobus Baius in Institutionibus Religionis Christianæ, L. 3. de Euch. C. 29. Landtmeter L. 2 de Vetere Clerico Monacho Cap. 83. occurruntque passim alij. Vnde cautè legendus est Caietanus, cum in 1. ad Cor. C. 14. ait, [Haberi ex doctrina Pauli ibi, quòd melius ad ædificationē Ecclesiæ est, orationes publicas, quæ, audiente populo, dicuntur, dici lingua communi Clericis, & populo, quàm Latinè.] Ad quæ verba Paulus Grysaldus Ordinis Prædicatorij in Decisionibus Fidei Catholicæ, & Apostolicæ Verb. *Missa*, num. 20. appendit hęc sua: [De Caietano dicerem, quod plus voluerit sapere, quàm opus esset] Et Ambrosius Catharinus eiusdem Ordinis asperiori stylo pungit illa in Annotationibus adversus eundem Caietanum pag. (mihi) 87. Doctrinę S. Pauli neutiquàm contrarius est vsus Ecclesiæ Romanæ, vt videre est in præcitatis Doctoribus, & in Interpretibus Epistolæ ad Corinthios. Si Caietanus loquutus sit de orationibus, quæ sint prædicationes ad Clerum, & populum, non merebitur reprehensionem vllam.

106 Prædictis non obstantibus, Sacra Cardinalium Congregatio relata à Bellarmino ad Sess. 22. Concilij Tridentini C. 6. declaravit, *Non tolli, quin Cōfessio generalis fiat vulgari sermone, vbi fuerit consuetudo:* Et in Hispania mos est, cum Sacerdotes Sæculares ministrant Eucharistiam, dicere lingua materna, *Domine, non sum dignus*, &c. Convenientius foret, Latinè proferre.

107 Vt Sectionem hanc finiam, advertendum est, mutationem verborum consecrationis in alia diversæ linguę ab consueta in Ecclesia, tametsi nō officeret valori formæ, si salva maneat eadem significatio, vt docet S. Thomas 3. parte quæst. 60. articulo 7. ad 1. quod verum est, etiamsi verba desumantur ex varijs linguis, vt cum Caietano ad 2. illius articuli censent communiter Doctores; nihilominus non exequendam in tota forma sine gravi piaculo; & putari non immeritò potest, ne in vna quidem eius voce pertinente ad essentiam, si ex industria fiat. Potior enim hìc militat ratio, quàm in cæteris Missæ partibus.

*

SECTIO

SECTIO VIII.

Num verborum Missæ mutatio per transpositionem sit peccatum, & quale?

108 AVERSA q. 11. sect. 12. V. *Nonò rursus*, Franciscus de Lugo L. 5. C. 9. q. 4. n. 29. Quartus q. Proœmialia sect. 5. punct. 6. dicunt, esse peccatum mortale, si quis advertenter inverteret sic partes Missæ, vt inciperet ab Evangelio, & postea legeret Introitum, tum quia est mutatio inducens notabilem deformitatem, tum quia, quanuis postea resumantur Introitus, & reliqua vsque ad Evangelium, perinde se habet inceptio ab hoc, ac si Introitus, & reliqua prætereantur omnino, quia resumpta postea non benè conueniunt cum Evangelio iam dicto, neque cum significatione, quam in successione vnius post aliud intendit Ecclesia. Ergo siquidem peccaretur lethaliter in omissione Introitus, & reliquorum vsque ad Evangelium cum animo non resumendi postea, ita etiam delinquetur mortaliter in inceptione ab Evangelio, tametsi fiat cum intentione dicendi postea Introitum, & cætera vsque ad ipsum Evangelium. Paterque ampliùs malitia præfatæ transpositionis ob perturbatam seriem Missæ, quia etsi facta sit advertenter inceptio ex Evangelio cum, vel sine animo resumendi relicta, non opus est regredi ad illa, imò debes, pœnitendo de omissione, non redire, nisi ex non regressu maius sequeretur scandalum adstantiũ, quàm ex regressu. Debes, inquam, non aliter, ac quando inadvertenter exorsus sis Missam ex Evangelio. Vtrobiq; enim teneris obseruare Regulam illam Missalis §. 5. de Defectibus num. 1. si quæ sunt omissa, *Non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat Sacerdos, sed procedat vlteriùs.* De qua Regula agemus in Disputatione sequenti. Et licet habeat vnam, aut alteram exceptionem quoad accidentalia Missæ, nullã tamen, quæ comprehendat propositos casus.

109 Ex rationibus adductis ad probandum, cõmitti peccatum lethale in transpositione declarata, elucet discrimen ad horas Canonicas, quarum inversio, dum recitantur priuatim, non est ordinariè peccaminosa graviter, nimirùm, quia vna hora non sic advnatur cum alia, ac partes Missæ inter se, & quia in successione vnius horæ post aliam ordinata ab Ecclesia non intendũtur tanta mysteria, quanta in præscripta serie partium Missæ, & quia non apparet adeò ingens deformitas in præponendo v. g. Sextam Primæ, quàm Evangelium Epistolæ. Atque hinc qui ante Primam recitasset Sextam, teneretur per se ad dicendam postea Primã, non tamen ad legendam Epistolam, qui priùs dixisset Evangelium.

110 Cæterùm non omnis inuersio partium Missæ damnanda est culpæ gravis, si citra contemptum, & scandalum fiat, vt quando recitaretur primo loco oratio, quæ secundo loco deberet dici; & similiter quando prælegeretur Prophetia, quæ postponi debuisset. Nam in his inversionibus non vrgent rationes, quæ in superioribus; & proinde censendæ sunt leves, & tantùm venialiter peccaminosæ, etiam si advertenter fiant.

111 In verbis consecrationis duplex contingere potest transpositionis genus, alterum, si forma consecrationis sanguinis pronuncietur ante formam cõsecrationis corporis; alterum, si verba vnius, eiusdemq; formę transloccntur. Primum transpositionis genus est gravissimum peccatũ, & sacrilegium contra reverentiam Sacramenti, & Sacrificij in re adeò præcipua respectu ipsius, contra exemplum Christi, contra connaturaliorem, & aptiorem significationem mysteriorũ, quæ à Xpo Domino sunt intenta in consecratione sanguinis post consecrationem corporis, demum contra primæ vam, & inuariatam totius Ecclesię consuetudinem. Suppono ex dictis in Disputatione 4. num. 26. & 27. necnon ex dicendis in 25. proximè sequenti, tale inversionis genus non esse contra Sacrificij substãtiam; nam si foret, vt aliqui iudicant, frustra insumpsissem tempus in indicãdis capitibus aggravantibus huiusmodi transpositionem.

112 Secundum inversionis genus ægrè liberabitur à culpa lethali, si vel in vna voce fiat de industria, & non ex mera negligentia, vt si dicatur, *Hoc*

Hoc est meum corpus, *Hoc meum corpus est*, *Corpus meum est hoc*, *Hoc meum est corpus*. Quę omnes transpositiones formam irritam non reddunt, vt notavi D. 12. de Euch. num. 28. Sunt aliæ, quę vel eam destruunt, vel valde dubię sunt, vt *Hoc corpus est meum*, *Meum est hoc corpus*, vt ibidem etiam observavi; in his autem postremis inversionibus crescet præ illis alijs malitia ob vitrò facessitum periculum validitati formæ. Et de omnibus transpositionibus vniversim dici potest cum Concilio Toletano 4. C. 14. *Præsumptio est*, *vt anteà*, vel posteà *pronuntiantur ea*, *quæ sequi*, vel anteire *debent*.

SECTIO IX.

Vtrùm, & quo pacto peccetur in verborum Missæ mutatione per interpositionem? Agitur de hac vt facta etiam per orationem mentalem.

113 HVIVSMODI mutatio est maximè periculosa in verbis formæ consecrationis, nam si prolata vna voce, vel duabus sistas, & post notabilem intercapedinem temporis pronuncies reliquas, irrita erit forma, destruitur namque moralis compositio propositionis, proindeque eius significatio. Si verò disiungas vnas voces ab alijs per tempus, quod notabile non sit, irrita haudquaquàm erit forma ob contrariam rationem. Sed quia facilè mensurari non potest interuallum temporis, quod obstet, necne compositioni morali propositionis, ideo valde cavenda est quæuis interpositio, curandumque, vt non plus moræ interijciatur, quàm quod necessarium est ad integrè pronuncianda verba consecrationis cum decoro, gravitateque, & non cum festinatione, celeritateque præcipiti, qualem solent adhibere nonnulli per extremum contrarium peccantes. Rursus cavenda est interruptio, quæ fiat immiscendo verba diversa; quæ item fiat dividendo syllabas, vt si dicatur *me*, & post moram aliquam dicatur *um*. Omnes hę interpositiones vt minimùm erunt peccata venialia, si ex industria fiant, aut ex negligentia, eòque erunt maiora peccata, quo plus temporis interponatur; & ex eis illę erunt peccata mortalia, atque valde gravia, quę noceant valori formæ, aut conijciant ipsam in discrimen nullitatis.

114 Interpositio in alijs verbis Missæ non est adeò culpabilis, vt si exordiaris vnam Collectam, aut orationem, & recitatis nonnullis eius verbis consistas aliquanto tempore, & posteà prosequaris eam. Et quidem casu quo interpositum tempus sit notabile, & citra iustam aliquam causam demoreris advertenter, non videris excusandus à peccato saltem veniali. Debebisq; meritò timere, ne alij, qui adstent, scandalizentur tribuentes interruptionem illam distractioni, & euagationi mentis tuæ in alia extranea à tam sacro, & divino ministerio.

115 Occasione interpositionis in verbis vnius partis Missæ visum mihi est agere nunc de ea, qua plures partes Missæ tam quoad verba, quàm quoad actiones inuicem inter se disiũgantur. Et primò occurrit memoriæ, quod scribit Antoninus Diana parte 11 Tractatu 1. Resol. 10. V. *Vnde*, in hæc verba, [Quod dicitur consuevisse in Missæ celebratione S. Philippus Nerius, vt absoluta consecratione, & dicto *Agnus Dei* dimitteret socium, & clauso ostio domestici Oratorij, in quo celebrabat, per duas, vel tres horas solus vacaret contemplationi, & & posteà communicaret, & Sacrificiũ totum perficeret, vt habetur in eius Vita L. 2. C. 1. pag. 83. & iterùm in Compendio eiusdem *Vitæ* C. 2. pag. 27. Dicendum est, hoc fecisse ex peculiari Dei instinctu, & motione, quæ sine dubio est supra omnes Ecclesiæ leges, Cap. *Quæ sunt* 19. q. 2.] Sic Diana, censens, huiusmodi interruptionẽ illicitam esse in partibus Missæ, eo quòd hæc sit quędã structura, & quoddam opus artificiosum ex præscripto Ecclesiæ constans certis partib⁹ dispositis inter se certo ordine; quare ad vnitatem moralem requirit continuitatem, & vnitatem temporis, vt immediatè anteà argumentatur ipse. A quo non longè abit Dicastillus Tract. 5 D. 4. dub. 13. num. 269. vbi inquit, [Cum in Missali numerentur tria tẽpora orandi, aut meditandi secretissimè ::

mè:: addere quartam orationem, seu meditationem, & quartum tempus sic quiescendi, & orandi etiam mentaliter, est noua quædam cæremonia, quã tamen addunt aliqui plus nimiùm deuoti, qui antequàm sumant corpus Christi in Missa, per aliquod tempus cum illo in manibus perseverant orantes: quod etiam si mentaliter faciant in illo situ, & habitu corporis perseverantes, iam addunt alium similem cultum ei, quem posteà meditando exhibent ex præscripto Ecclesiæ post sumptionem eiusdem corporis; quod ei ẽdit, illum esse peculiarem cultum ab Ecclesia prescriptum. Ergo novum addunt contra Ecclesiæ præscriptum, Ideo illos appellavi plus nimiùm deuotos. Vnusquisque tamen in suo sensu abundet.] Tantùm Dicastillus. De cuius, & Dianæ sensu ferendum est à me iudicium, antequàm ad interruptionem, quam existimo esse prohibitam, deveniam.

116 Dianæ quidem motivum est infficax, nam si Sacerdos manet in altari, indutusque vestibus sacris, secreta oratio, quantumcumq; prolixa, non tollit vnitatem moralem Sacrificij, vt inferiùs constabit. Efficacior nõ est ratio Dicastilli, quia oratio mentalis habita siue ante sumptionem corporis, sive in alia parte Missæ non est additio, quæ prohibeatur ab Ecclesia: alioqui cum omnes ritus Missæ tã quoad verba, quàm quoad actiones possint sufficienter adimpleri in semihora, nũquàm liceret impendere plus temporis ex devotione; quod concessum iri à Dicastillo, non credam. Si autem licet plus temporis immorari, quid fiet in vlteriori illo, nisi orare mentaliter, aut ita se habere exterius, ac si mentaliter oraretur? Prescribit quidem Ecclesia tria tempora orandi mentaliter in Missa, seu ita se gerendi exteriùs cessando à verbis, & alijs actionibus, vt quies illa indicium sit meditationis internæ; & non vult plura iubere, quia non expediret, considerata communitate Sacerdotum, & fidelium, qui possunt ad Sacrum convenire: sed si plura addantur, id nõ est contra prescriptum Ecclesiæ. Fateor, debere Sacerdorem plura non addere, quando celebrat coram frequenti populo, ne huic molestus sit mora sua externa. Ast nunc non loquor nisi de Sacerdotum obligatione per se, & non nisi de Missa secreta, cui præsens tantùm sit vnus, aut alter no afficiendus tædio ob longitudinem Missę.

117 Quapropter non fuit necessarius S. Philippo Nerio specialis instinctus, & motio Dei, vt in Missa tantam moram faceret imitatus S. Calsium Episcopum Narniensem, de quo S. Gregorius Magnus Homilia 37. in Evangelia ait, *Cum oblaturus Sacrificium ad horam tertiam veniisset, hoc pro extensæ orationis magnitudine ad horam nonam vsque protelauit.* De S. Adalberto etiam Episcopo Pragensi narrat Thomas Bozius L. 5. Signorum Ecclesiæ C. 1. [Tanta huius sanctitas fuit, vt cum Romæ Sacra faceret more Christiano, Papa præsente, & ad eam Missę partem veniret, in qua pro defunctis fit supplicatio, duas ferè horas quasi à sensibus abstractus substiterit. Ob eam rem obiurgatus à Papa, respondit, se funeri suorum fratrum, quos Bohemi occiderant, interfuisse, & ad huius rei testificationẽ Chirotechã alteram Pragę reliquisse. Mandavit Pontifex inquiri, an id ita esset; inventum, vt Sanctus edixerat.]

118 Proximiùs ad nos, imò & in nostris oculis multi Sacerdotes pij Missas protrahunt ad longum spatium. In vita V. Dnę D. Marię Velę Mulieris (vt vocant) Fortis, sanctitateque insignis extat memoria devotissimi cuiusdam Patris Dominicani, & in 1. parte Chronici Patrum Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis fit mentio alterius spiritualissimi Patris ex hoc religiosissimo Ordine, qui Sacris admodũ protensis fervorem animi accendebãt. Nostra in Societate ab eius origine cõsuetæ fuerunt huiusmodi Missæ fusiores. Et licet P. Emmanueli Bionæ (qui Compluti à confessionibus fuerat S. P. N. Ignatij) duas tenenti horas in Sacrificijs privatis moderatio sit adhibita, vt ad horam vnam se restringeret, provt narratur 3. p. Historię Societatis L. 3. num. 90. ideo nimirùm fuit, quia pausa illa in quoridianis Missis nõ expediebat. At in extraordinarijs, & secretis intra domesticum sacellum, præsertim octo, aut decem diebus anniversarij recessus ad Exercitia spiritualia, frequens fuit, & est apud Nostros; eamque, vt de pluribus alijs taceam,

ceam, faciebat V. P. Vincentius Carrafa VII. Præpositus Generalis, qui vixit, rexitque, me teste, Societatem magna cum sanctitatis, & prudentiæ opinione, obijtque anno 1649. Ita refert P. Daniel Bartholi exactissimus, diligentissimusque Scriptor Vitæ ipsius Lib. 2. C. 15.

119 His in Missis longis debet Sacerdos non manere solus tempore considerabili, vt si fortè aliquid inopinatum accidat ipsi, non desit, qui succurrere possit. Decet etiam, non disiungere nimiùm consecrationem sanguinis à consecratione corporis, essentia enim, aut substantialis integritas Sacrificij Eucharistici exigit vtramque consecrationem; æquumque est, vt Sacrificium quoad suam essentiam, aut substantialem integritatem non diuidatur, neque interrumpatur, sed totum sine mora notabili perficiatur. Et ita Christus perfecit illud, non posuit inter vtramque consecrationem alijs rebus, vel actionibus, vt contra Ioannē Hessels, seu à Lovanio Libro de Communione sub vtraque specie, Salmeronem tomo 9. in Evangelia Tractatu 24. ex pag. 117. Bellarminum Libro 4. de Eucharistia, Cap. 27. ad 2. probant Suarez Disputatione 41. sect. 4. Versic. *Tertius modus*, Barradas tomo 4. in Evangelia Libro 3. Capite 2. Franciscus Lucas Brugensis ad C. 22. Lucæ, Cornelius Iansenius Episcopus Gandavensis C. 130. & 131. Cōcordię Evangelicę, alijq; non pauci. Simili de causa nō est nimiùm separanda sumptio sanguinis à sumptione corporis, quia scilicet institutio Christi, vt consumptio Sacrificij à Sacerdotibus esset per modum refectionis, & convivij, postulat, ne sumptio potus sacri valdè sit divisa à sumptione cibi sacri.

120 Inquies, Sacrificij Eucharistici essentia vel consistit partialiter in consumptione, vel hanc requirit ad sui integritatem substantialem. Ergo neque multùm separanda est consumptio à consecratione vtriusque speciei. Scrupulus autem nimis in Missis longis. Respondeo, rationes superiores esse congruentiæ tantùm, & vt tales esse accipiendas. Dicam posteà, quanta separatio vnius consecrationis ab alia, & sumptionum ab vtraque consecratione, sumptionumque ipsarum inter se obstet, necne vnitati morali Sacrificij Eucharistici, quando interponantur actiones, quæ alienæ ab ipso sint, indeque adnotabo, quid existimandum sit iuxta rigorem Theologicum in præsenti casu, vbi Sacerdos non divertitur ad actiones extraneas à Sacrificio Eucharistico. Repeto tamen, esse conueniētius id, quod supra affirmavi, si quidē Ecclesia adiungat vnam consecrationem alteri absque mora notabili, vnamque sumptionem alteri; sed vtrāque hanc ab vtraque illa secernit tempore considerabili.

121 Id fuit, quod primum occurrit mihi circa partium Missę inter se quoad verba, & actiones interruptionem per orationem mentalem. Deinde agendum succedit de interruptione per opera, occupationesque externas extraneas ab ipsa Missa. Quod præstabo in Sectione sequēti, si anteà advertam, non esse nunc mihi sermonem de interruptione, qua omnino dimittatur Missa iam incæpta: de quo agam in Sectionibus alijs posteà instituendis.

SECTIO X.

An, & quando liceat in Missa interruptio per actiones extraneas ab ipsa, sed quin ipsa prorsus relinquatur?

122 HANC interruptionem esse illicitam graviter, nisi excuset necessitas magni momenti, aut nisi tempus sit modicum, & actiones interpositæ non sint notabiliter indecentes, constans, firmumque omnium pronunciatum est. Quod probatur ex Iuris Canonici textibus infra transcribendis, & expendendis, ex Rubricis etiam Miss. tit. de Ritu servando in celebratione Missæ, §. 3. n. 4. vbi Sacerdos monetur, *prosequi continuatè Missam suam vsque ad finem*. Patet itidem à ratione, quia interruptio hæc est contra perfectionem, & reverentiā

debitam tantæ functioni sacratissimæ, necnon contra vnitatē moralem vnius, eiusdemque Sacrificij, tandemque cōtrariem, & connexionem mirabilem, quam Ecclesia diuinitus edocta disposuit, & vult seruari à Sacrificis in tota hac diuina actione.

123 Et quidem apud omnes nationes religiosissimum fuit, ne interrumperentur Sacrificia. Sic notat Maldonatus ad illa Christi verba apud Matthæum C. 5. V. 23. & 24. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Ad quę verba apponit hæc sua magnus ille Interpres, [Rem Deo maximè gratam inchoatam iubet relinquere, vt fratri reconciliemur, quia *misericordiam Deus vult, non Sacrificium*, & dilectioni quodammodò sui, proximi dilectionem anteponit. Magnam emphasim habet *Ibi*. *Ibi* in ipsa ara. *Ibi* stans coram Deo. Nō solùm inter Iudęos, sed etiam inter cęteras gentes imperfectum relinquere Sacrificium, magnum piaculum habebatur.] Tantùm ille. Digna sunt legi, etsi prolixa, quæ de Iudæis obsessis à Pōpeio scribit Egesippus L. 1. de Excidio vrbis Hierosol. C. 16. [Stupebat Pompeius acres virorum animos, muri decorem, ac magnitudinem, & nusquā remissa officia Sacerdotum in medio belli furore, tanquàm profunda pax esset, nihil deerat Sacrificiorum solemnitati; bellatorum inter iacula, morteq́; cæsorum fundebatur sanguis hostiarum. Victima altaribus imponebatur, ante aram positi feriebantur.] Et posteà, [Nullus parcendi modus, nec tamen ea sæuitia bellantium obsequia Vatum impedita. Nudaris gladijs imminebat hostis, illi tamen sine vlla perturbatione soliti vicem muneris exequebantur. Nullum intermissum est officij genus. Quidquid ad purificationis solemnitatē, quidquid ad cultus sacri obseruantiam spectare poterat, Impletum est. Tanta erat cura ministerij.] Rursus C. 17. prosequitur Egesippus, [Sacerdotes vlq; ad vltimum in suo munere perseverabant, hortantes se invicem, ne in posteriores ponerent officium religionis, quā salutis præsidium: rectè secum agi, si pietati impenderent, quod deberetur necessitati, pulcherrimumque, si in patriæ sinu sepeliri liceret. Quid autē iuvaret evadere, & supestitem vivere religioni? præclarum potiùs opus muneri commori pio. Quod si quis periculi metu deserat, sacrilegium est: si quis impleat, Sacrificium, & piæ passionis victoria. Infulati itaque Sacerdotes inter suas hostias immolabantur, & amicti Sacerdotalibus stolis inter cadavera cæsorum humi iacebant.] Hactenus Egesippus.

124 Sed & de Gentilibus nota sunt illa Didonis ad L. 4. Æneidos V. 638.

Sacra Ioui Stygio, quæ ritè incæpta paraui,
Perficere est animus.

Illa etiam, quæ ad L. 8. V. 102. Poetarum Princeps enarrat,

Fortè die solemnem illo Rex Arcas honorem
Amphytrioniadæ magno, Diuisque ferebat
Ante vrbem in luco: Pallas huic filius vnà,
Vnà omnes iuuenum primi, pauperq́; Senatus
Thura dabant, tepiduque cruor fumabat ad aras.
Vt celsas videre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus, & tacitis incumbere remis,
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Exsurgunt mensis: audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat.

Et paulò post V. 172. curat Evander, ne ampliùs intermittantur Sacra,

Interea Sacra hæc (quando huc veniste amici)
Annua, quæ differre nefas, celebrate fauentes
Nobiscum.

Hinc Romani, aliique Sacrificuli velabant capita inter Sacra, vt obseruaui iam in Disp. 27. num. 19.

Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurat, & omina turbet,

malim legere *Omine*; ne scilicet quidpiā ominosum, quod accideret foris, si videretur, aut audiretur, causa esset turbationis, qua intermitterentur Sacra. Hanc eius moris rationē exhibet Plutarchus in qq. Romanis. Qui

125 Qui in Coriolani Vita refert eo illa verba sacrificantibus dicta olim, *Hoc age*, ne obrem vllam interrumperent Sacra. Idemque in Vita Agesilai laudat Lacędemonios, qui, cum in solemni Deorum festivitate accepissent nuncium gravissimæ cladis, nisi non sunt, immutari festivitatis formam. Atque, vt tradit Servius ad Virgilij carmina secūdo loco transcripta, [Cum ludi Circenses Apollini celebrarentur Romæ, vt Annibal nunciatus est circa portam Collinā vrbi ingruere, omnes raptis armis concurrerunt. Reversi postea cū piaculum formidarēt, invenerunt saltantem in Circo senem quendam: qui, cum interrogatus dixisset, se non interrupisse saltationem, ductum est hoc proverbium: Salva res est, saltat Senex.] Ita Seruius. Cautumque erat à Numa, ne interpellarentur Sacra, audito etiam hostium repentino adventu, vt observat Cerda ad Virgilij carmina adducta tertio loco. Vnde abijt in proberbiū, *Conficienda sunt Sacra*; eoque vtitur Seneca in Epistola 26.

126 De Horatio Pulvillo Pontifice iicidem Seneca in Consolatione ad Marciam C. 13. [Ei postem tenenti, & Capitolium dedicanti mors filij nunciata: quam ille exaudisse dissimulans, & solemnia Pontificalis carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem, & ad filij sui nomē Iove propitiato. Putasses, eius luctus aliquem finem esse debere, cuius primus dies, primus impetus ab altaribus publicis, & fausta nuncupatione non abduxit patrem. Dignus mehercule fuit memorabili dedicatione, dignus amplissimo Sacerdotio, qui colere Deos ne iratos quidem destitit.] Commendant religiosam Pulvilli constantiam Livius L. 2. Decade 1. Valerius Maximus L. 5. C. 10. Dionysius Halicarnas. L. 5. Memorabile etiā satis est factum adolescentis illius, de quo Valerius Maximus L. & C. 3. his verbis, [Vetusto Macedoniæ more, Regi Alexandro nobilissimi pueri præstò erant sacrificanti. E quibus vnus, thuribulo arrepto, ante ipsum adstitit, in cuius brachio carbo ardens delapsus est: quo etsi ita vreretur, vt adusti corporis eius odor ad circumstantium nares perveniret; tamen & dolorem silentio presit, & brachium immobile tenuit, ne Sacrificium Alexandri, aut concusso thuribulo impediret, aut edito gemitu Regias aures exasperaret. Rex quoq; patientia pueri magis delectatus, hoc certius perseverantiæ experimentum sumere voluit, consultò enim sacrificavit diutiùs, nec hac re eum à proposito repulit.] Sic Valerius, cuius verbis attexo hæc S. Ambrosij Libro 3. de Virginibus, *Vnde illud exemplum proditur: Alexandro sacrificante Macedonum Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret: atque ille non Deos, qui nulli erant, sed Regem timebat. Quid enim timeret eos, qui, si idem ignis eos contigisset, arsissent?* Hucvsque S. Ambrosius: nec plura nos, vt ostendamus, Ethnicos ipsos diligenter curasse, ne rei essent Sacrificij interrupti; atque adeò vt inde pateat, quàm potiori iure Christiani Sacerdotes debeant vitare interruptionem diviniſsimi Sacrificij Missæ.

127 Ioannes Caramuel in Morali Theologia Fundamento 53. §. 25. n. 1125. videtur non agnovisse tantam obligationem fugiendæ interruptionis in Missa aut saltem præbet fundamentum, vt à minus sapientibus non agnoscatur, nam arguens ex horis Canonicis ad Missam quærit, cur, vt potest sine vllo peccato, aut saltem cum solo veniali, intermitti longo spatio recitatio Marutini v. g. etiam si desit causa rationabilis, non etiam poterit celebrans legere vsque ad Canonem, & posteà denudare se, & ire ad sua negotia, & post aliquas horas reverti, & absolvere Missam? Huius quæsiti, & aliorum similiū desumptorum ex eodem exemplo nodum ipse non dissolvit. Sed certè Gordianus non est. Et in primis suppositum non est certum, negatur enim à multis apud Leandrum tomo 2. de Sacramentis Tract. 6. Disput. 13. q. 20. Marchinum Tract. 2. de Ordine p. 6. Cap. 12. Dif. 5. n. 6. Et vt verum esse concedatur, quatenus culpa lethali careat recitatio interrupta Matutini per longissimum tempus, non tamen veniali, si nulla rationabilis causa subsit, nam non invenio Authorem, qui cul-

pæ venialis expertem faciat. Nullusque erit sanæ mentis, qui omnes causas, reputatas iustas respectu Matutini, dicat, esse etiam rationabiles respectu Missæ, & ad tam longum tempus respectu huius, ac respectu illius. Causa iusta est interruptionis ad quartam horę partem in Matutino, si sis excepturus hospitem, si confessionem auditurus, si consilio, pecunia, vel alia via laturus opem proximo, si facturus alicui verba necessaria, quæ commodè differri non possint, vt fatetur Marchinus supra: & ideo sępe videmus, interruptionem in Matutino fieri. Quis verò affirmet, sufficere præfatas causas, vt ea fiat in Sacro? Aut quis vidit, fieri in ipso frequenter?

128 Deinde permisso, & non concesso exemplo, ad manum est multiplex disparitas. Prima, quòd Missa, quando etiam secretè celebratur, est cultus divinus publicus; non sic recitatio privata horæ Canonicæ. Quare, sicut ea interruptio in Choro esset lethifera, quia tunc est publica, ita à fortiori in Missa clam etiam peracta. Discrimen secundum est, quia legibus Ecclesiasticis intētè prohibetur interruptio Missæ; non verò vnius horæ Canonicæ. Tertia disparitas inde petitur, quòd Missa constat partibus habentib⁹ ex institutione Ecclesiæ maiorem vnitatem, & connexionem ad invicem, quàm vna hora Canonica. Quartum discrimen est, quia Missa est compositum multò sacratius, digniusque reverenti tractatione: alioquì pro tuo mero libito, aut saltem cum iusta causa leuissima posses celebrare sedens, ambulans, equitans, tectus caput, vestitus vulgariter, pransus, potus, solus sine Ministro; vti potes sic recitare privatim horas Canonicas pro tuo arbitrio, vel saltem ex causa rationabili modicissima. Quòd si vt celebrans posit ea, quę recensui, & quę absurdissima sūt, neutiquàm inducitur exemplo priuatę recitationis horæ Canonicæ, nihilo plus illud valebit, vt quæratur, & dubitetur à Caramuele, [An qui celebrat, possit legere vsque ad Canonem, & postea denudare se, & ire ad sua negotia, & post aliquas horas reverti, & absolvere Missam? An possit aliquis Missam dicere quacumque hora? Cur non possis bis, aut ter eadem die celebrare? An possit quis in Missa ordinem orationum invertere?] Debuisset itaque Caramuel, paritatem illam non magnificare, quasi Oedipo opus esset ad solutionem ænigmatis; cum vel Davus sufficiat. Legatur Diana p. 11. Tract. 1. Res. 10.

129 Interruptio igitur in Missa per interpositas actiones extraneas ab ipsa grave peccatum est, si citra causam magni momenti notabili tempore protrahatur. Quarto parte 1. in Rub. Missalis titulo, & sect. 3. Dub. 7. V. *Colligitur secundò*, videtur, interruptionem ad negotium impertinens cum discessu ab altari, & præsertim, de positis sacris vestibus, gravem esse, quouis etiam parvo tempore duret; sed si in altari, levem esse, si spatio brevior, quàm quadrans, duret. Prior pars placet mihi; posterior displicet, quia iuxta qualitatem actionis interpositæ gravior, aut levior erit interruptio æquali etiam tempore durans. Si enim interrumpas Missam in altari, vt ibi confabuleris cum fęmina de rebus inutilibus, gravius id erit, quàm si, vt cū Ministro per tantumdem spatij. Rursus, si post consecrationem, vel sumptionem vnius speciei intermittas Sacrū, erit notabile tempus contractius, quàm si anteà. Avèbis iam scire, quænam sint illæ causæ magni momenti, ob quas liceat interrumpere Missam, quā postea prosequaris? Satisfaciam tuis votis in Sectione alia.

SECTIO XI.

Quænam sint honestæ causæ interrumpendi Missam?

130 PRIMO, interrumpitur iustè Missa post cōsecrationem Sacerdotalem ob ministrandam Eucharistiam adstantibus; sed non ita benè ante Introitum, post altare osculatum: quod non semel vidi fecisse aliquos Sacerdotes, vt possent Laicos post inchoatā Missam accedentes ad cōmunionem expedire citiùs. Sed quo iure id præstent, ignoro, nisi vrgeat notabilis necessitas anticipandi administrationem Euch. è tabernaculo extractæ.

Com-

Communio Laica post Sacerdotalem nō est propriè interruptio in Missa, ad hanc enim spectat ex institutione Ecclesiæ, vt denotant orationes vltimæ loquentes non solùm de Sacerdote, sed etiam de populo vt participe effecto Eucharistiæ.

131 Secundò, interrumpitur iustè Missa ante cōsecrationem ob Ordines celebrandos, ob Professionē Religiosam, (quæ in Societate fit breviter post consumptionem Sacerdotalē, vt & vota simplicia cæterorum Religiosorum è Nostris) ob prædicationem ad populū habendam, ob Edictorum Ecclesiasticorum publicationem, ob Actū Generalem (*Auto General* in Hispania vocamus) Sanctæ Inquisitionis; solet enim ad horam vespertinam quartam, aut tardiùs finiri Missa, quę inceptа est hora matutina septima, aut paulo anteà in loco publico plateæ, vbi tribunal est erectum. Item ob Regum, Reginarum, & Principum funus, aut iusta exequiarum; quæ cum ab Academia Salmantina, & à quatuor Collegijs Maioribus magnificentissimo apparatu persolvūtur in eiusdem Academiæ peristylo maximo, finis non imponitur vsque ad horam quartam Missis quinque simul initiatis circa meridiem. Nec singulare est, vt præfatæ Missæ vnà inchoentur, procedant, & terminentur, vnàq; ad eas respondeatur à Cantoribus, nam in funere Philippi II. Regis Galliæ an. 1223. idem factum fuisse, celebrantibus simul in altaribus vicinis Legato Pontificio, & Archiepiscopo Rhemēsi, narrat Spondanus ad eum annum, n. 5. Hæ etiam interruptiones non sunt propriè tales, sed potiùs extensiones partium eiusdem Missæ.

132 Tertiò, interrumpitur iustè Missa siue ante, siue post consecrationem, vt Sacerdos consulat necessitati suæ coporali, *Si perniciosa, vel molesta passio ventris, vel corporis quælibet infirmitas occurrat, quæ aut corpus subitò obrui faciat, aut mentem alienatione, vel terrore confundat*, vt legitur in Can. *Illud diuini* 7. q. 1. Qui Canon desumptus est ex Concilio Toletano 11. C. 14. Sed à Gratiano adduntur in fine hæc verba, quæ non extant in Concilio, *Sed si hoc sacrificanti frequenter acciderit, tunc omnimodè ab oblatione prohibeatur.* Et addita quidem sunt satis congruè, vt notat Layman Lib. & Tract. 5. Cap. 7. n. 2. & cum ipso Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 10. q. 3. num. 36. Huc facit responsum illud S. Gregorij Magni Libro 11. Registri Epist. 56. *De hoc, quod scripsisti, Fratrem, & Coepiscopum nostrum Ianuarium tempore, quo Sacrificium celebrabat, tantam pari frequenter angustiam, vt vix post longa interualla ad locum Canonis redire valeat, quem reliquit; atq; ex hoc multos dubitare, si communionem debeant de eius consecratione percipere: admonendi sunt, vt nullatenus pertimescant, sed cum omni fide, & securitate communicent, quia ægritudo personæ sacri mysterij benedictionem nec mutat, nec polluit. Secretiùs tamen omnino idem Frater noster hortandus est, vt quotiens aliquam molestiam senserit, non procedat, ne ex hoc se & despiciendum præbeat, & infirmorum animis scandalum faciat.* Hactenus Sanctissimus Pontifex.

133 Quartò, iustè interrumpitur Missa etiam post consecrationē, vt Sacerdos invasus ab iniquo tueatur vitam suam, [Potest enim pro necessaria sui defensione, dimissa celebratione, fugere, aut cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere invasorem. Quod si moderamen non excesserit, redire debet ad perficiendam Missam cæptam.] Ita Henriquez L. 9. C. 30. §. 5. Quando liceat, vel debitum sit ob necessitatem spiritualem propriam Sacerdotis, intermittere Missam ante cōsecrationem, dicetur in Disputatione confini.

134 Quintò, iustè interrumpitur Missa, etiam post consecrationē, vt Sacerdos defendat vitam corporalē proximi, qui occidendus sit ab irruente inimico, nisi Sacerdos succurrat, quin sufficiat aliorum adstantium, aut Ministri auxilium. Ita Quartus parte 2. titulo, sect. & dubio 3. V. *Colligitur quintò.*

135 Sextò, interrumpitur iustè Missa, vt Sacerdos prospiciat spirituali necessitari proximi, qui obiturus sit sine Sacramento ad salutem necessario, nisi Sacerdos Missam intermittens conferat illud; sufficitq; probabilis opinio de Sacramenti alicuius sufficientia ad salutem, vt Sacerdos licitè possit discontinuare Missam ad illius administrationem, casu quo non sit à moribundo susceptum Sacramentum, de cuius sufficientia ad salutem

constans est, certaque sententia. Ita Author Glossæ ad C. *Nullus* 57 de Cõsecratione Dist. 1. V. *Recedere*, loquens de Baptismo parvuli, Tho. Tamburinus L. 2. C. & §. 7. n. 1. Aversa q. 11. S. 12. V. *Debet quoque*, Franciscus de Lugo supra, q. 5. num. 71. & 72. Diana p. 5. Tract. 3. Resol. 70. Landtmeter L. 2. de Vetere Clerico Monacho C. 95. pag. 278. Bertachinus de Episcopo 2. p. 4. Lib. q. 43. Henriquez supra, §. 4. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Lib. 3. C. 18. num. 4. Layman Lib. & Tract. 5. C. 7. num. 2. V. *Ob magnam*, Gavantus p. 3. in Rub. Miss. titul. 10. n. 18. Castrus Palaus T. 22. D. Vnica punct. 11. n. 5. Leander T. 8. D. 6. q. 14. Bonacina Disp. 4. q. vltima, punct. 10. n. 24. Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tract. 3. Diffic. 8. dub. 6. punct. vltimo, num. 30. Quartus supra dubio 3. qui citat Zambranum, & Chapeaville à me non visos. Licet autem aliqui non agant expressè nisi de Sacramentõ Baptismi, & aliqui non nisi de ipso, ac de Sacramento Pœnitentiæ; alij tamen extendunt ad Eucharistiam, casu quo à moribundo non possit suscipi Sacramẽtum Pœnitentiæ, & ad Extremam vnctionem, casu quo neque Pœnitentiæ, neq; Eucharistiæ Sacramenta, eo quòd sit admodùm probabile, Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis cõferri primam gratiam, si cum sola attritione inculpatè recipiantur ab homine peccatore. Qua probabilitate stante valet eadem ratio in his Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis, ac in eis alijs Baptismi, & Pœnitentiæ, scilicet quòd tanti non sit continuatio Missæ, quæ posteà poterit absolvi, vt non præponderet æterna proximi vita, imò & temporalis, vt supra dicebam.

136 Debet autem Sacerdos recedens ab altari ex causa dicta post consecrationem, & ante consumptionem curare de securitate Sacramenti Eucharistiæ, vel claudendo illud in Tabernaculo sacro, vel committendo illud alicui in custodiam. Et casu quo excepturus sit moribundi confessionẽ, si hæc nimiùm protrahatur, scilicet vltra dimidiam horam, moneat eum, vt generaliter se acculet de reliquis peccatis cum proposito confitendi posteà; tuncque absolvat eum. Quo facto, redeat ad perficiendã Missam. Et hac perducta ad exitum, si superstes sit is, cuius dimidiatam confessionem excepit, regrediatur ad ipsum, audiat cætera peccata, impendatque absolutionem. Quòd si moribundo sit ministranda Eucharistia, Sacerdos deferat secum formulam, quam in eadem Missa consecrarit, præconsecratamve in alia, vel si formula desit, detrahat partem aliquã ex hostia magna consecrata pro se ipso. Rursus si moribundo ministranda sit Extrema vnctio, portet secum Sacerdos oleum sacrum, vngatque infirmũ, remissis Psalmis pœnitẽrialibus in Ecclesiam, vt, quàm breviter possit, reuertatur ad perficiendam Missam; oportebitq;, vt posteà recitet Psalmos, & ægrotum reviset.

137 Septimò, iustè interrumpitur Missa ob magnam vtilitatem ex Viatico, quod post absolutionem Sacramentalẽ desideretur, nec adsit præter celebrantem alius, qui ministrare valeat. Et quidem si intra Ecclesiam maneret moribundus, tunc interruptio modica foret, & opus nõ esset, vt Sacerdos exueret se sacris vestibus. Quidni ergo licebit etiam post consecrationẽ, impartiri tunc Viaticum? Rursus, si moribundus existeret extra Eccles. & Missa nõ processisset vsq; ad oblationẽ, vel nondũ esset inceptus Can. liceret etiam idẽ ipsum, quia interruptio Missæ ante oblationem, vel Canonem, & quòd Sacerdos denudet se vestibus sacris, reassumpturus illas ad perficiendã Missam, non videtur esse tantum incõueniens, vt non possit præhaberi magna proximi vtilitas ex Viatico. Ita Layman V. *Secundò*, Franc. de Lugo n. 73. Tamburinus n. 4. Quartus *V. Colligitur tertiò*. Aiuntque duo posteriores, Sacerdotem in casu moribundi positi extra Ecclesiam posse quidẽ, quod diximus, sed non teneri, quia necessitas non videtur tam vrgens. Et cum id de immunitate ab obligatione non notent in casu alio moribundi intra Ecclesiam residentis, videntur agnoscere obligationem. Cæterùm ratio illa de necessitate non adeò vrgenti, vel potiùs nonnisi de vtilitate magna, videtur vtrobique æquè valere.

138 Dicerem, respectu Sacerdotis, qui esset Parochus moribundi, sufficientem fore præfatam rationem ad inducendam obligationem; nisi ex

adverso

adverso staret inconveniens interrumpendi Missam. Et absolutè persuadeo mihi, relinquendum esse arbitrio Sacerdotis, siue sit, siue non sit Parochus, quòd succurrat moribundo in vtroque casu, quia, si Parochus sit, poterit rationabiliter excusari ob inconveniens interruptionis; si non sit Parochus, excusari etiam poterit, eo quòd non obligetur ad procuranda proximo quæuis magna emolumenta derivanda in ipsum ex Sacramenti Eucharistiæ susceptione.

139 Sed quid, si Sacerdos peruenerit ad Canonem Missæ, & moribundus consistat extra Ecclesiam, fuerintque iam absolutus sacramentaliter, num licebit Sacerdoti interrumpere Missam, deponere vestes Sacerdotales, & abire templo, vt dispenset Viaticũ moribundo? Probabilius est, non licere, siquidem incæptus Canon augeat grauitatem interruptionis, cum alioqui de proximus non egeat extremè, neq; graviter subventione Viatici. Ita præcitati Authores, & Malcarenhas Tract. & D. 5. C. 12. num. 406. Sed quia ergà morientes solicita valde est Ecclesia, ne ex hac vita abeant sine Viatico; quare eis etiam in ieiunis, & phreneſi correptis illud confert: & quia ipsi morientes, si compotes sint sui, necnon propinqui ipsorum magno mœrore afficiuntur ex Viatico nõ percepto, ideo non damnarem Sacerdotem, qui post Canonem, sed ante consecrationẽ corporis interrumperet Sacrum in proposito casu.

140 Octavò, iustè interrumpitur Missa ante oblationem, vt moribundo existenti extra templum, confesso, & refecto cibo sacro ministretur Extrema vnctio à Sacerdote celebrante, si alius absit, qui ministret. Ita Layman V. *Tertiò*, Franciscus de Lugo numero 74. probabileque esse, ait Quartus V. *Colligitur quartò*. Nam interruptio ante oblationem nõ adeò debet cauerì, vt nõ possit haberi ratio de magna moribundi vtilitate spirituali ex hoc Sacramento. Addit Layman, fore forsan eius conditionis moribundum, vt si Extremam vnctionem petat, non possit facilè denegari. Reclamat Thomas Tamburinus num. 5. Si Extrema vnctio non dispensatur propter vtilitatẽ spiritualem, quæ par est in omnibus, danda non est ob respectum humanum, cui attendi non debet in his sacris ministerijs. Sed de hac nimia integritate, aut austeritate quoad non discernendam vnam personam ab alia, dicam nonnihil, cum discussero, an ob aduentum Principis alicuius relinqui possit Missa ante oblationem, & denuo inchoari alia?

141 Si oblatio fuerit iam facta, dicunt prælaudati Doctores, non esse interrumpendam Missam, vt ægroto, qui Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ suscepit, conferatur Extrema vnctio. Video, non adesse hic tantam rationem, quantam in casu Viatici. Nihilominùs si ad consecrationem non sit perventum, & præsertim si infirmus maneat intra templum, nec timeatur scandalum, non culparem interruptionem hoc in casu; etsi Quartus censeat, esse certò culpabilem. Satis fuisset, censuisse culpabilem probabiliter, aut magis probabiliter.

142 Nonò, iustè interrumpitur Missa, si receisit, qui ministrabat Sacerdoti, neque præsens sit alius, qui suppleat eius vicem, potest enim, & debet ad breve tempus expectari, vt advertit Henriquez supra, §. 5 De quo casu relegenda sunt, quæ scripsi in Disputatione 14. num. 15.

143 Decimò, iustè interrumpitur Missa, si extinguatur lumen, potest enim, & debet aliquanto tempore subsistere Sacerdos, quoad vsq; reaccẽdatur. Tractavi iam de hoc casu in D. 25. num. 97. & 98. Et nunc pro Quintanadueñas, & Leandri sententia de licita Missę, extincto lumine ante consecrationẽ, prosequutione ob Viaticum conferendum ægroto, etsi non possit lumen reaccendi, addo Emmanuelem Mascharenhas Tract. & D. 5. C. 8 numero 346. & pro contraria opinione, quam prælegi, adijcio Quartum parte 1. tit. 20. dub. 11. V. *Respondeo, & dico primò*.

144 Vndecimò, iuxta Rubricas tit. de Defectibus §. 4. num. 8. *Si post consecrationem corporis, aut etiam vini deprehenditur defectus alterius speciei, altera iam consecrata: tunc, si expectando aliquãdiu, haberi possit, expectandum est, ne Sacrificium remaneat imperfectum*. Quam expectationem posse esse per duas horas, observat Henriq. L. 9. C. 37. §. 2.

Duode-

145 Duodecimò, iuxta easdem Rubricas sub eodem tit. §. 10. num. 9. *Si ante oblationem hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut moram fieri poterit.* Permittitur igitur in hoc casu mora, & interruptio, sed quæ longa non sit. Plures alios casus interruptionis in Missa ob animadversum defectum rei alicuius, quæ ad prosequutionem desideretur, possem hìc adnotare. Sed multi ex eis innotuerunt in Disputationibus præcedentibus, multique innotescent in proximè veniente; necnon quando post expectationem aliquam prosequi debeat, necne, Missã Sacerdos, si id, quod deficiebat, non inveniatur.

146 Digestis tam ad longum casibus, in quibus iustè interrumpitur Missa, non est annumerandus ille de brevi auditione confessionis apud altare paulò ante Laicorum communionẽ, vt benè observat Gavantus parte 3. in Rub. Missalis tit. 10. num. 18. post Bonacinam D. 4. q. 6. punct. 1. num. 20. & alios apud ipsum, quia id perturbat adstantium animos. Et vt non perturbaret, alienum est à celebrationis tempore, excipere confessionem; qua si indigeat Laicus, differat communionẽ in aliam Missam. Valdeque inconvenit, audire confessionẽ eis in angustijs temporis, & circũstantijs loci, in quibus, si opus sit, non possis immorari diutiùs cum pœnitente.

147 In S. Ioannis Eleemosynarij Patriarchę Alexandrini Vita, Authore Simeone Metaphraste, Cap. 5. n. 26. extat singularis casus interruptæ Missæ, [Nam cum adesset dierũ omnium præcipuus, S. autem Ioannes adstaret in altari, & incruentum offerret Sacrificium, ea ipsa hora, in qua sacrũ velum auferret à sanctis donis (quod ex ritu Latino fit ad Offertorium Missæ, vt animadvertit Bollandus ad C. 5. Vitæ Sancti eiusdem, quam scripsit Leontius Episcopus Neapoleos Cypri) recordatus eius (scilicet Clerici excommunicati ab ipso ob manum in alterum iniectam) qui odium in eum cõceperat, & memor pręcepti Dominici, quod iubet quidem dimittere donum ante altare, procedere autem priùs ad fratris reconciliationem, & tunc donũ offerre; significat Diacono, vt connexam resumat petitionem, & sæpe dicat, donec ipse redierit. Ipse autem ventrem prætexens, egressus est ab altari, & mittit magna celeritate ad se vocans illum Clericum: qui quidem mox aderat. Sanctus verò procidit ad eius pedes, nihil omnino aversans oculos eorum, qui aderant, veniam postulans. Deinde ille, qui priùs fuerat insipiens, videns hoc sacrosanctum caput proiectum ad suos pedes, fuit statim fractus animo, timens ignem de Cœlo, & quæ illinc mittuntur fulmina. Ipse quoque primus cadens petijt ab eo veniam. Beatus autem Ioannes, Deus ambobus, inquit, ignoscat, fili mi. Deinde eum quoque secum assumit, & cũ gaudio, & cum quanta dici non potest voluptate aram ingressus, tunc ausus est Deo dicere cum fiducia: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Abhinc ergo fuit hic Clericus adeò modestus, & moderatus, vt visus sit dignus, qui ordinatur Presbyter.] Hactenus de singulari facto S. Ioannis Eleemosynarij ex speciali instinctu divini Spiritus. Referemus alia in Disp. 30.

SECTIO XII.

Quisnam absoluere debeat Missam interruptam?

148 QVOTIES post consecrationem interrupta fuerit Missa, perfici debet ab eodem, qui incæpit, si potest, vt dicitur Cap. *Nullus Episcopus* 57. de Cons. Dist. 1. Integra verba Canonis sunt ex Synodo Romana celebrata anno 743. sub Zacharia Papa, C. 14. *Cum ingressus fuerit Episcopus, aut Presbyter ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua interuenerit* (quę exceptio addita fuit à Gratiano) *nullo modo audeat dicta oratione recedere, vt ab alio Episcopo, aut Presbytero suppleantur Missarum solemnia; sed qui initium ponit, suppleat vsque ad finem. Quia scriptum est, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si quis verò præsumpserit præter quod posuimus, agere, à sacro corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Xpi sit suspensus.*

149 Continetur in finalibus his verbis pœna suspensionis, sed quæ

partialis

partialis sit, scilicet à sola celebratione Missę, seu à sola participatione corporis, & sanguinis Domini more Sacerdotali, vt optimè explicat Marius Alterius tomo 2. de Censuris Disp. 11. C. 3. ex V. *Ad hanc*: quę item sit comminatoria tantùm: nam verbum *Sit* importare potest cōminationem, præsertim, quando adhęret participio passiuo respicienti Iudicis actionem futuram, vti hìc; dicitur enim *Sit suspensus*: Quorum verborum loco habet Glossa *Suspendatur*. Ita mihi, contra Sayrum, Bonacinam, Emmanuelem Rodriguez, Petrum de Ledesma, & Marium Alterium, verius videtur cum Azore tom. 1. L. 10. C. 32. q. 2. allegante Angelum, Sylvestrum, Navarrum, cum Hēriquez Lib. 9. C. 30. §. 5. & in Glossa lit. *A*. Castro Palao de Censuris D. 4. punct. 10 §. 2. num. 5. Filliucio tomo 1. Tract. 17. Cap. 6. num. 103. Moure In Examine Theologiæ Moralis parte 3. Cap. 5. §. 15. num. 11. Francisco de Lugo Lib. 5. Cap. 10. q. 4. num. 56. Quarto parte 2. tit. 3. sect. & dubio 2. V. *Probatur*, Pellizario in Manuali Regular. Tract. 9. C. 4. sect. 3. num. 181. citante Bordonum, cum Gibalino in Synopsi Censurarum V. *Missa* 3.

150 Transcripto Canoni conformis est C. *Nihil contra* desumptus ex Concilio VII. Toletano, C. 2. quem, etsi valde longum, exarare hìc placuit, quia tam in hac Disputatione, quàm in sequenti sæpè sæpiùs vsuri eo sumus. Inquiunt itaq́; Toletani Patres, *Nihil contra ordinis statum temeritatis ausu præsumatur, neque illa, quæ summa veneratione cēsentur, vel minimo præsumptionis actu soluantur, cum ad hoc tantùm fieri iussa, ne interrupta noscantur, vel languoris prouentu robore salutis priuetur natura. Non ergo fragilitati solùm consulitur humanæ, sed etiam sacro honori mysteriorum Dei prouida cauetur solicitudine. Censuimus ergo conuenire, vt cum à Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet euentus, quo cæptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri cōsecrationem exequi Officij cæpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quàm aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio Sacerdotis, quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Cum enim simus omnes vnum in Christo, nihil contrarium personarū diuersitas formet, vbi efficaciam prosperitatis vnitas Fidei repræsentat. Quod etiam cōsultum cuncti ordinis Clerici indiuiduum sibi esse non ambigant; sed, vt præmissum est, præcedentibus libenter alij pro complemento succedant. Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis pernitiem conuertatur, nullus post cibum, potumque quamlibet minimum sumptum Missas facere; nullus absque prouentu patentis molestiæ Minister, vel Sacerdos, cum cæperit, imperfecta Officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temere præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.*

151 Sic Patres Toletani expressè decernentes eum, qui exorsus est Missam, debere in casu occurrentis necessitatis non abuti remedio interruptionis; quatenus debeat non ferre, vt alius Sacerdos suppleat, si ipsemet potest: si autem non potest, perficiendam esse Missam ab alio Sacerdote supplente. Et licet dicant, *Sit liberum*, &c. quibus verbis intelligere quispiam valeret potestatem ad vtrumlibet, id est, ad supplendum, & ad non supplendum; tamen cætera Canonis denotant apertè obligationem; & libertas explicatur satis congruè de potestate sola ad supplendum; imò To *liberum*, non aliud significat, quàm potestatem, & facultatem supplendi, sed ex obligatione, vt clarè traditur in toto Canonis contextu.

152 Pœna, qua gravat transgressores, est excommunicatio; quod nomē absolutè prolatum significat excommunicationem maiorem; quæ est maior pœna, quàm suspensio partialis inflicta in C. *Nullus Episcopus*, cum hæc neq́; pertingat ad gravitatem excommunicationis minoris, siquidem suspēsio illa partialis solum odò privet receptione Eucharistię more Sacerdotali; excommunicatio autem minor priuet tum ea receptione, tum omni alia eiusdem Eucharistiæ more Laico, & aliorum Sacramentorum. Sed præfata pœna excommunicationis maioris non est lata, sed ferenda, vt indicat verbum *Sustinebit*, quod est de futuro, & ideò in Glossa apponitur verbum *Excommunicetur*.

153 Inquies, in hoc C. *Nihil contra*, imponitur pœna excōmunicationis maioris, & in C. *Nullus Episcopus* pœna

pœna suspensionis partialis, quæ sunt plures pœnæ; rationi autem non congruit, vt ob idem delictum interminẽtur plures pœnę, & sub diversa dispositione, argumento textus in *l. Eum, qui ædes* 23. *ff. de Vsurpationibus, & vsucap.* Respondeo, vtrobique imponi pœnam sub eadem dispositione temporis futuri, nam excommunicatio in Can. *Nihil contra*, & suspensio in C. *Nullus Episcopus*, est tantùm sententiæ ferendæ. Quanuis verò vna sit pœna diversa ab alia, & vna gravior, quàm alia; tamen vtrobique non punitur idem omnino delictum, nam in C. *Nihil contra*, sermo est de relinquente ex causa culpabili Sacrificium imperfectum, siue esset, siue non esset perficiendum ab alio; & in C. *Nullus Episcopus*, agitur de dimittente Sacrificium, non absolutè, sed ex animo, & intentione, vt absolveretur ab alio. Quę delicta sunt diversa, & primum gravius, quàm secundum, & ideò primum plectitur maiori pœna, quàm secundum.

154 Hoc pacto aptè conciliatur vnus textus cum alio; habeturq; cõtra Archidiaconum ad C. *Nihil contra*, pœnam, de qua ibi, esse distinctam à pœna, de qua in C. *Nullus Episcopus*, esseq; excommunicationem maiorem, & non minorem; habetur etiam contra Simonem Maiolum L. 3. de Irregularitate, C. 16. num. 9. & contra Alterium supra, tum esse pœnam distinctam, tum esse excõmunicationem maiorem, non latæ, sed ferendæ sententiæ. Videantur Authores, quos supra laudavi, & vltra eos Marchinus Tract. 3. de Ordine, parte 3. C. 16. num. 2. Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 13. num. 252. Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tract. 3. Diffic. 8. dub. 6. puncto vltimo, n. 29. Barbosa in Collectan. ad C. *Nihil contra*, Emmanuel Rodriguez tomo 3. qq. Regularium, q. & art. 4. Et notetur, duos hos Canones esse dumtaxat Conciliorum Provincialiũ Toletanorum, ideoque extra Hispaniam posse transgressores eorum puniri alia pœna arbitraria; & fortè etiam in Hispania, aut in Prouincia Toletana, si in ipsa non vigeat magis, quàm alibi obseruantia eorum antiqua: de quo difficulter quispiam testari valet, quandoquidem vix, aut ne vix vnquàm audiatur eorum transgressio.

155 Concinit cum duobus antecedentibus Canonibus alius relatus à Gratiano, incipiens *Illud diuini*, in 7. q. 1. desumptusque est ex Concilio Toletano 11. vbi dicitur, *Illud diuini Oraculi monentis singuli præcauentes, quo scribitur, Væ soli, quia, cum ceciderit, non habet subleuantem, summoperè verẽdum nobis est, & cauendum, ne horis illis, atque tẽporibus, quibus Domino psallitur, vel sacrificatur, vnicuique diuinis singulariter Officijs insistenti perniciosa passio, vel corporis quælibet inualetudo occurrat, quæ aut corpus subitò subruat faciat, aut mentem alienatione, vel terrore confundat. Pro huiusmodi ergo casibus præcauentes, necessarium duximus instituere, vbi temporis, vel loci, siue Cleri copia suffragatur, habeat quisquis illic canens Deo, atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem, vt si aliquo casu ille, qui Officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat, qui eius vicem exequatur intrepidus.* Adijcitque Gratianus, *Sed si hoc sacrificanti frequenter acciderit, tunc omnimodò ab oblatione prohibeatur.*

156 Respicit eò hic Canon, ne Missa relinquatur imperfecta, adhibetque remedium, vt si vnus Sacerdos deficiat ob repentinum casum, alter exequatur eius vicem. Sed de præsentia alterius non ita iam curatur in priuatis Missis; vt nec de eo, quod disponitur in Concilio Narbon. celebrato ad annum 589. C. 12. *Hæc maximè pro Dei timore, & modo disciplinæ Canonicæ elegimus custodienda, vel tenenda, vt, dum Missa celebratur, nullus Presbyter, aut Diaconus absque aliqua infirmitate, dum Missa perficitur, egredi de altario audeat. Nec Diaconus, aut Subdiaconus certè, vel Lector, antequàm Missa consummetur, Alba se præsumat exuere. Quod si quiquam non impleuerit custoditum, Presbyteri increpentur, vt redeant; Diaconos & execrandos, & stipendio priuandos; reliquos disertiùs strictissima condemnandos.*

157 Tribus Canonibus expensis adiungi possunt duo alij, scilicet C. *Relatum* 11. C. *Comperimus* 12. de Consecratione Dist. 2. In priori reprehenduntur, qui non toties sumebant corpus, & sanguinem Domini, quotieseodem die celebrabant, sed solùm in extrema oblatione, ac proinde relinquebant imperfectas antecedentes alias. Monentur autem ibi à Patribus Concilij

cilij Toletani XII. vt *ab ipsa, quasi indecenter priuarunt, gratia communionis vno anno repulsos se nouerint.* Quæ pœna est latæ sententiæ, vt ex verbis ipsis nosci-tur; estque suspensionis per vnum annum a celebratione, seu à communione corporis, & sanguinis Domini more Sacerdotali, non autem a communione Laicæ, puniuntur enim tantùm in eo, in quo peccauerant, scilicet in celebrando, quin sumpsissent corpus, & sāguinē, quæ consecrarant. Probabileq; est, comprehensos non iri hac pœna, qui celebrantes cum alio principali, vt Neopresbyteri cum Episcopo, nullam sumerent speciem, quia textus videtur loqui de vnico, & principali celebrante. Probabile etiam est, non iri comprehensos, qui vnam solummodò speciem inter celebrandum degustarent, vel qui non absorberent totum sanguinem. Consulantur circa hunc Canonē Alterius ex V. *Quarta suspensio*, Castrus Palaus num. 6. Gibalinus V. *Missa* 2. & Pellizarius: nec transeat inobseruatū, pœnam impositam in Canone hoc, cum sit confectus à Concilio Prouinciali, non debere censeri esse obligatoriam, velut ex Iure communi, & generali.

158 Alter Canon *Comperimus* dirigitur iuxta vulgarem intelligentiā ad intimandum Sacerdotibus, vt in Missa *non abstineant à calice sacri cruoris, sed integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vnius, eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.* Quæ ratio ad præsens propositum magnoperè faceret, si Canonis sensus esset, qui vulgò existimatur. Sed etsi iam explicuerim in D. 4. n. 2. legitimum, & genuinum eius sensum, parùm conducentem ad casum, de quo est sermo, volui tamen triviali interpretationi nonnihil indulgere.

159 Ex doctrina superiorum Canonum profluxerunt sequentes Rubricæ Missalis titulo de Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus; dicitur namque §. 3. num. 5. *præceptū de perfectione Sacramenti esse maioris ponderis, quàm quod à ieiunis sumatur*; num. 6. præcauetur, *ne Sacramentum remaneat imperfectum*; §. 4. num. 8. *ne Sacrificium remaneat imperfectum*; & §. 10. n. 4. habetur, *Si quis extra huiusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, grauissimè peccat.* Quibus ex verbis satis liquet, gravem esse obligationem perficiendi Sacrificij.

160 His in Rubricis Summus Pontifex, & in superioribus Canonibus curarunt vehementer Patres, ne Sacrificium provectum vltra consecrationē maneret imperfectum ex occurrente necessitate, vel ex proprio libito; sed vt perficeretur à Sacerdote, qui eò vsque deduxisset illud, si ipse posset, vel ab alio, si non posset. Primaria obligatio perficiendi Sacrificij vltra consecrationem progressi, si postea accidat interrumpi, residet in eo, qui consecravit, cum enim ipse sit sacrificans, debet præ alijs particeps esse Sacrificij, & proinde ad exitum perducere illud. Pro qua ratione comprobanda deservit tota Disputatio 3. Si autem ipse, qui consecravit, non valeat finire Sacrificium, clamat huius exigētia, vt ab alio absolvatur, ne remaneat mutilum, & imperfectum.

161 Si Missa ante consecrationem, aut post sumptionem interrupta, aut relicta sit imperfecta, spectat etiam ad Sacerdotem, qui inchoavit, aut deduxit vltra consumptionem, vt eam ad finem vsque prosequatur, atq; perficiat. Et quidem textibus præfatis prohibetur non solùm essentialis, aut substantialis, sed etiam accidentalis imperfectio Missæ, tum quia essentialis, aut substantialis erat Sacerdotibus prohibita Iure divino, proindeque ad eam solam interdicendam nō erat opus nova Iuris humani Ecclesiastici damnatione: tum quia nomine Sacrificij Missæ non solùm significantur partes essentiales, aut substantiales institutæ à Christo, sed sacræ etiam cæremoniæ, orationes, & lectiones ab Ecclesia dispositæ, quę sunt eius Sacrificij accidētales partes. Quòd si nomine Missæ priores tantùm partes significarentur communiter, fieret satisfacere præcepto audiendi Missam, qui illis solis partibus assisteret. Quæ sequela est maximè absurda. Cum igitur exter obligatio perficiendi Missam etiam accidentaliter, vrgebit eum, qui incæpit ipsam, aut qui deduxit vltra consumptionem, vt ipsam absolvat. Num verò si ille nō possit, debeat alius loco illius perficere; & quantum tempus sit, intra quod, si non possit perfici Missa,

debeat

debeat ipsa dimitti? Declarabitur in Sectione succedenti.

SECTIO XIII.

Intra quod tempus perfici debeat, aut possit Missa interrupta?

162 Intricatior est disquisitio, quã primo cõspectu appareat. Ad cuius enodationẽ primò præmitto, si Missa interrupta sit ante Can. aut etiam ante oblationem, vel si interrupta sit post sumptionem vtriusq; speciei, & ab eo, qui incæpit, vel prosequutus est, non possit perfici, non debere, imò debere non absolvi ab alio Sacerdote; quanquàm si interrupta sit, inchoato Canone, vel etiam oblatione, probabile sit, licere, sed non inesse obligationem alij Sacerdoti, vt absoluat. Rursus præmitto, interruptam ab vno Sacerdote Missam post consecrationem, vel vnius solius speciei, debere absolvi ab alio, si prior non possit vltra progredi. His præmissis, de quibus agendum est in Disputatione proximè ventura, dignum discussione est, intra quod tempus debeat interrupta Missa perfici vel à Sacerdote, qui exorsus est, vel ab alio, qui succedat eius loco; item quo tempore transacto cesset obligatio, vt prior Sacerdos, vel alius aggrediatur perfectionem Missæ?

163 Pater Franciscus de Lugo, quem viventem suspexi vt virum religiosissimum, ac sapientissimum, & cui morienti adfui amicè, invidique obitum fœlicem, dignum anteacta laudabiliter vita, scribit Lib. 5. de Sacramentis C. 10. q. 5. num. 70. [Si mora Sacerdotis interrumpentis Missam tanta futura sit, vt deficiat moralis vnitas celebrationis, antequàm celebrans ipse redeat; tunc ante consecrationem relinquatur Missa; post consecrationem perficiatur ab alio:: Nam qui non potest prosequi Missam intra tempus aptum, vt moraliter sit vna, simpliciter nequit illam perficere.] Et in num. 74. addit, si mora longior fuerit, quàm vnius horæ, & Missa sit interrupta ante primam oblationem, posse repeti Missam ab initio; imò & debere repeti innuit, dummodò Sacerdos redire queat. Consentit Thomas Tamburinus Lib. 2. C. & §. 7. num. 6. nisi quòd ait, si Sacerdos nullam obligationẽ habeat celebrandi eo die Missam, posse omnino relinquere illam, quin iteret ab initio. Consentiunt etiã Layman L. & Tract. 5. C. 7. num. 2. V. *Tertiò*, Mascarenhas Tract. & Disp. 5. C. 12. num. 405. Quartus parte 2. tit. sect. & dub. 3. V. *In casu verò*, & V. *Tandem si*, quoad id, vt si mora ante cõsecrationem interposita vnam horam excedat, repetatur Missa ab initio.

164 Verumtamen id, quod primò ait Franciscus de Lugo, si exquitiùs discutiatur, non manebit omnino firmum. Nam si mora maior, quàm vnius horæ, sat est, vt deficiat moralis vnitas celebrationis, provt significatur in additione, sepe post maiorem illam moram prosequitur Sacerdos Missam, quam imperfectam dimisit ante consecrationem, concio enim non rarò durat vltra horam, necnon Episcopi functio initiantis Sacris, atque item Generalis Actus S. Inquisitionis. Ipsũ Missale supra concedit aliquantam expectationem, si haberi possit altera species, cuius defectus sit deprehensus post alteram consecrationem, & vt retulimus num. 144. ex Henriquez, potest ea expectatio esse per duas horas. Non igitur maior, quàm vnius horæ, obest vnitati morali celebrationis.

165 Quòd si obesset, nequàm deberet perfici ab alio Sacerdote Sacrificium, casu quo à priori Sacerdote relictum sit imperfectum post cõsecrationem, & prior Sacerdos non redeat post vnam horam, quia si non erit eadem moraliter celebratio, quì potest intelligi perfectio eiusdem moraliter celebrationis, & Sacrificij? Supplementum alterius Sacerdotis eò dirigitur, vt Sacrificium, quod est inceptum, non remaneat imperfectum. Si ergo quod post vnam horam fit ab altero Sacerdote, non pertinet ad idem moraliter Sacrificium, persistet proculdubiò imperfectũ Sacrificiũ, quod inchoatum est à priori Sacerdote, & alter Sacerdos exordietur aliud, quod etiam evadet truncum, & mutilum. Vnde transacto tempore requisito pro vnitate morali Sacrificij omnibus in confesso esse debet, non restare obligationem, vt prosequatur Missam sine

idem

Idem Sacerdos, qui incępit, siue alius, siue relicta sit imperfecta ante consecrationem, siue post.

166 Ad hæc: quòd elapsũ tempus vnius horę obstet vnitati morali Sacrificij, non constat, quo fundamento dicatur à Francisco de Lugo. Et quanuis Thomas Tambur. vbi supra, scribat, [In parva mora (scilicet non plus, quàm vnius circiter horæ) moraliter reputatur continuari eadem Missa; at in longa (puta, plus, quàm vnius horę) cum censeatur moraliter pars iam dicta desijsse, non reputatur continuari eadem Missa.] Sicibi ille, qui eodem Libro, Capite 8. §. 1. num. 7. tradit, Missam hodie progressam vsque ad cõsecrationem vtriusque speciei posse in aliquo casu perfici sequenti die per consumptionem. Quæ assertio non concordat cum transcriptis huius Authoris verbis; ostenditurque exinde, quã arbitraria sit designatio tanti tẽporis, & non maioris, vel minoris, vt stet, necne, salva moralis vnitas Sacrificij.

167 Auget & illud difficultatem iudicandi de Sacrificij diversitate, vel vnitate morali, quòd non solùm attendendum est interposito tempori, sed etiam, an Sacerdos celebrans recesserit, necne, ab altari, & Ecclesia, exuendo se, necne, vestibus sacris, nã recessus ab altari, & Ecclesia, depositioque sacrarum vestium multum detrahit de vnitate morali Sacrificij. Exempli gratia, si quis Sacerdos post consumptionem, & ablutionem reperiat in patena, vel in Corporalibus fragmentum aliquod specierum panis à se consecratarum, potest illud accipere manens adhuc ad altare, etiam si distribuendo Eucharistiam Laicis traxerit vnam horam; ast si nulla facta mora pro communione Laicorum inveniat illud fragmentum, postquàm ad Sacristiam pervenit, vel saltem postquàm denudavit se Sacerdotali ornatu, neutiquã potest sumere illud: certè non ob aliã rationem, nisi quia in priori casu susceptio fragmẽti reputatur eadem moraliter actio cum precedenti consumptione, & quia prudenter iudicatur pertinere ad idem Sacrificium; secus in posteriori casu, etsi ne quadrans quidẽ horæ ab hostiæ, & calicis cõsumptione transierit. Conveniunt ferè omnes Doctores quoad vtrumque casum, vt videre est in Bossio tom. 3. Var. Mor. T. 22. n. 67. initio casus 4. & inter tot, tantosque legi potest Tannerus tom. 4 D. 5. q. 8. dub. 4. n. 102. quẽ specialim signo, quia posteà q. 10. dub. 7. n. 110. ad vnam horam restringit tempus supplendi defectũ, qui in Sacrificio acciderit circa essentialia, aut substãtialia.

168 Author Glossæ ad C. *Nihil contra* 7. q. 1. V. *Vel Presbytero*, inijt aliã viã superandi prędictã difficultatẽ, dixit enim, *vsque ad Nonam* tantùm fieri supplictionẽ Missæ, quæ relicta est imperfecta. Idcò autem assignavit Nonã, quia intra illius tempus poterant olim celebrari Missæ, ita vt non vltra differrentur. Quare si in Missa incæpta ad Tertiam, aut Sextam defecisset Sacerdos, iudicavit Glos. Author, posse suppleri ab alio Sacerdote vsq; ad Nonam; quod erat tẽpus, intra quod finiebãtur Missę, etiã quando tardiùs, vt in diebꝰ ieiuniorũ, inchoabãtur, provt latè tractavi in S. 3. D. 21. gratumq; erit legere Paulũ Sherlog. L. 2. Antiq. Hebraic. Dissert. 1. S. 8. Nomine Nonæ significabatur quondã tẽpus ex hora septima ab ortu Solis, id est, ex hora tertia pomeridiana, crediderimque Authorem Glos. fuisse loquutum eò in sensu; quãuis Azor tom. 1. L. 10 C. 23. q. 1. interpretetur de hora meridiana, quando ex hodierno vsu Eccles. tempus Nonæ est anticipatũ ad meridiẽ. Sed siue vno, siue alio modo explicetur Author Glos. parùm interest ad rem præsentem, nam retroacto iam tempore Nonæ, poterit ex mente Authoris Glossæ suppleri intra meridiem Missa, quæ olim poterat intra tertiam pomeridianam.

169 Non acquiescit Azor Authori Glos. quia si Missa relinquatur imperfecta ante meridiẽ, poterit post suppleri defectꝰ; potest quippè post continuari, atq; finiri Missa, quę ante sit inchoata, quanuis non possit post inchoari. Quapropter existimat Azor, tempus perficiendi Missam extẽdi vsq; ad mediam noctem. Sed Azoris ratio non vrget, nisi aliquid aliud addatur. Etsi enim aliquantulũ post meridiẽ procedi queat in Missa, quæ ante sit incepta, nõ tamen vsq; ad mediam noctem, & neq; vsq; ad Solis occasũ. Quis enim dicat, me posse incipere Sacrũ ante meridiẽ, & continuare illud vsq; ad vesperum, transigendo in oratione mentali to-

tum tempus, quod superſit vltra neceſſarium ad verba, actiones, & pauſas præſcriptas in Rubricis? Nam etſi fas ſit, matutino tempore per vnam, duas, aut tres horas moram facere in Miſſa, vt aiebam ex numero 116. non tamen licebit mihi, tempore veſpertino ſic me gerere. Vnum poteſt addi, quo ratio Azoris nonnihil vrgeat, ſcilicet, quòd ex cauſis Ordinum, funerum, aut exequiarum Regalium, & Generalis Actus Sanctæ Inquiſitionis Miſſam incæptam valdè manè, & poſteà interruptam proſequi licet valdè ſerò ad veſperum. Quidni ergo in caſu propoſito fas erit toto etiam tempore ante mediam noctem, ea nimirùm ex cauſa, ne Sacrificium perductū vſq; ad cōſecrationem maneat imperfectū?

170 Nihilominus eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos vltra, citraque nequit conſiſtere virtus: nimiùmque proinde videbitur, vt ſi in Miſſa poſt mediam noctem Nativitatis Chriſti Domini corripiatur morte Sacerdos, aut morbo gravi aliquo præpediatur, facta iam conſecratione, poſsit toto tempore labenti vſque ad meridiem iuxta Authorem Gloſſæ, aut etiam vſque ad aliam mediam noctem iuxta Azorem perfici Sacrificium illud ab alio Sacerdote, vel ab eodem, ſi morbi impedimentum ceſſarit. Intelligetur etiam ægrè, quo pacto habitura ſit vnitatem moralem eiuſdem Sacrificij pars, quæ addatur circa meridiē, aut circa mediā noctem ſequētem.

171 Sed plus adhuc eſt, quod ait Sà V. *Miſſa*, numero 38. his verbis, [Si Sacerdos non poſsit Miſſam abſoluere:: ſi conſecraverat, & non cōmunicaverat:: & deſit alius Sacerdos, qui perficiat, ſequenti die perficiatur, aut ſumatur ab alio in alia Miſſa Sacramentum.] Ita in editionibus antiquis, nā in modernis ea verba de perficiendo Sacrificio die ſequenti ſunt deleta ex correctione Reverendiſsimi Magiſtri Palatij Sacri, vt teſtatur Diana parte 10. Tract. 11. Reſ. 4. Cæterùm Sà non appoſuit illa ſine Maiorum ductu. Nam in primis S. Petrus Cœleſtinus (qui fuit creatus Papa anno 1294. & raro exemplo ſe ſponte ſua abdicavit dignitate ſumma Pontificia) ſic ſcribit in Opuſculo 8. de Sacramentis Eccleſiæ, p. 4. ſect. 2. C. 6. *Si Sacerdos infra Canonem debilitatur, ita, vt non poſsit perficere, alius Sacerdos, ſi præſens fuerit, incipiat, vbi ille dimiſit, & perficiat: ſed ſi ille non poteſt indicare, vbi dimiſit, incipiat, vbi eum per aliqua ſigna crediderit dimiſiſſe. Si verò Sacerdos non ſit præſens, debet expectari vſque in craſtinum, & Clericus, ſecundùm quod poteſt, indicet ei.* Deinde in Miſſali Romano, impreſſo Cęſaraugustæ anno 1519. apud Officinam Georgij Coci extat cautela hæc inter alias Miſſæ, columna 5. poſt initium, *Si Sacerdos incipiat ægrotare in altari, cum nec opus cæptum poſsit perficere; tunc, ſi præsēs eſt alius Sacerdos, & ſi ægroto poteſt indicare, vbi dimiſerit, ibidem debet incipere, & perficere. Si verò non poſsit indicare, incipiat, vbi eum per certa ſigna creditur dimiſiſſe. Si autem alius Sacerdos non ſit præſens, expectetur in craſtinum, & Clericus, ſecundùm quod poterit, alij, vbi debet incipere, indicet Sacerdoti.*

172 Præterea Dominicus Sòtus in 4. Diſtinctione 13. quæſt. 2. articulo 6. §. *Circa hoc*, pag. (mihi) 592. inquit, [Si adhibita diligentia, vt Sacerdos alia die perficiat Sacramētum, fieri id non poteſt, & ſpecies vini corrumpantur, tunc in piſcinam ſunt proijciendæ.] Sic magnum Dominicanæ Familiæ, & Salmantinæ Scholæ Incrementum, cuius veſtigia ſequutus eſt Sà, necnon Henriquez Libro 9. C. 40. §. 1. dicens, [Si non reperiatur Sacerdos ieiunus, differre licet perfectionem Miſſæ in alterum diem: licebit & perficere tunc: probabile eſt, obligari ob integritatem, vt ſtatim perficiat alterius Miſſam cæptam.] Hactenus Henriquez, approbatus à Boſſio ſupra, numero 96. & non improbatus à Fagundez in primum præceptum Eccleſiç, Libro 3. Capite 18. num. 24.

173 Noviſsimè autem Thomas Tamburinus Libro 2. de Miſſa Capite 8. §. 1. numero 6. & duobus ſequentibus ſubſcribit Patribus Sà, & Henriquezio, confirmatque eorum opinionem exinde, quòd conſumptio, quæ fit in feria ſexta hebdomodæ maioris, compleat, & perficiat Sacrificium diei præcedentis, vt docet Cardinalis de Lugo Diſputatione 15. ſect. 4. numero 82. & 86. Diſputatione 19. Sectione 5. numero 68. S. 6. n. 121.

174 Cum igitur pars illa aphoriſmi Patris Sà habeat tot, tantoſque

que Patrónos tam ante, quàm post ipsum, immeritò ille de novitate culpábitur, vt fit à nonnullis apud vulgus; & cum expuncta non sit in Soto Dominicano à Reverendissimo Magistro Palatij Sacri, me latet, cur in Scriptore è Societate deberet esse peioris conditionis, si in Sà, vt fertur, fuerit abrasa per Reverendissimum Magistrum. Cuius authoritas adeo continuit Dianam, vt Romæ scribens dixerit, [Sed ego existimo, non esse recedendum à correctione Reverendissimi Magistri Sacri Palatij; & ideo constanter asiero, Sacrificium nō posse perfici die sequēti.] Eandem authoritatem sæpe repetunt Leander, & alij nonnulli, quando discedere libet ab opinione aliqua Patris Sà: sed quando accedere placet, non curant de præiudicio exinde proveniente, vt patet apud Leandrum T. 8. Disp. 7. quæst. 39. Tamburinus denotare videtur, non tam ex illa authoritate, quàm ex privato sensu Andreæ Victorelli, qui notas addidit ad Sà, prodijsse correctionem, de qua nunc agimus specialiter. Sed & antea Libro 1. Cap. 2. §. 1. num. 12. loquens generatim de editione iuxta Romanum exemplar, sic ait scribens Panormi in Sicilia, [Hæc Sà in impressione genuina, nam scio in expurgata legi aliter. Sed ego, cum voco Sà, ipsum vocari, & legi, non alium, volo.] Ita Tamburinus.

175 Quicquid autem sit de præiudicio ex ea correctione (quòd ad me non attinet iudicare) perfectio Sacrificij sequenti die non impugnatur efficaciter à Diana supra, & à Quarto parte 3. tit. 10. num. 4. sect. 1. dub. 5. ex Rubricis Missalis præscribentibus, vt ob Sacrificij perfectionem non expectetur, nisi quādo cōsecrata vna specie deprehenditur defectus alterius speciei. Sed certè ibi est sermo de expectatione Sacerdotis in altari, vt quæratur altera species: quæ expectatio esset molestissima Sacerdoti, si deberet esse longa, & prolixa. At Sà loquitur in casu valde diverso, & in quo non imponitur Sacerdoti obligatio tantæ, imò nullius, expectationis, ad altare. Diana ipse, & Quartus fatentur, in casu, de quo ipsis cum Sà est sermo, posse vsque ad meridiem perfici Sacrificiū, quod inchoatum fuerit ante auroram, vel paulò post. Et tamen ipsi non dicerent, in casu Rubricarum debere Sacerdotem immotum, retinentemque vestes sacras expectare tamdiù ad altare. Ait quidem Henriquez, posse expectare per duas horas; sed non exprimit, debere. Et vt deberet per duas horas; sed non per totidem, quot vsque ad meridiem interponuntur ex media nocte Nativitatis Christi Domi, aut ex tempore, ex quo ordinariè licet incipere celebrationem Missarum. Id enim foret prorsus intolerabile.

176 Hinc retorquetur argumentum aliud, quo post Aversam q. 11 sect. 2. V. *Respondetur cum communi*, post Franciscum de Lugo L. 5. C. 10. q. 3. n. 38. vtuntur Diana, & Quartus contra Sà, scilicet quòd cum tanta distantia inter diei vnius, & alterius matutinum tempus, in quo suppleatur defectus, qui contigerit in priori, salvari nō potest moralis vnitas eiusdem Sacrificij continuati. Retorquetur, inquam, nā si in Missa celebrata ad mediam noctem Nativitatis Christi Domini contingat defectus, potest is iuxta ipsos suppleri vsque ad meridiem; imò & vsque ad eam horam vespertinam, in qua ex privilegio, aliisve de causis fas sit celebrare, vt ad horam quartam in die Sabbathi sancti, si absit scandalum, & verum sit, quod docet Navarrus C. 3. de Oratione n. 43. (qui est locus expressior, quàm alius citatus à nobis D. 20. n. 27.) & cum ipso Pater Sà in editione antiqua Verb. *Missa*, numero 23. quippe postpositio, quę potest fieri ex privilegio, aliave de causa, videtur exequenda etiam iustè ex causa supplendi defectum aliquem essentialem, aut substantialem. Ergo non minus temporis intervallum, quàm si ad mediam noctem Nativitatis Christi Domini suppleatur defectus, qui contigerit ad meridiem antecedentem, vel & ad horam quartam pomeridianam. Ergo sicut in vno casu non tollit vnitatē moralem Sacrificij tanta distantia, ita neque tollet in alio.

177 Erit præterea, quid ad hominem arguat contra Dianam: Sicut Sacrificium Missæ est quoddam morale artefactum constitutum ex partibus moraliter vnitis, ita etiam Sacramentum pœnitentiæ. Atqui pecs Dianam dolor (quæ est vna pars Sacramenti

menti pœnitentiæ) præcedens vno die confessionem, aut absolutionem, ex cuius intentione sit elicitus, potest, si neque explicitè, neque implicitè retractetur, componere cum alijs partibus morale artefactum Sacramenti pœnitentiæ. Ergo & consecratio hodierna poterit cum crastina sumptione cõponere morale artefactum vnius, eiusdemque Sacrificij. Concedit Minorē Diana p. 5. Tract. 14. Res. 67. Imò p. & Tract. 9. Res. 51. ad multo longius temporis spatium admittit præcedentiam doloris. Et quanuis temporis intercapedo, & actionum interpositio, quæ non officit vni artefacto morali, iæpe obstet respectu alterius, desideratur ratio discriminis inter Sacrificium Missę, & Sacramentum pœnitentiæ.

178 Hactenus pro liberanda à censura absurditatis opinione S. Petri Cœlestini, & Authoris cautelarũ præmissarum ad Missale Romanum antiquum, necnon Soti, Henriquez, Sà, Tamburini, Bossij. Sanè moralis æstimatio circa temporis distantiam, quæ non impediat vnitatem moralem Sacrificij Missæ, pendet ex iudicio virorum prudentum, & piorum, nec enim aliunde potest firma regula præscribi, aut mensura certa designari: quot autem, & quàm prudentes, pijque viri iudicent, non derogari vnitati Sacrificij Missę per vnius diei distantiam, non ignorabit, nisi qui peregrinus fuerit in Republica litteraria.

179 Ego post trutinatas Authorum sententias circa temporis intervallum, intra quod possit suppleri defectus, qui in Missa acciderit, nihil habeo, quod addam, nisi admonitionē de temperamento tenendo in eius interualli designatione, nam neque nimis arctandum est, neque nimis laxandum: toletó; alterutrius extremi imminere periculum iis in rebus, quæ ad compositionem cuiusdam totius moralis nõ requirunt coexistentiam physicam, neque successionem prorsus interruptam. Atque ita se habent partes Sacrificij Missæ. Cavendum ergo est, ne quid nimis quoad strictè, vel latè mensurandum tempus, quo suppleri queat defectus, qui acciderit in Missæ Sacrificio.

180 Pro huius Sectionis fine restat ferre cẽsuram de additione, quã initio retulimus ex Francisco de Lugo & duobus, aut tribus alijs Authoribus, & quæ suadet, aut obligat, vt, si Missa relicta sit imperfecta ante primam oblationem, iteretur ex capite à Sacerdote, qui fuit anteà coactus interrumpere, aut dimittere, si non nisi post longiorem moram, quàm vnius horæ, redire valeat. Huiusmodi additio non est omnino exploratæ doctrinæ. Nam antiquiores Doctores agentes de Missa interrupta ex causis propositis in Sectione antecedenti, non tolent dicere, repetendam postea esse ab initio, sed prosequendam esse, vnde relicta est ante oblationem primam, vel esse omnino dimittendam. Attingemus rursus hoc punctum in Disputatione sequenti. Sed quia non ignoramus, posse iuxta multos Authores tam veteres, quàm modernos ex causis alijs relinqui vnam Missam imperfectam ante Canonem, vel saltem ante Offertorium, & inchoari aliam, arripimus ex modò dictis ansam, vt discutiamus, an verum sit, necne? Præterquàm quòd hæc quæstio spectat ad mutationem in Missa per interruptionem latè dictam, quam huc vsque tam longo discursu examinavimus.

SECTIO XIIII.

Liceatne aliquando interruptio, qua relinquatur Missa vna imperfecta, & inchoetur alia?

181 POSSEVINVS in Libro aureo de Officio Curati Cap. 2. num. 10. comprehendit non multis verbis totam quæstionem; ideo placuit mihi ea hic exarare. Inquit itaque, [Missa potest interrumpi, vt reassumatur, quando dicta Epistola aduenit Episcop⁹, vel Princeps, qui vult Missam. Ita Azor 1. p. Lib. 10. C. 32. quæst. 3. Ar Henriquez Lib. 9. C. 30. §. 3. extendit etiam dicto Evangelio; & quãdo etiã advenit multitudo iter faciens. Quãti verò faciant multitudinẽ? Credo, non esse scrupulosè opinandũ.

Pro

Pro decem ego reassumerem, cum nulla iniuria fiat Sacramento. Et credo, turò posse reassumi ab Offertorio citra. Ratio est, quia quæ præcedunt Offertorium, non sunt de necessitate Sacrificij:: Et intra dictum locum poterit reassumi toties, quoties adfuerit, vel superuenerit causa excusans, quia stante dicta causa iusta, semper iustus erit effectus. Sed ad hoc necessaria est prudẽtia. Et non reassumerem vltra primã vicem, nisi causa superueniens esset maior prima; aliàs vix cessaret scandalum, aut adminus admiratio, & ab vtraque pro viribus cavendum.] Sic Possevinus. Qui quando rogatus num. 14 [Quæ pœna sit interrumpentis Missam?] Respondet, [Si ante Offertorium interrumpatur, vt reassumatur, nullum esse peccatum, quia permissum.] Intelligendus est, quatenus nullum sit peccatum, si ex gravi causa fiat reassumptio. De qua etiam causa accipio Emmanuelem Sà dicentem Verb. *Missa*, num. 21. [Cæptum Sacrum potest ex causa omitti, & ab initio repeti, nisi esset iam facta oblatio.]

182 Omisit Possevinus allegare Navarrum C. 16. de Oratione, n. 55. & in Miscellaneo 87. qui est princeps patronus huius opinionis, imò & primus, nam nec ipse citat, neque ego invenire hactenus potui antiquiorem alium. Sed post tantum virum subscripserunt Hẽriquez, Azor, Sà, Possevinus in locis allegatis, Layman L. & Tract. 5. C. 7. n. 2. Scortia L. 2. de Mis. Sacrif. C. 18. Marchinus Tract. 3. de Ord. p. 3. C. 16 n. 4. Castrus Palaus Tract. 22. D. vnica punct. 11. n. 4. Dicastillus Tract. 5. D. 4 dub. 13. n. 254. Hieronymus Garcia T. 3. Dif. 8. dub. 6. punct. vlt. n. 32. Villalobus tom. 1. T. 8. Dif. 31. n. 9. Diana p. 10. Tract. 12. Res. 11. licet p. 11. T. 5. Res. 45. dicat, placere magis sibi cõtrariam sententiam. Subscripsere etiã Mascarenhas T. & D. 5. C. 3. n. 248. Bardi in Selectis L. 10. q. 11. n. 3. Gauantus p. 3. in Rub. Mis. tit. 10 n. 17. adductus perperàm à Diana in posteriori loco pro contraria sententia, Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Libro 3. C. 16. num. 6. Hermañus Busembaus in Medulla Lib. 6. Tract. C. & dub. 3. pag. (mihi) 704. Alfonsus Vazquez de Miranda in Tractatu de Supplicatione ad Sanctissimum pro tribus Missis in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Discursu 2. C. 11 n. 40. Agnoscit Quartus parte 2. titulo, & S. 3. dub. 4. vtramque sententiã vt probabilem. Parco recensendis alijs.

183 Ratio omnium est, quia iteratio Missæ, quando Sacerdos non peruenit ad Offertorium, non importat tantam indecentiam, & irreverentiam, vt non debeat prævalere causa adeò gravis, & rationabilis, qualis est adventus magnæ multitudinis populi, (vt contingit in Processionibus) vel complurium peregrinorum, vel Principis alicuius Ecclesiastici, aut Sęcularis, casu quo ex præcepto velint audire Sacrum, & non adsit pręstò alius Sacerdos, qui rem divinam faciat.

184 Confirmatur, quia ex prædictis causis fas esset Sacerdoti, qui absque sumptione purificationis, & ablutionis celebrasset primò, peragere aliam Missam, vt ex causa populi, aut peregrinorum confluentium dixi in D. 22. à numero 29. vsque ad 32. & ex causa Principis alicuius non improbavi in numero 25. approbatque novissimè Vazquez de Miranda supra, num. 14: Ergo à fortiori licebit illud aliud, nam re vera minus est repetere Missam, quæ non attigit Offertorium, quàm dicta iam vna Missa sine sumptione purificationis, & ablutionis celebrare aliam. Vnde etsi non assentiaris Antecedenti, non ideo imitatus Tamburinum Libro 2. C. 6. §. 8. n. 2. debes negare Consequentiam. Vnde rursus non benè Leãder Tractatu 8. Disputatione 5. quæst. 35. promiscuè tractavit vtrumque casum, quasi esset vnus; nec benè allegavit Authores loquentes de vno, & altero casu vt diversis, quasi de vno loquerentur. Vbi obiter observo, eundem Leandrum Disput. 6. quæst. 14. attribuere Azori tomo 1. Lib. 10. Cap. 32. q. 1. quòd post Canonem non possit Sacerdos interrumpere Missam, & discedere ab altari pro baptizando puero, aut pro excipienda confessione adulti, qui aliàs decederet sine his Sacramentis. Nihil tale dicit Azor: vt neq; Navarrus à Leandro citatus C. 16. de Orat. n. 69. dicit contrarium. Primus solũ ait, requiri iustam, & legitimam causam, vt etiam nondùm facta consecratione relinquatur Missa imperfecta: secundus agit tantũ de casu, de quo nos

185 Confirmatur iterùm eadem opinio, quia si Sacerdos exorsus sit Missam, & posteà admoneatur, ante Evangelium, de appropinquante populo, aut multitudine peregrinorũ, aut Principe aliquo, vt audiant Missam die præcepti, poterit sistere, & expectare aliquandiu, quoadvsque perveniant, tuncque procedere ad dicendũ Evangelium. Ergo etiam poterit id, quod contendit proposita opinio. Dices, admitti posse Antecedens, & negari Cõsequentiam, nam plus videtur, dimittere omnino Missam inchoatam, & incipere aliam, quàm interrumpere cæptam, perficereque ipsam postmodùm. Et apud Authores habentur plures casus expressi de interruptione Missæ posteà prosequendæ, quàm de repetitione. Quapropter inconsequenter Possevinus, qui ad reassumptionem Missæ fuit tam facilis in num. 10. paulò post in num. 13. rogatus, [An Missa possit interrumpi, supersedendo, & non discedendo ab altari, v. g. incipere eam hora competenti, & dicta Epistola expectare ad aliquas horas venientem, & cum venerit, perficere eam?] Respondet, [non posse, quia Missa est dicenda continuata: Qui verò supersederet ad breve tempus; non credo peccaret ratione parvitatis actus.] Sic ille. Ego libenter fatebor, supereſſe rationem aliquã discriminis; dico tamẽ, paritatem non carere omni vi suasiva.

186 In hac sententia, quam illustrare conati sumus, subiecta adhuc sunt litigio tria puncta. Primum, an repetitio Missæ possit fieri in diebus ferialibus? Secundum, quoties ea fieri possit? Tertium, num non solùm ante Offertorium, sed etiam vltra, dũmodò non sit peruentum ad consecrationem, iterari queat Missa? Quoad primum, Navarrus loquutus est de die festo; Henriquez autem de festo, si adueniant multi interfacientes; & de quocumque, si superveniat Princeps, quẽ decet quotidiana auditio Sacri. Alij fautores eiusdem opinionis iam vno, iã alio modo loquuntur. Mihi videtur, procedi consequentiùs, si repetitio Missæ ob aduentum Principis alicuius non limitetur ad diem festum; & probabile esse, non debere restringi, si adueniat magna multitudo populi, aut peregrinorum avidè optantium auditionem integri Sacri. Quòd si quouis die licet in his casibus secunda celebratio Missæ integræ, vt iudicant non pauci Doctores; de quo videãtur scripta à nobis in Disp. 22. sect. 4. & Ioannes Maria Belletus in Disquisitione Clericali parte 2. §. 29. num. 4: licebit multò potiùs, quod diximus.

187 De secundo quid censeat Possevinus, monstrant eius verba supra exarata. Post quę addit Gavant? [opus fore altiori iudicio, vt vltra primam vicem reassumeretur Missa.] Ast si maior, & maior causa accedat, videtur, posse non solùm bis, sed etiam pluries fieri reassumptionẽ, vti possunt (quod est argumentũ à maiori ad minus) eunę, & plures celebrationes integræ exhiberi, attenta necessitatis proportione, vt tradidi in ea Disp. 22. num. 23. cum Authoribus ibi relatis, addensatque alios Vazquez de Miranda supra, C. 6. num. 18.

188 Ad tertium plerique fautores huius sententiæ sentiunt, non posse repeti Missam, si incæpta sit oblatio vel vnius solius speciei, nam illa est pars valde eximia in Missa, & iuxta aliquos essentialis. Sed Bardi dubius est, si Canon non sit inchoatus. Gavantus citans non fideliter Navarrum, & Azorem ait, posse repeti Missam ante consecrationem, & post Epistolam. Mascarenhas adhęrens Fagundezio inquit, [Si tales personæ superueniant, finita Epistola, tunc non est dicenda secunda Missa, nec illa est de novo incipienda, quia Epistola non est notabilis pars Sacrificij; & licet non audiatur, potest adimpleri præceptum: si tamen superveniant post Epistolam, licet sit vsque ad principium Canonis, poterit Sacerdos ab Introitu Missam repetere, quia minus inconveniens est hoc facere, quàm secundò celebrare.] Ita ille; cuius ratio est valde efficax, si necessitas obliget vel ad secundò celebrandũ integrè, vel ad reassumendam Missam à capite, id enim posterius videtur prę-eligendum, si quidem sit minus prohibitum, quàm prius. Si necessitas non cogat ad vtrumlibet, ego, incæpta oblatione, non desisterem à Missa, quia facultas ad id introducta est non ex Iure Canonico, sed ex authoritate Theologorum; hi autem assignant oblationem, vt terminum exclusivum, nam

præter

præter proximè allegatos reliqui ita exprimunt: & ex allegatis Bardi manet anceps; Gavant⁹ ducitur falsa persuasione de Navarri, & Azoris sensu; Fagundez, & Mascharenhas loquuntur sub conditione, quam iam removi. Et hæc pro sententia Navarri, quam reputo valde probabilem.

189 Sed contrariam tuentur Salcedus ad Practicam Criminalem Canonicam 1. Bernardi Diaz C. 41. Emmanuel Rodriguez tomo 1. Summæ Cap. 247. Conclus. 7. Petrus de Ledesma C. 24. de Euch. post. 7. Conclus. pag. (mihi) 312. Trullench. Libro 3. de Sacramentis C. 8. dub. & num. 23. Bonacina Disp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 5. num. 10. Granadus tomo 5. Controv. 6. Tract. 14. Disput. 10. num. 4. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 10. q. 5. n. 76 Thomas Tamburinus Lib. 2. C. 7. §. 8. num. 2. Diana parte 11. Tractatu 5. Resol. 45. Quibus consonant Concilium Provinciale Mediolanense apud Gavantum in Manuali Episcoporum V. *Missæ ritus*, num. 15. & Synodus Hispalensis apud Granadum supra, nam in Mediolanensi iubetur, ne quis Missam semel inchoatā repetat, & in Hispalensi præcipitur sub excommunicatione, ne peracta confessione inchoetur iterū Missa, licet adveniat persona cuiuslibet dignitatis. Nisi quis dicat, debere intelligi, quando alius Sacerdos celebrādo potest satisfacere desiderio personæ illustris, tunc enim, vt citiùs expediatur, non licebit repetere ab initio Missam iam incæptam. Videntur etiam favere Rubricæ tit. de Defectibus, §. 3 num. 4. imperantes, vt post dictum *in nomine Patris* Sacerdos *non aduertat quēcumque in alio altari celebrantem, etiam si Sacramentum eleuet; sed continuatè prosequatur Missam suam vsque ad finem.* Nisi respondearur, esse exemplum nimis remotum; & alioqui Sacerdos missans in præsentia Pontificis, Cardinalis Legati Sedis Apostolicæ, vel Patriarchę, Archiepiscopi, & Episcopi intra eorū Provinciam, Civitatem, vel Diœcesim teneretur non advertere ad eos: quod est falsissimum, & contra præscripta ab Ecclesia imperante plura erga ipsos facienda in principio, & progressu Missę, vt constat ex Rubricis Missalis.

190 Rationes, quæ movent prælaudatos Authores, sunt hę. Prima, si reassumptio Missæ fit, vt adventantes impleant præceptum audiendi Sacrum, non tenentur audire iam illud, nisi ab illa parte, cui præsentes sunt. Si vt indulgeant devotioni, pietatique suæ, indiscreta ea est; & saltem erit maior, gratiorque Deo illa, qua velint, nullam in Sacro fieri mutationem, & novitatem.

191 Secunda, ob adventum personę privatæ, & conditionis vulgaris non est fas reassumere Missam. Ergo neque ob personæ publicæ, & conditionis eximiæ. Nam obligatio audiendi Sacrum, aut devotio erga illud par est, aut potest esse in vna, & altera. Si autem in hac altera attendendum esse dicas dignitati, & splendori. Iam ex respectu humano repetendam esse Missam vis; cum tamen in tam sacra functione nulla nisi de divino habenda sit ratio.

192 Tertia, in C. *Sufficit Sacerdoti* 53. de Consecratione Distin. 1. damnationis rei enunciantur ab Alexandro 2. Papa, qui pro adulationibus Sæcularium vna die præsumunt, plures facere Missas. Ergo si non idem, saltē quid paulò min⁹ censendum est de præsumentibus iterare à capite eandem Missam ob adulationes Sæcularium.

193 Quarta, neque iure Canonico, neque privilegio Pontificio, neque consuetudine inveterata, neque prudenti, aut benigna Iuris interpretatione præstita communiter, & concorditer à Canonistis, aut Theologis invaluit hæc Missæ reassumptio ob decentiam personæ illustris. Vsque ad Nauarrum quidem talis singularitas non est audita. Et timeri in posterum potest, ne eiusdem decentiæ de causa arrogent sibi personæ illustres, vt, si adsint Sacro, nominētur in Canone. Rursusque cum ex Iure non constet, quas ob personas, & cuius splendoris repetenda sit Missa, forsan volet iudex pedaneus (*Alcalde de aldea* dicimus Hispanè) vt in templo vici, cui præest, repetatur Missa, si ipse serò veniat. P. Bardi ait, personas illustres ad hunc effectum esse [Principes supremos non recognoscentes superiorem; itē Proreges, Cardinales, Nuncios Pontificū, Episcopos, Oratores Regum, Magnates Hispaniarum, Comissarios Cruciatæ, Præsides supremorum Consiliorum Regis;

Regis; non autem eorum Consiliarios, neque etiam eos, qui vulgò dicuntur Titulati, nisi forsan inveniantur in terris, in quibus dominiū habeant.] Sed difficile est, ne aliæ personæ ambiant recenseri in isto pyctatio, nevè cōquerantur de sui exclusione, aut silentio. Quid enim de Capitaneis Generalibus, de Summis Prefectis equitum, peditū, de Metatoribus Maximis, de Consiliarijs Regis in Senatibus supremis Status, Cameræ, Pacis, Belli? Quid de fœminis, quibus sint coniugati? Quondam Rex Alfonsus Sapiens l. 50. tit. 4. Partita 1. referens causas, ob quas Sacerdos posset secundò celebrare, aiebat, *Osi despues, que obiesse dicho la Misa del dia, sobreuiniese algun home honrado, que la quisiese oyr; asi como Rey, ò Obispo, ò otro Perlado, ò algun Rico Home señor de tierra.* Hæ tunc habebantur personæ Illustres in Hispania. Quinam autem, quantique essent in Castella *Ricos Homes*, Diuites Homines, noscitur ex eodē Rege Alfonso l. 10. tit. 25. Part. 4. & ex tyncrono S. Thoma de Regimine Principum Lib. 3. Cap. 22. (si ipse sit Author huius Opusculi) necnō ex Doctore Salazar de Mendoza in Origine Dignitatum Sæcularium Castellæ, & Legionis Cap. 19. ex Barnaba Moreno de Bargas in 13. Discursu de Nobilit. Hisp. n. 10. Nunc multi longè inferiores Diuitibus Hominibus implent numerum personarum illustrium; & in dies accedent alij, provt census dederit honores.

194 Postrema hæc ratio magni est apud me momenti. Et Ideo nec iterarem Missam ab initio, nec suaderem iterari, nisi ad instantiam personæ insigniter illustris, aut magnę multitudinis populi, peregrinorumve, quando non adesset præstò, atque cōmodè Sacerdos alius, qui celebraret, timereturque gravis offensio, querimonia, aut scandalum ob nō repetitionem, vbi non esset prohibita à Maioribus; nam si fuisset vetita, vt refertur de Provincijs Mediolanensi, & Hispalensi, inde deberet excusare se Sacerdos. Et casu quo cedat in iteratione; non pro personę illustris Sęcularis adulatione, sed pro devotione, quia scilicet, vt potest, noscat petere ex religioso animo, & non ex fastu, neque ad vanè ostentandam singularitatis illius petitione suam magnitudinem.

195 Quo obiter explicui C. *Consuluisti* 3. de Celebratione Mis. adductum in 3. ratione. Nec secūda ratio satis est, vt omnino retardet à repetitione, quandoquidem nobilitas, dignitasque personæ, & prærogativa meritorum conferant magnoperè ad honestanda plura, quę alias non licerēt, vt patet in dispensatione legum, in privilegijs circa ipsum etiam ministerium sacrum. Legantur Cap. *Innotuit* 20. de Electione in fine, Cap. *De multa* 28. de Præbendis, Concilium Tridentinum Sess. 24. C. 5. de Reformatione, Sess. 25 C. 18. S. Thomas 2. 2. q. 63. artic. 2. Abbas Panormitanus ad C. *Innotuit* prę-citatum, num. 5. Suarez Lib. 6. de Legibus C. 19. num. 25. Pyrrhus Corradus Lib. 1. Praxis dispensationum Apostolicarum C. n. & divisione 2. Itaque debet Sacerdos non sistere vltimatè in respectu humano, quando ad instantiā personæ illustris iterat Missam; potest tamen, & decet, vt rationem habeat conditionis personæ. Et de Ecclesia præsumendum non est, velle, vt ipsius Ministri sint inurbani, ac rustici, omnemque comitatem exuant. De prima ratione cum sit iam enervata à nobis in D. 22. n. 25. nihil addam in hoc loco.

196 Rogabit quis, num si citra causas graves prædictas iteretur Missa, committatur peccatum lethale, vel tantùm veniale? Bardi certus de veniali, remittit se quoad lethale iudicio Theologorum; Diana damnat de lethali, si iteratio fiat ob hominem vulgaris conditionis. Discordia similis est inter Authores, qui contra Navarrum censent, non esse licitam repetitionem ob personā illustrem, nam alij, vt Salcedus, & Rodriguez, dicunt, esse mortalem, alij, vt Petrus de Ledesma, & Franciscus de Lugo, esse venialē. Mihi videtur, contingere vix posse, vt, si reassumeretur Missa ob hominem priuatum, non scandalizetur populus, aut admirationē notabilem non concipiat; vixque posse fieri absque specie aliqua contemptus. Sed & abstrahendo abscādalo, & contemptu, reassumptio Missæ eam ob causam, aut ob merum arbitriū Sacerdotis est contra praxim Ecclesię, cedereque videtur in gravem irreverentiam tanti Sacrificij, ideoq; à reatu

culpæ

culpæ lethalis non agnoscerem immunem, nisi fuisset in parte modica. Scio, asseri à nonnullis posse licitè celebrari secundò, ne homo plebeius careat Sacro in die festo. Sed reprobavi in Disp. 22. num. 25.

SECTIO XV.

Num in Missa mutatio, per quam omnino ab ea incepta desistatur, sit peccatum, & quale? Quas item ob causas liceat ante consecrationem?

197 ESSE peccatum, & valdè grave, si citra causam rationabilem relinquatur omnino Missa, quæ sit incepta, liquet satis ex Sectione 10. Eritq; eò gravius peccatum, quò causa sit minus rationabilis, atque vrgens, & quò post maiorem partem Missæ ante consumptionem omittatur, quod reliquum est. Adduxi ibi sufficientes probationes ab authoritate, & ratione, simulque declaravi pœnas, quibus hoc peccatum obnoxiũ est.

198 Nunc, vt innotescat, quàm execrabile fuerit apud antiquiores, relinquere Missam inchoatam, audiatur, quod narrat Curopalates apud Baron. anno 957. n. 2. [Cum Ameras Tarsi, Dux Sarracenorum contra Romanos, cum exercitu profectus esset, atque in Herculis vicum milites prædatum misisset, quidã Presbyter Themel nomine Sacrificium incruentum peragens, vt agnovit Sarracenorum irruptionem, relicto sacrificandi munere, ita vt erat indutus, manibus gestans Ecclesiæ mysterium, sic eos, qui invaserant, propulsavit, & multos vulneravit, haud paucos interfecit, reliquis in fugam versis: & ab Episcopo interdicto ei sacrificandi munere, postquàm non impetravit veniam, ad Agarenos se contulit, & Christianam fidem eiuravit; atque cum ipsis egressus, non solùm Cappadociam, & finitima loca vexabat, sed etiam vsque ad Asiam, quæ minor dicitur, peruenit, & quanta detrimenta intulerit, nec scribere quidẽ nobis fas est.] Hactenus Curopalates. Severitas Episcopi fuit quidem nimia, cũ in illo casu vel nõ excelsisset Presbyter, vel facilè parcendum ei fuisset, vt posteà adnotabo; sed exinde compertum est, quantum piaculum putaretur ab antiquioribus omissio incæptæ Missę.

199 Magna etiam Gentilibus religio fuit, ne à suis Sacris incæptis desisterent. Et vtera exempla allata in sect. 10, Xenophon Socraticus, *cum sacrificans, filium in bello audisset occisum, deposuisse coronam dicitur, & eandem capiti reposuisse, postquàm fortiter in acie dimicãtem reperit concidisse.* Quæ sunt verba S. Hieronymi in Epit. 3. ad Heliodorum de morte Nepotiani. Adiungo Senecã in Consolatione ad Marciam Cap. 12. [Nec nimis admiretur Græcia illum patrem, qui in ipso Sacrificio nunciata filij morte, tibicinem tantùm tacere iussit, & coronam capiti detraxit; cętera ritè perfecit.] Similiter Valerius Maximus L. 5. C. 10. animadvertit, à Xenophonte nihil è Sacrificio omissũ. Pausanias L. 4. iras Castorum in Messenios inde natas describit latè, quòd Ganippus, & Panormus eius gentis adolescentes violarint per contemptũ, & contumeliam, omittique coegerint ipsorum Castorum Sacra à Lacedæmonijs celebrata. Pergo ad secundam Sectionis partem.

200 Multis de causis iustis potest ante consecrationẽ dimitti Missa inchoata. Et in primis Missale titulo de Defectibus, §. 10. num. 2. statuit, vt, *si Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa; si post Canonem, non dimittatur.* Ita etiam docet Suarez D. 81. sect. 4. V. *Secundò quæret aliquis*, vbi allegat Dominicum de Soto in 4. Dist. 13. q. 2. art. 3. & 4. & Iacobum de Graffijs Lib. 2. Cap. 47. num. 10. Sed in Soto nihil invenio expressum de Missæ parte, ex qua est dimittenda, neque ex qua est continuanda; in Graffijs verò reperio, non quidẽ ad C. 47. sed ad 42. num. 11. pag. 134. Consentiunt Coninch q. 83. art. 3. dubio 1. num. 236. Layman L. Tract. & C. 5. num. 12. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ L. 3. C. 14. num. 7. Cap. 18. num. 11. Bonacina q. 4. de Matrimonio, punct. vltimo, num 27. Tannesur

nerus Disp. 5. quæst. 10. dub. 2. num. 38. Aversa q. 11. sect. 14. V. *Decimò tandem*, Marchinus Tract. 3. de Ordine, parte 3. C. 10. num. 3. Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tract. 3. Diff. 8. dub. 2. punct. 4. num. 50. Francisc⁹ de Lugo L. 5. Ç. 6. quæst. 12. num. 97 C. 10. quæst. 4. num. 65. Thomas Tãburinus L. 2. C. 7. §. 5. n. 1. Quartus. p. 2. tit. 3. S. 2. dub. 5. V. *Interim*, Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 2. num. 6. Reginaldus tomo 2. L. 29. C. 19. sect. 4. num. 179. Filliucius tomo 1. Tract. 5. C. 4. num. 118. Franciscus Amicus tomo 7. D. 33. sect. 12 num. 344. Arriaga tomo 7. D. 54. sect. 5. Subs. 2. n. 40. Martinonus tomo 4. D. 40. sect. 2. num. 18. Trullench de Sacramentis L. 3. C. 8. dub. 15. num. 24. Villalobus tomo 1. Tract. 8. Diffic. 24. num. 13. Nuñus Cabezudus 3. p. quæst. 83. art. 3. V. *Sed potest esse dubium*, pagin. 976. Petrus de Ledesma Tract. de Eucharistia C. 20. Conclus. & dub. 3. pag. 258. Ioannes de la Cruz quæst. 3. de Sacrif. Missæ dub. 2. Conclus. 5. Alterius D. 12. de Excommunicatione L. 1. C. 5. V. *Confirmatur*, D. 3. de Interdicto, C. 3. V. finali.

201 Hi omnes Authores dicunt idem ipsum, quod Rubricæ Missalis, & verbis significantibus obligationem ad illud exequendum, id est, ad dimittendam Missam, si violatur ante Canonem Ecclesia, & non potest breviter reconciliari vel ab ipso Sacerdote celebrante, vel ab alio habẽte potestatem: è contra verò post Canonem non esse dimittẽdam Missam, sed interruptè continuandam, remissa in aliud tẽpus cura reconciliandi Ecclesiam. Ratio diversitatis est, quia incepto Canone, iam tunc aliquo modo, seu moraliter censetur incæptum Sacrificium, atque adeò non decet relinquere illud imperfectum, neque interrumpere. Et quia res, vt hæc, tam sancta, & honorabilis non debet deseri, quominùs perducatur ad finem, postquã fuit inchoata ex Canone, vt ait Rex Alfonsus Sapiens l. 35. tit. 9. Part. 1. exhibens rationem, cur non sit omittenda Missa, quando excommunicatus vitandus ingreditur Ecclesiam, inchoato Canone. Quem prisco more Hispano vocat *la Sacra*, vt & Alfonsus de Carthagena Antistes Burgensis in Orationali directo ad Ferdinandum Perez de Guzman C. 30. & 56.

202 Ex dictis colligitur primò, fuisse minus benè dictum à Dicastillo Tract. 5. D. 4. dub. 7. num. 107. [Ego sanè, peracto Offertorio, ante incæptum Canonem, facilè crederem, non esse voluntatem Pontificis, vt omitteretur Missa, si contingat, quando Sacerdos celebrat, Ecclesiam violari.] Sic Dicastillus, qui ad alia distractus non advertit, Summum Pontificem in Rubricis Missalis declarasse iam suam voluntatem de dimittenda Missa à Sacerdote, si temeretur Ecclesia ante Canonem; quare non est continuanda, si post Offertorium ante Canonem violatio fiat.

203 Colligitur secundò, referri ab eo minus fideliter, quòd communiter Doctores conveniant in obligatione desistendi à Missa ob violationem Ecclesiç, quoadvsque non sit peruentum ad consecrationem, quanuis aliqui, vt Layman, & quidam alij iudicent, non esse cessandum, incæpto Canone. Sed vt visum est, Doctores ferè omnes eiusdem sunt sententiç, ac Layman. Recensui supra viginti tres, possemque totidem alios superaddere, cũ tamen paucissimi sint, qui non conveniant cum Laymano.

204 Colligitur tertiò contra Barbosam Lib. 2. de Iure Ecclesiastico C. 4. num. 35. parte 2. de Officio, & potestate Episcopi, Allegatione 28. n. 62. non esse communem sententiam, quæ assignat totum tempus ante consecrationem, vt ob violationem Ecclesiæ dimittatur Missa; nam quæ cõmunis verè est, non assignat nisi vsque ad Canonem, vt potuisset advertere Barbosa in Suario, Alterio, & Fagundez, quos ibi allegat.

205 Colligitur quartò contra Gasp. Hurtadum D. 4. de Sacrif. Missç Diff. 7. V. *His ergo suppositis*, si contingat, Ecclesiam violari, quando Sacerdos celebrat, si ad eius notitiam ante consecrationem incæptam perueniat, non teneri à celebrando desistere, nam debet post Canonem prosequi celebrationem. Dicastillus credidit Gaspari Hurtado, cuius verbis vsus est.

206 Colligitur quintò contra Mascarenhas Tract. & Disput. 5. C. 12. num. 414. incepto Canone non solùm

lùm posse Sacerdotem, sed etiam teneri continuare Missam, non obstante violatione templi. Et ita asserunt Suarez, & Fagundez, etsi prosequi laudet eos Mascarenhas quoad id, vt Sacerdos non sit obligatus post inchoatum Canonem prosequi Missam, sed tantùm post incæptam consecrationem. De Suario est certum, quod dixi; de Fagundezio non adeò asseveranter loquor, nam L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ Cap. 18. num. 11. seu V. *Sed quid*, (non autem num. 5. seu V. *At non solùm*, vbi citatur à Mascarenhas) indicat quidpiam propitium huic Authori.

207 Obijciet quis pro Dicastillo, oblatione incæpta non est dimittenda Missa, vt redeatur ad caput, ob aduentum personæ alicuius illustris, prout nos ipsi diximus in num. 188. Ergo similiter in casu præsenti. Et in vtroque in fauorem oblationis militat eadem ratio, quam nos adduximus paulò antea loquentes de Canone. Imò non defuere, qui dixerint, oblationem illã esse quid essentiale Sacrificio Missæ. Præterea incongruum videtur, vt materia panis, & vini per oblationem, & benedictiones evecta iam ad altiorẽ statũ, & quadantenus sanctificata, relinquatur postea, & velut insuperhabeatur cũ periculo, vt in vsum profanũ conuertatur. Respondeo, potuisse his rationibus moueri Ecclesiam ad id, quod vult Dicastillus; sed cum Summus Põtifex in Rubricis Missalis designarit nõ oblationem, sed Canonem vt terminũ, ex quo Missa non est dimittenda, præstat submittere discursus nostros dispositioni Pontificiæ. Et quidem cum hęc desideretur circa casum, de quo in numero 188. non parùm dubium est Navarri, & noviorum aliorum Canonistarũ, aut Theologorum authoritati, si eo in casu dicatur licere dimissionem Missæ ante oblationem, & non post. Quam esse partem valde notabilem dignitate respectu Sacrificij Missæ negare non possum; sed vt negem, esse essentialem, cogit me inter alia dispositio Pontificia, de qua incidit sermo. Et quod attinet ad materiam panis, & vini, prospicitur ei decenter, si absumatur reverenter à Sacerdote, qui desistat omnino sacrificare, aut ab alio Sacerdote, qui iam sacrificarit, aut à Clerico, Laicove devoto; vel si reservetur ad alteram Missam, neq; enim inconvenit, bis offerri, & benedici; vel si deferatur in piscinam sacram; vel si absque contemptu, & cum mutatione aliqua deserviat vulgari esui, & potui. Videatur Tamburinus supra, num. 3.

208 Rursus pro Barbosa, & Gaspare Hurtado, opponet quis, si celebrante Sacerdote accidat impedimẽtum Canonicum ex parte assistentium, vt quod ingrediatur excommunicatus vitandus, non debet continuari Missa post inchoatum Canonem, quandiu nõ sit perventum ad consecrationem, sed datur potiùs obligatio, vt ante consecrationem abrumpatur Missa, etiamsi Canon sit incæptus, si dimitti non possit excommunicatus. Ergo similiter, quando accidat impedimentum, nempe violatio templi, in quo fit Sacrum. Antecedens doceri à maiori numero Theologorum testatur Gibalinus Disquisitione 7. de Censuris, quæst. 5. in expositione, & confirmatione propositionis 4. estq; saltem è sententia multorum, insigniumque apud Leandrum tomo de Censuris Tract. 2. Disput. 7. q. 38. Consequentiam suadet paritas rationis, nam si Ecclesia (quæ adeò curat, ne *cum Dei offensa, Clerique, ac populi scandalo, Missarum solemnia remaneant inexpleta*, vt dicitur in Clementina *Grauis* 2. de Sent. Excommunicationis) vult, vt post Canonem, sed non post incæptam consecrationem, inexpleta relinquatur Missa ob assistentiam excommunicati; quidni velit idem, superueniente violatione templi?

209 Sed & adhuc vrgentius insurget quis secundò pro eisdem Doctoribus; si Sacerdos intercelebrandũ recordetur denuò, se esse excommunicatum, vel suspensum, vel irregularem, vel se non esse ieiunum, vel se nõ esse confessum lethale aliquod peccatum, *debet ante consecrationem, si non timetur scandalum, deserere incæptam Missam.* Ita Missale tit. de Defectibus §. 8 num. 5. conforme doctrinæ S. Thomæ q. 83. art. 6. ad 2. nisi quòd Missale dicit, id esse debitum, & S. Thomas tantùm dicit, esse tutius. Ergo si ob impedimenta Canonica ipsius celebrantis debet, vel tutius est, deseri Missam incæpto Canone, si non sit perventum ad consecrationem; debitum etiam, vel tutius erit idem ipsum ob impedimẽtum

tum Canonicum templi. Quòd enim istud posterius impedimentum non se teneat ex parte celebrantis, vti se tenent priora alia, non videtur esse sufficiens ratio discriminis. Et præterea Interdictum loci non se tenet ex parte celebrantis; tamen Missale loquitur eodem modo de hoc impedimento, ac de alijs. Expendantur verba integra Rubricarum, *Si Sacerdos recordetur, se esse excõmunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supra dictis casib°, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.*

210 Tertiò argumentabitur quis: Si Sacerdos, qui celebrat, non possit ob infirmitatem aliquam prosequi Missam, dummodò non fit post cõsecrationem, vel vnius speciei, nulla est necessitas, aut obligatio, vt alius Sacerdos suppleat defectum ipsius, nec habetur ratio incæpti Canonis. Sic animadvertitur in Rubricis titulo præcitato, §. 10. num. 3. concordibus cum S. Thoma supra, ad 1. Ergo si Ecclesia violetur tempore celebrationis, non habenda est ratio inchoati Canonis, sed solius consecrationis, quoad id vt Sacerdos prosequatur Missam.

211 Quartò & valentissimè disputabit nonnemo: Cura Ecclesiæ, ne Missam inceptam omittat Sacerdos, fundatur in obligatione ex diuino præcepto perficiendi Sacrificij tam essentialiter, quàm substantialiter. Ast nisi Missa omittatur post consecrationem, non remanet Sacrificium imperfectum siue essentialiter, siue substantialiter; imò ante illam non existit etiam partialiter essentia, neque substantia Sacrificij, atque adeò si desistatur à Missa ante illam, non remanebit Sacrificium Imperfectum, nam non entis nullæ sunt proprietates.

212 Sed ad hæc breviter respondeo. Ad primum nego Antecedens. Et eo permisso, ac nõ concesso, inficior Consequentiam. Paritas namque ex vno ad aliud in his materijs non est vndequaque efficax, vt patet exinde, quòd superueniente excommunicato vitando, aut censura Interdicti post cõsecrationem debet continuari Missa; sed tantùm vsque ad consumptionem; & reliqua sunt peragenda in Sacristia, vel alio loco occulto, & decenti, vt notant Suarez tomo 5. in 3. p. Disp. 12. sect. 1. num. 14. Abila 2. parte de Censuris D. 9. dub. 8. Conclus. 2. Castrus Palaus Tract. 29. D. 2. punct. 9. num. 5. Gordonus tomo 1. Theologiæ Moralis Lib. 7. q. 8. Cap. 2. §. 5. num. 31. Gibalinus supra, Layman L. 1. Tract. 5 parte, & Cap. 2. num. 6. Bonacina D. 2 de Censuris q. 2. punct. 3. §. 1. num. 13. Alterius tom. 1. de Censuris Lib. 1 D. 12. C. 5. V. *Postsumptionem verò.* Ast superueniente post consecrationem violatione templi, perfici Missa debet, non modò vsque ad consumptionem, sed etiam vsque ad Evangelium vltimum. Patet etiam aliunde, nam procurari debet sub peccato mortali, ne excommunicatus perseveret in templo assistens, & attendens Sacro; vnde quousque egrediatur, cessare debet à Sacro siue inchoando, siue prosequendo Sacerdos; quòd si ille sponte non discedat, expellendus est vi, sed citra scandalum, & percussionem; quòd si nec vi reijci possit, omittendum omnino est Sacrum ante consecrationem, vel Canonem, secus post, vt luculenter probant, & confirmant prælaudati octo Authores, qui sunt primarij in tractatione de Censuris. Cæterùm saltem sub mortali non vrget obligatio ad procurandum, vt per reconciliationem removeatur violatio templi, qua remota possit Sacerdos prosequi Missam incæptam, & non perductã ad Canonem, vel ad consecrationem, vt observat Tamburinus supra, num. 2. quia Sacerdos [potest se conformare cum Ecclesiæ decreto prohibente, Sacrum fieri in templo violato, & ex alia parte Sacerdoti privato reconciliationem illam Ecclesia non præcipit.]

213 Quæ ratio vt Sacerdotem liberat ab obligatione gravi reconciliandi Ecclesiam ex fine prosequendi Missam, sic etiam liberat à levi, ni fallor, etsi dissentiat præfatus Author, quando celebrans potest facilè, & non vult exequi reconciliationem: moveturque ea ratione Tamburinus, quia est nonnulla irreverentia, nolle perficere Missam inceptam, quando facilè potest removeri impedimentum violationis. Sed contra, nam si Ecclesia non præcipit tunc reconciliationem ex fine continuandi Sacrum, vnde oritur vel le-

uis obligatio in Sacerdote ad eam præstandam? Et alioqui similiter obligandus esset sub veniali Sacerdos, vt, superveniente violatione Canoni, vel consecrationi, curaret de reconciliatione, antequàm progrederetur in Missa, siquidem non minor irreverentia appareat in prosequutione Missæ post Canonem, vel consecrationem intra templum violatum, quando sine considerabili incommoditate potest adimi moralis illa macula, & minor proportio templi, vt in eo perficiatur Sacrificium. Huiusmodi autem obligationē sub veniali nullus, quem sciam, agnouit hactenus. Quare ad rationem Tamburini dico, irreverentiam illam, (si propriè talis dicenda sit in hoc casu, & non potiùs pœna ob violationem templi, aut ostensio mœroris Ecclesiæ ob eam) non esse vertendam culpę Sacerdotis, sed eius, qui dedit causam violationi templi. Quo ferè modo debent omnes respondere in casu, ex quo cum recepta ab omnibus sententia desumpsi instantiam contra Tamburinum.

214 Hinc non approbo, quod alt Quartus parte 2. tit. 3. sect. 2. dub. 5. scilicet ædes sacra polluta siue ante, siue post Canonem, teneri Sacerdotem expectare aliquantisper, vt reconcilietur, si facilè, & commodè potest, sicq; fiet, vt, si ante Canonem, non dimittatur Missa; si post Canonem, continuetur in loco magis habili. Citat Suarīū, Fagundez, & Cardinalem de Lugo. Non, inquam, approbo, quia [post Canonem debet Sacerdos absolvere Missam absque interruptione, iam enim censetur quasi substantialiter inchoatum Sacrificium, & ideo interrumpi non debet propter Ecclesiasticum loci impedimentum superveniens,] quæ sunt verba Suarij supra, & Fagundez L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ Cap. 14 num. 7. Ante Canonem verò etsi [debeat cessare, seu relinquere Sacrum Sacerdos, donec Ecclesia reconciliata sit,] quę sunt verba Suarij, Fagundez, & Cardinalis de Lugo supra; sed in eis non significatur, inesse obligationem Sacerdoti ad reconciliationem statim faciendam, vel ad procurandum statim fieri. Id autem est, quod ego nego, quin diffitear, posse, si velit, interrupto Sacro aliquantisper, exequi reconciliationem, si sub eius sit potestate, vel procurare, vt alius exequatur, & postea regredi ad Missā. Loquutus sum de privato Sacerdote, quo celebrante ex devotione, contingat violari templū, nam si ex obligatione celebret, moneo Lectorem, vt revisat scripta à me in D. 19. num. 46.

215 Ad secundum dico, standum esse declarationi Ecclesiæ, quæ voluit relinqui Missam, etiamsi Canō sit inceptus, dummodò ad consecrationem ipsam non sit perventum, si superueniant hæc impedimenta, aut oblitā redeant in memoriam, nimirùm suspēsio, excommunicatio, degradatio, irregularitas, interdictū loci, defectusque confessionis, nam horum omnium expressè meminit Missale in titulo de Defectibus §. 8. sed tacuit de impedimentis ex cibo, aut potu præassumpto, atque ex cessatione à divinis. Et quāuis ibi etiam tacuerit de impedimento ex violatione templi; sed habuit de eo sermonem in §. 10. n. 2. & cum dixerit, eo interveniente, non esse dimittendā Missam post Canonem, parendum est huic eius dispositioni. Fateor, me non esse reddendo discriminis rationē, quæ librata in statera rigidæ subtilioris Theologiæ convincens sit. Mihi tamen sufficit recursus ad voluntatem Ecclesiæ in negotio, quod nō aliunde pender. Hinc cum Ecclesia non declaraverit, an occurrente recordatione fracti ieiunij, vel denunciata cessatione à divinis, quando Sacerdos celebrat, supersedēdum sit à Missa, necne, post Canonem, erit liberum per me siue desistere, siue prosequi, quia deest Ecclesiæ regula, quæ nos tunc dirigat, & proinde quisque potest sequi sui discursus ductum. Nisi dicatur, haberi initio §. 8. num. 1. *Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliàs Canonicè impeditus*, &c. qua generalitate præmissa debere intelligi postea in n. 5. impedimenta Canonica fracti ieiunij, & cessationis à divinis.

216 Ad tertium respondeo eodē ferè modo. Ad quartum dico, Ecclesiā non modò curare, ne inceptum essentialiter, aut substantialiter Sacrificium remaneat imperfectum essentialiter, aut substantialiter, sed etiam ne inchoatum accidentaliter non perducatur ad perfectionē essentialē, & substantialē, & ne perductum ad huiusmodi statum

non terminetur accidentaliter. Cõstat id ex antecedentibus Sectionibus, & illustratur egregiè ex Clementia *Grauis* 2. de Sentẽtia excommunicationis, vbi extat querela de *Missarum solemnijs remanentibus inexpletis* causa excommunicatorum, qui eis interesse audebant; & querela erat de inexpletione accidentali, quatenus incæptæ Missæ dimittebantur ante Canonem, aut consecrationem, & perductæ ad consumptionem non finiebantur in altari; minimè verò erat de inexpletione essentiali, aut substantiali, non enim ob excommunicatorum temeritatem desistebatur à Missis post consecrationem, & ante consumptionem, in quibus Sacrificij essentia, & integritas substantialis consistit. Vt verò Ecclesia curet specialiter, ne, violatione templi post Canonem contingente, relinquatur Missa imperfecta, proposuimus supra congruentem satis rationem.

217 Nunc iuvat addere, quas tradit Albertus Magnus Dist. 6. de Eucharistia Tract. 4. Cap. 2. num. 14. vbi reddens causas, ob quas deficiente sub Canonem, sed ante cõsecrationem vno Sacerdote debeat alius supplere id, quod, & ex quo ille omisit, inquit, [Causa vna est ex parte Sacramenti, & alia ex parte adstantis populi: ex parte Sacramenti quidem, quia quanuis ex istis signis substantia panis, & vini non transubstantietur, tamen ipsa materia ex verbis, & signis recipit sanctitatem, ex qua efficitur magis idonea ad hoc, quod in corpus Christi transubstantietur. Propter hoc non est repetendum super illam hostiam, ne iniuria fiat virtuti verborum, quæ tanquàm nihil habetur, quando iterùm verba super eãdem hostiam iterantur, tanquam priora verba à priore Sacerdote dicta nullã virtutem habuissent. Causa autem ex parte populi est, quia populus ex hoc minus verba, & signa Canonis appretiaretur, quia priùs dicta videntur esse annihilata. Signa autem illa licet non transubstantient, tamen Passionem Christi in mysterio repræsentant; & Passio Christi nũquam debet irrita reputari.] Sic Albertus Magnus, cuius rationes possunt nobis vsui esse, quanquàm non ad eum casum, pro quo ille eas adducit.

218 Hactenus adhærens Rubricis Missalis defensavi, si inter celebrandum violetur Ecclesia, dimittendam esse Missam ante Canonem, sed post illum esse continuandam, simulque attigi alias iustas causas relinquẽdi eam ante consecrationem; quibus plerisque de causis agam rursus in Disputatione vicina, & ipsas magis declarabo, ideoque in hoc loco non plura. Porrò autem ex dictis inesset Lectorẽ cupido noscendi, vndenam Missa incipiat Canon, & vbinam terminetur? Quare vnum, & alterum edisseram in Sectione sequenti, in qua etiam adnotabo aliqua ad Canonem pertinentia, ex quibus ampliùs innotesceret eius excellentia inter alias Missæ partes, indeque confirmabitur denuò, quàm iure merito, si temeretur Ecclesia post inchoatum Canonem, non dimittatur Sacrum.

SECTIO XVI.

Quodnam sit principium, & quinam finis Canonis? Obseruantur circa ipsum nonnulla scitu digna.

219 CANON Missæ incipit à *Te igitur.* Ita enim sentit Ecclesia Romana titulo de Ritu seruando in celebratione Missæ §. 8. num. 1. ibi: *Profundè inclinatus* Sacerdos *incipit Canonem secretò dicens, Te igitur.* Et in corpore Missalis ante hæc verba præscribitur titulus, *Canon Missæ.* Allegatur in hanc mentem ab Henriq. L. 9. C. 30. §. 5. à Fagundez Libro 3. in 1. præceptum Ecclesiæ L. 3. C. 18. num. 5. & à Diana tomo 10. Tract. 11. Resol. 9. Glossa ad Clementinam *Grauis* 2. de Sententia excommunicationis, V. *Inexpleta.* Sed ibi solùm dicitur, *Debet Sacerdos dimittere Officium Missæ propter præsentiam excommunicati, nisi iam incæpisset Canonem Missæ*, vbi vides nihil dici de exordio Canonis. Et ea Glossa desumpta est ex Innocen. qui in C. *Nuper* 29. de Sententia excõmunicationis, num. 3. ait, *Etsi sit excommunicatus extra Ecclesiam, & audiat Missam, statim Sacerdos debet cessare, & alij orantes recedere, nisi fortè incæpisset cõmunionẽ Missæ, quia non capit diuisionẽ* 6. q. 1 *Nihil.* Glossa mutavit in *Canonem* vocem *Cõmunionem*: qua voce consecrationem intelligunt

intelligunt Sotus infra, Navarrus Cap. 16. de Oratione, num. 60. cum Archidiacono, & cum vtroque Cardinali, necnon Alterius L. 1. de Excommunicatione D. 12. C. 5. V. *Idem confirmatur.* Vnde neque Glossa, neque Innocentius IV. Pontifex Maximus, cuius verbis est confecta, citantur omnino securè. Nihilominus tot alij passim consentiunt, vt frustra numerare eos aggrerer. Sed vltra obvios notetur Haymo in 1. ad Timotheum 2. V. 1.

220 Non defuerunt, qui dicerent, Canonem incipere à *Communicantes*, & suspicor cum Henriquez supra, in Glossa lit. *M.* Innocentium voluisse significare id per vocem *Communionem*; alij à *Qui pridie, quàm pateretur*: & hanc esse opinionem à pluribus receptam, testatur ex Sylvestro Cucchus in Institutionibus Iuris Canonici L. 5. titul. 6 n. 70. quam indicari à S. Thoma q. 83. artic. 6. ad 2. ait ex Henriquez Fagundezius. Sed ego nec minimum vestigiũ odoror in S. Doctore. Recensent etiam Henriquez, & Fagundez Paludanum, Sylvestrum, Victoriam, Martinum de Ledesma, Sotum. Postremò is in 4. Distinctione 22. q. 1. art. 4. V. *Hic autem* habet hæc; [Si Canon non fuerit incæptus, cessandum omnino. Imò forsã vt Innocentius insinuat super C. *Nuper*, nisi consecratio incæpta fuerit, cessandum est, quia illic incipit Sacrificiũ.] Nolui moram facere in cæteris Authoribus ad examen vocandis, neque in quærendis alijs. Sed occurrit ad oculum Torreblanca Lib. 1. Iuris spiritualis practicabilium, Cap. 9. n. 6. Res est, in qua iam non expedit terere tempus, siquidem Ecclesia litem hanc diremerit. Vnde quando, non obstante impedimento aliquo ante dicto, gratũ fuerit procedere in Missa beneficio inchoati Canonis, geret se iuxta nutum Ecclesiæ Sacerdos, qui prosequatur post incæpta verba *Te igitur.*

221 Maioris difficultatis, sed minoris vtilitatis est inquisitio, quisnam sit finis Canonis? Sed respondeo, esse verba illa *Per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Postquę sequitur brevis ad orationem Dominicam præfatio, *Oremus, præceptis salutaribꝰ moniti.* Probari potest ex S. Augustino, qui Serm. in Vigilia Paschæ refertur à Durando, L. 2. de Rit. Eccles. Cath. C. 46. n. 3. habere hęc verba, *Ecce vbi peracta est Sacrificatio, dicimus orationẽ Dominicam, quã accepistis.* Sed ego in eo Sermone nõ reperio talia verba; posse tque peracta esse sacrificatio, & adhuc durare Canon comprehendens orationem Dominicã. Eiusdem S. Augustini verba alia extant in Epist. 59. ad Paulinum q. 5. quæ ad idem probandum adducuntur à nonullis, *Eligo*, inquit S. Doctor, *in his verbis* (Pauli ad Timoth. 1. 2. V. 1.) *hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequàm illud, quod est in Dñi mensa, incipiat benedici: orationes, cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur; quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit.* Isto tamen ex loco, vt & ex Sermone 28. de Verbis Dñi, & ex Homilia 42. in L. 50. Homiliarum non aliud deducitur, quàm orationem Dominicam dici olim solitam intra Missam: quod & testantur Tertullianus L. de Orat. C. 9. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica, S. Ambrosius L. 5. de Sacram. C. 4. S. Hieronymus L. 3 contra Pelagianos, Synesius in Oratione de Regno, Patres Concilij Toletani IV. Can. 10. constatq; ex omnibus Liturgijs antiquis.

222 Tutior probatio desumenda est ex S. Gregorio L. 7. Epist. 63. vbi respondens quorundam murmurationi, quòd Constantinopoli statuissel, *Orationem Dominicam mox post Canonem dici*, ait, *Orationem autem Dominicã idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodò orationẽ oblationis hostiam consecrarent. Et valdè mihi inconueniens visum est, vt precem, quã Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super eius corpus, & sanguinem non diceremus.* Hac ex authoritate S. Gregorij moventur Vvalafridus Strabo C. 22. de rebus Eccles. Micrologus C. 18. Amalarius, Alcuinus relati, & subscripti à Bellarm. L. 2. de Missa C. 27. V. *Post*, Azor. tom. 1. L. 10 C. 35. q. 9. Durantus L. 2. C. 44. n. 11. Quarto q. Prooemiali, S. & punct. 3. V. *Communis*, vt excludant à Canone orationem Dominicam. Censet & id ipsum Albertus Magnus Tractatu 3. de Sacrificio Missæ, Cap. 18. vbi inquit,

Quòd autem hìc finita sit tota conclusio Canonis, patet per hoc, quòd omnia, quæ ad Sacramentum pertinent, scilicet quoad idoneitatem materiæ, quoad confectionem Sacramenti, quoad elevationem oblatorum iam ritè sunt perfecta. Quæ autem sequuntur, ad distributionem pertinent, & ad communionẽ Sacramenti.

223 Consentiunt Gabriel Biel Lect. 15. lit. *C.* Lect. 20. lit. *A.* in Canonem Missæ, Bouslardus de diuino Missæ Sacrificio parte 2. C. 1. & C. 7. atque 8. Concilium Colonienſe celebratum anno 1536. parte 7. C. 25. Guilielmus Durandus in Rationali Libro 4 Cap 35. 36. & 46. Gavantus parte 2. titulo 10. num. 1. lit. Q. titulo 17. numero 39. licet parte 2. tit. 8. lit. *I.* videatur extendere Canonem vſque ad orationem *Libera nos*, incluſiuè; Suarez D. 83. ſect. 2. V. *Octava pars*, quin contrarius ſit ſibi, & nobis in V. *Concilium*, vt compertum erit committenti vnum locum cum alio; Auguſtinus de Herrera in Origine, & progreſſu rituũ Missæ Lib. 3. C. 18. num. 1 alijq́; contra Angelum V. *Missa* 37. extendentem Canonem vſque ad communionem; contra S. Bonaventuram in Expoſitione Missæ finientem Canonem in oratione, *Domine Ieſu Chriſte, Fili Dei viui*; contra Alexandrum Alenſem 4. parte Summæ q. 10. Tract. de Officio Missæ 2. parte §. 4. in fine, & §. 5. in principio terminantem Canonem in oratione *Libera nos, quæſumus, Domine.* Additur à multis Innocentius III. L. 5. de Sacro altaris myſterio C. 17. vbi de hac re ſilet, & in C. 31. ante orationem *Libera nos*, ſcribit, *Beatum Gregorium orationem Dominicam poſt Canonem ſuper hoſtiam cenſuiſſe recitandam.*

224 Prætereunda non eſt alia probatio petita exinde, quòd feria ſexta in Paraſceve, quo die non conſecratur, ideoque omittitur totus Canon, vtpote ad conſecrationem pertinens, tranſit Sacerdos immediatè ex verbis *Orate, Fratres, vt meum, ac veſtrum Sacrificium*, &c. ad illa alia, *Oremus, præceptis ſalutaribus moniti*, &c. Neque item ſilenda eſt alia probatio, quàm *Actionis* nomen attributum Canoni ſubminiſtrat, dicitur enim *Actio*, quia in eo cõficiuntur Dominica Sacramenta, vt Valafridus Strabo ſupra, & Micrologus C. 12. notant: illa autem, quæ ex oratione Dominica ſequuntur in Miſſa pertinent potiùs ad participationẽ Sacramenti Euchariſtici, quàm ad conſectionem. Sed de hac ratione videantur, quæ dixi D. 3. n. 33.

225 Nunc occaſionem opportunam nactus ſubijciam obſervationes aliquas circa Miſſę Canonem; quẽ exponere cum aggrederetur Speculator Guilielmus ſupra, C. 36. religioſè, & graviter dixit, [Quidquid exponendo conamur exprimere, vix vllius apparet eſſe momenti. Deficit namque lingua, ſermo diſparet, ſuperatur ingenium, opprimitur intellectus. Pulſabo tamen ad oſtium, vt amicus accommodet mihi tres panes; :: qui maximè in hoc convivio neceſſarij erunt, videlicet fidem, quæ petit, & accipit vitam: ſpem, quæ quærit, & invenit viam: & charitatem, quæ pulſat, & aperit veritatem.

226 Inter alias Canonis commendationes effert caput illa, quam exhibet Concilium Tridentinum Seſ. 22. C. 6. *Cum ſanctè ſancta adminiſtrari conueniat, ſitque hoc omnium ſanctiſsimum Sacrificium, Eccleſia Catholica, vt dignè, reuerenterq́; offerretur, ac perciperetur, Sacrum Canonem multis anteſæculis inſtituit, ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod nõ maximè ſanctitatẽ, & pietatem quandam redoleat, menteſq́; offerentium in Deum erigat. Is enim conſtat cum ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum pijs inſtitutionibus.* Hucvſque Cõcilium Tridentinum. Et multò antea Philippus Abbas Bonę Spei in Epiſt. 14 ad Radulphum dixerat, *Canonem Miſſæ fuiſſe ordinatum per Spiritum ſanctũ.* Quẽ tantùm locum de authoritate Canonis addendum habeo ad eruditiſsimos labores Bellarmini L. 2. de Miſſa ex Cap. 18. vſque ad 26. Suarij D. 83. ſect. 2. Duranti Lib. 2. de Eccleſiæ Catholicæ ritibus ex C. 32. vſque ad 45. Durandi in Rationali Lib. 4. ex C. 35. vſque ad 46. Auguſtini de Herrera in Origine, & progreſſu rituum Miſſæ Lib. 3. ex C. 1. vſque ad 18. Ioannis Baptiſtæ Scortię toto ferè L. 4. de Sacrificio Miſſę: tam enim fœliciter conquiſierunt omnia, quę ad nomen, antiquitatem, authoritatem, veritatemq́; Canonis comprobandam faciunt, vt vix quidpiam reliquerint, quod à poſteris adderetur.

Idem

227 Idem Concilium Tridentinum Cap. sequenti sic prosequitur, *Cumque natura hominum ea sit, vt non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, vt scilicet quædam submissa voce, alia verò altiore in Missa pronunciarentur, instituit.* Quibus in verbis respexisse ad Missæ Canonem secretò recitandum monstrat in Canone 9. dum anathemate ferit eum, qui dixerit, *Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse.* Vnde Synodus Augustensis anno 1548. monet, vt *Canon Missæ: quemadmodùm hactenus à Catholicis factũ est, summaque religione, vt mysterijs tremendis sua conseruetur authoritas, pronuncietur.* Synodus etiam Diœcesana Vladislavienſis anno 1568. parte 2. tit. 2. iubet etiam Sacerdotibus, vt *Canonem vtrumque tacitè pronuncient, reliqua voce clariore, quæ possit audiri à populo.*

228 Ex his intelligitur, cur Canõ Missę dictus fuerit *Secretum* Missæ à Concilio Eboracensi anno 1194. dum inquit, *Quia Secretum Missæ frequẽter inuenitur aut scriptorum falsitate, aut librorum vetustate corruptum, ita vt legi distinctè non possit, Archidiaconorum solicitudo prouideat, vt in singulis Ecclesijs ad verum, & probatum exemplar Canon Missæ cum omni diligentia corrigatur.* Ita Eboracenses Patres. Affunditur etiam lux Capiti *Ecclesiasticorum* V. Dist. 11. vbi ex S. Basilio Lib. de Spiritu sancto C. 27. referuntur hæc verba, *Quæ enim, (vt inde exordiamur) Scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri, vel quæ trifariàm digesta super panem, & calicẽ prolixæ orationis, vel consecrationis verba commendauit? Nam non modò quod in Euangelio continetur, vel ab Apostolo quod est insertum, secretis dicimus; sed & alia plura dicimus, magnam quasi vim commendantia mysterijs.* Expende To *Secretis dicimus*, etsi in Erasmi versione aliter legatur. Concilium Laodicenum C. 19. & antiquissimꝰ S Dionysius Areopagita C. vltimo Ecclesiasticæ Hierarchiæ loquuntur de orationibus secretis inter celebrandum; quæ etiam præscribuntur in Liturgijs SS. Basilij, Chrysostomi, priscisque alijs; fitque mentio de Collecta secreta in C. *Cum Marthæ* 6. de Celebratione Missarum, §. *Tertio loco*, & de secretò dicendis ante pacem indicendam in Epistola 1. S Innocentij Papæ ad Episcopum Eugubinum C. 1.

229 Canon autem secretò pronũciatur tribus de causis, [Primò, quoniam Deus non oris, sed cordis clamorem intendit. Vnde & Moysi dixit, Quid clamas ad me? cum tamen ipse taceret. Nihilominùs tamen proferimus verba, ne quæ petimus, aut quæ petere debemus, penitus ignorare ęstimemur. Secundò ob id submissè Canonem dici oportet, ne si alta voce esset proferendus, longo clamore deficiamus: vel tertiò ob hanc rationem, ne tanti mysterij ob vsum quotidianũ verba vilescant, & in locis non competentibus passim indiscretè pronunciẽtur.] Ita Ioannes Belethus in Explicatione diuinorum Officiorum Cap. 46. Eadem, & alias causas reddunt Durãdus in Rationali Lib. 4. C. 35. ex num. 3. Innocentius III. L. 3. de sacro altaris Mysterio C. 1. Biel Lectione 15. in Canonem Missæ, lit. D. Alensis 4. parte, q. 37. membro 2. Iavellus 5. parte Philosophiæ Christianæ Tract. 4. C. 7. pag. 576. Bellarminus Lib. 2. de Missa C. 12. Suarez D. 83. sect. 1. ex V. *Secunda obiectio*, Azor tomo 1. Libro 10. C. 35. quæst. 16. Et quidem mos Ecclesię Latinę pronunciandi secretò Canonem, verbaque consecrationis valde conducit ad maiorem eorum in populo reverentiam, quia si ad omnium aures perferrentur, exposita contemptui essent, vulgus enim, quæ sæpe repetita audit, despicere consuevit, & vt Corippus canit Lib. 4. de Laudibus Iustini,

Quod vulgo est, vile est, quidquid later, extat honorum,
Quodque magis tegitur, pretij maioris habetur.

Et hæc modò circa Missæ Canonem sufficiant nobis.

*

SECTIO XVII.

An, & quando liceat dimittere omnino Missam post consecrationem?

230 PRINCIPIO notandus est quidam casus de celebrante, qui re apse non sit Sacerdos, is enim post consecrationem, non verâ, sed fallaci, atq; apparenti debet desistere omnino à Missa, si certò, clarèque tunc noscat, recordeturve, vel ab aliò viro prudenti, & cum fundamento manifesto admoneatur, se non esse ritè, & validè ordinatum, seu non esse Sacerdotem. Ita S. Bonaventura in 4. Dist. 13. in Corp. litteræ, Henriquez Lib. 9. C. 30. §. 5. cum Astensi, & Tabiena, Vivaldus in Candelabro parte 1. num. 65. de Eucharistia, Cucchus in Institutionibus Lib. 5. tit. 6. num. 63. V. *At si quis*, cum Angelo, & Sylvestro, Fagundez Lib. 3. in præceptum 1. Ecclesiæ Cap. 18. num. 19. Mascarenhas Tract. & D. 5. C. 12. num. 422. Tamburinus L. 2. C. 7 §. 1. num. 2. Quartus parte 2. titulo 3. Sess. 2. dub. 7. V. *Dico secundò*. Francisc. de Lugo L. 5. C. 10. q. 4. n. 68. Ratio est, quia si procedat, committet enorme Sacrilegium; non autem, si omnino desistat, nam cũ re apse non sit Sacerdos, id, quod fecit, non fuit Sacrificium, ac proinde non dimittit Sacrificium imperfectum. Quare ad evitandum scandalum, si celebret in loco publico, debet prætexere, se morbo impediri, vel alia causâ superveniente; tunc namque licita est æquivocatio.

231 Sed quid, si tantùm sit dubius de validitate suæ Ordinationis Sacerdotalis? Respondeo cum præcitatis Authoribus, post consecrationẽ, & in loco publico, vbi timetur scandalum, nõ desistendum esse à Sacro, quia in tali dubio tutius est, & minus malũ, sic se gerere; atque ita, qui eo dubio vexatur, debet persuadere sibi, posse progredi vltra in Missa. Sed si dubium suboriatur ante consecrationem, & in loco remoto à periculo scandali, melius erit, vtpotè tutius, si à prosequẽdo Sacro, abstineat. Loquor de dubio, quod sit siue negativum, propriè que dictum, siue positivum, improprièque dictum, & quod non sit merus scrupulus. In declarato sensu intelligo Ioannem de Lapide, qui rogatus, [Quid agendum, si quis post incæptam Missã habeat conscientiam, quòd non sit ritè ordinatus?] Respondet, [Si hoc cõtingat ante consecrationem, tunc dimittat Missam imperfectam: si post cõsecrationem, procedat, & postea ad Superiorem suum accedat, & casum ei exponat.] Sic ille in Resolutorio dubiorum circa celebrationem Missę occurrentium Capite 2. articulò 1. numero 3.

232 Quandò verò dubium negativum incidat ante celebrationẽ, non licet inchoare Sacrum, alioquì inijceret se sponte sua in manifestum periculum irriti Sacrificij, & Sacramenti Eucharistiæ. Quapropter agitatus huiusmodi dubio ordinandus est denuò sub conditione, nec aliter fas ei erit aggredi celebrationem Missæ. Si dubiũ, quod incidat, sit positivum, quia scilicet vtrinque versentur opiniones probabiles, & incertæ moraliter pro validitate Ordinis Sacerdotalis suscepti, & contra eam, censeo, dari obligationẽ per se ad non incipiendum Sacrum, nisi prævia Ordinationis Sacerdotalis repetitione sub conditione adimatur dubium illud, vt insinuavi in Disputatione 26. numero 134. cuius puncti tractatio operosior aliena est ab hoc loco.

233 Igitur præsuppositocasu superiori, videndum est, an, & quando sit permissum Sacerdoti vero, & omnino indubitato cessare à Missa, quæ vltra consecrationem veram vnius saltem speciei fuerit progressa? Sanè quoad priorem partem abundè constat ex antecedentibus Sectionibus, esse per se peccatum grauissimum sacrilegij facta consecratione vnius speciei non procedere ad consecrationem alterius, & factis consecrationibus vnius, & alterius speciei non procedere ad sumptionem vtriusque. Si absurditas Sacrificij remanẽtis imperfecti arguit magni sceleris cessationem ab inchoato Sacro, maximè eam, de qua in præsenti est sermo, quippe eius de causa relinquetur Sacrificium imperfectum essentialiter, aut substantialiter. Et contra huiusmodi imperfectionem militant

tant principaliter, & fortiùs rationes, & authoritates supra expensæ. Quatenus autem naturale ipsum lumen dicet, Sacrificia non esse dimittenda imperfecta, illustravi multis antea; nunc adijcio textum singularem in *l. In ius vocare 2. ff. de In ius vocando*, vbi dicitur, *In ius vocare non oportet, nec Pontificem, dum Sacra facit, nec eos, qui propter loci religionem inde se mouere non possunt.* Rursus in leg. 3. sequenti, *Vel qui cadauer prosequuntur.* Harum personarum exemptiones eo dirigebantur, vt Sacra incæpta non desererentur, & maximè huc respiciebat illa immunitas Pontificis, dum Sacra faciebat. Quam novã eius textus decidendi rationem, quoad non interpellandum Pontificem sacrificantem, eo minus timidè fisto iudicio Iurisperitorum, quò magis genuinam esse censura sua confirmavit à me consultus amicissimus D. L. D. Michael de Arostegui Echazarreta dignus Socius Maioris Salmantini Collegij S. Bartholomæi, dexterrimus certè vir in percallendis abstrusioribus arcanis Civilis Iuris.

234 Quapropter cum gravissimum quid sit relinquere Missam post consecrationem vnius speciei, quin perficiatur essentialiter, aut substantialiter per consecrationem alterius, & per sumptionem vtriusque, requiretur gravissima causa ad eam sic omittendam. Imò dubitabile valde est, an possibilis sit causa, aut eventus tantæ grauitatis, vt honestaret eam omissionẽ! Et tacito eventu morbi repentini, quo Sacerdos reddatur physicè impotens ad Sacrum absoluendum per se ipsum, agitari potest quæstio, si timeatur incursus hostium, incendij, alluvionis, vel terræmotus, vel ruina loci.

235 Quibus in casibus respondent Rubricæ titulo de Defectibus, §. 10. num. 2. *Ante consecrationem dimittatur Missa. Post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramẽti, omissis omnibus aliis.* Priora verba non attingunt quæstionem propositam; continent tamẽ doctrinam prorsus certam, nam cum tam manifesto periculo vitæ suæ non tenetur Sacerdos ad prosequendam Missam, quam ad consecrationem non perduxerat; ideoque dimittendo ipsam non relinquit Sacrificium, quod sit incæptum essentialiter, aut substantialiter, sed tantùm accidẽtaliter: obligatio autem perficiendi essentialiter, & substantialiter Sacrificium, quod sit accidentaliter inchoatum, haud quaquàm tanta est, vt præponderare debeat vitę Sacerdotis, præsertim, cum sit obligatio orta ex mero Ecclesiæ præcepto. Imò potiùs tenetur Sacerdos ad tunc dimittendam Missam, ne irreverentiæ periculo exponat Sacramentum Eucharistiæ. Nec quòd incæptus sit Canon, movere debet Sacerdotem ad continuandam Missam, prævalet enim tum extrema necessitas suæ vitæ, tum religio Sacramenti.

236 Posteriora verba quæstionem præsentem concernunt, verisimaque sunt, quia omissio eorum, quę succedunt post consecrationem vtriusque speciei ante sumptionem, non est omissio rei alicuius essentialis, aut substantialis respectu Sacrificij, sed rituum quorundam accidentalium; ad quos non est cur magis teneatur Sacerdos, quàm ad indemnitatem suæ vitæ. Et præterea à Sacramenti Eucharistici reverentia anteponi debet obligationi, quæ aliàs datur nõ consumendi species Sacramentales panis, & vini, quin antecedant ritus illi accidentales.

237 Ob primam rationem etsi interruptio, qua per actiones extraneas dividatur sumptio à consecratione, sit contra ritum accidentalem Sacrificij præscriptum ab Ecclesia, nihilominus supra num. 133. & 134. visa est nobis licita ex causa defendendi vitam siue propriam, siue alienam in extrema necessitate. Atque ita in casu vitæ propriæ docent Possevinus C. 2. de Officio Curati num. 11. Torreblãca Lib. 2. Iuris spiritualis practicabiliũ C. 9. num. 63. cum Panormitano, Syluestro, Maiolo, Dueñas, Barbosa, Bonacina, & Molina, simulque posse Sacerdotem cum moderamine inculpatę tutelæ interficere aggressorem, redireque absque timore irregularitatis ad finiendam Missam, si modum nõ excessit.

238 Sed vt ad vivum resecetur difficultas, examinare oportet, quidnam factu opus fuerit, si post consecrationem panis ingruat periculum vitæ, ita vt absque eo non possit procedi ad consecrationem vini? Et quid,

si

si post consecrationem panis, & vini non possit absque discrimine vitæ procedi ad consumptionem vtriusque? Supponit disquisitio, accelerationem siue vnius consecrationis, siue vtriusq; sumptionis fieri non posse, quin vita Sacerdotis periclitetur extremè. Qua in suppositione non loquuntur Rubricæ; quare ex ipsarum authoritate non habemus præuiam lucem ad solutionē disquisitionis, ideoque aliunde quærenda à nobis est.

239 Cardinalis Toletus L. 2. Summæ de Instructione Sacerdotum, C. 9. in fine ait, [Si non potest statim consumere, credo, poterit Sacramentum cū Corporalibus extrahere. Quòd si non; aliqui dicunt, quòd iubeat mortem. Sed ego non credo, quia nulla ratio, nec textus id probat: sed licet ei discedere. Nam si permaneat, occiditur, & adhuc Sacrificium manebit imperfectum. Melius ergo est, quòd maneat sic, & saluetur homo. Attende tamen, quòd si aliquis in contemptum Fidei vellet eum occidere, si à Sacro non desisteret, tunc teneretur propter Fidem continuare, & mori, non solùm post consecrationem, sed ante.] Ita Toletus, cui adhæreo, vti & comites se dederunt Possevinus supra, num. 11. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 10. q. 4. num. 67. Tamburinus L. 2. C. 7. §. 1. num. 3. §. 2. num. 1. Quartus parte 2. tit. & sect. 3. dub. 6. Layman Libro, & Tract. 5. C. 7. n. 1. cum Chapeauille.

240 Inquies ex Suarez Disp. 85. sect. 1. V. *Quartò*, Petro de Ledesma Tract. de Eucharistia Cap. 25. Conclus. & modo 3. pagin. 325. Fagundez L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 20. num. 6. Mascarenhas Tract. & Disp. 5. C. 12. num. 410. post consecrationem fas non esse propter periculum mortis fugere Sacrificio imperfecto, & Sacramento in manibus hostium relicto, si Infideles sint, & irreverentia Sacramēti timeatur. Contra tamen, quia quāquàm maneat Sacerdos; at cum supponatur ante perfectionem Sacrificij occidendus, non evitabitur irreverentia Sacramenti: quæ eo casu non tribuetur Sacerdoti, vtpote à quo solùm permittatur ex causa rationabili. Et dēpto timore irreuerentię, vt si irrūpentes hostes nō sint infideles, sed Catholici, sufficit abundè periculum mortis, ne teneatur Sacerdos absoluere Sacrificium.

241 Probatur id multiplici exemplo. Primum sit prudentis timoris infamiæ, notæque gravis, qui sufficit, ne Sacerdos, appositā pro vino aqua in calice, teneatur consecrare vinum, sumereque eius species, vt docent plerique Theologi apud Dianam parte 10. Tract. 12. Res. 13. Leandrū Tract. 7. Disp. 5. q. 24. Bonacinam D. 4. q. vltima, puncto 10. num. 3. Dicastillum Tract. 5. D. 4. dub. 15. numero 288. Infamia autem, notaq; gravis est minus malum, quàm mors. Ergo ad id, ad quod non obligatur Sacerdos excusante ipsum minori malo, obligabitur multò minus, excusante eum maiori malo.

242 Secundum exemplum desumitur ex doctrina P. Suarij D. 43. sect. 4. V. *Dico ergo primò*, vbi sic fatur, [Accidere potest casus, in quo postquàm Sacerdos deprehendit, non esse vinum in calice, non reperiatur aliud vinum, vel certè vt non possit queri sine magno scandalo, aut sine evidenti periculo vitæ, tunc non obligabitur cū tanto detrimento ad quærendum illud, quia non est verisimile, præceptum hoc de conficiendo Sacrificio sub vtraque specie obligare cum tanto discrimine; præsertim quia in illo casu formaliter, & humano modo loquendo ille Sacerdos non consecrat in vna specie, sed permittit, vnam speciem solam manere consecratam, & omittit aliam, quia moraliter non potest illam habere.]

243 Tertium exemplum ex eiusdem Eximij Doctoris sensu, & verbis acceptum huiusmodi est, [Sicut per se tenetur Sacerdos vtramque speciem conficere, ita & sumere in Sacrificio. Sed ex sententia omnium si post consecrationem calicis intelligit, in eo esse vinum mortiferum, non tenetur illud sumere, etiamsi fortasse non possit, aliud vinum consecrare.] Tria hęc exempla non egent expensione, neque applicatione ad nostræ decisionis punctum.

244 Imò idem Suarius ibidem conceptis verbis decisionem nostram exprimit, eiusque rationem à priori breviter, sed dilucidè tradit, inquit namque, [Si post consecratam hostiam immineret Sacerdoti evidens periculum mortis, si detineretur consecrando

crando calicem, posset sine culpa omittere, & consumere hostiam, ac fugere, quia non est verisimile, obligare hoc præceptum cum tanto discrimine, & quia illa potiùs est permissio, quàm commissio.] Sic ille. Vnde minus fideliter citatur ab aliquibus Suarez cõtra nos, vt & Petrus de Ledesma, Fagundez, atq; Mascarenhas in locis paulò anteà relatis, quasi absolutè discordent à nobis. Sed si benè inspiciantur, noscetur, non discrepare nisi in circumstantia, pro qua eos allegavimus. Si quis plura velit in confirmationem decisionis nostræ, legat iteratò Sectionẽ 3. Disputationis 4.

245 Et nos hìc prementes vestigia Suarij in D. illa 43. & Mascarenhas in numero sequenti ad præcitatum, anteàque in D. 1. C. 7. num. 55. cum Reginaldo, & Bonacina repetimus, non licere Sacerdoti incipere Sacrum ex animo, & proposito consecrãdi vnam speciem sine alia, vel post cõsecrationem omittendi sumptionem vtriusque, vel alterutrius, si quis minetur mortem; nisi Sacerdos ita operetur, quanquàm comminatio non fiat in contemptum religionis. Et ratio est, quia non licet operari formaliter ex intentione directa per se contra præceptum non consecrandi vnam speciem sine alia, & sic de reliquis præceptis spectantibus ad perfectionẽ Sacrificij, seu ne remaneat imperfectũ essentialiter, aut substantialiter: quorũ finis strictissimè obligat, ne contra eum quid fiat directò, & formaliter, nevè sic postponatur cuilibet alij fini minoris momẽti; quale est bonum vitæ propriæ tẽporalis respectu communis boni religionis: quod in commune bonum tanquàm in finem collimant illa præcepta admodùm notabiliter, & graviter.

246 Neque hinc inferas, fore, vt non liceret consecrare nisi in materia, vel sub forma omnino certa, etiamsi Sacerdoti metus mortis iniceretur citra religionis despectum, vt relicta materia, vel forma certa adhiberet tantùm probabilem, aut dubiam. Non, inquam, inferas, patet enim latũ discrimen, non enim itur certò contra prefatum bonum commune religionis, periculumque re ipsa contraeundi honestatur ratione metus perdendi vitam.

247 Neque item inferas, fore, vt non liceret ministrare Eucharistiam peccatori occulto publicè petenti, & publico petenti siue clam, siue palàm sub interminatione mortis inferendæ, sed non in religionis contemptum. Non, inquam, inferas, quia præceptum divinum non ministrandi Eucharistiam indignis respicit particulare bonum eam recipientium, cui bono vt attendat Minister non obligatur cum tanto damno.

248 Neque rursus inferas, fore, vt non liceret celebrare absque vestibus Sacerdotalibus, tametsi Presbytero comminaretur quis necem non intendendo vilipensionem divini cultus. Non, inquam, inferas, etenim præceptum celebrandi cum vestitu sacro non respicit tam notabiliter, & graviter commune bonum religionis, quàm illud respiciunt præcepta perficiendi essentialiter, & substantialiter Sacrificium Missæ. Videantur scripta à nobis in sect. 13. Disp. 27.

249 Rogabis primò, an si post consecrationem panis iactet quispiam Sacerdoti minas mortis, ne progrederetur ad consecrationem vini, posset licitè Sacerdos desistere a hea altera cõsecratione? P. Azor tomo 1. Lib. 10. C. 19. quæst. 3. respondet, posse, si minæ non fierent formaliter ob contemptum religionis, quia in hoc casu Sacerdos non faceret, sed relinqueret Sacrificium imperfectum. Ego in Disp. illa 4. num. 20. respondi, non posse; persistoque in eadem persuasione, & in ratione, quàm ibi exhibui, quamq; nunc repetere non libet. Sed advertat Lector, multum interesse discriminis in hoc casu ab alio, de quo in num. 239. nam ibi non intentatur mors Sacerdoti ex fine directè, & formaliter intento, & intimato, vt dimittatur Sacrificium imperfectum essentialiter, aut substantialiter.

250 Rogabis secundò, an si proximo immineat mors temporalis, aut æterna, si ipsi non subveniat Sacerdos, possit licitè hic post consecrationem vnius speciei desistere à consecratione alterius, etiamsi prevideat, fore, vt non valeat redire ad perficiendum Sacrificium? Respondeo, posse, vti potest ratione evitãdæ mortis propriç, quando neque ipse, neque alius intendit

dit formaliter, & directè dimissionem Sacrificij imperfecti essentialiter, aut substantialiter: cuius dimissionis intētio abest etiam in hoc casu; solùmque datur eius permissio ex causa adeò rationabili. Noto, opus esse attentissima inspectione, meditationeque horum casuum, diuersitatisque inter eos, ne videamur consequentiæ filum non tenere; & cum sint tam difficiles, atq; perplexi, vt, si occurrant, perturbare possint hominem etiam doctissimum, ideo in facti contingentia inopinata id facias, quod bona fide tunc faciendum in mentem veniat, considerata grauitate casus, periculoque, ne quod feceris, vergat in contemptū religionis, neve inde oriturum sit scandalum.

251 Rogabis tertiò, an fas sit aggredi consecrationem panis ex intentione formali, & directa per se non procedendi ad consecrationem vini, casu quo non posset ad manus haberi nisi panis, & adesset moribundus impeditus recipere aliud Sacramentum, quàm Eucharistiæ, quia deficeret copia materiæ Vnctionis extremæ, aut in Sacerdote notitia modi, quo administranda esset, desideraretur q; Rituale; quia etiam nesciret formam absolutionis, aut ipse moribundus destitutus sensibus nullum exhiberet confessionis signum? Quo casu, si moribundus existeret fortè in peccato mortali, & eliceret attritionem, consequeretur, suscepto Eucharistiæ Sacramento, salutem æternam, vt fert probabilis admodùm sententia, & eo non suscepto damnaretur. Ioannes Maior in 4. Distinct. 9. quæst. 3. V. *Quintò arguitur*, respondet affirmatiuè per hæc verba, [Puto, licere Sacerdoti clanculùm Ecclesiam adire post meridiē, & hostiam consecrare solùm in secreto, dicendo verba consecrationis, & Eucharistiam ad infirmum deferre. Sed nō dicat Missam, nec vestes Sacerdotales induat propter scandalum. Si verò non sit aliqua hostia panis triticei pista, sed frustum panis tritici communis, maior diligentia adhibenda est: & fortè satius est, tale frustum consecrare, & dare infirmo, & satisfacere vulgo, dicendo, non esse scandalum, & sic in illo casu fieri expedire. Faciat tamen hoc occultè potiùs coram doctis, quàm indoctis, vt videatur maturè procedere.] Sic Ioannes Maior in editione Parisiensi Iacobi le Messier anno 1521. fol. 32. quod aduertere volui, nam cum Maior allegatus fuisset à PP. Suarez Disput. 68. sect. 5. V. *Secundum dubium*, Vazquio Disput. 211. c. 5. num. 61. & postea Ægidius Coninch. quæst. 80. artic. 8. num. 54. dixisset, se apud Maiorem non reperisse id, pro quo à Suarez citabatur, & de se testentur idem ipsum Franciscus Amicus tomo 7. Disput. 27. num. 25. atque Mascarenhas Tract. 4. Disput. 5. Cap. 10. num. 324. ideo apud aliquos allegatio Suarij, & Vazquij in suspicionem venit minus legitimæ. Sed certè Suarez, & Vazquez diligentissimi fuerunt in legendis Authoribus antiquis, quos citant, non vt permulti nunc temporis scribētes, qui nō nisi vnum, aut alterum modernum assumunt in manus, & ex eius fide allegant veteres, ac cæteros recētes.

252 Constet itaque, fuisse fideliter citatum Maiorem. Qui consecrationem vnius solius speciei licitam esse censuit in casu non vestito tot circumstantijs, quot qui à nobis exagitatur. Imò Maior ibidem §. *Tertiò arguitur* ait, [Si Sacerdos ponatur inter duo, aut quòd populus non audiat rem diuinum, nec communicet in Pascha; vel quòd ipse consecret sub altera specie tantùm: quia primum maius est inconueniens, quàm secundum, & præcepta hæc sunt incompossibilia, primum seruare in illo casu oportebit.] Sic ille. Contra quem hoc in puncto legendi sunt Azor tomo 1. lib. 10. Cap 19. quæst. 2. aut 3. Fagundez Lib. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ Cap. 5. num. 11. & Mascarenhas Tractatu 5. Disput. 1. Cap. 7. num. 54. ne nos vel tantillum digrediamur à casu in quæstionem vocato.

253 Adquem affirmatiuè etiam respondet Mascarenhas Tract. 4. Disput. 5. Cap. 10. num. 324 V. *Nec facit*, præbens rationem hanc, [Si præceptum consecrandi sub vtraque specie, & simul communicandi sunt Ecclesiastica, vt aliqui dicunt, non est credibile, quòd sancta Ecclesia, quæ est mater, & in omnibus curat salutē suorum fidelium, velit ad id obligare in tali casu cum periculo damnationis ęternæ infirmi. Et si talia præcepta sunt ex

præ-

præcepto diuino, etiam iudico, in tali casu non obligare, nam etiam est ex præcepto diuino, quòd infirmus communicet in articulo mortis; & in casu proposito magis obligare videtur præceptum communionis, quàm alia præcepta. Nam Sacramenta principaliter fuerunt instituta ad salutem hominis; & in hoc casu Eucharistia esse potest de necessitate medij ad illam. Ne ergo priuetur infirmus principali effectu huius Sacramenti, & ne sine sua culpa exponatur periculo damnationis æternæ, iudico, prævalere præceptum diuinum communicandi: & sic illi ministrandã Eucharistiam, quando non recipit, nec recipere potest alia Sacramenta. Et aliter fieri non potest, alioqui enim magis vellet Deus cæremonias, quàm fideliũ vtilitatem; quod nullo modo est dicendum.] Hactenus Mascarenhas.

254 Cuius cum verbis in hoc loco non rectè concordo, quæ habet Tract. 5. Disp. 1. Cap. 7. num. 55. vbi ad quæstionem, an liceat Sacerdoti, cõsecrare sub vna tantùm specie, quando vinum non reperitur, & metu mortis cogitur, vt sine illo celebret? Respondet, non licere, [Et ratio est, inquit, quia contrarium facere, est intrinsecè malum; & nec metu mortis possumus facere id, quod est intrinsecè malum.] Sic ibi. At neque ob salutem æternam proximi fas est exequi id, quod est intrinsecè malum. Sed quidquid sit de constantia istius Authoris in vno, & altero loco.

255 Theologi cæteri Maiorem refutant concorditer quoad id, vt causa Viatici dispensandi moribundo possit Sacerdos consecrare vnam speciem sine alia. Et quanvis multi non exprimant casum cum tot circumstantijs, ac Mascarenhas, tamen vel vniuersaliter dicunt, nunquam esse licitum consecrare vnam speciem ex animo, & proposito nõ consecrandi aliam, vel sic loquuntur in alijs casibus, easque afferunt rationes, vt idem dicturi videantur, si proponeretur ipsis casus cum eis circumstantijs.

256 Ego, inuitato Lectore, vt legat, si velit, quæ scripsi Disp. 14. de Eucharistia, num. 47. & duobus sequentibus, Disput. 27. de Sacrificio Missæ sect. 12. & 13. moneo ipsum, vt notet, plerosque Doctores negare, licitum esse Sacerdoti ieiuno, vel sine vestibus sacris, vel sine altari, vel sine pane azymo consecrare ad communicandum moribundum; quare iuxta eos multò minus licebit consecrare vnam speciem sine alia; siquidem id posterius prohibeatur præcepto iuris diuini positivi in communissima sententia, & priora alia non vetentur nisi præceptis iuris meri Ecclesiastici. Et quanvis posterius prohiberetur præcepto solius iuris Ecclesiastici, vt aliqui volunt citati à me in Disput. 4. num. 22. omnium tamen constans persuasio est, tale præceptum obligare strictiori vinculo, quàm alia præcepta memorata. Moneo rursus, vt notet, multos ex Authoribus modernis, imò ferè omnes in illis etiam circunstantijs, vt moribundo non possit consuli per administrationem alterius Sacramenti, quàm Eucharistiæ, dicere, nõn esse permissum Sacerdoti ieiuno, vel sine vestibus sacris, vel sine altari, vel sine pane azymo sacrificare ad prouidendum moribundo de Viatico; quare à fortiori dicent, neque tunc licitam esse cõsecrationem vnius tantùm speciei. Si tamẽ sententia Maioris, & Mascarenhas cẽseatur probabilis, tenebitur saltem ex charitate is, à quo talis æstimetur, illius vsu succurrere proximo extremè indigenti.

257 Hactenus egimus de multiplici genere mutationum, quæ in Missæ ritibus quoad verba evenire possunt; simulque necesse fuit, interserere aliqua de mutationibus rituum quoad actiones. Sed adhuc restant examinandæ mutationes aliæ pertinentes ad ritus in verbis, videlicet illæ, quibus loco vnius Missæ dicatur alia.

Hæ autem mutationes quando sint licitæ, aut illicitæ, tractabitur à nobis non perfunctoriè in Sectionibus sequentibus.

SECTIO

SECTIO XVIII.

De rituum in verbis mutatione, qua loco vnius Missæ dicatur alia. Et primò, an semper sit peccatum, non dicere Missam diei præscriptam in Missali?

158 AIO, sæpe non esse, vt patet ex Rubricis generalibus Missalis §. 4. & 5. in quibus sermo est de Missis votiuis, & de Missis defunctorum. Nam in § 4. conceditur, vt *Sabbathis non impeditis festo duplici, &c. dicatur Missa de Sancta Maria, &c.* Atque vt *in Aduentu, licet Officium non fiat de Sancta Maria in Sabbatho, dicatur tamen Missa principalis de ea, &c.* Præterea conceditur, vt *alijs diebus infra hebdomadam, quando Officium fit de feria, & non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis ferijs Aduentus, Quadragesimæ, Quatuor Tẽporum, Rogationum, & Vigiliarum,* exceptis etiam diebus, in quibus prohibetur fieri de festo duplici occurrenti, vt declarauit apud Gavantum in Rubric. Missalis parte 1. tit. 4. num. 3. lit. *O.* Sacra Rituum Congregatio die 28. Augusti, anno 1627.) *dici possit aliqua ex Missis votiuis, etiam in principali Missa, quæ vocatur Conuentualis, secundùm ordinem dierum in fine Missalis assignatum, cũ commemoratione feriæ, de qua factum est Officium. Quæ tamen Missæ, & omnes aliæ votiuæ in Missis priuatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotis, quocũq; die Officiũ nõ est duplex, aut Dominica, cum cõmemoratione eius, de quo factũ est Officium, & cõmemoratione item festi simplicis, si de aliquo occurrat, eo die fieri commemorationem in Officio. Id verò passim non fiat nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest, Missa cum Officio conueniat.* Hactenus in eo §. 4.

259 Sed addendum est, posse pro re graui cantari Missam votiuam in Dominica, & in festo etiam duplici, quod nõ sit primæ classis, cantata priùs Missa de die, vbi fuerit obligatio Missæ Conuentualis: at Missas priuatas non posse pro re etiam graui dici diebus anteà exceptis. Res autem grauis est, pro qua totus Clerus conuenit cum Episcopo. Sic declarauit Sacra Rituum Congregatio die 19. Maij anno 1607: apud Gavantum parte 1. tit. 8. num. 4. lit. *B.* Et vniuersim quidquid è communi, publicoque bono Reipublicæ fit, æstimandum est inter causas graues, vt aiunt Tamburinus L. 2. C. 6. §. 1. n. 4. & Pellizarius infrà.

260 Iam colligitur primò ex Rubrica transcripta, quod num. 258. animadverti declaratum fuisse à Sacra Rituum Congregatione, vt omnis tolleretur ambiguitas, scilicet non esse dicendas Missas votiuas in diebus, in quibus celebrandum non est de festo duplici occurrente, nempe infra Octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, feria quinta Cinerum, in hebdomada maiori, in Vigilijs Natalis Domini, & Pentecostes. Cum enim dies præfati præferantur festo duplici, & Missa votiua non sit in hoc dicenda, sequitur à fortiori, neque esse dicendam in præfatis diebus, etsi ipsorum Officium non sit duplex. Ita post Gavãtum Diana parte 9. Tract. 8. Resol. 53. Tãburinus suprà, Leander Tract. 8. Disput. 7. quæst. 64. Pellizarius in Manuali Regular. Tract. 8. Cap. & sect. 2. subs. 1. num. 122. Quartus parte 1. tit. & dub. 4. cum Lezana, & Castaldo.

261 Tenet tamen contrarium Quintanaduenãs tomo 1. Tract. 7. singulari 20. num. 2. allegans Emmanuelem Rodrigueuz, qui tomo 1. quæstionum Regular. in 43. artic. 8. ait ex Nauarro Consilio 6. num. 8. [Pro Missa longa de Passione satis implet Sacerdos, si celebret de festo, aut etiã semiduplici, aut infra Octauã.] Quod dictum, non repertum à me in Nauarro, approbatur etiam à Brunone Chassaing in Priuilegijs Regular. parte 2. Tract. 8. Cap. 1. propos. 11. V. *Quartò quando.* Sed Nauarrus loquutus forsan est de obligatione contracta à Sacerdote mercenario, à quo sit petita Missa de Passione, non autem de obligatione orta ex Rubrica. Dicastillus Tract. 5. Disput. 4. dub. 14. num. 277. scribit, [Vtrùm sit rationabilis causa ad Missam votiuam, excusare Missam lõgam cũ Prophetijs in Sabbatho quatuor Tẽporum, vel Missam cum Passione, ipsi, qui celebrant, viderint. Ego sanè nusquam talem causam sufficientem putauerim,

tauerim, secluſis alijs extrinſecis rationibus ægritudinis, & ſimilium, maximè in diebus exceptis in Rubrica.] Sic Dicastillus; qui debuiſſet, ni fallor, reijcere omnino illud de Miſſa votiua in Sabbatho quatuor Temporum, aut diebus hebdomadæ maioris, nam ſi ſecludantur extrinſecæ rationes, quarum ipſe meminit, cæteræ non ſunt rationabiles, nec ſufficientes ad votiuam Miſſam in illis diebus, ſiquidem manifeſtè excipiantur in Rubrica Sabbatha quatuor Temporum, & feriæ hebdomadæ maioris in Declaratione Cardinalium.

262 Colligitur ſecundò cum Quarto ſuprà contra Gavantum parte 1. tit. 3. lit. L. infra Octauam Corporis Chriſti non eſſe dicendas Miſſas votiuas, cum enim illa excludat feſtum ſemiduplex, non ſecus ac Dominica, ſi in hac vetantur Miſſæ votiuæ, quidni in illa? Et præterea irrita eſſet cura Eccleſiæ de non omittenda Miſſa Corporis Chriſti in eius infra Octauam ob occurrens feſtum ſemiduplex, ſi omitti poſſet ob Miſſam votiuam.

263 Colligitur tertiò, debere Sacerdotem non alias dicere Miſſas votiuas de Beata Virgine, quàm quæ in Miſſali pro diuerſis anni temporibus aſsignantur. Quarè debet non dicere ab Aduentu vſque ad Natiuitatem Domini Miſſam incipientem *Vultum tuum deprecabuntur*, &c. ſed Miſſam inchoantem *Rorate Cæli deſuper*, &c. ſicque de alijs. Debet item non dicere Miſſam de Natiuitate, aut de Aſſumptione B. Virginis vt votiuam intra annum; ſed eam, quæ tempori reſpondet: quia hoc ſecundum eſt conformius Rubricæ, magiſque decens, quàm propria authoritate mutare aliqua verba in Miſſa de Natiuitate, aut de Aſſumptione, aut minus verè ea pronunciare.

264 Verumtamen cum de aliorum Sanctorum feſtiuitatibus poſſint dici votiuæ Miſſæ, & in nonnullis earum facienda ſit mutatio aliqua, v. g. in Miſſa votiua S. Agathæ dicendum ſit, *Gaudeamus omnes in Domino, memoriam, aut commemorationem celebrantes ſub honore Beatæ Agathæ, de cuius memoria, aut commemoratione gaudent Angeli*, &c. probabile valde eſt, poſſe etiam abſque vllo peccato, & indecentia intra annum celebrari votiuam Miſſam de Beatæ Virginis Natiuitate, aut Aſſumptione: præſertim ſi celebretur extra diem Sabbathi, pro quo iuxta varietatem temporum ſuas Miſſas votiuas iam deſignauit Eccleſia. Habet vna, & altera pars ſuos patronos videndos apud Quartum ſuprà, dub. 5. Franciſcum de Lugo Lib. 5. Cap. 9. quæſt. 4. num. 31. & apud Leandrum Tract. 8. D. 7. q. 69.

265 Colligitur quartò, intra annum non eſſe dicendas alias Miſſas votiuas de ſanctiſsima Trinitate, de Angelis, de SS. Apoſtolis Petro, & Paulo, de Spiritu ſancto, de Euchariſtiæ Venerabili Sacramento, de ſancta Cruce, de Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, quàm quæ in fine Miſſalis ponuntur, Pontifex enim aſsignans votiuas Miſſas horum feſtorum prohibuit expreſsè, aut tacitè, dici vt votiuas extra horum feſtorum diem, aut infra Octauam cæteras alias poſitas vt feſtiuas pro die, aut infra Octauam.

266 Inquies, cuique diei hebdomadæ Pontifex aſsignauit ex votiuis præfatis propriam Miſſam; & tamen neque illicitum eſt, neque indecens, ſi feria v. g. tertia celebretur Miſſa votiua de V. Sacramento Euchariſtiæ. Sed contra, quia in Rubrica ante præfatas Miſſas legitur, *Sequentes Miſſæ votiuæ licet pro Sacerdotis deuotione quacumque die dici poſſint per hebdomadã, quando feſtum duplex non occurrit, hoc tamen paſsim, niſi rationabili de cauſa, fieri nõ debet; ſed quoad fieri poteſt, Miſſa cum Officio conueniat. Cuique autem diei Miſſa poteſt aſsignari*, &c. Expende prima, & vltima verba, eliciesque, relinqui Sacerdotis deuotioni, vt ſingulas ex præfatis Miſſis quacumque die aliunde non impedita dicere poſsit, licet Pontifex addat, poſse congruenter Miſſam propriam cuique diei adſcribi. Aſt nuſquã extat ſimilis facultas, aut permiſsio ad feſtiuam Miſſam v. g. de V. Sacramento Euchariſtiæ cõuertendam in votiuã.

267 Quare ſi conuertatur, fiet minus conformiter ad Pontificis mentem, & non ſine indecentia, imò & non ſine peccato veniali, & aliquando non ſine lethali, vt ſi fieret ex ſuperſtitione, aut ſequeretur ſcandalum. Certè ſi extra hebdomadam maiorem, vt in Paſchate, audiremus dici ex ſolo Sacerdotis placito ſine vrgenti aliqua cauſa Miſſam votiuam, quæ vt propria dici-

tur in ea, aut è contra Missam de Paschate celebrari tunc temporis mœsti, non parùm scandalizaremur; esset que scandalum non merè acceptum, sed datum: non enim invenio Authorem, qui à Sacerdote non peccari, affirmarit exertè in hoc casu. Legantur Diana parte 3. Tractatu 6. Resolut. 102. Franciscus de Lugo suprà cum alijs, quos laudant. Et hæc quoad §. 4. Rubricarum generalium Missalis.

268 In §. autem 5. statuitur, vt *prima die cuiusque mensis (extra Aduentum, Quadragesimam, & tempus Paschale) non impedita Officio duplici, vel semiduplici dicatur Missa principalis generaliter pro defunctis*, &c. Permittitur etiam, vt *feria secunda cuiusque hebdomadæ, in qua Officium fit de feria, Missa principalis dici possit pro defunctis*, &c. Additurque, *Missæ autem priuatæ pro defunctis quocumque die dici possunt, præterquàm in festis duplicibº, & Dominicis diebus.* Quibus in verbis cum tam expressè prohibeantur Missæ de *Requiem* in diebus Dominicis, audiendus non est Niger, dum apud Dianam parte 9. Tractatu 2. Resolut. 29. asserit contrarium de priuatis. Sed arguit Niger ex verbis illis §. 4. suprà exaratis, *quæ tamen Missæ*, &c. nam Officium Dominicæ non est duplex, & pro votiuis Missis priuatis excipiuntur solummodò dies Officij duplicis. Contra tamen, tum quia Missæ defunctorũ non sunt, neque vocantur votiuæ; tum quia in recognitione nouissima Missalis excipitur etiam Dominica pro votiuis; & ante eam recognitionem intelligebatur excepta, quanuis nõ adeò clarè, nam Rubrica loquebatur de diebus infra hebdomadam, vt inferre erat facile ex initio numeri 3. & post Missas votiuas ad finem Missalis dicebatur, vt & nunc, *Aliæ Missæ votiuæ pro diuersis rebus, quæ dici possunt quacumque die, nisi fuerit Dominica, vel Officium duplex; sed tamen passim non dicantur, nisi vrgenti de causa, vt suprà dictum est de alijs Missis votiuis.* Non magis est audiendus Antonius de Natiuitate, dum in Sylua suffragiorum pro animabus Purgatorij Lib. 6. Cap. 4. & 7. conatur, posse in omnibus diebus, qui de præcepto non sint, dici Missas de *Requiem*. De quo conatu meminit Alfonsus Vazquez de Miranda in Tract. de supplicatione ad Sanctissimum pro tribus Missis in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Discursu 3. Cap. 5. num. 191 quin discerni possit, an approbando, vel reprobando. Sed à nobis reprobari debet, cum in Rubrica excipiantur absolutè festa duplicia, quin exigat, vt sint de præcepto. Et ex notatis paulò anteà excipiendi etiam sunt dies, in quibus celebrandum nõ est de duplici, quod occurrat.

269 Huiusmodi autem exceptiones valent in Missis priuatis. Sed solemnem de defunctis posse, præsente corpore insepulto dici in duplicibus per annum, constat ex num. 2. §. 5. Et in Dominicis, ac festis de præcepto, quæ æqualia sint Dominicis, non tamẽ valde celebria, puta primæ classis, declarauit Sacra Rituum Congregatio die 23. Maij, anno 1603. apud Gavantum parte 1. titul. 5. num. 2. lit. X. traditurque in Rituali Romano tit. de Exequijs. Vnde vbi vsus obtinuerit nõ sepeliendi sine Missa solemni, debebit Officium sepulturæ differri post festũ primæ classis, vt admonet Rituale Romanum. Et quo tempore, atque templo canitur Officium de defunctis, celebratur Missa solemnis, mandaturque corpus sepulturæ, posse dici Missas priuatas de *Requiem* in festis etiam de præcepto, probabile mihi admodùm est cũ Quarto parte 1. tit. 5. dub. 2. V. *Dico tertiò*, sæpeque vidi vsitatum. Ratione diei tertiæ, septimæ, trigesimæ, & anniuersariæ celebrari poterit Missa solemnis in diebus duplicibus, & Dominicis per annum, vt constat ex §. 5. n. 2. Sed non in festis de præcepto, neque in alijs primæ classis. Tandem vt volũtas testatorum adimpleatur, censuit Sacra Rituum Congregatio die 1. Septembris, anno 1607. & die 20. Iunij, anno 1626. apud Gavantum parte 1. titul. 5. num. 2. lit. *A* posse tolerari Missas de *Requiem* in festo duplici, quod non sit de præcepto. Ex quibus omnibus liquet de veritate responsionis nostræ ad quæstionem propositam in titulo Sectionis.

[illegible]

SECTIO

SECTIO XIX.

Quando sit peccatum, & quale, dicere Missam prohibitam manifestè tali die in Missali?

270 RESPONDEO primò, esse peccatum, si in Missis solemnibus, quæ recitantur in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & Conuentualibus, fiat contra præceptum Rubricarum Missalis; hæ enim, & præceptum Pij V. de obseruatione ipsarum obligant sub pœna peccati in Missis solemnibus, atque vt sic obligantia, & vt non mera instructio, aut directio accipiuntur ex communi sensu, consuetudine, & praxi: ferèq; semper sequetur scãdalum graue, si in Missis solemnibus non seruentur. Sed & per se, independenterq; ab scandalo videtur multis, fore peccatũ mortale, si in præfatis Missis secus fiat, ac Missale disponit; alij verò constanter affirmant, fore peccatum, licet non exprimant, mortalene, an tãtùm veniale. Quare ego non auderem, excusare saltem à veniali.

271 Allegari ad id solent Canones *Et hoc attendendum* 52. de Consecratione Dist. 1. *Quidam Laicorum* 2. *Cum Creatura* 11. de Celebratione Missarũ. Sed primus nimis remotè: secũdus, qui est Cõcilij Salegunstadiensis C. 10. iubet, vt de tempore, & de die Missæ cãtentur, quin omittantur propter Missas peculiares. Corrigendumque est in eo Canone illud *non pro alia deuotione*, & mutandum in *non pro aliqua diuinatione*, vt habet editio Binij in Concilio Salegũstadiensi, suadetque sensus ipse, & contextus, quin opus sit Glossa V. *Deuotione*, addita ad Decretales. In tertio præcipitur, vt *pro Anniuersarijs defunctorum, & professo, vel feria secundùm temporum congruentiam Missarum solemnia conuentualiter celebrentur*. Videatur etiam Cõcilium Colonienſe celebratum anno 1536. p. 2. C. 16.

272 Respondeo secundò, esse peccatum veniale, si pro mero Sacerdotis arbitrio dicatur Missa priuata cõtra præscriptum Rubricarum, quia hę, & præceptum Pij V. quãquam à maiori parte Doctorum non accipiantur vt obligantia grauiter, vt priuatæ Missæ dicantur iuxta præscriptum Missalis, secus tamen vt obligantia leuiter: quã autem meritò sic accipiantur, innotescet posteà. Et sępe obscãdalum sequutum peccabitur lethaliter, si ex solo Sacerdotis libito, sine rationabili aliqua causa dicatur vna Missa pro alia, vt si feria 4. Cinerum recitetur Missa de Paschate.

273 Multi citant cõtra nos Suarium. Sed hic solummodò ait, [Non semper esse culpam dicere Missam alterius diei, seu de alia re, quàm in Missali præscribatur.] Sic in D. 83. S. 3. V. *Dico primò*. Quæ verba aptè possunt intelligi in sensu nostrę responsionis ad quæstionem, de qua in Sect. præcedenti. Nec Suarez ait absolutè, nõ esse culpam, sed non semper esse culpam. Quod & nos fatemur, potest enim interuenire rationabilis causa, ęgritudinis v. g. aliaue similis, ob quam liceat præsertim in Oratorio secreto dicere Missam priuatã de *Requiem* in die Officij duplicis, quia scilicet Sacerdoti ob infirmitatem, aut ob graue negotium occurrens non suffi ciant vires, aut tempus ad Missam longiorem, aut quia ob debilitatẽ oculorũ non possit legere Missam de die, teneat tamen memoria Missam de *Requiem*, aut aliquam votiuam. Nusquam igitur ait Suarez, non esse culpam, si pro mero Sacerdotis arbitrio celebretur Missa priuata contra dispositionẽ, permissionẽve Missalis. Eodẽ modo loquitur Tãnerus tom. 4. D. 5. q. 10. dub. 1. num. 6. & 7.

274 Meliùs citantur Granadus tom. 1. Controv. 6. Tract & D. 14. n. 5. Gaspar Hurtadus D. 4 de Sacrificio Missæ, Diff. 12. V. *Hoc supposito*, Laurentius de Portel in Dubijs Regular. V. *Missa*, in Additione, num. 7. Præpositus quæst. 83. artic. 4. dub. 3. num. 188. Emmanuel Rodriguez in Summa Cap. 247. Conclus. 24. Petrus de Ledesma Cap. 24. in 6. Conclusione. Villalobus Tract. 8. Diff. 31. num. 5. Trullench Lib. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 21. n. 8. Laurentius de Peyrinis in Additamentis ad Constitutionem Pyrrhi C. 1. num. 15. Bruno Chassaing parte 2. de Privilegijs Regular. Tract. 8. Cap. 1. propos. 4. V. *Duas*, Filliucius tomo 1.

Tract. & Cap. 5. num. 154. & quidam alij apud Quartum in quæstione Proœmiali sect. 2. puncto 7. V. *Prima sententia.*

275 Arguuntque, quia sicut Sacerdoti liberū est, dicere, vel omittere Missam, ita & aliam celebrare. Sed inefficaciter, nā eo ipso quòd celebret, tenetur celebrare iuxta Rubricas Missalis, sicut obligatur non præterire aliquid Missę, quam suscipiat recitandam liberè. Et quidem Missale, atq; Rubricæ tam iniungunt qualitatem Missæ, quàm eius integritatem. Ergo sicut si rei diuinę operetur Sacerdos, debet seruare integritatem præscriptam in Missali, & Rubricis, ita etiam debebit seruare qualitatem ibidem præscriptam. Fateri tamen oportet, obligari minus Sacerdotem ad qualitatem, quā ad integritatem, & minoribus ex causis posse non seruare qualitatem, quàm integritatem, quia minus malū est, minusq; deforme, assumere vnā Missam ex approbatis ab Ecclesia, sed deputatā pro alio die, quàm trūcare eam, quę ab Ecclesia proponitur integra, & perfecta, vt reciteturr; minorque causa rationabilis sufficit ad honestandam mutationem qualitatis, quā ad ipsius quasi substantiæ, aut partium integralium in Missa mutilationem.

276 Aliqui adducunt Canonē *Et hoc attendendum* 52. de Consecratione Dist. 1. vt confirment nostram hanc responsionem secundā. Sed parùm conducere constabit legenti attentè hæc eius verba, *Et hoc attendendum, vt Missæ peculiares, quæ per dies solemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt propter eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia Canonicè fiunt, abstrahatur.* Scopus Canonis est, ne propter Missas peculiares celebratas publicè à Sacerdotibus in diebus solemnibus, & auditas à populo, is desistat à præsentia ad Missas solemnes. Vnde nō curatur in hoc Canone, vt Missæ peculiares sint de die festo, eiusdemq; qualitatis, cuius sunt solemnes (id quod opus erat, vt Canon ad rem faceret) sed ne agantur in publico. Est autem contraria consuetudine derogatū huic Canoni, vt cum Nauarro monet Tānerus suprà.

277 Firmius præsidium habetur in duobus exemplis antiquis relatis à Thoma Cantipratano L. 2. Boni vniuersalis de apibus C. 53. n. 14. & pag. 540. in editione Georgij Coloneri) de duobus Sacerdotibus, qui accusati sunt coram Episcopis ob Missas semper celebratas de defunctis, & de Beata Virgine. Hinc enim manifestè infertur, iam olim existimatum, non licere, vt quisque Sacerdos pro arbitrio suo quotidie faceret Missas de *Requiem*, aut votiuas de B. Virgine.

278 Respondeo tertiò, ratione institutionis Capellaniæ, aut stipendij manualis accepti, aut promissionis factæ Deo, vel homini, aut pœnitētiæ iunctæ à Confessario, aut præcepti impositi ab Episcopo, vel Prælato Regulari de dicenda Missa de *Requiem*, siue votiua, tali die, non excusari Sacerdotē à seruanda Rubricarū regula, quæ prohibet celebrari tali die Missam de *Requiem*, aut votiuam, eo quòd sit dies Dominica, aut Officij duplicis, & de præcepto; quanquam tolerari possint Missæ de *Requiem* in diebus Officij duplicis, quę non sint de præcepto, vt impleātur testatorum voluntates, & non ob aliam ex præfatis causis. Hanc exceptionem apponit Declaratio Cardinalium, cuius iam memini paulò antea, & quę tēperans rigorem Rubricarum indulsit vltimis piorum voluntatibus, vti solent fauere omnia iura; & præterea voluit ostendere gratitudinem Ecclesiæ erga defunctos, qui legatum reliquerunt, simulque allicere viuos, vt testamento relinquerēt similia legata. Qua exceptione suppositā, probo responsionem, quia cæteræ causæ non sunt sufficientes excusationes, nusquam enim reperiuntur approbatæ à Summis Pontificibus. Vnde contra singulas illarum præualere debent Rubricæ; atque ideo si tali die celebretur Missa ex intentione satisfaciendi vni ex obligationibus illis, debet celebrari, quæ sit de Dominica, aut de festo duplici. Scripsi, *Si tali die celebretur Missa*, nam nisi aliunde obstet, poterit Missa dicenda ex ea intentione differri in alium diem non impeditum.

279 Inquies, fore, vt sequatur scandalum, si qui stipēdum manuale concessit, notet, non dici Missam votiuam, aut de *Requiem*. Cōtra, quia huiusmodi scandalum parui pendendum est, vtpote acceptum, & non datum.

Præter-

Præterquàm quòd Sacerdos poterit sui facti rationem reddere Laico ignoranti. Inquies rursus, fidem datam de Missa votiua, aut de *Requiem* obligare Sacerdotem. Contra, quia siue promiserit conscius, siue ignorans legis Ecclesiasticæ, non tenetur seruare fidem contra prohibitionem legis illius; cuius si conscius fuit, promisit malè; si ignorans, etsi benè promisit iudicio suo, id tamē non sufficit, vt obligetur reapse cum prę iudicio legis illius. Quippè fides liberanda non sit, nisi salua honestate, & ritu ab Ecclesia prę scripto.

280 Quia verò sæpè Laici importuni sunt in petendis Missis votiuis, aut de *Requiem*, quæ celebrentur diebus prohibitis, & nisi Sacerdotes annuant, exhibent ipsis nō leuem mœrorem, aut ipsi retrahuntur ab offerendo stipendio manuali, licebit Sacerdotibus eo indigentibus ad sui sustentationem promittere Missas petitas, mēte subintelligendo votiuas, aut de *Requiem* æquiualenter, vt aduertit Tamburinus Lib. 2. Cap. 6. §. 2. num. 5. Fas erit etiam, dicere, se recitaturos Missas pro defuncto, id est, quas pro illo offerant, aut de B. Virgine, v. g. id est, ad eius honorem, seu ad impetrandum à Deo ob eius merita, & intercessionem beneficium desideratum à postulante Missas. Atque vt cum Gauanto notat Marchinus Tractatu 3. de Ordine parte 2. Cap. 25. num. 10. [licet Sacerdoti, promittere se facturum Sacrum de defuncto, ea ratione, qua magis defunctis proderit, seruato Ecclesię ritu, & salua honestate, & vtilitate spirituali propria, & aliena, & secundùm superuenientem dispositionem, ac deuotionem. Et regulariter hoc pacto est interpretanda mens eorum, qui funebre Sacrum promittunt.] Sic Marchinus. Sed quid, si ob Missam votivā, aut de *Requiem* in die prohibito offeratur maius stipendium solito? Debebit quidem Sacerdos respondere, se impediri lege Ecclesiastica, vt eo die satisfaciat; vel instituere Laicum de æquali Dei, & Sanctorum cultu, atque glorificatione quasi substantiali per quamcumque Missam, necnon de æquali valore, & vtilitate per omnes Missas ex opere operato, siue ad satisfaciendum pro pœna, siue ad impetrandum à Deo per merita, & intercessionem Sanctorum beneficiū aliquod. Nā etsi accidētalis cultus, atque glorificatio Dei, atque Sanctorum maior sit per se in vna Missa, quàm in alia, & orationes vnius vtiliores fructuosioresque per se sint, quàm alterius in ordine ad remissionē pœnæ, & ad impetrationem beneficij alicuius; nihilominus hæc inæqualitas potest multipliciter compensari deuotione Ecclesiæ, Sacerdotis celebrantis, fidelium adstantium, & intercessione Sancti, cuius Missa recitatur; gratiusq; est Sancto, cuius Missa votiua petebatur, & animabus Purgatorij, pro quibus desiderabatur Missa de *Requiem*, vt offeratur Sacrificium iuxta conditionem, aut qualitatem ab Ecclesia statutam. Quapropter sapienter aiebāt quidam apud Syluestrum V. *Missa* 1. quæst. & num. 8. [nullam Missam defunctis esse salubriorem; quàm propriam diei] Et Panormitanus in Cap. *Quidam Laicorum*, obseruat, [quòd propter Missas peculiares non debent in Ecclesia dimitti Missæ, quæ occurrunt, aut de feria, aut de festo proprio:] quamquam addat, [& intelligunt hic Doctores, quando in Ecclesia non est nisi vnus Sacerdos, si enim essent plures, benè posset vnus dicere Missam occurrentem, & alius ob deuotionem dicere Missam peculiarem.]

281 Inquies iterùm, si Sacerdos animo se obligandi ad Missas de *Requiem*, aut votiuas promisit homini cū iuramento, vel Deo cum iuramento, aut sine illo, tenebitur ex religione iuramenti, aut voti ad ipsas quacumque die indiscriminatim. Cōtra, nam promissio facta homini cum iuramento, vel Deo cum, aut sine illo, non inducit obligationem, si adimpleri non potest absque peccato; tunc enim nulla est ea promissio. Quare Sacerdos non tenebitur ad Missas de *Requiem*, aut votiuas die Dominica, aut die Officij duplicis, etsi homini promiserit iure iurando, aut Deo cum iuramento, vel sine illo, se dicturum ipsas tali die, siquidem absque peccato veniali stare non possit promissioni siue iuratæ, siue simplici.

282 Inquies vlteriùs, si Confessarius in pœnitentiam Sacramentalem, aut Episcopus, vel Prælatus Regularis prę ceptiuè iniungat Sacerdoti Missas de *Requiem*, vel votiuas die Do-

minica, aut Officij duplicis, debebit Sacerdos exequi præceptas Missas. Cõtra, nam neque Confessarij, neque Episcopi, neque Prælati Regularis præceptum obligare potest ad Missas tali die celebrandas, non enim habent legitimam facultatem ad dispensandum in Rubricis Missalis, vt neque ad instituendos ritus circa celebrationem Missarum, quandoquidem Summus Pontifex vnam, & alteram facultatem reseruauerit sibi: at nisi dispensetur legitimè in Rubricis Missalis, non potest citra peccatum recitari Missa de *Requiem*, aut votiua in die Dominica, vel Officij duplicis.

283 Hinc sequitur primò, Sacerdotem, qui accepto, vel non accepto stipendio promisit, se dicturum Missam de *Requiem* in altari priuilegiato pro feria secunda ad liberandam animã à Purgatorio, manere immunem ab obligatione missandi de *Requiem*, potiùsque debere non celebrare de *Requiem*, si in feriam secundam incidat festum de præcepto, aut Officium duplex; quanquam ad testatorum voluntates adimplendas celebrare Missam de *Requiem* possit eo in altari, si festum Officij duplicis, quod in eam feriam incidat, nõ sit de præcepto. Ita Gavãtus parte 1. in Rubr. Mis. titul. 5. num. 2. lit. *A*. 2. Marchinus Tract. 3. de Ordine, parte 2. Cap. 26. num. 5. Thomas Tamburinus Lib. 2. Cap. & §. 6. num. 3. quia altaris priuilegium intelligendum est, saluo iure Rubricarum; neque est fundamentum, vt dicatur, aut cogitetur, per cõcessionem illius priuilegij fuisse à Summo Pontifice dispensatum in Rubricis, cum ea concessio, simulque Rubricæ stare possint in suo vigore, quatenus ea concessio valeat pro ferijs secundis quibuscumque non impeditis per Rubricas ad Missas de *Requiem*. Fateor, nonnullas ferias secundas esse impeditas; sed nos non possumus eas expedire per latam, & amplam Pontificij priuilegij explicationem, quę nulli solido fundamento innitatur. Et præterea multò plures feriæ secundæ manẽt liberæ.

284 Si probabile sit, per quãcumque Missam dictam feria secunda in altari priuilegiato obtineri ab anima purgante Indulgentiam plenariam per modum suffragij, etiamsi priuilegij tenor exprimat Missam defunctorum, aut de *Requiem*, vacaret huius nostræ illationis doctrina. Sed iam in Disput. 19. num. 64. aperui meum sensum contrarium, qui est etiam Tamburini suprà, num. 2. & Marchini suprà, num 3. atq; 4. cum alijs. Imò multi contendunt, ad fructum Indulgentiæ esse necessariam Missam de *Requiem*, etiam quando Põtifex non exprimit in tenore priuilegij qualitatem Missæ. Et sic sentiendum est, si authenticæ sint, & ad instar legis vniuersalis habeantur quædam Eminentissimorum Cardinalium Declarationes, quæ circa mentem Pontificiam in concessione huiusmodi priuilegij circumferuntur, vt dixi in loco prędicto.

285 Quęret quis obiter, an Sacerdos celebrans in altari priuilegiato possit pro vna anima applicare fructum Sacrificij, & pro alia fructum Indulgentię? Decisio quæsiti pendet ex priuilegij tenore; qui si exprimat, applicandam esse Indulgentiam pro ea anima, pro qua celebretur, cessat difficultas; si tantũ exprimat, Sacerdotem celebrantem in tali altari liberaturum vnam animam è Purgatorio, tunc ad quæstionem affirmatiua responsio est communis post Suarium tomo 4. in 3. partẽ, Disput. 53. Sect. 4. num. 3. quia tũc ad liberationem animæ satis est apponere Missam tanquam opus pium iunctum; & de fructu ipsius Missæ ex opere tam operato, quàm operantis nõ est, cur non possit disponere Sacerdos in bonum alterius animæ. Sed notandum est, quando à Sacerdote petitur, vt siuè gratis, siuè ex stipendio sacrificet pro aliqua anima in altari priuilegiato, finem petentis esse (nisi ipse aliud significet) vt pro ea anima applicetur tam Sacrificij fructus, quàm Indulgentiæ. Notandum etiam est, si Sacerdos celebrans ad altare priuilegiatum committat peccatum aliquod in Sacrificio, vt si dicat Missam de *Requiem* in die prohibito, aut si conscius culpæ lethalis operetur rei diuinæ, nõ ideo animam frustrari fructu Indulgentiæ, quia vt anima lucretur eum fructum, non est opus, nisi vt Sacerdos iunctam Missam exequatur ex intentione, & voluntate comparandi Indulgentiam defuncto, vt probat Suarez ibidem, n. 6.

Sequi-

286 Sequitur secundò, contra Sylvium apud Dianam parte 9. Tractatu 2. Resol. 29. si concedatur, vt in altari priuilegiato dicatur Missa de *Requiem* per Octavam omnium Sanctorum, non licere dicere eam in Dominica infra Octavam, quia si tenor priuilegij non exprimit Dominicam præfatam, oportet interpretari priuilegium, salva ea Dominica, exceptage neraliter per Rubricas.

287 Sequitur tertiò, promittentem triginta Missas, quas vocant S. Gregorij, non teneri dicere Missas de *Requiem*, imò teneri non dicere in Dominicis, & festis duplicibus interciden tibus. Celebret ergo Missas de his ex intentione satisfaciendi, non secus, acsi Missas faceret de *Requiem*, vel interrumpat seriem triginta Missarum, quę ab ipso postulatæ sunt. Vtrumuis enim licet, ne discedatur à Rubricis. Et quidem, vt notavi in Disput. 18. num. 25. vulgi potiùs persuasione, quàm fidedigno aliquo testimonio debent esse de *Requiem* Gregorianę Missę. Et quanuis eius conditionis fuissent, quas Abbati Pretioso imperavit S. Gregorius, non credam, non acceptandas à Deo, vt de *Requiem*, quæ celebrentur de Dominica, aut festo duplici ob Rubricarum ab Ecclesia præscriptarum obseruantiam; vt neq; credam, non acceptandas à Deo vt continuas, quando intermittantur, vt possint omnes triginta dici de *Requiem*, aut ob superueniens triduum hebdomadę maioris. Harum Missarum maior vis, quàm aliarum non est penes fructum satisfactorium ex opere operato, sed penes impetrationem ob merita S. Gregorij, & fortè penes aliquã plenariam Indulgentiam, quam à Summo Pontifice obtinuerit S. Gregorius, vel quam ipse iam evectus ad Sedem Pontificiam elargitus sit.

288 Sequitur quartò, novos Sacerdotes, quando celebrent Missam de Spiritu sancto, vel de B. Virgine, vel de *Requiem*, vt adimpleant siue voluntatem, siue præceptum ab Episcopo in Ordinatione impositum de tribus illis Missis post primam, debere attendere, ne sit die, quo non liceat per Rubricas. Vnde Missam de *Requiem*, v. g. mutent in diei propriam, quam offerãt pro defunctis; imò in Pontificali antiquo, quod nunc ad manus habeo, tantùm iniungitur Missa pro fidelibus defunctis; quæ verba rigorosè accepta non exigunt Missam de *Requiem*, sed quæ offeratur pro illis. Vel poterunt noui Sacerdotes in alium diem differre Missam tertiam de *Requiem*, casu quo quartus sit Dominicæ, vel Officij duplicis. Nam etsi præscriptio qualitatis earum Missarum habeat ortum à Summo Pontifice, cuius iussu liber Pontificalis est editus, & à cuius nutu dependet dispensatio in Rubricis; tamen nõ constat, præscriptionem, seu præceptum illud imponi nomine Summi Pontificis, & non potiùs solius Episcopi novis Sacerdotibus; neque rursus constat, Summum Pontificem dispensare vel pro ea vice in Rubricis. Legantur Gavantus circa eas parte 1. tit. 4. lit. O. §. *Neque putes*, Tamburinus Lib. 2. Cap 6. §. 5. num. 3. Quartus q. Proœmiali Sectione 2. punct. 7. V. *Colligitur Quartò*, & quæ nos scripsimus Disp. 19. ex num. 121. vsque ad 123.

289 Sequitur quintò, si Laicus petat à Sacerdote, vt, quando non licet celebrare Missam de *Requiem*, aut votivam, dicat saltem vnam Collectam de defunctis, aut de Sancto, non esse indulgendum à Sacerdote petitioni Laici, si additio huiusmodi Collectæ contraria sit Rubricis, vt in Missa de duplici, in qua non sit facienda vlla commemoratio, tunc enim additio, etsi sit orationis habitæ in Missali Romano, etsi item animus introducendi novum ritum, contemptus, & scandalum absint, non carebit veniali culpa. Sed obseruandum est, fas esse Sacerdoti adijcere ex vsitatis ab Ecclesia aliquam Collectam in festis duplicibus, quæ non sint primæ classis, si Episcopus, aut alius gaudens iurisdictione quasi Episcopali iubeat, vt legitimè possit in casu grauis necessitatis publicæ. Videantur Gavantus parte 1. titulo 9. numero 15. lit. I. Quartus parte 1. tit. 1. dub. 8.

*

SECTIO

SECTIO XX.

An causæ de proximo allegatæ sint sufficientes, vt extra Dominicam diem, & Officij duplicis celebretur Missa votiua, aut de Requiem, omissa Missa diei, v. g. festi semiduplicis?

290 PRIMO præmitto, Rubricas non prohibere, sed potiùs permittere, vt extra Dominicam, & diem Officij duplicis celebrentur frequenter non modò Missæ de *Requiem*, sed etiam votivæ, si adsint causæ rationabiles, atque vrgentes. Secundò, satis esse Sacerdotis arbitrium, aut devotionem, vt semel, aut iterùm extra eos dies fiant Missæ tam de *Requiem*, quàm votivæ. Tertiò, satis esse idem arbitrium, aut devotionẽ ad frequentes Missas de *Requiem* extra eos dies, quanquàm satis non sit ad frequentes votivas, quia ad illas Rubricę non apponunt limitationem, quam ad has, ne scilicet passim sine rationabili, & vrgenti causa fiant. Considerentur diligenter verba Rubricarum, §. 3. n. 4. §. 5. num. 2. & addita ante Missas votivas, quæ item posita sunt post votivas B. Virginis, conferanturque omnia inter se.

291 Scio, Tamburinum L. 2. C. 6. §. 1. num. 3. interpretari verba Rubricarum, quatenus arbitrium, aut devotio Sacerdotis intelligenda sint strictè pro arbitrio, & devotione ex causa rationabili, & vrgenti. Scio etiã, eundem num. 4. indicare, intelligendum esse de Missis de *Requiem* idem ipsum, quod in Rubricis dicitur de Missis votivis, quia ad has reducuntur illę. Sed prima intelligentia est nimis stricta, & secunda nimis ampla. Id autem quod nos in tribus præmissis diximus, genuinè deducitur ex verbis Rubricarum; rectèque in se stat, vt Summus Pontifex ad favendum defunctis permiserit celebrari Missas de eis, non modò semel, aut iterùm, sed etiam frequenter ex arbitrio, & devotione Sacerdotum, & fideliũ extra dies illos; & vt ad honorem specialem Sanctorum, indulgensq; affectui religioso Sacerdotum, & fidelium erga ipsos permiserit fieri semel, aut iterùm Missas votivas de eis ex eodem arbitrio, aut devotione extra præfatos dies.

292 Cum autem insistens Rubricis repeto vocem *arbitrium*, non loquor de actu humano, vt præcisè libero, sed vt tendente in finem bonum, conformemque rectæ rationi: & quod contendo est, causam rationabilem, aut devotionem, quæ moveat Sacerdotem ad vnam, aut alteram Missam votivam, & ad frequentes de *Requiem* extra prædictos dies, non debere esse vrgentem notabiliter, neque valdè magnam. Si id concedat perdoctus Tamburinus, nulla inter nos discordia erit; nolo enim nunc controvertere, an ob exercẽdam merè suam libertatem possit sine peccato Sacerdos agere eas Missas; qui actus humanus in individuo indifferẽs implicantiam contradictionis involuens censetur à multis.

293 His præmissis, solutio quæstionis propositæ sit, relatas causas vtpote rationabiles, & vrgentes, sufficere ad id, vt non modò semel, aut iterùm, sed & vt passim peragantur nedũ Missæ de *Requiem*, verùm etiam Missæ votivæ extra Dominicam, & diem Officij duplicis. Atque hinc à fortiori cõsectarium est, ob evitandum scandalum eius, qui, si petijsset Missam de *Requiem*, dedisseretque stipendium, turbaretur audiens Missam diei currentem, posse à Sacerdote omitti hanc, & assumi illam. Idemque censeo de Missa votiua.

294 Imò existimo, teneri Sacerdotem ad illas, si concurrat aliqua ex plerisq; causis memoratis, cũ enim importet expressam, vel tacitam promissionem de Missa defunctorum, aut votiva, quæ licitè potest dici, non est, cur non inducat obligationem gravem, aut levem, non tantùm fidelitatis, sed etiam religionis, si promissio facta sit Deo, aut etsi homini, ast confirmata sit iuramento; sed etiam iustitię, si acceptum sit stipendium, aut sub eius conditione initum sit pactum de Missa dicẽda: tuncque eò maior erit obligatio iustitiæ, quò de maiori stipendio contentio fuerit, vt celebretur Missa votiva,

tiva, vel defunctorum, aut vt hęc dicatur in altari priuilegiato habente Indulgentiam pro Missa solùm de *Requiem*.

295 Oppones, æquum esse Missam conuenire cum Officio horarũ Canonicarum. Si ergo Officium sit de semiduplici, aut simplici festo, poterit Sacerdos celebrare de tali festo, etiam si acceperit stipendium, vt de *Requiem*. Antecedens est depromptum ex Rubricis. Respondeo, cum in Rubricis addatur, *Quoad fieri possit*, constare vel exindè, nullam esse Consequentiam; fieri enim non potest licitè, vt si petita sit, & promissa Missa de *Requiem* in festo semiduplici, aut simplici, & cum hoc onere acceptum sit stipendium, dicatur eo die alia Missa, quę conformis sit Officio, & omittatur Missa de *Requiem*. Addo, conuenientiam Missæ cum Officio non consuli à Rubricis, quando loquuntur de Missis de *Requiem*, sed de votiuis; & quando de his sermonem habent, non consulere, nisi ne passim sine rationabili causa discordet Missa ab Officio.

296 Premes ex Tamburino supra, §. 4. num. 1. saltem, si Sacerdos per iuramentum promiserit soli Deo votiuam Missam, aut de *Requiem* in die festi semiduplicis, aut simplicis, non obligabitur, siquidem etsi vt promissio homini facta obligationem inducat, sufficiat, quòd possit adimpleri sine peccato; at vt promissio soli Deo facta adstringat, requiritur, vt non impediat maius bonum; quale in præsenti est conformatio Missæ cum Officio. Sed me facilè expedio, nam non est maius bonum, sed æquale, quando ipsæ Rubricæ permittunt, aut concedunt, vt possit Missa non conformari cum Officio; & ideò accedente iuramento obligabitur Sacerdos ad non conformationem.

297 Vrgebis adhuc: ergo saltem ratione voti non tenebitur Sacerdos ad non conformationem, quia votum, vt obliget, debet esse de meliori bono. Probabile est, quod per hanc replicam intenditur, scilicet satisfacturum Sacerdotem, si vnam, vel alteram Missam conficiat in casu voti. Sed altiori examini relinquo, an sufficiat ad obligationem ex voto, vt sit de æquali bono, eo quòd iam illud sit gratum Deo, & proinde obligatorium; sitque etiam de meliori bono per comparationem ad sui contradictorium?

298 Obijcies rursus, qui postulat Missam de *Requiem*, & dat, aut spondet stipem pro eà, erit irrationabiliter invitus, si à Sacerdote dicatur Missa de festo semiduplici, aut simplici, de quo recitatur Officium eo die, nam ex parte rei oblatæ fructus est æqualis, siue vna Missa dicatur, siue alia. Et quanuis ex parte precum ab Ecclesia institutarum plus prosit defunctis Missa de *Requiem*, tum quia preces illę sunt magis directæ ad concupitum effectum impetrandum, tum quia excitant viuos, vt pro defunctis orent; tamen iste excessus compensari potest abundè intercessione Sancti, cuius Missa celebretur; deuotione item Sacerdotis, qui magis afficiatur in eam Missam, quàm in aliam de *Requiem*, necnon eiusdem Sacerdotis impetratione, quæ (si cætera sint paria) eò maior erit, quò actio sacrificandi fuerit melior, gratior, atque conformior voluntati diuinæ, vti est (cæteris paribus) Missa, quæ pro eius diei festo semiduplici, aut simplici designata est ab Ecclesia. Audiatur Concilium Mediolanense VI. tit. de ijs, quæ ad Missam pertinent, dicens, *Intelligendum est, fructuosiores esse, magisq; prodesse preces, & orationes ab Ecclesia pro defunctis institutas cum applicatione Sacrificij, quàm applicationem solam; licet recõpensari possit per maiorem deuotionem, vel eius, qui facit dici, vel per intercessionem Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur.* Audiatur etiam doctissimus Nauarrus L. 5. Consiliorum in 14. de Priuilegijs, num. 2. inquiens, [Licet valor Missæ pro defunctis valeat aliquid ampliùs quoad valorem operis operantis, ea ratione, quòd totus ferè tenor eius resonet defunctorum; alio tamen respectu valet minus, quia brevior est, & breviùs, & minus attentè vt plurimum dicitur, quàm alia. Illo item, quòd frequẽter memoria nova Sancti, & novitas Officij auget deuotionem missantis, ex qua pendet valor operis operantis.]

299 Respondeo, petentem Missam non esse irrationabiliter invitum quoad commutationem vnius Missæ in aliam, cum Ecclesia ipsi concedat, vt licitè queat petere determinatè

Missam

Missam de *Requiem* illo die, & stipendio dato, aut promisso pacisci de ea dicenda, tali die. Si ergo potest rationabiliter hoc velle, petere, & in pactum deducere, vndenam erit irrationabiliter inuitus, si contrarium fiat. Et sanè quòd ex parte rei oblatæ fructus sit æqualis in vna Missa, ac in alia, nihil probat, alioqui cum sit etiam eo modo æqualis siue dicatur in vno altari, siue in alio, siue canetur, siue recitetur, foret irrationabiliter invitus ille, qui Missam à se dotatam nollet celebrari in altari Capellæ alienæ, aut qui nollet recitari, cum ipse præscripserit, vt caneretur. Quod verò excessus ex parte precum possit compensari aliundè, nihil obstat, nam petens Missam, dansque, aut promittens stipendium, habet ius, vt satisfiat sibi per eiusdem speciei Missam (dum potest) ac petijt, & pro vt petijt, atque in pactum deduxit, nec æquum est, vt alter proprio nutu per æquipollens, imò & per præpollens conetur compensare, dum per idem ipsum, quod conuentum est, potest satisfacere. Falsumque est, Missam diei, vt dicendam à Sacerdote in circumstantijs nostri casus, esse gratiorem Deo, quàm Missam de *Requiem*, Deus enim mavult, Sacerdotem dicere Missam de *Requiem*, ad quam obligavit se ex iustitia.

300 In responsione præstita admisimus cum Concilio Mediolanensi, posse excessum, qui ex parte orationum pro defunctis reperitur in Missis de *Requiem*, compensari sufficienter in Missis de Sanctis; sed negavimus, fas ideò esse celebrare Missam de Sancto, si acceptum sit stipendium pro Missa de *Requiem* in die, quo permissa est, vel concessa per Ecclesiam. Sed quoad id, quod admisimus, discordat à nobis Alfonsus Vazquez de Miranda in Tractatu de tribus Missis Discursu 3. Cap. 5. num. 20. vbi hæc habet reddita à me fideliter ex lingua Hispana in Latinam, [Nec defectus præfatarum orationum suppletur sufficienter per intercessionem Sanctorum, ad quorum honorem fiant alia Sacra; sunt enim graves Authores, vt Sotus in 4. Dist. 45. quæst. 3 art. 2. Ægidius de Coninch tomo 2. de Sacramentis quæst. 83. punct. 1. dub. 7 num. 54. & Magister Fr. Antonius de Nativitate in Sylva Lib. 6. C. 7. num. 3. qui dicunt, Sanctos in Cœlo non orare semper pro animabus fidelium defunctorum, quæ illis commendantur, vt locum relinquant divinæ iustitiæ, quæ in earum supplicio se exercet: de quo puncto agit latè Fr. Elias de S. Theresia in Legatione Lib. 2. C. 12. Et quanuis intelligi possit, citatos Authores negare Sanctis, quòd illorum oratio sit satisfactio, non autem impetratio; quæ videtur esse doctrina S. Thomæ in 4. Dist. 45. art. 3. ad 6. conaturque Bartholomæus de S. Fausto, alias Pyrrhus Siculus, L. 1. de Horis Canonicis q. 45 satis est hæc dubitatio ad intentum. Nec adhuc desunt alij Authores, qui sentiant, Sanctos, in Cœlo à Deo non obtinere remissionem animabus Purgatorij, quæ illis commendantur, sed quòd excitet devotionem in vivis, vt faveant eis, & vt pro eis satisfaciant: quæ est opinio Suarij tomo 4. in 3. p. Disp. 48. sect. 6. à num. 3. Quanquam autem contrarium sit certum, nihilominus certum est etiam, si quando Sancti orent, & Deus vellit audire illos, non habere promissionem de acceptatione infallibili, vti habet Ecclesia militans. Quare neque intercessione Sanctorum, neque Missa celebrata in illorum honorem, suppletur valor orationum Missæ de *Requiem*.] Sic ille.

301 Qui in primis melius allegasset Sotum ad negandam semper, & omnino orationem Beatis pro animabus Purgatorij. Ait enim Sotus loco citato, ad finem articuli, [Sancti non sunt in statu satisfaciendi, sicut vivi: & quia suffragia existentibus In Purgatorio non prosunt nisi per modum satisfactionis, fit, vt pro illis Sancti nō orent] En plus dicit Sotus, quàm quòd Sancti non orent semper pro animabus Purgatorij, cum expressè asserat, non orare vnquam. Id quod si verum esset, conduceret magis, vt adnotaretur, ad finē intentum.

302 Deinde allegatio Ægidij de Coninch fidelis non est, nam is Author, non in tomo secundo de Sacramētis, sed in primo explicat quæstionem 83. partis 3. Sancti Thomæ; neque dividit q. 83. in puncta, sed in articulos, dubia, & numeros; neque in ea q. agit de oratione Beatorum pro animabus Purgatorij, sed in Disp. 11. tomi 2. dub. 7. ex num. 56. probansque ora-

re

re pro animabus illis, quin declaret, an semper, an aliquando tantùm, inquit in num 58. V. *Ad secundum*, [Quare dicendum est, quòd sicut merita Christi nõ applicantur nobis secundùm omnem suum valorem, sed secundùm moderationem divinæ misericordię simul & iustitiæ: ita & Sanctorum preces secundùm modum divinæ providentiæ tam nobis, quàm illis animabus prodesse: quibus ita aliquarum pœnarum remissionem impetrant, vt tamen etiam iustitiæ suus locus relinquatur.] Quibus in verbis, & in prę vijs alijs, ac subsequentibus non affirmat, vt Sotus (cui associatur) Sanctos non orare pro illis animabus; neque orare non semper (vt ei attribuitur) pro animabus, quæ commendantur ipsis; neque intermittere orationem, vt locum relinquant diuinæ iustitiæ (provt de ipso refertur) sed expressè tradit, sic à Sanctis concipi orationes, & acceptari à Deo, vt huius iustitia non lædatur.

303 Rursus de Antonio à Nativitate, quia nunc copiam non habeo libri ab eo editi, etsi olim à me sit lectus, & aliqua ex eo adnotarim, non possum ferre iudicium. In Elia à Sancta Theresia video longam tractationẽ de orationibus Beatorum ad Deum pro animabus Purgatorij, eamque susceptam contra Hæreticos, & non contra aliquem Catholicum, de quorum nullo testatur, sibi esse dissentientem. Et in num. 18. concludit, [Sanctos à diuina misericordia petere, atque obtinere, vt tantùm de proprijs, vel Xpti satisfactionibus applicare, vel offerre Deo eis liceat pro liberanda, quam intendunt, anima, quantùm hæc de rigore iustitiæ suppliciorum aliàs sustinere debuisset,] quin oratio Sanctorum pro mortuis impediat Dei iustitiam. Quare Elias à S. Theresia non discutit late, neq; breviter punctum illud de nõ continua oratione Beatorum pro mortuis, vt divina iustitia illęsa maneat.

304 Vlteriùs citati Authores, vtpote homines adeò sapientes, si concesserunt orationem Beatorum pro animabus Purgatorij, non potuerunt, dicere esse satisfactoriam pro illis. Vnde non modò potest intelligi, sed debet, quòd negarint, esse satisfactoriam, & admiserint, esse tantùm impetratoriam. Et ita expressit Ægidius de Coninch; Sotus verò omnem prorsus orationem inficiatus fuit.

305 Porrò quod Sanctus Thomas in loco citato docet, vnum è duobus est, vel Sanctos non fundere eam orationem pro animabus Purgatorij; vel eam non esse immediatè impetratoriam remissionis pœnæ, sed mediatè, quatenus petat à Deo, vt excitet vivos ad satisfaciendum pro illis, vel vivorum satisfactiones pro illis acceptet, vel suas antiquas, quę ipsis Sanctis non fuerunt necessarię in vita mortali. In primo sensu intellexit Sotus S. Thomam. Ego magis propendeo, vt intelligam in secundo. Nam verba S. Doctoris sunt, *Suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis quasi quædam satisfactiones viuentium vice mortuorum; & secundùm hoc mortuos à pœna absoluunt, quam non soluerunt. Sed Sancti, qui sunt in patria, non sunt in statu satisfaciendi; & ideò non est simile de eorum orationibus, & suffragijs Ecclesiæ.* Quibus in verbis respondet Sanctus Thomas ad hoc argumentum propositum in numero 6. *Orationes totius Cœlestis Curiæ si aliquid impetrare possunt, efficaciores essent, quàm omnia præsentis Ecclesiæ suffragia: sed multiplicatis suffragijs præsentis Ecclesiæ factis pro aliquo in Purgatorio existente, totaliter absolueretur à pœna. Cum ergo Sancti, qui sunt in patria, eadem ratione orent pro illis, qui sunt in Purgatorio, sicut & pro nobis, si nobis aliquid impetrant, illos, qui sunt in Purgatorio, totaliter orationes eorum à pœna absolverent. Quod falsum est, quia suffragia Ecclesiæ pro defunctis facta superflua essent.* Sic ibi.

306 Illud de oratione SS. pro animabus Purgatorij non immediatè impetratoria gratuitæ remissionis pœnæ alicuius est opinio Patris Suarij in citato tomo, & Disputatione, sed sect. 5. num. 8. vbi declarat, eum fuisse sensum S. Thomę, & non quem approbavit Sotus post Durandum in 4. Dist. 45. q. 1. aliquantò intricatiùs loquentem. Adhærent Suario Elias à S. Theresia L. 2. C. 1. ex num. 3. Tannerus tomo 4. D. 6. quæst. 8. dub. 3. num. 61. Aversa q. & sect. 11. de Euch. Sacramento, & Sacrificio ex V. *Quinto* vsque ad finem, Castrus Palaus Tract. 24. Disp. vnica, punct. 1. num. 11. & 12. Quarius p. 1. tit. 5. dub. 6. V. *Respondeo, & dico primo*, alijque multi, quos nec opus est, nec vacat recensere. Vnde me latet, quo

dicatur

dicatur iure, contrariũ opinioni Suarij esse certum; nisi verba proximè subsequuta post citatum Suarium referenda sint ad quidpiam aliud ex antecedẽtibus, aut nisi scripta sint per modum conniventię ex abundanti, nam in Authore brevitas sermonis Hispani de tot rebus, tamque Theologicis causa est obscuritatis.

307 Postremò, quòd si Sancti in Cœlo orent pro animabus Purgatorij, & Deus velit audire eos, nihilominus careant promissione divina acceptandarum infallibiliter suarum precũ, secus ac Ecclesia militans, etsi ab Authore enuncietur vtquid indubitatum, mihi tamen nulla ratione placere potest, estque contra S. Thomam supra in Corp. articuli, vbi ait, *Sanctorum orationes sunt, quantùm est in ipsis, efficaces ad impetrandum, quod petunt.* Signanter dixit S. Doctor, *quantùm est in ipsis* ob rationem, quàm exhibuit Coninch supra exaratus, & ex ipso Dicastillus Tract. 9. Disp. 1. dub. 6. num. 132. Et quidẽ nullum ego Theologum post multos euolutos invenire potui, qui omnem efficaciam, & infallibilitatem respuerit in oratione Sanctorum siue pro vivis, siue pro mortuis, admissa semel oratione pro his, necnõ (vt prorsus debet) efficacia, & infallibilitate cõditionata in oratione vivorũ siue pro alijs vivis, siue pro defunctis Purgatorij. [Quãtò enim decentius, & potiori iure concedendũ est, impetrationem huiusmodi in hominibus iam in gratia confirmatis, atque ad ęternam gloriam sublimatis inueniri, quàm in mortalibus adhuc in peccati, damnationisque periculo existentibus?] Quæ sunt verba Eliæ à S. Theresia num. illo 18. Et confirmantur à me, quia incredibile est, Ecclesiã militantem habere efficaciam, & infallibilitatem in suis precibus pro animabus Purgatorij, si preces præditæ sint conditionibus, sub quibus facta est à Deo promissio; è contra autem carere ea efficacia, & infallibilitate in suis orationibus triumphantem Ecclesiam, quando in eis concurrant, multòque securiùs conditiones illæ. Nec Deus alligavit promissionem suam orationibus Ecclesiæ militantis potiùs, quàm triumphantis. Addo in C. *Animæ* 13. quæst. 2. dici, quæ sunt *defunctorum, quatuor modis solui, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.* Vbi per preces Sanctorum intelliguntur, tam quæ funduntur à Sanctis in via mortali, quàm in patria. At quæ funduntur in via, gaudent efficacia, & infallibilitate, si adsint conditiones præindicatæ. Ergo & quæ in patria, cum textus ille vtraque comprehendat, nulliusque suffragij meminerit, quod præditum non sit ea efficacia, & infallibilitate ex promissione, aut institutione divina. Et hæc circa verba Authoris illius. Legatur autem Suarez Disputatione illa 48. sect. 5. num. 7. cum quo firmiter censeo, Beatos interdum orare pro animabus Purgatorij. Videatur etiam Coninch Disputatione illa 11. dub. 7. à num. 54. vsque ad 59. dissolvens perspicuè difficultates nonnullas subnascentes ex ea oratione.

308 Alienum non erit ab hoc loco, si notem, eundem Alfonsum Vazquez de Miranda postea in C. 10. num. 45. dicere, vocari à Doctoribus ad quæstionem, vtrum in Ecclesijs Collegiatis, & Monasterijs Regularium possit omitti Sacrum Conventuale de festo, aut feria, vt cantetur in altari maximo Missa funebris? Et ob favorem animarum Purgatorij, probabiliorem esse partem affirmativam, quam cum Gavanto, & Rodriguez tuentur Diana parte 3. Tract. 2. Resol. 8. & parte, ac Tract. 4. Resol. 6. necnon Verricelli in qq. Moralibus Tract. 8. q. 30. Sed ego, consulris his Authoribus, nõ aliam quæstionem apud eos video agitatam, quàm an sit obligatio cantandi quotidie Missam solemnem in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, necnon in Regularibus profitentibus Chorum? Aiuntque, Cathedrales, & Collegiatas ordinariè teneri sub gravi obligatione ad Missam Conuentualem, eamque conformem Officio diei; non autem Regulares. Vnde iuxta eos debebit cantari de festo, aut feria Sacrum solemne in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, nisi Rubricæ permittant, aut concedant Missam aliam. Et vt liceat Missa solemnis de defunctis, sed non est omittenda Missa de festo, aut feria. Nec desunt qui sentiant, concurrente festo cum feria privilegiata, cantandas esse ex obligatione gravi duas Missas, vnam de festo, aliam de feria;

quanquàm

quanquàm multi etiam non agnoscãt tantam obligationem, sed levem tantummodò: quibus ego assentior cum Quarto parte 2. tit. 3. sect. 1. dub. 3. Quare nec tunc fas erit, omissa ea, quę sit de festo, aut de feria privilegiata, cantare Missam de *Requiem*. Et vt liceat, in hanc commutare vnam ex illis, non tamen omittere illam vtramque. Quòd si in Ecclesijs Regularibus nulla sit obligatio ad Missam solemnem dici festi, aut feriæ, poterit cantari Missa de *Requiem* in festo, aut feria non impedita per Rubricas; quanquam & probabile sit oppositum, eo quòd si semel habenda sit Missa Conventualis, debeat ea esse conformis Rubricis, vt de Missa privata dicebam in numero 275.

SECTIO XXI.

Sintne & aliæ causæ, ob quas liceat idem ipsum, quod suprà? Agitur de Ecclesiæ cura subueniendi animabus Purgatorij per Sacrificia.

309 VLTRA causas declaratas sunt etiam aliæ, vt licitè possint fieri Sacra votiva, aut fenebria in diebus alioqui prohibitis per Rubricas. Ac sanè cum prohibitio communiter nõ sit sub culpa graui, sed levi, opus non est causa rationabili magna, vrgentique valdè. Hinc in festo simplici, & in semiduplici posset celebrare Missam votivam Sacerdos, qui aggrederetur periculosam navigationem, qui timeret notabile damnum, aut periculum, qui premeretur ingenti aliqua necessitate spirituali, vel temporali, aut quo tempore Respublica eam postularet; qui benedicturus esset nuptias, qui consecraturus esset ad Eucharistiam ministrandam moribundo, vel frequenti populo, vel personæ alicui illustri; aut si aliàs non essent audituri Sacrum in die festo, & non haberet Missale novum, in quo contineatur Missa currens.

310 Imò & qui si ex eo non legat Missam votivam, omissurus sit Sacrum, privaturusque se, & Ecclesiã fructu Sacrificij, quia Missale careat Missa currenti. Huc revocandæ etiam sunt causæ, de quibus in numero 273. Imò & qui ingenti aliqua devotione feratur erga Sanctum aliquem, aut erga Purgatorij animas, poterit agere Missam votivam, aut de *Requiem*, præsertim in Oratorio secreto, aut si in templo publico, sed absit scandali discrimen. Et certè cum tot, tamque graues Authores, quot retulimus n. 274. non agnoscant venialem culpam, si (citra contemptum, & scandalum) privatè celebrans non obseruet qualitatem Missę per Rubricas præscriptam, ęquũ est, vt nos, & qui nobiscum sentiant oppositum, benigni, & faciles sint in approbandis vt sufficientibus causis præfatis, alijsque similibus. Vbi transcursim animadverto, si Superior adhærens eorum Authorum opinioni, præcipiat subdito celebrationem Missæ votivæ, aut funebris privatę, quo die prohibetur per Rubricas, & quo subditus iuxta nostram opinionem censeat, esse saltẽ culpam venialem non se conformare cum Rubricis, & cum Officio horarum Canonicarum, tunc, si constet, Superiorem præcipere ex scientia Rubricarum, nostræque sententię, quin hinc inde retardetur, operæpretium erit, vt noscat subditus, se posse parere, iudicãdo, vel præsumendo, Superiorem duci opinione probabili re ipsa, & conformando se cum eius, vt docti, & prudentis hominis, dictamine; vt item noscat, se teneri parere, si suam opinionem non iudicet probabiliorem, sed minus, aut ęquè probabilem, quàm Superioris. Nã si constanter, manifestèq; probabiliorẽ suam reputet, excusant eum multi ab obediendo, nec desunt, qui excusent, si suam vtcumque probabilem re ipsa existimet, quamuis in praxi consulant, vt obediat. Videatur inter alios Castr. Palaus T. 1. D. 2. punct. 6. ex n. 5. In simili casu de Confessario præcipiẽte ad satisfactionem Sacramentalem Missas votivas, aut de *Requiem* dicendas diebus prohibitis per Rubricas, minor, aut nulla est difficultas, quia pœnitens non tenetur accommodare se opinioni Confessarij, si sua sit vtcumque probabilis re ipsa, vt cum torrente Doctorum tradit præclaudatus Castrus Palaus punct. 4. cuius Authoris scripta præstantissima familiaria mihi sunt, vt & ipse, dum viueret, fuit summæ veneratioñi ob re-

ligiosissimas animi dotes, & ob doctrinam eximiam. Num vero pœnitẽs poterit ad Confessarij nutum Missas dicere? Vtique. Sed melius faciet, si ad Rubricarum præscriptum.

311 Iam quando ex non modica quadã devotione honestari posse dixi celebrationẽ Missæ votivæ, aut de *Requiem* in die non concessio per Rubricas, non ideo inde sumenda est occasio ad vno, aut tertio quoque die, aut valde frequentem celebrationem, nam non erit discreta devotio, quæ moveat ad tam ordinariã discrepantiã à directione Ecclesiç. Vererique est, multos Sacerdotes assuescere Missis votivis, aut funebribus, si nõ ex cõtemptu aliquo Ecclesiasticorum rituum, neq; ex animo perturbãdi bonum eorũ ordinem, saltẽ ex negligentia quadam, & torpore animi, ex tædio rerũ spiritualiũ, nimiaq; ad prophana, & secularia negotia distractione, necnon ex cupiditate absoluendi quantocyùs Sacrum quotidianum.

312 Quoad Missas quidem de *Requiem* non parũ solicita est Ecclesia, intenta piè iuvandis animabus Purgarij initio cuiusque mensis, & hebdomadç, in die depositionis, item in tertia, septima, trigesima, anniversaria, & Cõmemorationis omnium earũ. Præterea in singulis Missis ab initio Ecclesiæ fit pro eis deprecatio ad Deũ in Secretis, & satis frequenter in Collectis altiore voce cantatis, aut recitatis, de quo more testãtur Concil. Cabilonense relatũ C. *Visum* 72 de Cons. Dist. 1. & Concil. Bracar. 1. C. 16. 17. & 21. Refertq; Alexander II. Papa C. *Sufficit* 53. de Cõsec. Dist. 1. suo tempore *quosdam pro defunctis vnam facere Missam, & alteram de die, si necesse fuerit.* Ex quibus verbis obiter colligitur, non fuisse impedimentũ ad secundam Missam de die, quòd præcessisset alia de *Requiem*; etsi Gregorius Lopez ad l. 50. tit. 4. Part. 1. V. *Del dia* contendat, fuisse consuetudinẽ Eccles. vt celebrata Missa defunctorũ, non posset de die fieri alia ab eodẽ Sacerdote, quando olim idem Sacerdos eodem die pluries sacrificabat. Quod confirmari potest ex Concil. Oxoniensi celebrato ad an. 1222. vbi PP. sic loquuntur, *Duximus statuendum, districtiùs inhibentes, ne Sacerdos quisquam Missarũ solemnia celebret bis in die, excepto die Natiuitatis, vel Resurrectionis Dominicæ, vel in exequijs defunctorũ, videlicet cũ corpus alicuius in Ecclesia eodẽ die fuerit tumulandum; & tunc prior Missa de die, posterior verò pro defuncto celebretur.* Sic illi. Sed quidquid sit, an quòdam factus sit, necne, regressus ex Missa defunctorum ad aliam de die?

313 Canon hic PP. Oxoniensium continet favorem erga defunctos, dum permittit, vt Sacerdos celebret secundã Missã de eis, si adsit corpus sepeliendũ. Qui favor placuit pleriq; Theologis, & Canonistis antiquis, si deesset alius Sacerdos, vbi mos fuisset non facere sine Missa Officiũ sepulturæ. Et in C. *Sacramenta altaris* 49. de Cons. Dist. 1. dicunt PP. Africani, *si aliquorum pomeridiano tẽpore defunctorum siue Episcoporum, siue ceterorum cõmendatio faciẽda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, iam pransi inuenãtur:* quibus in verbis innuere videntur, potuisse fieri post meridiẽ Officium sepulturç, nõ solũ cum orationibus, sed etiam cum secundis Missis à Sacerdotibus, si pransi, aut potì non existerẽt. Ita ex Petro Anello Persico Vazquezius de Miranda in T. de tribus Mis. Disc. 4. C. 5. n. 17. & 18. Disc. 3. C. 8. n. 32. Quaquã mihi magis persuadeo, non id innui, sed quòd si fortè prandissent, aut bibissent Sacerdotes ad, vel post meridiem, eo quòd nollent celebrare (vt solebant ab hora tertia vsq; ad nonam, & aliquantò vltrà, manẽtes ieiuni ex dimidia nocte) tunc cõmendationem defuncti exequerentur solis orationibus sine Missa. Quare mentio pomeridiani temporis nõ est argumentum Missç vnius matutino iam tẽpore celebratæ, quia, vt tractavi latè in D. 21. S. 3. ævo illo peragebãtur Sacra valde serò. Legãtur, quç in eius D. n. 10 adnotavi ad C. *Presbyter* 2. Dist. 91.

314 Ex eodem favore erga mortuos celebrari posse duas Missas vno, eodemque die ab vno, eodemque Sacerdote, qui tantùm adsit, & ieiunus, si occurrant duç Missç ex consuetudine dicendæ, altera de tempore, altera de defunctis, assertio fuit omnium ferè Theologorum, & Canonistarum veterum. Quem favorem non reprobauit Alexander II. Papa vbi supra, & aliquando posse habere locum, censuit P. Suarez Disp. 80. Sect. 3. V. *Vt autem*, pag. (mihi) 1200. column. 1. linea 19. Sed Vazquez de Miranda suprà ait, Suarium confundere, & non benè distinguere

tinguere hunc casum à proposito proximè; atque adeò videri loqui variè. Verumtamen nihil distinctiùs, nihilq; vniformiùs scriptum vnquã fuit à Suario, nam casus de mortuo sepeliendo ponitur ab illo in V. *Tertia enim*, pagina 1199. col. 1. lin. 25. primo loco, & casus de occurrentia duplicis Officij ponitur lin. 42. loco quinto; & posteà V. *Vt autem*, pag. eadem, col. 2. pag. seq. col. 1. fert iudicium de vno, & altero, vt distinctis, illudque diversum. Vbinam ergo confusio vtriusque casus? Vbinam varietas circa eundem? Potiꝰ crediderim, Vazquium de Miranda, quia putavit, se scripsisse Discursu 2. C. 4. num. 12. repelli à Suario posteriorem hunc casum, simulque voluit, tanti Doctoris authoritate eum ornare, iniecisse in Suarium notam tum cõfusionis casuum diversorum, tum varietatis in eodem. Quòd autem illud iudicarit, monstrant eius verba in secundo loco. Potuit tamen aliter existimare, vt ostendunt eiusdem verba in priori, nam ibi post narratos duos hos, aliosque casus multiplicis Missæ eodẽ die ab vno Sacerdote inquit, [Et quãuis P. Suario hi casus, aut aliqui illorũ videantur Metaphysici, & difficiles contingere in praxi cum omnibus suis circumstantijs, &c.] Qui dixit, *Hi casus, aut aliqui illorum*, potuit quidem formare iudicium diversum.

315 Vlteriùs ob favorem erga defunctos, si Parochianus, vel cui tenetur Sacerdos, petat anniversarium, vel annuale, vel trecennale, quod vult facere, nec Sacerdos potest cõmodè habere Vicarium, licet tunc repetita celebratio. Ita ex S. Raymundo Paludan⁹ in 4. Dist. 12. q. 1. art. 4. n. 20. Notatq; Vazquez de Miranda supra, Disc. 3. C. 8. n. 33. debuisse Paludanum dicere, nõ ex S. Raymundo, sed ex Ioanne de Friburgo ei⁹ Glossatore. At ex S. Raymũdo tranteribunt eadẽ verba S. Antoninus p. 3. tit. 13. C. 6. §. 5. Sylvester V. *Missa* 1. q. 7. Turrecremata in C. *Sufficit* n. 4. tametsi non sint S. Raymundi in Sũma. Et similia habent alij antiqui memorati à me in n. 26. D. 22. Navarrus autẽ, quem Friburgensi adiungit Vazquez de Miranda, solùm ait, [Cum occurrit causa, quę iusta videatur ad hoc (nempe ad plures Missas) arbitrio boni viri.

316 In nostræ Hispaniæ multis Ecclesijs ad favorem defunctorum, die Commemorationis eorum duæ, aut tres celebrantur Missæ ab eodẽ Sacerdote. Et anno quidem 1540. ex authoritate, & mandato Pauli III. Pontificis Maximi dato vivæ vocis Oraculo Antonius Cardin. quatuor Coronatorum, Pœnitentiariusq; Papę concessit, vt in maxima, alijsque Ecclesijs, & Capellis Civitatis Oriolanensis celebrarentur duæ Missæ, die omnium Sanctorum, & totidem die omnium defunctorũ. Cuius concessionis subscriptæ manu Cardinalitia, & nõ vergentis in vllius prę-iudicium num etiam extat vsus.

317 Patres Prædicatores Provinciæ Aragoniæ in Capitulo Provinciali apud Luchente anno 1553. denũciarunt, Iulium III. Papam ad supplicationem Cardinalis Compostellani [viuę vocis Oraculo, ad securitatem conscięntiarum Fratrum scrupulosorũ, concessisse, & confirmasse antiquam consuetudinem Provinciæ, vt absque scrupulis, etiam sine necessitate, possint Fratres in die Commemorationis defunctorum tres Missas celebrare.] Iuxta quod vivæ vocis Oraculum in Provincia Aragonensi PP. Prędicatores hodie etiam ter sacrificant, multiq; alij Regulares, qui cum Dominicanis habent communicationem privilegiorum, & quibus placet, in hoc communicare. Quia verò olim Monasterium Pampilonense Prædicatorum vnitum erat Provinciæ Aragoniæ, retinet nunc consuetudinem antiquam, etsi ab ea Provincia sit divisum.

318 In Cœremoniali quodam Sacrę Religionis Carmelitanę impresso Romæ anno 1616. L. 2. Rubrica 46. num. 5. dicitur, [Hic notare oportet pro Conuentibus, in quibus ex indulto Apostolico hac die Sacerdotes nostri tres Missas celebrant, &c.] Sic ibi, quin exprimatur privilegium, nec pro quibus Provincijs, aut Monasterijs fuerit concessum. De alio etiam indulto Apostolico ad tres Missas in Eremitorio S. Antonij extra muros Calaris apud Sardiniam confusa extat notitia; sed quòd eiusdem Vrbis extra muros in Monasterio Patrum Prędicatorum tres celebrentur, refertur ex fidedigno testimonio; duęque fiunt, & totidem die omnium Sanctorum ex immemorabili consuetudine in Patrum Prędicatorum

Monasterio de Huete Prouinciæ Hispanæ, seu Castellanæ.

319 Sacerdotes Sæculares Regni Valentiæ, & Maioricæ, necnon Ciuitatis, & Archiepiscopatus Calaritani die Commemorationis defunctorum bis litant, vt & in Comitatu, seu Prouincia Catalaunię (excepta Cathedrali Tortosæ) necnon in Diœcesibus Oscæ, Teruelæ, & Alboraci; & non longè antè id temporis in Barbastri. Tandem in Archiepiscopatu Cæsaraugustano, Suffraganeisque Diœcesibus, (sed non in templo Archiepiscopali) semel, & iterùm sacrificatur die tum Sanctorum, tum defunctorum. Quæ omnia diligenter recensuit præcitatus Vazquez de Miranda Discursu 2. ex C. 7. num. 22. vsque ad C. 10. inclusiuè, & in Additione ad finem Tractatus: voluique, compendio referre ad maiorem illustrationem eorum, quæ scripsi in Disp. 22. num. 20. transcribens narrationes aliorum, cum mihi deessent adiumenta, quæ ille habuit, ad explorandos vsus earũ Prouinciarũ.

320 Est autem in optatis Regi nostro Catholico, & pijssimo Philippo IV. vt Sacerdotibus Sæcularibus, & Regularibus die Commemorationis defunctorum omnium fas sit per Summum Ecclesiæ Præsulem, celebrare tres Missas in reliqua Hispania, Regnisque cæteris sibi subiectis. Dum autẽ veneror, & laudo Principis nostri religiosissimum desiderium ferendi opem animabus in Purgatorio excruciatis, obversatur memoriæ Plinius L. 2. Hist. naturalis Cap. 7. inquiens, [Deus est mortali, iuvare mortalem: & hæc ad æternam gloriam via: hac Proceres iere Romani: hac nunc Cœlesti passu vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus, fessis rebꝰ subveniẽs.] Quæ verba aptiùs quadrant in Regem nostrum. Occurrunt etiam illa Corippi carmina, quæ præter vnam, aut alteram vocem huc apprimè faciunt. Cũ enim Iustinus minor inauguratus Imperator liberasset è carceribus multos, qui iam diu ob æs alienum ibi detinebantur, sic canit Corippus L. 2.

Has pius adspexit lachrymas, precibusque dolentum
Annuit, & solui cunctos à crimine iussit,
More Dei: Deus est, cui verbo competit vno
Iustificare malos, mediaque à morte leuare.
Credite simpliciter, vox hæc temeraria non est,
Qui facit hoc, Deus est, Deus est in corde regentum,
Principibus Princeps, quidquid Deus imperat, hoc est.
Terrarum Dominis Christus dedit omnia posse,
Ille est Omnipotens, hic Omnipotentis imago.

Nec reticendi sunt illi alij eiusdem Corippi versus,

Hinc aliud pietatis opus tam grande sequutum est:
Cerne pias lachrymas, miserorum vincula solue:
Omnibus hæc sit læta dies, tua gaudia, Princeps,
Nullus agat tristis, cunctorum crimina solue,
Gaudeat vt lætus mitis te Principe mũdus.

321 Æmulatur Rex noster pietatem Iudæ Machabæi, Principis fortissimi, qui *facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, benè, & religiosè de resurrectione cogitans*, vt dicitur Machabæorum 2. Cap. 12. V. 43. Imitatur etiam Rex noster pietatẽ Imperatoris Caroli Magni, [Qui inter alia pijssimè, & rectissimè constituta etiam hanc legem tulit L. 6. Capitul. C. 95. Fideles pro defunctis amicorũ, & parentibus eorum ieiunia, & oblationes, triginta dies, adimplere faciant. Et ipsemet exemplo suo in hoc præivit. Cum enim triginta circiter Christianorum millia vnà cum Rhotardo ab exercitu hostili prope Cæsaraugustam essẽt occisa, duodecim auri talentorum millia, vestesque, & cibaria distribui curauit pro cęsorum animabus; deinde omnem terram circa oppidum Pleviniẽse, vbi Rhotardus sepultus est, Canonicis Regularibus, quos ipse Carolus iã instauraverat, assignavit, vt pro præfato defuncto anniversariũ agerent ea cõditione, vt bona pars proventuũ in pauperes distribueretur; triginta itẽ Psalteria, totidemque Missæ persolverentur, de reliquis ipsi Canonici viverent. Quin imò & ipse insuper ardentissimè, & devotissimè pro ijsdem ad Sanctum Dionysium prope Parisium orauit,

erit, & vt alij idem facerent, plurima vectigalia devotis personis attribuit.] Ita refert Elias a Sancta Theresia in Legatione Ecclesiç triumphantis ad militantem pro liberandis animabus Purgatorij L. 2. C. 36.

322 Nec minus fuit devotus erga eas ætate nostra Ferdinandus II. Imperator potentissimus, & religiosissimus, qui vt resciebat obitum personę alicuius notæ, commissamve à suo exercitu pugnã, solicitè iubebat offerri multa Sacrificia piacularia, atq; suffragia, ipseque pro defunctis Catholicis Deum impensè deprecabatur, vti tradit Iosephus Pellizer Libro de eius virtutibus C. 21. pag. 112. Quæ erga milites Deo, & sibi fideles in prælijs occumbentes cura pijssima excitat inter alia nostrum Regem, vt audio, ad supplicationem, quam dixi; ne militum suorum animabus accidat, quod anno 1098. non longè ab Vvormatia contigisse alijs narrat Trithemius in Chronico Monasterij Hirsaugiensis his verbis, [Multis diebus, & noctibus maxima multitudo armatorum equitum, & peditum apparuit, tanquam ad placiti colloquium, seu bellum processura, & nunc huc, nunc illuc quasi per turmas discurrentes circa nonam horã noctis ad vicinum mõtem, ex quo prodire consueverant, revertebantur. Tãdem nocte quadam Monachus quidam Limpurgensis Cœnobij non procul à monte distantis, de quo exire solebant, assumptis secum quibusdam alijs ad locum montis accessit, munienſque se signaculo sanctæ crucis exeuntes de monte, qui essent, per virtutem sanctę, & individuæ Trinitatis, vt dicerent, fortiter adiuravit. Cui vnus ex turba respondit: Non sumus phantasma, nec militum viventium turba, sed animæ hominum quondam in hoc mundo Principi terrenorum militantium, non ante multos annos in hoc loco interfectorum. Arma, habitus, & equi, qui nobis, dum viveremus, instrumenta erant peccati, etiam nunc post mortem in nobis sunt quædam indicia tormenti. Omne, quod iam cernitis circa nos, totum ignitum est nobis, quanquam vos ignem nostrum minimè videatis. Cumque Monachus, vtrum iuvari ab hominibus possent? inquireret, spiritus respondit, ieiunijs, & orationibus, & maximè oblatione corporis, & sanguinis Christi adiuvari possumus, & rogamus. His dictis omnis illa multitudo spirituum quasi vna voce clamabat trina vice, Orate pro nobis, Orate pro nobis, Orate pro nobis. Mox omnes in ignem resoluti videbantur, sed & mons ipse quasi arderet, ignem, & maximum fragorem arborum, & stre-pitum emisit.] Hactenus ex Trithemio.

323 Et certè cum iuxta Curtium L. 5. Cap. 10. [Vix vllum tam solemne militiæ munus esset Alexandro Magno, quàm humandi suos,] nulla etiam maior Regum, & Ducum Catholicorum post consertas manus solicitudo deberet esse, quàm quòd pro occisis inferiæ sacræ fierent. Alexander ingenti studio suorum semper funera curabat, vt reliquos, inquit Diodorus Lib. 12. ad discrimina faceret huiusmodi honestamentis promptiores. Si Catholici Reges, & Duces addant præstantius beneficium circa suorum militum extinctorum animas, reddent multò animosiores eos, qui superstites sint. Timeant negligentes in subsidijs spiritualibus erga emortuos milites, ne cum S. Augustino, vel cum alio, qui sit Author Sermonis 44. ad Fratres in Eremo, iure dicere valeamus, *O quàm grandis crudelitas! O quàm grandis inhumanitas! Clamant ad vos quotidie, qui, dum vixerunt, multa mala pro vobis sustinere voluerunt, nec eis subuenire curatis. O verè magna inhumanitas!*

324 Et vniuersim quemque fidelium vivorum, vt intentus sit iuvãdis animabus Purgatorij per Sacrificia, vt quæ sint maxima earum levamina, hortatur his verbis Hugo Eterianus C. 27. de Animarum regressu ab Inferis; [In defunctorũ obsequia non sumus ęs, quod tantùm sonat, & non lucet, verũ argentum, quod tam splendore, quàm tinnitu (quibus claret) delectamento est. Larga est misericordia Redemptoris nostri Quæ de re Sacramento Dominici corporis, orationibus, eleemosynarum beneficio, vinctos ab Inferno solvit, educit, & aditus Regni Cœlestis aperit eis. Non enim in vanum pro vita defunctis offertur hostia, non temerè eleemosynæ in sinum pauperum expromũntur, non frustra coram Deo effunduntur orationes, si-

siquidem multi dudum propter huiusmodi, sicut superiùs comprehensum est, tormenta Inferni evaserunt; sed maximè per hostiæ immaculatæ oblationem remedia dormientibus præstantur. Quippe cum hostia in manibus est, Angeli, Archangelique assistunt, & ipse etiam Dei filius. Ideo magni honoris est in præsentia Dominatoris eos diguari memoria, qui obierunt, quando terribile mysterium illud commemoratur, quomodò pro mundo dedit se ipsum Deus. In quo vtique miraculo congruè, ac opportunè Christus Invitatur, vt ijs, qui decesserunt, indulgentiam donet. Quemadmodùm vtique quando triumphus Imperialis victoriæ agitur, tunc laudantur quidē etiam, quicumque victorię communicaverunt, dimittuntur etiam, qui in vinculis tenentur, illo tempore; sed illo spatio absumpto, non quilibet remissione fruitur. Sic & in hoc loco suffragiorum est hoc tempus. Quotiescūque, inquit, manducabitis panē hunc, mortem Domini annunciabitis. Quare non simpliciter accedamus, neq; quomodolibet hæc fieri existimemus; Dominus est, cuius caro attrectatur manibus: ideo acceptatissimum est huiusmodi tempus ad culpæ mortuorum veniam impetrandam. Hæc scientes prę-stemus quod possumus, remedia ijs, qui vita functi sunt: pro lachrymis orationes; pro luctibus eleemosynas, & pro sepulchri decore hostiam vivam exhibeamus, vt illi, & nos interni gaudij, atque vitæ interminabilis consortes efficiamur. Sic Hugo Eterianus coætaneus Alexandri III. Pontificis Maximi.

325 Sed quia in tanto cumulo testimoniorum, quantum apud multos Scriptores modernos reperio pro vtilitate Sacrificij Missæ erga Purgatorij animas, desidero mentionem Eteriani, adiungam duo alia ipsius. Itaque in C. 13 ait, nomine earum animarum ad fideles viventes, [Miseremini & sociorum, ò viri Christiani, vestro adiutorio nunc opus est, vt pro nobis Paschalē victimam offeratis, agnum videlicet salutarem, qui tollit peccata mundi. Sic verè de barathro Inferni educere potestis. Exorate Deum pro nobis, coram ipso effundite orationes, & egentibus eleemosynas porrigite. His divitijs, his petitionibus, his largitionibus vorago Inferni captivos reddit, absolvit, & in vitam abire permittit.]

326 Rursus in C. 15. [Vult vtique misericors Deus, vt nostrorum, qui mortui sumus, onera, vos, qui viuitis, portetis:: Vult plenus misericordia Deus, vt in adiutorium nostrum, & proximorum intendatis. Non est enim opus sanis Medico. Vt quid per incruentam hostiam occasionem dedisset faciendi memoriam pro nobis, qui vos anticipavimus? Vt quid in Scripturis, & trigesimis, & anniversarijs diebus omnium obituum commemorationes Apostolica, & Catholica per fines orbis terræ celebraret sancta Ecclesia?]

327 Subijcit posteà Eterianus complura alia, ex quibus duo sunt notatu digna, vnum, quòd [nulla macerari ambiguitate conveniat egenorum, atque pauperum causa, vt salutem non consequantur: eo sciiicet, quia non relinquunt superstitem, qui Sacerdotem ad sacrificandum invitet, qui eleemosynas dispergere, aut qui orationibus vacare debeat. Putasne, iniustus est Deus, vt habenti intercessorem indulgeat, non habenti verò immisericors existat? Absit hoc, iustus est vtiq; Deus, non habentes beneficos habentibus cōnumerans, nam beneficia, quæ pro suis mortuis quique faciunt, misericors Deus pro omnibus, qui meruerunt in vita, vt iuvari possent, acceptat. Ideoque magis annitendum est vobis, vt Sacrificium offeratur, vt orationum fiat instantia, vt eleemosynarum succrescat largitio, quia quod putatis singulare, benignus Iudex vt commune accipit.] Sic ille. Sed an probabiliter, necne, noscet, qui relegerit numerum 78. Disp. 17.

328 Alterum est, [Item iustorum animæ, quæ sydereas mansiones percolunt, quanquam pro omnibus, illorum tamen, qui viventium famulatu, & singulari obsequio destituuntur, propensiùs orationes suas ad communē Dominum fundunt. Namque vt pro se Iudicem deprecentur, non indigent.] En admittit manifestè fructuosas orationes Beatorum pro animabus Purgatorij. Et meritò, vt enim ait S. Petrus Abbas Cluniacensis in Epist. contra Petrobrusianos titulo contra id, quod

dicunt

dicunt, viuorum beneficia nihil prodesse defunctis, *Cum bonorum viuentium oratio viuentibus profuerit, cur eorundem, vel similium mortuorum deprecatio mortuis prodesse non poterit? An apud piissimam Maiestatem plus prodesse possunt viventes iusti, minus mortui iusti? An maioris apud Deum pretij sunt preces bonorum viuentium, quàm bonorum suplicationes mortuorum? Numquid excellentioris meriti sunt apud Dominum suum Sancti in corpore constituti, & inferioris mortalitate exuti? Numquid maioris gradus, vel gratiæ sunt adhuc in carne positi, & minoris iam Deo coniuncti? Non hoc, non hoc, inquam, ratio, vel iustitia patitur, vt quando debent esse robustiores, fiant infirmiores, quando debent esse potentiores, sint impotentiores, quãdo debent esse perfectiores, sint imperfectiores, quando solet talibus adaugeri gloria, minuatur gratia: quando supernæ largitatis erga tales dona solent ineffabiliter accumulari, quæ prius collata fuerant, videantur auferri.*

329 Quæ sunt optima verba ad confirmandum quod diximus in numero 307. de efficacia, & infallibilitate, non quidem absoluta, sed conditionata precum fusarum à Beatis in bonũ animarum Purgatorij, vtpote fundata in promissione diuina conditionata, & non absoluta, non secus ac dici solet de Viatorum orationibus. Et quanvis Raphael de la Torre tomo 1. de Religione quæst. 83. art. 16. Disput. 8. num. 27. & quidam alij alligent promissionem illam ad orationes in quovis statu fusas pro se, tamen idemmet Author num. 3. agnoscit efficaciam, & infallibilitatem in orationibus Beatorum pro alijs, [quia nunquam fundunt preces absolutas, & sine conditione, nisi quãdo vident, eas esse conformes diuinæ voluntati; & cum hanc impleri sit infallibile, etiam infallibiliter orationes Beatorum exaudiuntur, etiam quando pro alijs orant.] Etsi item idem Author art. 8. Disput. 3. num. 6. dicat, [Cum impetratio orationum Beatorum pro animabus Purgatorij non semper sit infallibilis, quia innititur Dei liberalitati, quantumvis orationes eorum sint crebræ, & feruentes, non semper exaudiuntur, & consequenter non euacuant Purgatorium,] doctrina hæc (de cuius cohærentia cum priùs relata non curo) non est specialis iuxta ipsum Torre in Beatis præ Viatoribus, tradiderat enim paucis antea lineis, [omnis orationis impetrationẽ soli inniti misericordiæ Dei.]

330 Tandem ex verbis tam Eteriani, quàm S. Petri Abbatis Ciuniacensis confirmationem accipiunt, quæ ibidem suppositui de oratione Beatorum pro animabus Purgatorij. Allusit Bellarminus Lib. 2. de Purgatorio Cap. 15. ad illa S. Petri Abbatis, vt probaret contra Sotum, debere non negari eam, dixitque, fuisse temerè reiectam à Soto in 4. Distinct. 45. quæst. 3. art. 2. in fine. At Torre supra, num. 5. existimat, Sotum non sensisse quod ei attribuitur, sed adiectum fuisse ab aliquo maleuolo, siquidem non inveniatur in impressionibus nouiter factis. Credibilius foret, affictã fuisse Soto in recentibus, quàm in antiquis, ipso presente, elaboratis. Reperitur quidem in prima editione, atque in alijs Salmantinis anni 1566. & 1570. necnon in Duacensi anni 1613. Forte in aliqua correxit Sotus, vt indicat Henriquez Lib. 9. Cap. 16. in Glossa lit. *A.* citans signatè eum in prima editione, vt & S. Thomam in 4. Distinct. 45. quæst. 3. articul. 3. ad 6. Durandum eadem Distinct. quæst. 1. & in 3. distinct. 22. quæst. 4. addensque, allegari ab alijs falsò Medinam Codice de Oratione, quæst. 5. Martinum de Ledesma 2. parte 4. quæst. 16. articul. 13. col. 4. Sunt qui interpretentur Sotum de negata tantùm oratione vt satisfactoria. Ita Azor tomo 1. Lib. 9. Cap. 30. q. 3. Sed & impetratoriam videtur negasse in editionibus non correctis. Vnde à Bellarmino, Suario, Henriquez, & multis alijs intelligitur hoc in sensu. Nec plura de hac Sectione.

[:?:]

SECTIO

SECTIO XXII.

Defendit se Author ab recens imputata sibi minus sana sententia circa Sacrificium Missæ pro animabus Purgatorij.

330 IAM verò cum tam alienum sit, fueritque semper à mea mente, quod Sacrificium Missæ non maximè prosit animabus Purgatorij ad remissionem pœnæ temporalis, tamen Alfonsus Vazquez de Miranda in præcitato Tractatu, Discursu 3. Cap. 4. num. 15. pag. 163. postquàm probasset, proficuum esse valde, & infallibiliter, certaque ex lege diuina, ita de me loquitur, [Quapropter est meritò reprehensibilis Gabriel de Henao, de Euchar. Disput. 14. sect. 1. num. 5. vbi inter alia, de quibus non absque fundamento reprehendit Nicolaum Cabasilam, Authorem Græcũ, & Schismaticum, excedit nihilominus, dum eum damnat, vt qui dixerit, opere diuini huius Sacrificij sanctas Purgatorij animas recipere expiationem peccatorum venialium, & remissionem pœnæ temporalis: siquidem in duobus istis punctis quod scribit Cabasilas, quantumvis Schismaticus, est sententia expressa omnium Theologorum Latinorum, & Catholicorum, constatque satis ex S. Concilio Tridẽtino Sess. 22. Cap. 2. definiente, prodesse sanctum Sacrificium illis, pro quibus offertur, viuis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus.] Tantùm ille.

331 Cui lacessenti vt respondeamus tanquam non lacessiti, refellendæ enim relationis, non exponendæ iniurię studium erit nobis imitantibus exemplum, & verba S. Ambrosij Lib. 2. Epist. 12. expedit transcribere, quæ scripsimus in præcitato loco, pagina 198. & quæ huiusmodi sunt, [Ex dictis colligitur contra Nicolaum Cabasilam Præsulem Thessalonicensem, Græcum Schismaticum, in Expos. Liturgiæ Cap. 42 & seqq. animas existentes in Purgatorio non manducare spiritualiter Sacramentum Eucharistiæ, neque ex eius opere operato accipere augmentum gratiæ habitualis, aut expiationem peccatorum venialium, aut remissionem pœnæ temporalis. Et quanvis probabile vt cumque foret, eas animas posse in Purgatorio habere actus de congruo meritorios expiationis peccatorum venialiũ; minus tamen probabile est, recensere inter eos actus communionem spiritualem, vt constat ex 2. & 3. ratione numeri præcedentis: quidquid asserat Nuperus quidam (scilicet Thomas Hurtadus) parte posteriori Resolutionum Moralium Tractatu vltimo, Resolut. 11. §. vltimo, num. 665. Quod an sit dignum severiori censura, aliorũ iudicium esto.] Hæc ego ibi.

332 In quibus sermonem non instituo de Sacrificio Missę, vt oblato pro Purgatorij animabus; sed mens, & verba eò tendunt, vt denegem illis cõmunionem spiritualem Sacramẽti Eucharistici, fructusque augmenti gratiæ habitualis, cõdonationis peccatorum venialium, & pœnę temporalis exinde prouenientes vi operis operati. Quæ doctrina sanissima est, traditaq; à Theophilo Raynaudo in Tract. inscripto, error popularis de cõmunione pro mortuis, n. 46. & à memorato Thoma Hurtado numero 664. qui addit, eam non posse verti in dubium apud Catholicos.

333 Sed dissentit Cabasilas vbi suprà, & innuit nonnihil Simeon in Lib. de Templo ad finem, vterque Archiepiscopus Thessalonicensis, fuitque Nicolaus Schismaticus, vel etiam Hæreticus, hostisque iuratus Ecclesiæ Romanæ, & vixit sub annum 1350. Antecessit eum multis annis Simeon, vt qui referente Possevino Lib. 6. Bibliothecæ selectæ Cap. 10. floruerit ante sexcentos annos. Vocatur à Cardinali de Lugo Author ignotus, vel saltem ignobilis, cum sit modernus, & ad minus Schismaticus, vt satis insinuat Turrianus ad Lib. 8. Constit. Apostolic. Cap. 12. Cæterũ Turrianus non aliud testatur, quã docuisse ibi de Sacrificio Missæ id, quod ex SS. PP. Græcis secundùm traditionem Apostolicę doctrinæ didicerat: nec fuit tam recens, si floruit ante sexcentos annos. Porrò Cabasilas loquutus est de Eucharistia, non vt oblata instar Sacrificij pro præfatis animabus

mabus, sed vt abeisdem recepta spiritualiter instar Sacramenti.

334 Ast Vazquez de Miranda susceptionem spiritualem Sacramẽti Eucharistici ablegatam per me ab eis animabus, vnàque fructus ex ea dimanantes intellexit, & exposuit de oblatione Sacrificij pro ipsis, & de emolumentis ex ea participatis. Quòd quàm extraneum fuerit à meis verbis, nemo non iudicabit, qui illa attentè perlegerit. Vnde maximoperè miror, potuisse ab aliquo imputari mihi talem mẽtem, quę nec per somnium mihi vnquam obrepsit, & quam si verbis expressissẽ, non modò reprehensione dignus essẽ, sed vt tomus etiam de Eucharistìa igni committeretur. Nam Sacrificium Missæ vt oblatum pro Purgatorij animabus prodesse his ad remissionem pœnarum temporalium, dogma est Catholicum, & à me comprobatum Disput. 10. sect. 2. Disput. 17. sect. 3. præsentis Tractatus. Dixitque optimè Vazquez de Miranda, esse sententiam expressam omnium Theologorum Latinorum, & Catholicorum, constareque satis ex Concilio Tridentino. Quare si de illa obiurgassem Cabasilam reprehenderem vnà cunctos Patres, cunctosque Theologos Latinos, & Catholicos, rueremque præceps in delyrium contrarium Synodo Tridentinæ.

335 Cum autem Vazquez de Miranda dicat, culpari à me Cabasilam, eoquòd scripserit idem ipsum, quod liquet abundè ex eo Concilio, & ex assertione perspicua omnium Theologorum Latinorum, & Catholicorum, dicit de me consequenter, reum esse hæreseos, etsi verbis non exprimat. Quare in nota de hæresi indemnitati meæ non potui non prospicere, cum audiam monentem sanctum Hieronymum ad Pammachium adversus errores Ioannis Hierosolymitani, *Nolo in suspicione hæreseos quempiam esse patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam eius, dissimulatio conscientia iudicetur, si taceat: licet superfluum sit, eius præsentiam quærere, & extorquere silentium, cuius apud te litteras teneas.* Et certè apud illos, quibus copia sit mei tomi de Eucharistia, non alia egeo defensione, quã si semel legantur mea verba: quare ad cæteros tantùm, quibus liber de Eucharistia non sit præoculis, hanc dirigo mei propugnationem.

336 Pro cuius maiori firmitate expedit discutere minutim verba Vazquezij Mirandensis. Primò ait, me reprehendere Nicolaum Cabasilã. Sed ego nõ tantam mihi arrogo authoritatem, vt reprehendere præsumam Archiepiscopum, & virum valde doctum ex censura Bellarmini in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Solummodò scripsi, [Ex dictis colligitur cõtra Nicolaum Cabasilam, &c.] Secundò inquit, me inter alia, de quibus iure meritò increpo Nicolaum Cabasilam, excedere tamen in eo condemnando ob expiationem peccatorum venialium, & remissionem pœnæ temporalis promanantes ex diuino Missæ Sacrificio. Verumtamen non alia, sed aliud, & vnicum restat, de quo iuxta Mirandensem possim cum fundamento accusare Nicolaum Cabasilam. Nam de manducatione spirituali Sacramenti Eucharistici ab animabus Purgatorij neutiquam possum, siquidem vocibus illis intelligat participationem spiritualem Sacrificij Eucharistici, vt oblati pro eis animabus, quam participationem à me negari visum est Mirandensi: neque item possum de expiatione peccatorum venialium, neque de remissione pœnę temporalis, quia quòd ob vnam, & alteram increparim Cabasilam, factus sum ipse iustè reprehensibilis. Relegantur mea verba, & constabit, superesse vnum tantùm, nempe augmentum gratiæ habitualis, de quo valeam non immeritò reprehendere Cabasilam.

337 Tertiò ait, me excedere in condemnando Cabasilam ob assertam ab ipso tum expiationem peccatorum venialium, tum remissionem pœnæ temporalis in animabus Purgatorij per opus Sacrificij Missæ, vt pro eis oblati, quia illa assertio est etiam omnium Theologorum Latinorum, & Catholicorum, patetque sufficienter ex Concilio Tridentino. Cæterùm illa assertio quoad expiationem, seu quoad condonationem habitualis maculæ noxarum venialium in animabus Purgatorij per opus Sacrificij Missæ oblati pro eis tam longè abest, vt sit omnium Theologorum Latinorum, & Catholicorum, vt paucissimi pro ea possint referri, sed contra eam innumeri; & vt nec leuiter deducatur ex Synodo Tridentina.

dentina. Etenim plerique Theologi docent, peccatorum venialium, cum quibus anima iusti seiungatur à corpore, maculam habitualem deleri per actum contritionis elicitum in ipso separationis instanti. Ita Suarez tomo 4. in 3. par. Disput 11. sect. 4. Vazquez 3. parte, quæst. 87. artic. 1. dubio 2. Cardinalis de Lugo Disput. 9. de pœnitentia, sect. 2. ex num. 34. Merarius Disput. 11. sect. 1. & 2. Martinus Perez Disp 10. sect 8. Martinonus Disput. 45. sect. 4. Amicus Disput. 6. sect. 9. Auersa quæst. 4. sect. 2. Granadus Controv. 7. Tract. 4. Disput. 2. num. 12. Henriquez Lib. 1. Cap. 15. §. 9. qui referunt tot alios priores, vt ingentissimum numerum conficiant, nosque posse mus tot alios priores, & posteriores addere, vt implerent nonnullas paginas.

338 Inter omnes audiatur S. Thomas quæst. 7. de Malo, artic. 11. in Corpore sic enuncians, *Oportet dicere, quòd venialia remittũtur eis (scilicet iustis) post hanc vitam, etiam quantùm ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur absolutionem, vel diminutionem pœnæ, sicut in hac vita.* Rursus ad 9. *Remissio venialis peccati in Purgatorio, quantùm ad pœnam, est ex parte Purgatorij, quia homo patiendo exsoluit, quod debet, & ita eest sat reatus: sed quantùm ad culpam, non remittitur per pœnam, neque secundùm quòd actu sustinetur, quia nõest meritoria, neq; secũdũ quòd recogitatur. Nõ enim esset motus charitatis, quòd aliquis detestaretur peccatum veniale propter pœnam, sed magis esset motus timoris seruilis, vel naturalis. Remittitur ergo in Purgatorio veniale quantùm ad culpam virtute gratiæ, non solùm secundùm quòd est in habitu, quia sic compatitur venialepeccatum, sed pro vt exit in actum charitatis detestantis venialepeccatum.* Hæc S. Thom. quibus nihil clarius dici potest.

339 Ex Authoribus citatis Merarius, etsi non limitet deterſionẽ habitualis maculæ peccati venialis ad primum instãs separationis, seu ad primum non esse vitæ, nihilominus non plus extendi posse censet, quàm ad tẽpus, quod immediatè subsequatur post illud instans. Sic in sect. 2. ad finem. Martinonus etiam num. 36. non recusat extensionem eãdem vt possibilem. Sec ipsa hæc extensio ostendit, quàm sit prouisum animabus Purgatorij, vt breuissimè emundentur medio actu contritionis à peccatis venialibus; nam penes vtrumque Authorem non aliter fiet tempore immediatè consequente ad primum separationis instans, quàm per actum illum.

340 Nec solùm duo hi, & alij præcitati Doctores assignant expiationis causam, quæ admat locum, vt per Sacrificium Missæ possit fieri in Purgatorio, sed etiam alij permulti, vt qui dicunt, remitti ea peccata per ipsam formaliter gratiam sanctificantem redditam ex nouo statu potentiorem, vel per augmentum eiusdem gratiæ collatum de novo à Deo, vel per opera bona facta durante vita, & quæ ad hunc finem referantur ab ipso operante, aut à Deo. Harum sententiarum patronos refert Amicus suprà, eosque sigillatim impugnat. Sed in puncto ad præsens attinente concordant vnanimes, quatenus expressè docent, peccatorum venialium remissionem fieri in primo instanti separationis media siue hac, siue illa causa, quam quisque approbat.

341 Quid? quod ipsemet Vazquez de Miranda paulò anteà in eodem Discursu, & Cap. num. 14. scripserat, [Præterea in sententia probabili per Sacrificium Missæ remittuntur peccata venialia, quibus cum solent decedere multi iusti (tametsi alia sententia dicat, remitti in instanti mortis) de qua loquitur Suarez de Pœnitentia Disput. 11. sect. 4. Granadus Controversia 7. de Pœnitentia, Tract. 4. D. 2. num. 12. Fr. Ludouicus de Miranda in Manuali Prælatorum tomo 1. quæst. 41. art. 10. Carolus de Baucio, de Purgatorio q. 2. & in hac dicente remitti posteà, atque ex impetratione Sacrificij, vel est directè, & immediatè per extrinsecam condonationem, vel indirectè, & mediatè, impetrato per illud auxilio opportuno ad charitatis, vel pœnitentiæ actum repugnantem eis, & expellentem ea immediatè, atque formaliter, iuxta duas opiniones probabiles, quas benè declarat Pater Franciscus Amicus Disput. 33. de Sacrificio Missæ, sect. 6. ex num. 133.] Quibus in verbis Mi-

randen-

randensis meminit opinionis, quam tam communem esse diximus, de emundatione à macula peccatorum venialium in primo instanti separationis. Atque ita non est sententia expressa omnium Theologorum Latinorum, & Catholicorum, nec quæ satis constet ex Concilio Tridentino, quòd per opus operatum Sacrificij Missę eluatur peccatorum venialium fœditas, quam ex hac vita deferat anima iusti. Et licet ipse videatur approbare contrariam sententiam, sed non vocat eam nisi valdè probabilem.

342 Pro qua non benè citantur Suarius, Granadus, & Ludouicus de Miranda. Nam primus in illa sect. 4. post longam probationē cōcludit n. 10. [omnia peccata venialia, cum quibus homo iustus decedit, remitti quoad culpam in primo instanti separationis animæ à corpore.] Secundus sentit idē ipsum, quod primus; tertius verò non habet in particulari sermonem de remissione peccatorum venialium post hanc vitam; & quod in genere ait, est, Missæ Sacrificium non remittere peccatorum venialium maculam habitualem per se, & ex opere operato, sine speciali actu eius, pro quo offertur. Hinc autem vt summùm infertur, fore necessarium actum specialem in animabus Purgatorij, vt delerentur in eis peccata venialia directè, & immediatè per actum illum, indirectè, & mediatè per Sacrificium. Sed quòd actus ille non habeatur ab animabus in primo instāti separationis, aut quòd si habeatur, debeat esse ex impetratione Sacrificij, neutiquam dicitur à Ludouico de Miranda: quorum vtrumlibet opus esset dici ab eo, vt allegatio fidelis foret.

343 Sed concedamus Vazquio de Miranda, peccata venialia non deleri in primo instanti separationis, adhuc paucissimi Authores, qui existimant, condonari paulatim, revocant remissionem in actus patienter acceptandi, & tolerandi pœnas, quin recurrant ad Sacrificium, & quin requirant oblationem ipsius, quasi ea deficiente non sint eliciendi tales actus. Constat vtrumque ex lectione Authorum, quos adducit Suarez pro ea existimatione. Vnus est Sotus in 4. Distinct. 15. quæst. & artic. 2. vbi sic fatur, [Multò verisimiliùs est dicendum, quòd per actum charitatis, & patientiæ continuatum illo tempore, quo veniale punitur, remittitur culpa, nam est actus Deo placens, & ad remissionem accommodatissimus.]

344 Adhęc: ex sententia maioris, melioriſque partis Theologorum, quam ego sequutus sum Disput. 10. num. 1. Sacrificium Missæ non habet vim, vt per se primò, & immediatè remittat peccata venialia quoad culpam. Quare si supponerentur non remissa in primo instanti separationis, nō possent eo modo remitti per Sacrificium Missę. Cum autem ea opinio sit communissima, & notissima, videat Vazquez Mirandensis, quo pacto stare valeat suum illud dictum de sententia expressa omnium Theologorum Latinorum, & Catholicorum, quoad expiationem peccatorum venialium in animabus Purgatorij per Sacrificium Missę primò, & immediatè; de qua quidem expiatione ego loquutus sum, & de ea ipse me iustè reprehensibilem compellat. Ex quibus omnibus manifestè liquet, quodnam iudicium ferendum sit de dicto illo Mirandensis.

345 Vlterius: neque leuitet deducitur ex Concilio Tridentino Sess. 22. Cap. 2. expiatio peccatorum venialium in animabus Purgatorij per Sacrificij Missę opus operatum primò, & immediatè, alioqui plerique Theologi negantes eiusmodi expiationem, vt prouenientem à Sacrificio Missæ, adversi essent Concilio Tridentino. Quod cum dicit *pro peccatis, pœnis, satisfactionibus*, loquitur de peccatis viuorum. Expendantur verba Concilij; *Quarè non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondùm ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Vnde permisso, & non concesso, deleri in viuis peccata venialia per Sacrificium Missę primò, & immediatè ex opere operato, non teneremur ob authoritatem Concilij Tridentini ad dicendum idem de mortuis. Sed quo pacto sint intelligenda verba illa Concilij, explicui satis in præcitata Disputatione, num. 21. Patet igitur clarè, quo in loco sit habendum dictum Mirandensis de Cōcilio Tridentino.

Et

346 Et hæc scripta quanto cum candore, sinceritate, & modestia potui, sine felle, & amaritudine sufficiant ad mei defensionem. Nam vt didici ex Ioanne Vitali in Speculo Scripturæ V. *Doctor*, folio 81. [Doctores (quo me nomine non appello, sed vt summùm Scriptoris) debent mutuò se respicere oculo recto::: Respiciant ergo se mutuò, concorditer, inquirendo, disputando, docendo::: Si enim loquamur de inquisitione veritatis in tota rerum vniuersitate, vel in qualibet facultate, semper, dum aliqua concorditer quæruntur, discuntur, & determinantur::: Tunc veritas inquiritur, & invenitur, & est signum, quòd tales sunt inquisitores veritatis. Sic Vitalis Author antiquus, & grauis: cuius verba aliqua interiecta omisi, ne in fine viderer sub persona aliena deviare à moderatione, quam in scribendo seruare semper desidero.

347 Verùm quia ex Nicolai Cabasilæ impugnatione à me facta in tomo de Eucharistia circa communionem spiritualem animarum Purgatorij occasio est accepta, sed non data, ad minus æquam de mea doctrina existimationem, placet in Sectione sequenti declarare amplius, quod ibi dixi, & respondere ad ea, quę quidam Modernus excogitauit, vt probabilitatem adscisceret illi communioni. Neque digressio hæc recedit multùm à suscepta via, cum in præcedētibus sectionibus adeò extensè tractarim de leuamine animarum Purgatorij per Sacrificia.

SECTIO XXIII.

Num animæ Purgatorij percipiant spiritualiter Eucharistiam eis in Missarum Sacrificijs, quæ pro ipsis offeruntur, indeque reportent fructum aliquem?

348 NICOLAVS Cabasilas in Expositione Liturgiæ Cap. 42. loquens de sacro altaris mysterio inquit, [Duobus modis sanctificare cernitur. Vno quidem modo, intercessione, oblata enim dona, eo ipso quòd offeruntur, eos, qui offerunt, sanctificant, & eos, pro quibus offerunt, & Deum eis propitium efficiunt. Alio autem modo, participatione, quia fit nobis verus cibus, & potus, vt dicit Dominus. Horum modorum primus quidem est communis viuis, & mortuis, etenim pro vtriusque offertur Sacrificium; secundus autem modus solis viuentibus permittitur, mortui enim non possunt amplius comedere, nec bibere. Quidigitur? Propterea nec sanctificantur hac sanctificatione, quæ provenit ex participatione, & deteriori sunt hac in parte conditione mortui, quàm viuentes? Minimè. Nā & Christus ipsis seipsum communicat eo modo, quo nouit. Et vt id fiat apertum, consideremus causas sanctificationis. An non etiam animæ mortuorum se habent, sicut & viuentiū? Quænam sunt autem causæ sanctificationis? Numquid corpus habere, pedibus ad mensam currere, manibus sancta accipere, ore sumere, comedere, bibere? Nequaquam. Ad multos enim, qui hoc fecerunt, & ita ad mysteria accesserunt, nulla reddijt vtilitas, & pluribus malis obnoxij recesserūt. Sed quę nam sunt causæ sanctificationis ijs, qui sanctificantur, & quæ sunt, quas Christus à nobis exigit? Animæ purgatio, in Deum dilectio, fides, desiderium mysterij, alacritas ad participationem, feruens appetitio, sitientes currere. Hæc sunt, quæ sanctificationem attrahunt, & cum quibus necesse est, eos, qui accedunt, esse Christi participes, & sine quibus fieri non potest. Sed hæc omnia non sunt corporalia, sed dependentia à sola anima. Nihil ergo prohibet, etiam animas hoc posse mortuorum, sicut & viuorum. Si ergo animę quidem ad suscipiendum mysteriū sunt paratæ, & prōptæ: is autem, in cuius est potestate sanctificare, & perficere, vult semper sanctificare, & seipsum semper impertiri desiderat, quid est prohibiturum hanc participationem? Nihil omnino.] Hæc, & plura alia Cabasilas tū in præcipato Cap. 42. tum in 43. 44. & 45. adstruens, Purgatorij animas sumere spiritualiter Eucharistiæ Sacramentū, quando iam ob separationem à corpore non possint sacramentaliter: & ex ea sumptione lucrari remissionem peccatorum venialium, pœnęque temporalis,

lis, necnon augmentum habitualis gratiæ.

349 Talem communionem spiritualem in animabus Purgatorij commentitiam prorsus esse, persuasi mihi iam diu, tum quia Sacramentum Eucharistiæ, vt & reliqua alia, non est institutum à Christo Domino, nisi pro hominibus, vt in hac mortali vita existentibus. Ergo non nisi vt in tali statu possunt cum fructu aliquo participes eius esse siue Sacramentali perceptione, siue spirituali affectu. Tum quia animæ Purgatorij non sunt capaces sumēdi Sacramentaliter Eucharistiam. Ergo neque sumendi spiritualiter, nam capacitas ad sumptionē spiritualē debet supponere capacitatem ad Sacramentalem. Tum denique, quia vt animæ præfatæ manducarent spiritualiter Eucharistiam, opus esset, quod appeterent, & desiderarent manducationem Sacramentalem. Atqui hæc non est ipsis possibilis. Ergo nequeunt appetere eam, & desiderare. Quanvis autem de manducatione Sacramentali impossibili non repugnet desiderium inefficax, seu simplex complacentia, qualita quis afficiatur, vt virtute habeat affectum quasi conditionatum ipsius, si posset exequi ipsam: nihilominùs huiusmodi desiderium non est accommodatum naturæ, & statui animarum Purgatorij; vt de animabus beatis, & de Angelis notat Suarez in Commentario ad artic. 2. q. 80. partis 3. S. Thomæ.

350 Cum igitur animæ Purgatorij non communicent spiritualiter, sequitur, non comparare augmentum gratiæ, remissionemque peccatorum venialium, & pœnæ temporalis ea communione. Quæ est prorsus reijcienda, vt iudico post Theophilum Raynaudum in Tractatu de Communione pro mortuis, num. 46. & post Franciscum Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte 4. Tract. Cap. & S. 3 num. 22.

351 Et quanvis admitteretur ea communio, non licet tam en concedere, augendam esse gratiam habitualem per ipsam, siquidem animę Purgatorij sint extra statum crescendi in sanctitate habituali, vt ex certo Theologiæ, imò & fidei iuxta plerosque pronunciato suppono. Neque item licet concedere remissam illi pœnam temporalem per eam communionem, quia animę illæ existunt in statu satispatiendi, non autem satisfaciendi pro pœna temporali, & proinde neque præstandi per se aliquid, quo obtineant talis pœnæ remissionem, vt manifestum facit Eximius Doctor Pater Suarez tomo 4. in 3. parte, Disput. 47. sect. 2. num. 7.

352 Quoad remissionem peccatorum venialium comparandam per communionem spiritualem ab animabus Purgatorij videtur Thomæ Hurtado parte 2. Resolutionum Moralium, Tractatu vltimo, Resolutione 11. §. vltimo, num 663. non esse improbabilem cogitationem Nicolai Cabasilę. Nam probabile est, posse illas animas habere actus de congruo meritorios emundationis à venialibus peccatis, vt admittit Sanctus Thomas in 4. Distinctione 21. quæstione 1. articulo 3. quęstiuncula 1. ad 4. Vnum autem eorum actuū fore communionem spiritualem existimari potest. Fateor probabilitatem Maioris cum Suario suprà, num. 8. & anteà in Disputatione 11. sectione 4. num. 15. multò tamen probabilius est oppositum; docenturque à Sancto Thoma quæstione 7. de Malo, articulo 11. & communiter à Theologis: atque ita, me citato Disput. 14. de Eucharistia, sect. 1. numero 5. notat Alfonsus Vazquez de Miranda Discursu 3. de tribus Missis, Cap. 3. num. 11. Sed quidquid sit de Maiori, constat ex dictis, animas Purgatorij non exercere actum communionis spiritualis; & ex Sectione antecedenti colligitur, nisi exerceant eum in primo instanti separationis, non remanere noxarum venialium maculam habitualem, cuius in in alijs instantibus ablationem mereri queat de congruo spiritualis communio.

353 Prætereà in Cabasile desiderari debet, quòd Sacramentum Eucharistiæ non susceptum realiter ab animabus Purgatorij causet ex opere operato in eis augmentum gratiæ, & condonationem peccatorum venialium, pœnæque temporalis, nam Sacramenta non sic causant suos effectus, nisi vt susceptа realiter. Quando verò suscipiuntur tantùm in voto, & desiderio, fructus, qui comparatur, est solùm ex o-

pere operantis, vt ex constanti Theologorum assertotradidi in illa Disputatione 14. de Eucharistia, num. 2. & 3. Vnde perperàm Cabasilas dixit in eo Cap. 42. eos [qui in desertis errabant, montibus, seu speluncis, & foraminib⁹ terræ, qui altare, aut Sacerdotem nullo modo videre poterant, sanctificatos fuisse inuisibiliter à Christo] per communionem spiritualem non secus, ac sanctificarentur per Sacramentalem, cuius copiam non habebant.

354 Post hæc scripta prodijt Antidotus prima Thomæ Hurtadi, in cuius §. 19. parte 3. repetit, probabilem esse communionem spiritualem, & remissionem peccatorum venialiū per ipsam in animabus Purgatorij. Adducit in eius subsidium Bartholomæum Valverdium in Apologetico pro Purgatorio igne, folio (mihi) 31. vbi proponit hanc obiectionem, [At de victima illa salutari, agno scilicet immaculato, dictum est, Nisi quis manducauerit carnem filij hominis, &c. Atqui defunctorum animæ, cum neque comedere, neque bibere possint, vtilitatem Istam percipere non possunt. Ergo deteriori essent conditione mortui, quàm viuentes.] Sic respondet, [Ecquis modum intelligat, quo seipsum Christus illis cōmunicat? Nam si eos, qui in desertis errabant, montibus, & speluncis, & foraminibus.] Sed quid pergo transcribere plura? Cum totus hic locus decerptus sit ex Nicolao Cabasila à Bartholomæo Valverdio; quod à Thoma Hurtado vel dissimulatur, vel fortè non legerat Cabasilam Cap. 42. & 43. cuius ex verbis rapsodiam fecit Valverdius. Et quia Cabasilas in Cap. 42. dixerat, [Non omnes, quibus dat Sacerdos, verè sumunt, sed illi omnino soli, quibus dat ipse Christus. Sacerdos enim omnibus, vt semel dicam, qui accedunt; Christus autem dat ijs solùm, qui participes esse digni sunt.] Desumpsit ex eo Valverdius eadē verba. Cumque Thomas Hurtadus illorū agnosceret duritiem, (vt quæ significent, peccatores non sumere verè Sacramentaliter corpus Christi, reclamante Apostolo 2. ad Cor. 11. Concilio Tridentino Sess. 13. C. 4. Et Ecclesia in Prosa, seu Sequentia de Sanctissimo Sacramento, adnotauit, indigere explicatione.

355 Certè Valverdius in eo Apologetico centonem consuit pro Purgatorio ex verbis antiquorum sine delectu, & examine, contentusque, quòd verba Cabasilæ, quem non nominat, sonent Purgatorium, non curauit de eorum sensu. Sic immediatè producit verba Eteriani, tacito etiam eius nomine, in quibus minus rectè dicitur, vt visum est suprà, num. 327. suffragia, quæ fiunt pro vnò defuncto in particulari, prodesse æquè alijs, pro quibus nō applicantur. Quapropter Valverdius referri potiùs potest tanquam transcriptor, quàm tanquam subscriptor Cabasilæ.

356 In reliquis, quæ Thomas Hurtadus parte illa 3. §. 19. affert, non video quidpiam, quod responsione egeat, reuocantur enim ad explicandam doctrinā S. Thomæ 3. p. q. 80. art. 2. vbi S. Doctor disquirit, vtrùm solius hominis sit, sumere spiritualiter Eucharistię Sacramentum? Quam quæstionē mouet propter Angelos, de quibus videbatur, posse esse dubiū, an spiritualiter sumant Christum, prout est sub speciebus? Ad quam quæstionem Suarez, & alij moderni Interpretes agūt de beatis animabus siue separatis, siue reunitis ad corpora, necnon de Patribus antiquis, qui præcesserunt institutionem Sacramenti Eucharistici.

357 In parte 4. dicit Thomas Hurtadus, animas Purgatorij consequi communione spirituali duos præcipuos effectus Sacramenti Eucharistici, nempe ius ad vitam æternam, & ad resurrectionem corporū. Sed id non aliter probat, quàm quia hi sunt effectus Eucharistiæ, vt ego etiam asserui in D. 13. de ea, n. 58. Debuisset verò probare, esse effectus Eucharistiæ, vt susceptæ spiritualiter ab animabus Purgatorij. Habent quidem illæ ius præfatum, sed cōparatum in vita mortali, & in statu vnionis ad corpus, quin ab instanti separationis crescant in eo iure, sicut neque in gratia habituali. Quòd autem non crescant in iure ad gloriam, asserit his verbis Suarez tomo 4. in 3. partē Disp. 47. sect. & num. 2. [Animæ Purgatorij non sunt in statu, in quo possint in gratia, vel charitate crescere, aut in iure ad gloriam. Est conclusio certa de fide, vt sentiunt Caietanus tomo primo Opusculorum, Tractatu 23. quæst.

quæst. 1. Roffensis dicto articulo 38; Soto in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 3. Sic Suarez.

358 Posteà in fine par. 4. habet hæc verba Th. Hurt. [Vnde constat, quam parùm Theologicè loquutus sit Raynaudus num. 64. V. *Ex hoc porrò*, contra Cabasilam, qui non dicit, quòd animæ Purgatorij sanctificentur accipiēdo augmentum gratiæ; sed sanctificationem appellat absterſionem maculæ peccati venialis. Quam in animabus Purgatorij fieri per actum charitatis, & fidei, quæ per dilectionē operatur, dixi ex S. Thoma supra. Rursus non dicit, quòd hæc sanctificatio fiat ab Eucharistia spiritualiter percepta, ex opere operato, sed solùm ex opere operantis: sicut cætera Sacramenta, quę in voto recipiuntur, suos effectus causant, non ex opere operato, quod reipsa non recipitur, sed ex opere operantis.] Hęc Thomas Hurtadus. Expectabam ego, vt in fine partis 4. declararet extensiùs, & luculentiùs, quo pacto per communionem spiritualem obtinerent animę Purgatorij absterſionem maculę peccatorum venialium, cum hic esset effectus, qui pro Cabasila tuēdo, deberet lato calamo explicari, & muniri, nam de effectibus augmenti gratiæ habitualis, & remissionis pœnę temporalis iam confessus fuerat Thom. Hurtadus parte 2. Resolutionum Moralium, Tractatu vltimo, Resolut. 11. §. vltimo, num. 664. non posse verti in dubium apud Catholicos, num consequibiles essent per communionem spiritualiter factam ab illis animabus? Quarè omisit Hurtadus longiorem tractationem eius puncti, quod eam magis exigebat.

359 Solummodò breuissimè scripsit, emundationem à macula peccatorum leuium fieri per actum charitatis, & fidei, quæ per dilectionem operatur. Sed quod opus ad præsens, erat, vt diceret, fieri per communionem spiritualem, & vt id diceretur à S. Thoma, quem allegat. S. autē Doctor in loco citato, neque alibi vnquam meminit de animarum Purgatorij meritorio actu de congruo, qui esset communio spiritualis. Et quidem in eo loco super 4. dist. 21. q. 1. art. 3. quæstiuncula 1. loquitur solùm de actu patienter acceptandi, & tolerandi pœnas Purgatorij, vt constat ex Corpore articuli, vbi inquit, *Culpa venialis in eo, qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium, quia pœnailla, aliqualiter voluntaria, virtute gratiæ habebit vim expiandi culpam omnem, quæ simul cum gratia stare potest.* Et posteà ad 4. respondet, *Post hanc vitam non potest esse meritum respectu præmij essentialis; sed respectu alicuius accidentalis potest esse, quandiu manet homo in statu viæ aliquo modo: & ideò in Purgatorio potest esse actus meritorius quantùm ad remissionem culpæ venialis.* En actus, quem meritorium remissionis culparum venialium admittit Sanctus Thomas in animabus Purgatorij, non est communionis spiritualis, imò neque charitatis, aut pœnitentiæ formaliter; sed actus patientiæ formaliter in pœnis Purgatorij. Notandumq; Sanctum Thomam in quæstione 7. de Malo, articulo 11. in Corpore, & ad primum recurrere ad alium actum charitatis, aut contritionis, qui repugnet magis cum macula peccatorum venialium, & quem minimè non sit opus, esse meritoriū de congruo remissionis illorum, quia, vt ait in Corpore, *post hanc vitam non est status merendi.* Quare neque Thomas Hurtadus probat, quod necesse erat, neque Sanctus Thomas vel in re minima præsentis puncti ei fauet.

360 Quod verò ait de Theophilo Raynaudo, fuisse loquutum parū Theologicè, nō ego dicerem, nisi parū fideliter, si Cabasilæ attribuit augmentum gratiæ habitualis in animabus Purgatorij, cum ipse non asseruerit nisi absterſionem maculæ peccatorum venialium; si item attribuit hāc emundationem vt factam ex opere operato Eucharistię, cum ipse non affirmauerit eam, nisi vt factam ex opere operantis: nam nō esset parùm Theologicè, sed parùm fideliter referre, quod Cabasilas scripsisset. Sed certè Theophilus loquutus est fideliter, quia Cabasilas censuit, augeri gratiam sanctificantem in animabus Purgatorij per communionem spiritualem, & remitti per eam ex opere operato in illis maculam peccatorum venialium. Non vtitur Cabasilas verbis *augmenti gratiæ habitualis*, neque *operis operati*, sicut neque verbis *operis operantis*; sed totus sensus, & contextus Capitum 42. 43. 44. &

45. monstrat id, quod ei attribuitur à Theophilo Raynaudo; crediderimque, negandum non iri à Thoma Hurtado, si prænotata Capita Cabasilæ lustrasset oculis, & non tantùm quædam eorum fragmenta in Tractatu Theophili, si quidem Cabasilas in quatuor eis Capitibus conetur ostendere, animas in Purgatorio existentes sanctificari non minus, imò & magis, vt addit Cap. 45. per susceptionem spiritualem Eucharistiæ, quàm iustos viuentes per Sacramentalem. Id autem fiare non potest, nisi in illis animabus augeatur gratia sanctificans, magisque, quàm in iustis viuentibus, & nisi tam hic effectus, quàm alij remissionis peccatorum venialium, pœnæque temporalis proueniant ex opere operato ipsius Eucharistiæ. Sat ergo fideliter refertur à Theophilo mens Cabasilæ.

361 Et de hoc debuisset dicere Thomas Hurtadus, non esse loquutũ Theologicè, cum pronuncauit, defunctos posse augere sanctitatem suam, posseque Eucharistiã vi Sacramẽti (quod est idem, ac ex opere operato) impartiri suos effectus ijs, qui ipsam non suscipiant realiter, sed tantùm affectiuè, & in voto. Quibus ex duobus capitibus Cabasilam refutat Theophilus valde Theologicè; quanquam Thomæ Hurtado videatur, esse defectum Theologiæ in Theophilo, quòd notet errata Theologię in Cabasila. De cuius libro, vbi hęc continentur, ait Antonius Possevinus in Apparatu sacro, pagina 481. tomi 2. [Id commodo fuit, quòd contra hæreticos nostri temporis diuini Sacrificij testimonium ab ipsis Latinæ Ecclesiæ hostibus inde apparuit. Attamen pleraque in eo libro dicta, sunt, quæ hominem solidæ Theologiæ imperitum satis arguunt. Quem cum Gentianus, qui eum vertit, voluisset cum Catholicis Theologis conciliare, pietatem quidem suam ostendit, verumenimvero etiam eius errores quadantenus indicauit, sed non omnino profligauit.] Sic Possevinus noster.

362 Quapropter non est, cur ab vllo suscipiatur cura protegendi Cabasilam, & præsertim à Theologis meritò affectis erga S. Thomam. Vt enim proximè scripserat idem Possevinus. [Vt de Cabasila quid sentiendum sit, innotescat, sciendum est, quicquid illum encomijs, siue titulis *Sanctissimi*, & *Doctissimi* onerent aliqui, quive hos, etiam apud nostros, incautè sunt subsequuti, id gratis fuisse dictum. De Processione enim Spiritus sancti cæcutijt. Quæ quidem cæcitas illum adegit, vt temerè, atque imperitè ausus fuerit de eodem argumento scribere aduersus Diuum Thomam Aquinatem, virum, cuius corrigiam calceamenti in rebus Theologicis, ne potuisset quidem (vt ita dicam) soluere.] Ita rursus Possevinus. Vnde forsan Thomas Hurtadus nec flocci pendisset cogitationem Cabasilæ de communione spirituali animarum Purgatorij, nisi ardor contendendi cum Theophilo Raynaudo traxisset eum in istam mentem. Et hæc plusquàm satis de Cabasila, de eiusque imaginatione.

363 Sed in fine istius Sectionis percurrenda sunt cursim quædam dicta contra me à Thoma Hurtado in Antic. to illa prima. Notaveram ego ipsum Disput. 12. de Eucharistia num. 65. vt & Leodegarius Quintinus in Opusculo aduersus eum edito pro Raynaudo, de tot titulis, quibus tam in fronte, quàm in toto corpore suarum Resolutionum Moralium se insignie-bat: nota quidem per se non magni momenti, nisi ad ipsam, & alias coegisset sana intentio continendi Thomam Hurtadum, ne in posterum tam acerbè, quàm anteà, ageret de Scriptoribus Societatis, opinionibusque illorum, & de ipsa Societate, vt qui rem habiturus esset cum hominibus, qui eius scripta quasi acu tangerent. Ad quam notam respondet inter alia §. 2. parte 6. pag. 20. [Eodem telo, & cuspide acuminata ferio Gabrielem de Henao, qui dum Doctorem, & Lectorem ter maximum in Ouetensi, Salmantino, & Vallisoletano Collegio se facit, me carpit, quia Lectorẽ, & Professorẽ me facio Theologiæ Romę, Salmanticæ, & Cõpluti, & proprietarium Cathedrę primariæ Hispalẽsis Vniuersitatis. Vnde dum de vanitate notant, ipsi eadem macha rate infigunt, & sic benè de ipsis paræmia dicitur: *idem Accij quod Titij*; eodem enim pede claudicant, & eadem tinctura, & colore affecti. Quare horum notulæ *Triorum strepitus est, & ficulnea folia*, qui-

quibus nũditatem nouitatum conteguut, quæ in ignem missa minacem edunt strepitum, & formidandum iis, quibus antea non est auditus, alioquin inanem, & contemnendum prorsus.] Sic ille.

364 Verumtamen ego non notaui Thomam Hurtadum ob solos titulos in fronte libri, sed præcipuè ob tot alios sparsos in corpore, multosque non spectantes ad professionem Theologiæ, & ob tot munera, quibus se functum commemorat: quæ si nũc vellem colligere, longum syllabum conficerem. Nec ego vocaui me ter maximum Lectorem, sed vsu multorum apposui Collegia, vbi Theologiam prælegeram; & sicut S. Anselmus Lib. 2. Epist. 11. ait, *Quòd in titulo Opusculorum nostrorum nomini nostro addidi nomen Abbatis, non ideò feci, vt personam monstrarem honoratiorem, sed vt nominis excluderem æquiuocationem*: ita ego ne viderer nouitius in Theologia, significare volui, quantis anteà annis ei insudassem. Id quod in libris, qui primò eduntur, necessarium, aut conueniens à plerisque iudicatur: in alijs posterioribus, cum iam Author possit esse notus, non vrget tanta ratio; & ideò ego in prima, & secunda parte huius Tractatus vnum solum Collegium expressi, vbi publicum munus docendi exerceo. Ad alia, quæ addit Thomas Hurtadus, non aliter, quàm cum adagijs respondendum esset; sed adeò ille compilauit in suis libris adagia Erasmi, & Manutij, vt iam non supereſſent alia, nisi confugeretur ad ea, quæ hic Salmanticæ Castellana lingua collegit Ferdinandus Nunnius Pintianus, dictus Commendator Græcus.

365 In eodem §. 2. parte 7. pagina 22. inquit Thomas Hurtadus, [Cum votis simplicibus, emissis ab Scholaribus Societatis ex privilegio Apostolico, benè cum eorum vera religiositate dominium suorum bonorum componitur, vt alibi contra Henao est enucleatum, & expositum.] Hæc ille. Sed ego nusquam scripsi, imò neque somniaui, dominium bonorũ temporalium siue adquisitum, siue adquirendum non stare cum voto paupertatis emisso post biennium cum duobus alijs castitatis, & obedientiæ ab Scholaribus Societatis nostræ; neque potui dicere, nisi desiperem, siquidem contrarium constet tum ex Constitutionibus nostris parte, & Cap. 4. lit. *E.* tum ex Bulla Gregorij XIII. edita anno 1584. 8. Kalend. Iunij, incipienteque *Ascendente Domino*, tum ex vsu, & praxi Societatis, ad quam à teneris annis sum admissus; & in qua à prima probatione docemur de hac singularitate. Scripsi quidem Disput. 12. de Euchar. num. 94. Thomam Hurtadum parte 2. Resolutionum Moralium Tractu 13. Resolut. 2. num. 20. & 39. protulisse minus benè, emittentes in Societate post biennium tria vota præfata non esse verè Religiosos nisi ex priuilegio, & indulto particulari, & iure nouo Gregorij XIII. in Bulla *Ascendente Domino*, & aliorum successorum. Probauique manifestè, quia ex alia Bulla anteriori eiusdem Gregorij XIII. anno 1581. & inchoante *Quantò fructuosius*, constat, fuisse verè Religiosos eo etiam tempore, quo expedita est; constatque etiam ex eadem Bulla *Ascendente Domino*, non factos tunc nouiter Religiosos verè, sed fuisse anteà ab initio, approbatione que Societatis per Sedem Apostolicam. Exposui ibi ad oculos verba vtriusque Bullæ. Id autem quàm diuersum sit ab asserenda per me incompossibilitate dominij cum voto verè Religioso paupertatis edito in Societate post biẽnium, nemo non videt.

366 Neque ego non video, voluisse Thomam Hurtadum obijcere Scholaribus Societatis quasi quid minus decorum, quòd essent Religiosi ex privilegio Apostolico. Sed permisso, posse dici Religiosos ex privilegio, erit ne probrosum, si illud sit Apostolicum? Re quidem vera Scholares Societatis tam, eodemque modo sunt, vocarique debẽt Religiosi, quàm Professi eiusdem Societatis, aliarumque Religionum, nam ea, in quibus tria ipsorum vota discrepant à solemnibus emissis à Professis, conueniunt solemnibus ex iure tantùm Ecclesiastico, vt & ex eodem tantùm iure adempta sunt in ipsorum votis simplicibus, cum primùm à Sede Apostolica fuit approbata nostra Societas. Vnum solummodò fuit additum à Gregorio XIII. in Bulla *Ascendente Domino*, circa ea vota simplicia, vt scilicet dirimerent matrimonium contrahendum; quod illius futurii im-

ri impedimentum proprium, & singulare ex iure Ecclesiastico erat votorum solemnium, sicut eorundem proprium, singulareque nūc est ex eodem iure, dirimere matrimonium ratum iam contractum, sed non consummatum.

367 Tandem §. 17 pag. 161. Thomas Hurtadus appellat me *magnum Raynaudi defensorem*. Quem ob titulum non possum non gratias agere Thomæ Hurtado. Nam etsi nihil in me, cur *magnus defensor*, dici possim, *intelligam*, *non tamen debeo esse ingratus suæ erga me bonæ voluntati. Solemus enim sæpè sentire meliora de his, quos diligimus, quàm ipsi mereantur. De laude igitur, quæ ad me non pertinet, cor meum non gloriatur, sed de dilectione, quæ semper amanda est, gratias agendo lætatur.* Quæ sunt verba S. Anselmi Arch. Cātuarien sis L. 3. Epist. 163. Ego certè defendi Raynaudum, vt & alios Scriptores Societatis in ijs, in quibus ab Hurtado minus moderatè tractabantur, cū tamen eorum sententiæ non mererentur censuram rigidam, nec verba insuauia. Si Raynaudum impugnasset Hurtadus qua, æquum erat, temperantia, eiusdemque cum Raynaudo essem mētis, occurrissem argumentis Hurtadi, quam pacatè soleo aliorum Authorū, quibus non assentior: at si Raynaudi opiniones, quæ Thomæ Hurtado non placuerūt, nec mihi placuissent, adiunxissem me Thomæ Hurtado, & vna cū eo Raynaudum refutassem, non secus, ac passim alios ex nostris, & ipsum Raynaudum nonnunquam, nec enim ego iuraui in Raynaudi verba, etsi venerer ipsum, vt hominē sapientissimum, atq; eruditissimum, & in selectis Operibus fœcundissimum ad admirationem.

SECTIO XXIV.

An mutatio rituum liceat, quādo Sacerdos celebret Missam in Ecclesia, vbi in vsu sint alij diuersi ab ijs, qui in Sacerdotis propria?

368 REDEO ad Missæ ritus. Et nō loquor principaliter de Sacerdote Græco trāseunte per Ecclesiā Latinā, nec de Latino transeūte per Græcam; quanquam de vno, & altero casu dicā aliquid infra: sed procedit, principaliter quæstio de Sacerdote accedente in Ecclesiam siue Sæcularem, siue Regularem, vbi celebretur Missali, & ritu diuerso à Romano, cui Sacerdos est obligatus. Vt si ego, qui teneor ad ritum Romanum, accedam ad templum Cistertiensium, aut Dominicanorum, aut Carmelitarum Calceatorum, vbi est in vsu suus proprius ritus quoad quasdā cæremonias in verbis, & actionibus.

369 Respondeo, non esse per se licitam eam mutationem, quando ritus à Romano diuersus seruatur tātùm in vna Ecclesia, aut Ordine. Probatur primò, quia ea mutatio est tunc cōtra praxim receptam, & contra communem persuasionem de obligatione graui, vt quisque Sacerdos retineat ritum Ecclesiæ, aut Communitatis, cuius est membrum, & pars. Secundò, quia ritus ille Cistertiensium v.g. non tam est concessus, aut permissus locis, quàm personis. Vnde videmus, has extra suas Ecclesias vti etiam ritu illo; durumque foret, imponere eis onus sciendi Romanum ob contingentiam celebrādi semel, aut iterùm extra propria templa. Tertiò, si Religiosus Frāciscanus hospes sit paucis diebus in Cōuentu Dominicanorum, non potest satisfacere obligationi horarum Canonicarum, præsertim si solus, & non iuuans Dominicanum recitet iuxta Breuiarium Prædicatorum, vt cum multis tradit Baldellus tomo 2. Theologiæ Moralis Lib. 3. Disput. 29. num. 14. Ergo similiter non poterit celebrare in Ecclesia Prædicatorū ritu eorūdē, sed Romano, ad quē aliàs est adstrictus. Suadetur Consequētia, nam sicut quòd vtcumque existat in Conuentu Prædicatorum, non sufficit Franciscano ad satisfaciendum obligationi horarum Canonicarum per recitationem cum Breuiario Dominicano, ita neque sufficiet ad celebrandum cum Missali eorundē. Quòd autem Franciscanus Sacerdos teneatur ad horas Canonicas, & nō ad celebrandum, haud quaquam commoda ratio discriminis est, inde enim tātùm infertur, vnam obligationem absolutam esse, & alterā esse conditionatam, non autem quòd omnino deficiat hæc secunda.

Nostræ

370 Nostræ responsioni nec favet, nec refragatur Antoninus Diana parte, & Tract. 4. Res. 95. solummodò ait, aliquos non approbare contrariam P. Præpositi 3. parte quæst. 83. art. 4. dub. 5. num. 190. & se nescire, an circa hanc quæstionem sit quidpiam declaratum a Sacra Rituum Congregatione. Sed huc potest trahi duplex eius Decretum, vnum editum anno 1622. die 19. Novembris, ne Missæ certis Regularibus concessæ possint ab alijs dici etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs: alterum anno 1628. die 20. Novembris, ne Capellani Monialium, non tentium Breviario Romano, dicãt Missam sine Missali Romano, quanuis possint dicere de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium. Decretum primũ additum iam est Missalibus; secundum refertur à Gavanto parte 3. tit. 10. numero 10. §. *Intellige.* Ex vtroque Decreto colligitur à fortiori responsio nostra. Quam conceptis verbis tenent Aversa quæst. 11. sect. 12. V. *Decimò Tandem*, Franciscus de Lugo L. 5. C. 9. quæst. 4. num. 37. Tamburinus Lib. 2. Cap. 5. §. 2. num. 21. Quartus parte 11 titul. 14. dub. 1. V. *Dico secundò*, Coninch quæst. 74. art. & dub. 4. n. 119. & q. 83. art. 5. num. 268.

371 Dixi primò in Conclusione, non esse per se licitam talem mutationem, nam per accidens ratione necessitatis poterit Sacerdos recitare Missam, prout habetur in Missali extraneæ Ecclesiæ, si desit copia Romani. Et ita ego semel, & iterum feci in itinere, nam etsi facultas erat audiendi Missam alterius Sacerdotis, malui non omittere celebrationem die festo, maluique recitare legendo, quàm ex memoria, cum periculo perturbationis in verbis. Si adsit causa, licitum id esse, docet Tamburinus supra, num. 22. secus, si non adsit, quia præfati ritus verborum, etsi accidentales, iudicantur tamen alicuius momenti, atque adeò custodiri debent. Non explicat, quanta, & qualis debeat esse causa. Quarto videtur in Vers. *An autem*, si diversitas verborum sit modica, sufficere, quod vrgeat præceptum audiendi Sacrum, maximè si multi sint in comitatu, qui velint assistere illi: quandò autem diuersitas sit magna, præferendã esse reuerentiam Sacrificij præcepto audiendi Missam. Ego etiam nunc iudico, sufficientem fuisse causam, quæ me mouit, nam quoad cæremonias actionum nulla opus fuit mutatione; diversitas in verbis secretis parva fuit. Cur igitur ei diversitati non anteponerẽ celebrationẽ Sacri in die festo? Neque damnarem eum, qui præferret in die nõ festo, si alias deesset copia tam agendę, quàm audiendæ Missæ non sine sui mœrore.

372 Atque hinc deducitur, Sacerdotem, qui non prævidisset Missale, & posteà in altari advertat, non esse Romanum, sed Carmelitanum v. g. propriumque Ecclesię, ad quam accessit sacrificaturus, si petitum Romanum non afferatur, posse non desistere à Missa, nam defectus Missalis Romani non est tanti momenti, neque mutatio, quę in verbis sequetur ex eo defectu, erit tanta, vt ob id debeat Sacerdos discedere ab altari; vixque fieret sine scandalo, aut admiratione præsentium, si qui essent. Et de se refert Tamburinus supra, cum celebrans in Ecclesia Carmelitana die festo, & vltrà in Sacro progressus advertisset, Missale non esse Romanum, sed Carmelitanum, satius sibi visum esse continuare in eo Missã, quàm cum adstantium admiratione postulare tunc Romanum.

373 Dixi secundò in Conclusione, quando ritus à Romano diversus seruatur tantùm in vna Ecclesia, aut Ordine, quia si seruetur in tota Ciuitate, vt in Mediolanensi ritus Ambrosianus, tunc Sacerdos, qui peregrinus ad eam perueniat, poterit celebrare in Missali Ambrosiano, quia peregrini possunt se conformare consuetudinib⁹, moribusq; locorum, per quę transeunt, vt communis satis sententia docet, proindeque Sacerdos alibi obligatus ad Missale Romanum poterit peregrinus Mediolani celebrare ibi Missam ritu Ambrosiano, qui non est ex priuilegio permissus vni tantùm Ecclesiæ, aut Ordini, sed est communis toti Ciuitati: & peregrini possunt se accommodare moribus communibus locorum, ad quę perueniunt, quanquam nõ possint vnius personæ, aut domus illorum locorum priuatis, & particularibus, qui discordes sint ab obligatorijs suæ patriæ. Nec Pius V. prohibens vti alio Missali, quàm Romano, intelligendus est, adimere Sacerdotibus peregrinis id,

id, quod ipsis competit ex iure peregrinitatis, nisi exprimat voluntatem suam; ipse autem non expressit. Quare sicut Pius V. non abstulit Mediolanensi Ciuitati vsum antiquum ritus Ambrosiani, sic neque illac pertranseuntibus ademit facultatem, quam ex iure communi habent conformandi se consuetudini ritus illius. Ita supra Coninch; Aversa, Tamburinus n. 19. Quartus V. *Dico tertiò.*

374 Et confirmatur primò; quia etsi Sacerdos Hispanus peregrinus Romæ non possit celebrare in fermento apud vnam, vel alteram Ecclesiam, vti Græci ex privilegio consecrant more suo, si tamen peregrinetur per Græciam, potest vtique, quia in ea regione est mos, consuetudoque communis, vt dixi Disputatione 4. de Euch. num. 9. & reperam infrà, sentiuntque ferè omnes Doctores, præsertim quando in locis Græciæ, per quæ transeat, non reperiantur templa destinata ad ritum Latinum, nam si reperiantur, debet ex aliquorum sententia non celebrare in alijs, quàm in deputatis ad ritum Latinum, aut debet in destinatis ad Græcum non alio, quã Latino peragere Sacrũ. Sed nõnullis videtur, destinationẽ illorum templorum dirigi non ad obligandos Latinos, vt litent, sed vt possint litare more Latino, si velint. Sic si Religiosus peregrinus Mediolani, velit celebrare in Ecclesia sui Ordinis seruantis ritum Romanum, debebit sacrificare ritu Romano, vtpote pars, & membrum sui Ordinis; sed nihilominus potest agere Sacrũ in alijs Ecclesijs, & ritu Ambrosiano, nisi speciali aliquo suæ regulæ præcepto prohibeatur.

375 Confirmatur secundò, quia si Mediolanensis Sacerdos Sæcularis peregrinus Romam adveniat, potest in Vrbe vti Missali Romano. Ergo è contra, si Sacerdos Romanus peregrinus deveniat Mediolanum, poterit ibi legere Missam è Missali Ambrosiano, & cum ritu Ambrosiano tam in verbis, quàm in actionibus. Antecedens negatur à Bonacina D. 1. de Horis Canonicis quæst. 3. punct. 1. numero 7. V. *Ad quartam*, quia obligatio in tali Sacerdote ad Breviarium Romanum est ex lege Summi Pontificis habentis totum Orbem pro territorio. Sed melius conceditur à Coninch supra, num. 268. & à Quarto supra, V. *Colligitur Quartò*, quia nisi Pontifex declaret oppositum, non est censendus velle lege sua privare peregrinos facultate, quæ ipsis competit ex iure communi, vt se accommodent moribus locorum, per quæ transeunt. Et in præsentiarum quidem non exprimit Papa.

376 Confirmatur tertiò, si Religiosus Cistertiensis v. g. celebret extra suum Monasterium, potest ex Coninchо supra, & ex Quarto, V. *Colligitur tertiò*, dicere Sacrum iuxta morem, non qui sit priuatus alterius Ordinis, ad cuius templum se conferat, sed qui sit communis Ecclesiæ, ad quam accedat, cum plerisque alijs totius Ciuitatis; vt Mediolani iuxta morem Ambrosianũ, Salmanticæ iuxta morem Romanum; & ita videmus, fieri sæpe à Religiosis profitentibus ritum celebrationis diuersum à Romano. Ergo pariter licebit Sacerdoti obligato ad ritum Romanum celebrare Mediolani, vbi peregrinus existat, Ambrosiano ritu.

377 Bonacina supra *Ad tertiam* inficiatur respectu Officij horarum Canonicarum potestatem præfatam in Religioso Cistertiensi v. g. [quia non solùm tenetur ad Officium ex vi regulæ, vel consuetudinis, vel præcepti sui Superioris, verùm etiam ex vi voti, quo professus est, & promisit obseruantiam constitutionum, seu regularum Religionis (eo pacto, quo regulæ, & constitutiones obligant) Votum autem, & ipsius obligatio sequitur personam, vbicumque existit. Tum quia constitutiones Regularium approbantur, & confirmantur à Summo Pontifice: Summus autem Pontifex totum Orbem habet pro territorio. Tum quia sicut Religiosus Franciscanus feria sexta non est immunis à ieiunio, quamuis extra Monasterium reperiatur; ita neque liber est ab obligatione Officij iuxta ritum suę Religionis persoluendi, licet extra Monasterium degat.] Sic Bonacina loquens de Officio horarum Canonicarũ; videturque esse eadem ratio de Officio Missæ. Et quidem Religioso mutatio Officij horarum nõ licebit, si ex regulę præcepto prohibita sit specialiter, vt cuivis ex eis Religiosis constabit, & vt Franciscanis constat, suum de ieiunio in feria sexta præceptum non limitari ad existentes intra Monasteria. Ast

si

si desit præceptum prohibens specialiter, existimat Quartus supra V. *Colligitur quartò* nec votum per se, nec approbationem constitutionum factam à Papa extendi ad id, vt, si Religiosi illi recedant á suis Monasterijs peregrinaturi per alia loca, teneantur ad recitandas horas Canonicas ritu privato suorũ Monalteriorum. Nolco, paritatem Officij Missæ vrgere vehementer; sed timeo, ne, sicut dicitur, & exprimitur, huiusmodi Religiosos accedentes ad Ecclesias Romani Ritus celebrare licitè iuxta eum, dum etiam eodem die, & manè ad sua Monasteria redeunt, dicatur similiter, posse manentes ad horam in Collegio v. g. Societatis satisfacere obligationi horarum Canonicarum, recitando ibi eas ex Breviario Romano. Quartus in V. *Colligitur tertiò*, vt probet Carmelitanum in Ecclesia Societatis, eiusdemque Civitatis, in quâ ipse moretur, posse sacrificare more Romano, exhibet hanc rationẽ, [Religiosus accedens ad locum extra Monasterium censetur ibi advena. Ergò potest se conformare consuetudini talis loci.] Quæ ratio converti valet, vt talis Religiosus adimpleat ibi obligationem horarum Canonicarum per recitationem in Breviario Romano. Sylvester V. *Hora*, quæst. 1. ad finem testatur, [Fratres Prædicatores posse, & debere esse cõtentos Officio Ecclesiæ, ad quam declinant, secundùm constitutiones suas.

378 Notandum hic est, Baldello supra num. 10. displicere in Bonacina, quòd dixerit supra, V. *Secunda sententia*, posse Clericum Mediolanensẽ obligatum ad ritum Ambrosianum persolvere Romæ, vbi peregrinus existat, Officium Canonicum Romano more. Refutat autem Baldellus Bonacinam primò, quia hoc dictum est singulare, vt ipsemet Bonac. fatetur. Secũdo quia si Clericus Romanus peregrinus Mediolani non satisfacit ritu Ambrosiano horarum, vt concedit Bonacina, nec è contra satisfaciet ritu Romano Clericus Mediolanensis, qui sit Romæ advena. Tertiò, quia obligatio Clerici Mediolanensis ad ritum Ambrosianum oritur ex Iure communi, cum sit ritus suæ Ecclesiæ Metropolitanæ, C. *De iis* 13. C. *Placuit* 14. Dist. 12. Manet autẽ obligatio huiusmodi, quandiu Clericus non desinit esse subditus suæ Ecclesiæ Metropolitanæ, cum non sit obligatio proveniẽs ex statuto, aut decreto Diœcesano. Quartò, quia qui alicubi adest ad breve tempus, non reputatur moraliter adesse, & qui ab aliquo loco abest ad breve tempus, non reputatur moraliter abesse, *l. Quæsitum §. finali, ff. de Legatis, & fideicommissis*; & qui statim est reversurus, reputatur non abesse ex veterum Canonum sententia, vt ait Concilium Tridentinum Sess. 23. C. 1. de Reform.

379 Sed his non obstantibus, non deflectimus à sententia Bonacinæ. Ad primum dicimus, Bonacinam quidem non inveniss Authores sibi concordes; sed revera adfavere quotquot à nobis relati sunt quoad Officium Missæ; cuius, & Officij horarum eadem est ratio quoad præsens. Et opinio Bonacinę descendit optima consequutione ex principijs generalibus sententiæ admodùm communis circa peregrinos. Ad 2. nos negamus Antecedẽs. Etsi autem à Bonacina concedatur, habet ille suam disparitatem, quæ à Baldello non impugnatur, sed à nobis fuit iam enervata in secunda Confirmatione. Ad tertium, iuris communis obligationes, quas quisque fert secum, quocumque vadat, eius debere esse conditionis, vt si non omnes homines, saltem omnes alicuius status vbicumque existentes adstringant: cuius conditionis non est obligatio ad specialem ritum vnius Ecclesiæ Metropolitanæ inter reliquas alias. Ad quartum, valere eas reputationes, ne obligetur peregrinus Clericus ad ritum extraneum, non verò, ne possit conformare se illi, quia primum est gravamen, & secundum est favor. Quare potest Sacerdos peregrinus Mediolanẽsis vti hoc favore in Vrbe quoad Officium tam horarum, quàm Missæ, potest etiam & eo non vti, sed retinere suum ritum Ambrosianum.

380 Notandum rursus est, me hactenus loquutum esse de Sacerdote Mediolanensi, qui peregrinus, & advena sit Romæ, nam si fiat incola figendo domicilium, vel ad Vrbem tranſcat animo commorandi in ea perpetuò, vel saltem per maiorem anni partim, censeo, teneri ad ritum Romanum tam in horis, quàm in Missa, quia iam tunc est membrum, & pars Communitatis obligatæ

gatæ ad ritum Romanum. Quæ censura derivatur ex principijs generalibus satis communibus in Tract. de Legib⁹, estque Ægidij Coninch, Tamburini, Quarti, & aliorum, quos supra laudavi. Extendoque eam ad casum, quo Sacerdo Mediolanensis sit vagus Romæ, quin iam habeat Mediolani permanens domicilium, vel quasi domicilium. Nam & hæc extensio profluit ex principijs vniversalibus satis notis, & probatis in eodem Tract.

381 Notandum tertiò est, P. Tannerum tomo 4. Disp. 5. quæst. 16. dub. 1. num. 9. in explicationæ Bullæ Pij V. quæ habetur initio Missalis Romani, dicere, statutum fuisse ibi, [Vt Presbyteri quicumque in quibuslibet Ecclesijs (etiam illis, vbi Missa ritu Romano celebrari nec solet, nec debet) dicto Missali in celebrando liberè, & licitè vti possint, & valeant, & à nemine cogi possint, vt aliter teneantur Missam celebrare.] Sic refert Tannerus. Sed ego sæpiùs lecta Bulla dubius sum de tali facultate, nam verba hæc, ad quæ, & non ad alia potuit ille respicere, *Atque vt hoc ipsum Missale in Missa decantanda, aut recitanda in quibuslibet Ecclesijs absque vllo conscientiæ scrupulo, aut aliquarum pœnarum, sententiarum, & censurarum incursu, posthac omnino sequantur, eoque liberè, & licitè vti possint, & valeãt, authoritate Apostolica, tenore præsentium, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus.* Verba, inquam, hæc non præbent illam facultatem, vt indicant tum interiecta *posthac omnino sequãtur*, tum totus Bullæ contextus, tum sensus horum omnium verborum transcriptorum, qui est de Iisdem Ecclesijs, & personis, quas Papa obligare intendit ad Missale novum. Quod autem dicat, *eoque liberè*, &c. nõ satis videtur.

382 Idem Tannerus num. 10. colligit ex eadem Bulla, Religiosos, obligatos ad novum Missale Romanum, debere in suis Ecclesijs celebrare Missas Conuentuales iuxta formulam illi⁹, nisi aut habeant privilegium postea obtentum, aut nisi consuetudo Missas dicendi vltra ducentos annos assiduè observata sit. De qua secunda ampliatione etiam dubito, quia in Bulla illud de consuetudine ducentorum annorum ponitur quantùm ad illos, qui omnino deobligentur à ritu Romano.

383 Colligit deinde Tannerus, non adstrictos ad Missale Romanum haud quaquam posse sine Episcopi, vel Prælati, Capituliq; vniversalis consensu celebrare in suis Ecclesijs Missas Cõuentuales iuxta ritũ novi Missalis Romani, nisi ipsa consuetudo tolerata sit indicium taciti consensus. Qua in deductione innuit Tannerus, posse in Ecclesijs non obligatis ad Missale Romanum fieri quasdam celebrationes solẽnes ritu suo speciali, alias ritu Romano, si interveniat consensus præfatus. Sed Bulla non meminit de illo consensu iam ad vnum ritum, iam ad alium, sed vt specialis dimitteretur prorsus, & Romanus prorsus admitteretur.

384 Idem etiam Tannerus in quæstionẽ vocat, an obligati ad Missas Conuentuales iuxta ritum Romanum in suis Ecclesijs, possint in eis recitare privatas iuxta ritum alium permissum; an item possint iuxta illum Missas tam privatas, quàm Conuentuales celebrare in Ecclesijs deobligatis à Missali Romano? Ad vtramque quæstionis partem videtur Tannerus respondere affirmatiuè. Ego ad vtramque respondeo negatiuè: ad primam quidem, quia Bulla non modò prohibet Missas Conuentuales iuxta alium ritum, sed etiam Missas privatas. Considerentur verba illa Bullæ, *decantetur, aut recitetur, decantent, ac legant*, quæ comprehendunt Missas Conuentuales, & privatas. Ad secundam, quia concessio, aut permissio alterius ritus in eis Ecclesijs non est tam ratione loci, quàm personarum, quæ illum incolunt; & ideo extraneæ personæ non poterunt ibi vsurpare ritum, qui concessus est, aut permissus incolis.

385 Ex hactenus dictis infertur primò, non posse Salmanticæ, neq; Toleti celebrari ritu Muzarabico in Sacellis destinatis ad hunc ritum, nisi à Capellanis proprijs eorum Sacellorũ. Colligitur secundò, Sacerdotem Latinum non posse celebrare ritu Græco, & infermentato; è contraque Græcũ non posse celebrare ritu Latino, & in azymo in suis regionibus. De quo legãtur Epistola Leonis VIII. vulgò IX. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum C. 29. Concilium Florentinum in litteris sanctæ vnionis, necnon Constitutio 12. Pij V. publicata anno 1566.

1566. die 20. Augusti, & incipiens *Providentia Romani Pontificis*, Catechismusq; Rom. p. 2. C. 3 n. 14. serio enim, & graviter iubent tam Latinis, quàm Græcis servare ritus Ecclesiarum Occidentalis, & Orientalis, quarum mẽbra sunt; revocatque Pius V. facultates eò vsque concessas, siue vt Latinus more Græco, siue vt Græcus more Latino sacrificet.

386 Deducitur tertiò, Sacerdotem Latinum peregrinum in Ecclesia Orientali posse celebrare siue more Latino, siue Græco, & Græcum peregrinum in Ecclesia Occidentali posse etiam posteriori, vel priori modo, quia possunt retinere ritum Ecclesiarum, quarum adhuc sunt membra, & possunt etiam se conformare ritui earum, per quas transeunt. Deductio hæc quoad id, vt Latinus more suo, & Græcus suo etiam possint sacrificare, constat ex Epistola illa Leonis Papæ, præsertim in templis Ecclesiæ Orientalis destinatis ad ritum Latinum, & in templis Occidentalis destinatis ad ritum Græcum; ait enim Leo, *vt fertur, omnes Latinorum Basilicas penes vos clausistis, Monachis Monasteria, & Abbatibus tulistis, donec vestris viuerent institutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia quantò discretior, moderatior, & clementior vobis est. Siquidem cum intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, siue Ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, siue sua consuetudine, quin potiùs suadetur, & admonetur eam obseruare.* Sic Leo. Et praxis ostendit, sacrificari ab advenis Græcis suo ritu in nostris partibus, nostroque in suis ab advenis Latinis. Idque magis conducit ad pacem vtriusque Ecclesiæ, & vt vnusquisque devotè operetur rei divinæ; liberatq; Græcos, & Latinos ab addiscendis cæremonijs extraneis. Cum autem ritus Latinus, & Græcus non sint vnius, aut alterius Diœcesis, Civitatis, vel Ordinis Religiosi, sed vniversales, & cõmunes Ecclesiæ Occidentalis, & Oriẽtalis, convenientiùs apparet, vt Latinus peregrinus observet morem suæ Ecclesiæ, & Græcus suæ.

387 Quas ob causas Latinus, cui sit animus manendi per maiorem anni partem in Ecclesia Orientali, poterit celebrare more patrio, vt sentio cum Coninecho quæst. 74. art. 4. dubio 3. num. 118. aliisque post ipsum, etsi communiter soleant teneri legibus loci, qui eius potiuntur quasi domicilio. Cæterùm si Latinus fiat incola in Ecclesia Orientali, habeatque animum manendi ibi perpetuò, debebit litare more Ecclesiæ illius.

388 Et hæc (quæ de Græco in Ecclesia Occidẽtali similiter dicta putes) intelligenda sunt, si non adsint templa deputata pro Latinis. Nam si adsint, tenebitur Latinus Sacerdos, vt in eis non alio ritu, quàm Romano celebret; perindè enim est sacrificare in eis, ac si sacrificaret in Ecclesia Occidentali, eaq; de causa sunt destinata talia templa pro Latinis, vt in eis exerceatur ab ipsis suus ritus. Huc faciunt verba Leonis Papæ supra exarata. Atque sic docent Mascarenhas infra num. 42. Tamburinus infra num. 5. Quartus infra V. *Respondeo, & dico primò* post Suarium.

389 Cum quo tamen stat probabiliter, vt possit Latinus advena litare in templis alijs Græcorum iuxta eorundem ritum, vt ait Mascarenhas num. illo 42. & Quartus parte, & tit. 3 sect. 1. dub. 10. Vers. *Ampliatur primò*, lamque in num. 374. significavi rationem. Nec quòd ibidem adsint destinata templa pro Latinis, videtur adimere ijs ius peregrinitatis. Quanquam communiter iudicetur, ius illud valere tãtùm, quando absint templa illa; & tunc tantùm posse sacrificare in templis Græcorum more ipsorum, vel more patrio.

390 Illud probabile videtur Bonacinæ Disp. 4. de Sacramentis q. 2. puncto 1. numero 10. posse Latinum in Ecclesiæ Occidentalis loco, vbi adsit templum destinatum pro Græcis, celebrare more Græco, nisi constet, Summum Pontificem velle concedere tale templum in vsum solùm Græcorum. Sed in primis satis constat id, de quo sub conditione loquitur Bonacina, nam deputatio templi ad ritum Græcum in Ecclesia Occidentali fit ex privilegio respiciente solos Græcos. Deinde Latinus non habet tunc excusationem, ne servet morem suæ Ecclesiæ obligatorium graviter, quòd enim templum, in quo celebrat, destinatum sit ad ritum Græcum, habet se per accidens respectu Latini. Ita Mascarenhas Tract. 4. D & C. 2. num. 43. cum Suario, Fagundez, Conin-

Coninchо, & Diana, Tamburinus Opuſculo de Communione Cap. 2. §. 9. Quartus ſupra, V. *Reſpondeo, & dico primò*, Martinonus Diſput. 29. ſect. 5. numero 32. Bernal D. 27. S. 4. §. 2. n. 35. Dicaſtillus Tract. 4. D. 2. dub. 4. num. 58. Franciſcus de Lugo L. 5. C. 9. q. 4. num. 36. Tannerus tomo 4. Diſput. 5. quæſt. 2. dubio 4. num. 125.

391 Didaco Nuño quæſt. 74. art. 4. Concluſ. 6. non apparet grave, quòd Græcus in Eccleſia Orientali non ſervet ſuum ritum. Additque, facturũ melius, ſi apud nos ſervaret ritum Latinum. Quæ additio mihi non placet. Et vbi pro Græcis extaret templum, ſuadebat, & admonebat Leo Papa, vt obſervarent ſuum ritum. Si id advertiſſent Petrus de Ledeſma, Granadus, & Leander ipſos citans Tract. 7. Diſp. 8. quęſt. 22. non ęquè conſulerent tunc Græco ritum extraneum. Placet multò minùs prius illud Nuñi, nam non poteſt non eſſe gravis obligatio ad ritum, qui eſt graviſsimus in æſtimatione Eccleſiæ Orientalis, & quem Concilium Florentinum, & Pius V. voluerunt, & adeò ſeriò imperarunt retineri in ea à Græcis. Sunt, qui in confirmationem adducant Innocentium III. L. 4. de ſacro altaris Myſt. C. 33. Sed ille ſolũ ait ibi, *Adhuc multi ſacrificant defermentato, quibus tanquàm verè Catholicis Eccleſia Romana communicat.*

392 Ex his reijciendus eſt Paludanus in 4. Diſt. 11. quæſt. 1. artic. 6. num. 38. dicens [E contrario dicunt aliqui, peccare Græcum, ſi conficiat in azymo:: Sed quia illi ſunt Schiſmatici, nullus etiam ipſorum debet eis adhærere, & ſicut in toto, ſic & in parte poteſt ab eis diſcordare: nõ tenetur quiſpiam eorum, illorum ſtatutis, vel conſuetudinibus, quia ab obedientia Schiſmaticorum, & hæreticorum omnis homo eſt abſolutus.] Sic ille. Sed, vt benè conſideravit Averſa quæſt. 2. ſect. 4 V. *Adhuc tamen*, conſecratio in fermẽtato non pertinet ad ſchiſma Græcorũ, ſed ad eorum ritum conceſſum, & iniunctum etiam ijs, qui cum Catholica, & Romana Eccleſia communicant.

393 Cautè etiam eſt legendus Scotus in 4. Diſt. 11. quæſt. 6. in fine aiens, *Fortè etiam grauiter peccant Græci, qui non ſe conformant Eccleſiæ Petri*, conſecrando in azymo. Verba Scoti tranſcribunt, & approbant Angelus V. *Euchariſtia* 1. num. 6. Gabriel Lect. 34. in Canonem Miſſæ lit. G. Sed Antonius Hiquæus interpretatur Scotum ſubdubitantẽ ob contemptum Eccleſiæ Latinæ, & nõ abſolutè obritum fermẽtati.

394 Tandem audiendus non eſt Martinus de Ledeſma in 1. parte 4. quæſt. 15. art. 4. dub. 2. V. *Sequitur ex dictis*, inquiens, Græcos peregrinantes debere in Eccleſia Occidentali celebrare more Latino, & Latinos peregrinantes in Eccleſia Orientali debere celebrare more Græco. Sed Ledeſmæ aſſertio eſt omnino adverſa praxi, & minus conformis intentioni, & deſiderio Leonis IX. Pij V. & Concilij Florentini. Et quanuis peregrini aliàs tenerentur legibus loci, per quem tranſeunt, admitti deberet exceptio in hoc caſu ſpecialibus de cauſis, non vt tenerentur ſervare ritum ſuæ Eccleſiæ, vt volunt Vazquez D. 174. Cap. 3. num. 28. Averſa quæſt. 2. ſect. 4. V. *Sed dubitatur*, Gaſpar Hurtadus D. 2. Diff. 6. §. 3. ſed vt poſſent ſervare. Quæ eſt ſententia expreſſa Thomæ Sanchez L. 3. de Matrim. Diſp. 18. num. 6. & Frãciſci Suarez D. 44. ſect. 3. V. *Illud verò*. Vnde malè Gaſpar Hurtadus ſupra, & Leander Tract. 7. D. 8. q. 23. citant Eximium Doctorẽ pro opinione Vazquij, eo quòd in fine dicat, [ſine ſcrupulo poſſe Sacerdotem Græcum peregrinantem per Eccleſiam Latinam, & Latinum per Græcam, ſuę Eccleſię ritũ ſervare cum cõſenſu, & facultate Paſtorum eius Eccleſię, in qua verſatur: quã ipſi, ſi nullũ timeãt ſcandalum, prẽſtare poſſunt, & debent, ſi nulla rationabilis cauſa obſtet.] Sic Suarez, ex cuius prioribus verbis, & ex antecedentibus eiuſdem V. conſtat ſententia, quam ipſius eſſe affirmavimus; poſteriora autem rectè cum eis componuntur, nam ſi velit Græcus in Eccleſia Occidentali vti ſuo ritu, & Latinus ſuo in Occidẽtali, ius habent, ne prohibeantur, ſi abſit ſcãdalum, aut rationabilis alia cauſa.

395 Vt hanc Sectionem terminem, appono præclarum reſponſum S. Anſelmi ad Vvaleranum conquerẽtem de cœremoniarum inter altaris Sacrificium varietate apud diverſas Eccleſias, *Queritur veſtra reuerentia de Sacramentis Eccleſiæ, quoniam non vno modo fiunt vbique, ſed diuerſis modis in diuerſis*

sis locis tractantur. Vtique si per vniuersam Ecclesiam vno modo, & concorditer celebrarentur, bonum esset, & laudabile. Quoniam tamen multæ sunt diuersitates, quæ non in summa Sacramenti, neque in virtute eius, aut fide discordant, neque omnes in vnam consuetudinem colligi possunt: æstimo, eas potiùs in pace concorditer tolerandas, quàm discorditer cum scandalo damnandas. Habemus enim à Sanctis PP. quia si vnitas seruatur charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diuersa. Si autem quæritur, vnde istæ natæ sunt consuetudinum varietates, nihil aliud intelligo, quàm humanorum sensuum diuersitates. Qui quanuis in rei virtute, & vnitate non dissentiant, in aptitudine tamen, & decentia administrationis non concordant. Quod enim vnus aptius esse iudicat, alius sæpe minus aptum æstimat: neq; in huiusmodi varietatibus non consonare, puto ab ipsius rei veritate exorbitare. Ita S. Archiepiscopus Cantuariensis in Opusculo de Sacramentorum diversitate Cap. 1. seu Lib. 3. Epistola 163.

SECTIO XXV.

An si aliquibus concedatur facultas celebrandi de Beato Missam, sit eo ipso permissum alijs celebrare de illo?

396 HÆC difficultas non ineptè succedit post exagitatam in Sectione præcedenti: mouetur autem præcipuè propter Missas de beatificatis nondum canonizatis. Solent enim Pontifices Summi concedere facultatem alicui Religioso Ordine, aut Regno, aut Provinciæ ad celebrationem Missæ de eo, quem Beatum declarant. Et tunc quæstionis est, an fas sit alijs celebrare de eo?

397 Non versatur quæstio circa Sanctos canonizatos, nam Bullæ canonizationis solent exprimere facultatem, vt vniversaliter possint coli per Missas: fuitque semper mos Ecclesiæ, vt offerrentur ad honorem Martyrum, posteàque ad honorem etiam Confessorum descriptorum in Ecclesiasticis tabulis. Quare de quocumque Sancto, de quo constet, esse canonizatum, potest celebrari: atque adeò non solùm de positis in Kalendario Missalis Romani, sed etiam in Martyrologio Romano, exceptis nonnullis, qui nondum canonizati continentur ibi ex gratia speciali Sedis Apostolicæ, vt notat Quartus parte 1. titulo 4. dubio 7. V. *Præmittenda est*, & exceptis eis Sanctis veteris Testamenti, de quibus agi Missas non concesserit expressè, vel tacitè Ecclesia Romana, vti expressè cõcessit de Machabæis v. g. Nam de alijs non licet eas agere, vt latè probat Raynaudus in Heteroclitis spiritualibus, & anomalis pietatis S. & punct. 3. est enim contra consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, vt constat ex Sancto Bernardo in Epistola 98. Beletho in Explicatione divinorum Officiorum Cap. 128. Durando Lib. 7. Rationalis, C. 1. n. 40. Maiore in C. 11. Matthæi, dubio 11.

398 Potest itaque celebrari de Sanctis communiter, quorum memoria fit in Martyrologio Romano, nã eo ipso supponuntur canonizati, vt docet Bellarminus Lib. 1. de Sanctorum beatitudine, C. 7. Legantur Quartus in eo dub 7. Castrus Palaus Tractatu 4. Disp. 1. §. & puncto 5. num. 7. Ludouicus Turrianus D. 17. de Fide, dub. 7. Quintanadueñas tomo 1. Tract. 7. Singulari 1. & seqq. Nec solùm, si in Martyrologio referantur, sed etiam quando aliunde constet, esse canonizatos. Quorum, si in Kalendario Missalis non extent, debent Missæ esse votivæ, & non possunt, nisi ex peculiari licentia Sedis Apostolicę esse propriç cum Officio horarum Canonicarum, ita vt satisfiat obligationi Missæ solemnis in Choro, & horarum Canonicarum siue intra, siue extra illum. Videatur Franciscus de Lugo I. 5. C. 9. q. 5. n. 48.

399 Igitur ad quæstionem suis terminis inclusã respondent affirmativè Megala in Promptuario Theologiç V. *Canonizatio*, n. 1. Castrus Palaus supra, Quintanadueñas supra, Sing. 5. Tamb. L. 2. C. 6. §. 8. n. 10. Movẽtur, quia concessa à Summo Pontifice facultate, vt possit de aliquo celebrari, aufertur prohibitio extans in C. 1. de Reliquiis, & veneratione SS. ne absque authoritate Romanæ Ecclesiæ veneremur quem cultu publico tanquam Sanctum: qua prohibitione ablata, non est, cur non possint indifferenter

omnes alij Sacerdotes impendere ei cultum publicum per Missas votivas. An quia non reputatur dignus absolutè tali cultu? Minimè, vt constat ex concessione quibusdam facta. An quia non reputatur dignus respectivè ad omnes alios Sacerdotes? Minimè, quia Missa eiusdem est valoris, & æstimationis, siue ab hoc, siue ab illo celebretur.

400 Ego tamen respondeo negativè cum Turriano, Molfesio, Gauanto, Castellino, Granado, Aversa, Diana in locis designatis à Francisco de Lugo supra, n. 42. qui & eis subscribit se, vt & Gaspar Hurtadus D. 9. de Fide, Dis. 15. Quarto supra, V. *Secunda sententia*, Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 8. C. & sect. 2. Subs. 1. n. 125. Pro hac sententia queunt adduci multæ Eminentissimorum Cardinalium Declarationes.

401 Prima refertur à Turriano supra, dubio 8. nam vt ad ipsum scripsit Cardinalis Bellarminus, Sacra Rituum Congregatio edixit, non licere celebrare Missam votivam de Sancto non canonizato, & noluit facere potestatem celebrandi eam extra diem obitus. Sed Tamburinus expedit se ab hac Declaratione, dicens n. 13. non constare authentice de ea. Addi potest, sermonem in ea fuisse de Beato, de quo vt Missa ab aliquo celebraretur, non extaret facultas Pontificia. Sed quia posterior pars, si annexa fuit priori, supponit facultatē illā pro die obitus, melio addi potest, non negari in ea Sacerdotibus extraneis, quod concedebatur proprijs, sed tam illis, quàm his negari Missam de Beato extra diem obitus. Quòd non facit directè pro hac sententia, nam ad eam est opus, vt neque die obitus queat dici ab extraneis Missa votiva.

402 Secunda Declaratio est, vt Missæ certis Regularibus concessæ non possint ab alijs dici etiam in ipsorū Regularium Ecclesijs. Quæ Declaratio edita anno 1622. die 19. Novembris circumfertur in novis Missalibus ex iussu Vrbani VIII. atque adeò est authentica. Dici potest, debere attendi ad totum contextum Declarationis, præcesserat enim sermo de Missis Rosarij, & de Monte Carmelo permissis Regularibus quibusdam, & ijsdem dumtaxat; atque adeo verba transcripta non de alijs, quàm de præfatis Missis videbuntur intelligenda.

403 Tertia Declaratio est huiusmodi, *De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Ciuibus, & alys festis, de quibus in Kalēdario Romano, seu Rubricis Breuiarij nihil habetur, vt etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria authoritate constituatur, sed omnino consulatur Sacra Rituum Congregatio.* Quam Declarationem esse authenticam constat, cum ex imperio Vrbani VIII. apposita sit in nouis Breviarijs. Quintanadueñas respōdet, illud *de Beatis nondum canonizatis* interpretandum esse, quando Pontifex nulli personę dedit facultatem ad celebrandum de eis. Potest etiam dici, non excludi Missam votivam, sed Officium horarum Canonicarum, sicut neq; excluditur Missa votiva de Sanctis canonizatis anteà memoratis, sed tantùm Officium illud.

404 Quarta Declaratio, eaq; novissima affertur à Quarto supra, V. *Tandem*, tenorque eius est, *Sacrorum Rituum Congregatio die 5. Octobris 1652. censuit, & declarauit, si Sanctissimo placuerit, non potuisse, nec posse tam Sæculares, quàm Regulares cuiuscumque Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, excedere limites verbales Indultorum Sedis Apostolicæ super beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & Officij cum Octauis, nisi hoc expressē Sedes Apostolica eis indulserit. Et facta relatione per me Cardinalē Cornelium Episcopum Albanensem die 16. Decembris 1652. Sanctitas sua approbauit, & sic, vt præmittitur, seruari mandauit.*

F. Episcopus Albanen. Card. Cornelius loco † sigilli.

Bernardinus Rocini S. R. C. Secret.

Hæc Declaratio maximam authoritatem conciliat nostræ sententiæ. Eaque in causa etiam fuit, vt cum communiter in Hispania solitum nobis esset celebrare cum Octava de Beatis Francisco Borgia, & Aloysio Gonzaga, cessatum iam à nobis sit, quia Indulta beatificationum nō exprimunt Octavā, sed tantùm diem obitus. Nec approbo eos, qui continuare volunt celebrationem cū Octava, ducti Regula 1. Breviarij de Octavis, vbi dicitur, *De Octava fit Officium, vel saltem Commemoratio in festo principalis Patroni, vel Titularis loci, vel Ecclesiæ, & in festis aliorum Sanctorum, quæ apud quasdam Ecclesias, Congregationes, &*

Religiones

Religiones consueuerunt cum Octauis solemniter celebrari, nisi illa festa venerint in Quadragesima. Non, inquam, approbo, quia fuit consuetudo, quæ per hanc Declarationem reprobatur illis verbis, *non potuisse.* Memoratq; Turrianus supra V. *Quòd autem diximus*; Nostros petijsse specialem facultatem à Summo Pontifice, vt liceret celebrare cum Octava de S. P. N. Ignatio, quando nondum erat canonizatus: quanquam quia erat Patronus, vtpote Fundator Societatis; posset sine novo privilegio ex doctrina Granadi Controv. 1. de Fide Tract. 7. Disp. 4. S. 1. n. 10. celebrari de eo cum Octava. Sed de ea doctrina posteà,

405 Resolutionem nostram illud etiam ab authoritate magnoperè confirmat, quòd Bullæ beatificationū apponunt limitationem pro personis: quæ limitatio frustranea esset, si indifferēter omnes Sacerdotes possent agere Missas de Beatis. Præterea in Religionibus curatur adipisci privilegium, vt Sacerdotes extranei possint in ipsarum Ecclesijs celebrare de Beatis suis in diebus obitus: atque ita obtinuit Societas pro Beatis Aloysio Gonzaga, Francisco Borgia, Paulo Michi, Ioanne de Goto, & Didaco Quizai. Certè inutilis esset hæc cura, si absque speciali privilegio id liceret. Et cum ex speciali privilegio concedatur, vt in ipsorum Regularium Ecclesijs, & die obitus fas sit extraneis facere Sacra de eis Beatis; sequitur, non licere extra illas, neque siue intra, siue extra in diebus alijs. Et vrgeo, quia aliquando in Bulla beatificationis, non toti Religioni datur facultas celebrandi de Beato, sed vni, aut alteri Provincię; & tunc aliæ non aggrediuntur, quod illæ, vt in Hispania Societatis Sacerdotes de Beato Stanislao Kostka. Multò ergo minus poterunt Sacerdotes, qui non sunt è Societate.

406 Ratio à priori est, quia privilegium elargitum aliquibus determinatis personis, vt celebrent de Beato aliquo, debet non ampliari ad alias non expressas in privilegio, alioqui extenderetur vltra voluntatem, & intentionem concedentis. Ac sanè voluntas, & intentio Pontificis est, dum determinatis personis exhibet privilegium celebrandi de Beato aliquo, vt per limitationem illius cultus discriminetur quoad solemnitatem beatificatio à canonizatione, & ne de repente exhibeatur Sancto tota veneratio, quam Ecclesia præstare possit, sed sensim, & paulatim, prout Sancti merita apud Deum, & beneficia erga Ecclesiā magis in dies innotuerint, fideliumque erga eos deuotiō magis crescat, & supplicationes ad Sedem Apostolicam pro maiori cultu. Quæ etiam causæ mouent Pontificem, vt quanuis in Canonem referat Sanctum aliquem, non ideo statim permittat, vt scribatur in Kalendario Romano; & in positis designat vni maiorē cultum publicum, quàm alij; & de nōnullis permittit celebrari Missas proprias, sed non iubet. Quibus in limitationibus solent etiam Pontifices attendere ad minorem antiquitatem Sancti in Ecclesia.

407 Hinc facilè enodatur argumentum contrariæ sententiæ. Quia ex eo, quòd Pontifex concedat facultatem, vt celebretur de Beato aliquo, nō debet ad quoscumque indifferenter extendi ea facultas, velit, nolit Pontifex, potest enim stare, vt velit celebrari ab his, & nolit abillis. Quòd autem vnum velit, & nolit aliud in casu quæstionis, monstrant satis eius verba determinantia personas, nam inclusio, & determinatio quarundam est exclusio aliarum iuxta vulgatum axioma, *leg. Cum Prætor ff. de Iudic. leg. Cum Maritus Cod. de Procuratoribus, leg. Quanuis C. de Pignoribus, leg. Ait Prætor §. Sed quod Papinianus, ff. de Minoribus Cap. Nonne de Præsumptionibus.* Quare illæ aliæ personæ etsi celebrando colant eum, qui à Sede Apostolica declaratus est Beatus, colunt tamē eo cultu, quem, vt ipsi exibeant, non est permissum per Sedem Apostolicam; ad quam non modò pertinet declarare eos, qui habendi sunt Beati, sed præscribere modum in eorum cultu ab his personis, & non ab illis.

408 Quòd si Sedes Apostolica potest declarare aliquem Beatum, quin concedat, vt de eo celebrentur Missæ, & tunc nemini licebit cultu Missarum, sed minori alio prosequi ipsum, vt fatetur expressè Quintanadueñas supra, Singulari 5. n. 6: Quidni poterit determinare personas, à quibus cultu Missarum prosequendus sit, quin permissa sit alijs exhibitio eiusdem cultus? Neq; vrget illud de dignitate Beati, & de æquali valore, atque æstimatione

Missæ peractę siue ab vno, siue a alio, nam his suppositis liberum est Pontifici ob causas numero antecedenti libatas limitare cultum Beati per celebrationem Missæ ad has personas.

409 Ex dictis circa personas, quibus, & non alijs licet celebrare de Beato, infertur, eas etiam, quibus licet, debere seruare modum, tempus, & locum celebrationis præscripta in Bulla beatificationis. Et sicut est per se peccatum mortale discrepare ab ea in personis, ita in modo, tempore, & loco, quanquam discrepantia in his non erit peccatum mortale per se adeò graue; videturque Granado supra, sect. 2. num 17. fore peccatum leue ob parvitatem materiæ, si persona privilegiata diceret Sacrum vnum, aut alterum de Beato in alio templo, quàm in concesso; iudicatque idem ipsum Quintanadueñas supra, Singulari, & n. 7. si extra diem concessum fiat aliquando Commemoratio, seu recitetur Collecta de Beato. Neuter tamen admittit parvitatem materiæ, si celebretur alio die, quàm concesso.

410 Solùm admittit Granadus n. 18. [cum primùm conceditur prædicta potestas, licere quasi pro initio, & inchoatione festivitatis Missam celebrare in honorem beatificati, etiam ante diem à Pontifice præfixum, si dies hæc multùm distet à tempore, pro quo fit concessio: praxis enim declaravit, hanc esse tacitam voluntatem illius.] Sic ille. Sed praxis non est vbivis conformis, nam de Sicilia testatur Diana, pulsari ibi tantùm Campanas, & cantari Hymnum *Te Deum laudamus*.

411 Idem Granadus n. 15. admittit, [In hac materia, sicut in alijs esse locum Epicheiæ. Licet ergo soli certi Sacerdotes habeant expressam licentiam celebrandi, prudenter credi potest, fore gratum Summo Pōtifici, si ad prima festa beatificati de novo solēniùs celebranda vnus, aut alter ex viris primarijs extra illam Communitatem, in eius tamen templo in honorem eiusdem Beati celebret. Inde tamen non benè infertur, id ipsum licere alijs.] Sic Granadus à Quintanadueñas supra, n. 14. non improbatus. Contra quem Ioannes de S. Thoma 2. 2. D. 9 art. 2. V. *Sequitur præterea* pag. 773. videtur dicere, non posse subrogari alium Sacerdotem ad cantandum etiam solemniter Missam, quia stari debet præcisè verbis concessionis. Sed sicut in VV. proximè antecedētibus probabile esse ait, non obstante stricta forma cōcessionis, posse celebrari de Beato extra diē obitus, si ex ignorātia, aut negligentia, aut concurrentia cum alio festo maiori sit tunc omissa celebratio, cur non dicat, esse etiam probabile illud aliud?

412 Quintanadueñas supra n. 6. non approbat translationem Missæ de B. ob concurrentiam cum festo maiori. Ego multò minus approbarem, si Missa de B. fuisset prętērita ex ignorātia, aut negligentia. Nec Ioan. de S. Thoma loquitur de omissione ex his causis, sed ex concurrētia cum festo maiori, in solutione quęstionis, etsi in eius propositione siluerit de hac causa, & alias duas expresserit. Si translatio fiat ex tertia causa, cum aliunde faveant Rub. Mis. minus scrupuli habebit, quàm si fiat in diem festum, aut Dominicam, vt sæpe video, ob maiorem concursum populi. Res est, in qua cautissimè procedi debeat. Quare de his omnibus ampliationibus, & de alia, quàm ibidem tradit idem Ioannes à S. Thoma, vt si in Indulto beatificationis concedatur celebratio, & non designetur dies obitus, possit celebratio fieri cum Octava, iudicium, & decisio penes alios sit.

413 Sed adhuc nobis est cum Granado negotium. Nam ille in quæstione principali per mediam viam incedit. Censet namque in n. 14. & 16. si in Indulto dicatur, vt tantùm certæ, determinatæque personæ possint celebrare de Sancto, tunc quidem alias non posse; sed si absque adverbio illo *tantū*, vel simili designentur personę, tunc ex harum commissione alias posse, quia *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum* ex Reg. 72. de Reg. Iuris in 6. Et quia sicut Capellanus obligatus ad sacrificādum satisfacit, si sacrificet per alium; ita similiter in præsenti casu. Granado assentitur Pellizarius supra.

414 Contra primò ad hominem, quia si quando designantur personæ sine expressa exclusione aliarum per particulam *tantùm*, licet committere alijs celebrationem, liceret etiā, quando apponatur expressa exclusio, quia hæc operabitur, vt personæ exclusæ nō possint citra commissionem, minimè

verò

verò, quòd non possint ex commissione. Contra secundò etiam ad hominē, quia expressa exclusio operaretur, vt personæ exclusæ non tenerentur ad celebrandum de Beato in die concessō, vti tenentur designatæ; sed non operaretur, vt personæ exclusæ non possent, si velint. Et ita interpretatur Tamburinus supra, num. 18. particulam illam exclusiuam. Contra tertiò, qui regula adducta Iuris intelligitur iuxta Glossā ad Reg. 67. de ijs, quę de iure fieri possunt: restatque probandum Granado, fieri de iure posse, quod intendit. Contra quartò, quia ea regula limitari debet in eo, cui competit facultas ex speciali privilegio, vt cum Vincentio Caroc. notat Barbosa, Axiomate 92. num. 1. Quare si mihi determinatè per privilegium concedatur celebrare de Beato, non potero celebrare per te, quia privilegium nō extenditur nisi ad personas expressas in eius verbis, quibus significatur voluntas, & intentio concedentis illud, nec enim aliter hæc potest apud homines operari, nisi vt significata per verba. Et quanuis favores sint ampliandi, l. *Cum quidam, ff. de Liberis, & posthumis*, C. *Odia de Regulis Iuris lib. 6.* id intelligitur, dummodò ampliatio non sit contra verborum proprietatem, quando fit extensio à personis designatis in privilegio ad alias non designatas. Rursus quanuis in non designatis possit militare par causa, aut ratio, adhuc extensio non fit ritè in privilegio, siquidem illud pendeat præcipuè à voluntate concedentis. Contra quintò, quia quòd Capellanus possit satisfacere obligationi Missarum per alios, quando fundator non expressit, vt celebraret per se ipsum, probat quidem, posse per alios adimpleri obligationes, quę personales non sint: inde autem minimè infertur, vsum privilegij mihi concessum posse à me fieri communem alijs. Et hęc satis contra illud Granadi dictū.

415 Aliud, & satis strictum, habet idem Granadus ibi, num. 19. scilicet peccaturum graviter, qui non priuilegiatus, aut qui extra diem à Pontifice designatum recitet ex deuotione tantùm, & non ex animo satisfaciendi obligationi suæ, Officium Canonicum de Beato, [quia ex hypothesi, quod hoc diuinum Officium ordinatum sit ab Ecclesia, vt in honorem Sanctorum recitetur, censetur, & verè est publicus cultus: non licet autem Sancto beatificato deferre cultum publicum, nisi quando, & quibus Pontifex concedit.] Sed id est nimis strictum, vt iudicant Quintanaduenas supra, numero 6. & Quartus supra V. *Ex quæ doctrina*, quia recitatio Officij Canonici ex deuotione priuata citra animum satisfaciendi obligationi horarum non est cultus publicus erga eum Beatum, nō enim tunc exhibetur nomine Ecclesiæ. Quod secus est in Missę Sacrificio, quippe siue ex obligatione, siue tantùm ex deuotione celebretur, non potest non esse publicus, cum non possit non fieri nomine Ecclesiæ. Inquies, Officium Canonicū est institutum authoritate publica Ecclesię, & recitatio eius in festis Sanctorum dirigitur ad ipsorum honorem. Respondeti potest, non sufficere id, nisi etiam persolvatur nomine Ecclesiæ: vti quòd Missæ orationes, & alij ritus verborum, atque actionum, demptā consecratione, sint ex Ecclesiæ institutione, & ex ipsius intentione respiciant cultum Sanctorum, quando in eorum festis fiunt, non satis est, ne Sacerdos Sæcularis non valeat domi suæ, & in die B. Francisci de Borgia legere totam Missam de eo, ita tamē vt omittat prolationem verborum consecrationis ex intentione efficiēdi id, quod significāt.

416 Assentiar Quintanaduenæ, & Quartò, nisi ex recitatione Officij Canonici extra diē Beati, aut à nō priuilegiato, quā dicunt non esse graviter illicitam, sequatur, fore etiam non graviter illicitam in Choro decantationē, quæ à multis non priuilegiatis fiat ex deuotione in honorem Beati, quin relinquant cantum obligatorium. Quòd enim horæ cantentur à multis in honorem Beati, non sufficiet, vt sint cultus publicus, nisi nomine Ecclesiæ cantentur ob animum satisfaciēdi oneri Chori, vt debent fateri duo illi Authores. Nec proderit respondere, cantum in Choro non posse non esse cultum publicum, qui nulli exhiberi valet sine authoritate Romani Pontificis. Etenim cultus publicus erga aliquem prohibitus absque ea authoritate, non debet esse ille, qui exhibeatur publicè, & coràm alijs, sed qui nomine publico Ecclesię, id est, non qui opponatur occulto, & secreto, sed qui opponatur priuato,

nato, & præstito ex propria devotione, vt cum Bellarmino, Sanchez, & Bonacina declarat Baldellus tomo 2. Theologiæ Moralis Lib. 3. Disp. 12. num. 1. contra Felicem Cantelorum in Tractatu de Canonizatione Cap. 22. num. 9. pag. 246.

417 Iam cum de Officio Canonico in honorem Beati recitato ex devotione à non privilegiato nonnihil dixerimus, addimus nunc contra Quintanaduenas supra num. 9. si in Indulto, vt externi confluentes ad Ecclesiam Regularē, vbi colitur festum alicuius Beati, contineatur, vt possint in ea celebrare de tali B. sed nō, vt possint horarum Officium recitare, tunc ad satisfaciendam pensio horarum non licere illis externis recitare de tali Beato, quia seruandi sunt limites verbales Indultorum Sedis Apostolicæ super beatificationibus, & quia Sedes Apostolica solet novo Indulto dare facultatem ad recitationem Officij de Beato ab externis illis. Ergo in concessione vnius facultatis non includitur concessio alterius.

418 Sed ait Quintanadueñas, si licet celebratio Missæ, quæ est maximus, & præcipuus cultus Beatificati, cur non licebit recitatio Officij? Maius enim cui conceditur, & minus concedi videtur, *l. Filius familias, §. finali ff. de Donationibus, l. Marcellus ff. de Donat. causa mortis, leg. Non debet, ff. de Regulis Iuris, C. Cui licet 53. de Regulis iuris Lib. 6. C. Ex parte de Decimis, Auth. Multò magis, Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs.* Quæ regula eò magis hic valet, quò maior datur connexio inter celebrationem Missæ, & recitationem horarum. Respondeo, recitationem horarum in honorem Beati supra celebrationem Missæ esse quid majus, quàm solam celebrationem, & ideo hac concessa non debere videri concessam illam. Quod de connexione penes qualitatem inter vtrumque Officium Missę, & horarum dicitur, parvi est momenti, non enim est connexio naturalis, sed ex voluntate, & arbitrio Summi Pontificis; proindeque hic potest velle, vt Missa, quæ à Sacerdote externo celebretur de Beato, non concordet cum qualitate Officii recitati, aut recitandi ab ipso.

SECTIO XXVI.

Adducuntur ad examen multæ aliæ mutationes in ritibus Missarum, vt constet, an, & quatenus sint licitæ, vel illicitæ?

419 ETSI de non paucis mutationibus in ritibus Missarum sermonem habuerim hucvsque, restant nihilominus aliæ discutiēdæ. Cui negotio impendam in hac Sectione operam, eòque faciliùs, quò in præcedentibus ieci fundamenta ad doctrinam in hac tradendam. Seruabo ordinem Rubricarum generalium Missalis. Igitur circa §. 1. quæritur primò, an sit peccatum, & quale, dicere Missā non de Duplici, quando ibi præscribitur, vt de Duplici dicatur? Respondeo, esse peccatum, sed veniale, si absit scandalum, & contemptus, animusque introducendi novum ritum. Est quidē peccatum, quia opponitur Rubricæ illi præceptiuæ. Verùm quia communiter eius Rubricę præceptum non intelligitur vt obligans graviter, & quia materia levis videtur, ideo non est nisi peccatum veniale.

420 Quæritur secundò, an sit peccatum, & quale, si ritus in Missa de Duplici mutetur, addendo, vel omittendo Symbolum, addendo, vel omittendo Commemorationem? Respondeo non secus, ac ad primam quæstionem, præsertim, si additio proveniret ex indiscreta devotione, & omissio ex negligentia, vel tœdio quodam.

421 Quæritur tertiò circa §. 2. sitne illicitum, & an graviter, vel leviter, celebrare Missam sub ritu de Duplici, cum dicenda est sub ritu de Semiduplici, vel è contra? Respondeo, esse illicitum leviter, si absint, quę prænotavi ad quęstionem primam, quia vnus ritus ab alio non differt nisi in Orationibus, seu Collectis; quæ est parva materia. Inter ritum Missæ de Semiduplici, & de Simplici non datur diversitas, nisi in eo, quòd Missa de Simplici sæpiùs omittenda est, aut de eo facienda tantùm est Cōmemoratio. Congregatio Sacra Rituum prohibuit graviter

grauiter mutationem ritus ad altiorē, vt habetur iam inter Rubricas Breuiarij. Quod Decretum loquitur de ritu quoad Officium Canonicum, & dirigitur ad locorum Ordinarios, ne authoritatiue quouis prætextu præcipiant, aut permittant talem mutationem, siue permanenter, siue in particulari aliquo casu, non expresso in Rubricis, siue penes publicam in Choro, siue penes priuatam recitationem. Disputant autem Doctores, an sit peccatum mortale, vel tantùm veniale, mutare priuata authoritate Officium Canonicum de Simplici in Semiduplex, vel de Semiduplici in Duplex? Vna quidem, & altera est contra Bullam Pij V. initio Breuiarij, & prior est valde notabilis penes quantitatem. Nihilominus multi dicunt, non esse peccatum mortale in priuata recitatione, seclusis ijs, quę remoui in quæstione prima, quia talis mutatio non est contra substantiam præcepti, neque est in forma substantiali, sed in accidentali Officij Canonici Romani. Sed decisio huius puncti reseruanda est in Tractatum de Canonicis horis, vt & alterius similis de recitatione Romani vnius Officij pro alio diei diuersæ.

422 Quæritur quartò, an authoritate Episcoporum fieri possit mutatio, addendo celebrationes Missarum sub ritu de Simplici, vel Semiduplici, vel Duplici, vel sub Octauis vltra præscriptas in Missali Romano? Respondeo generatim, non posse, quia in Bulla Pij V. iubetur, ne etiam per Cardinales, & Episcopos fiat quelibet mutatio, vel additio ad ritus Missalis. Vnde per eos fieri non poterunt mutationes memoratæ.

423 Atque hinc infertur extra casum consuetudinis, quæ legitimè sit præscripta, & quæ excipitur in Rubricis generalibus Breuiarij, §. & num. 1. §. 2. num. 1. §. 5. num. 1. non posse authoritate etiam Episcopi sub ritu quoad Officium, & Missam agi festum de aliquo Sancto non descripto in Kalendario; sed tantùm poterit celebrari Missa votiua de eo, si sit canonizatus; nam si tantùm sit beatificatus, opus erit speciali facultate Sedis Apostolicæ iuxta dicta in Sectione proxima. Et idem inferendum est adhuc in casu, quo Sancti Reliquia, quæ in Ecclesia habeatur, non sit insignis, & casu quo celebretur extra Sancti alicuius Ecclesiam Parochialem, vel Regularem, vel Abbatialem erectam in eadem Ciuitate. Videantur Decreta Sacrę Rituum Congregationis addita ad Breuiarium.

424 Consuetudo illa, de qua memini, non debet esse celebrādi cum pompa, & apparatu, cum processione, & concursu populi; sed sufficit alia minus solemnis. Et quanvis Pius V. in Bullis Missalis, & Breuiarij reuocet, & irritet omnes consuetudines contrarias Missali, & Breuiario, non ideò reuocat, & irritat consuetudinem præfatam, aut non ideò, permittens illam in Rubricis, aduersus est sibi ipsi in eis Bullis. Nam reuocatio, & irritatio intimata per Bullas respicit consuetudines discrepantes substantialiter à ritu Romano, vt sunt consuetudines Missalis Ambrosiani, Muzarabici, & aliquarum Religionum; non autem discrepantes accidentaliter, vti est ea, de qua loquor, cuius diuersitas est tantùm penes quid accidentale, quin violet formam Romani ritus.

425 Vbi obserue, Rubricas generales Breuiarij §. 7. num. 1. meminisse consuetudinis quarundam Ecclesiarum, Congregationum, & Religionum quoad celebranda festa aliquorum Sanctorum cum Octauis, approbareque eam consuetudinem. Sed intelligendæ sunt, debuissentque anteà intelligi de Sāctis canonizatis, quia de beatificatis tantùm non potest, nec potuit celebrari cum Octauis absque speciali indulto Pontificio, vt dicitur in Declaratione transcripta ad n. 404. Quare noua ea Declaratio non est contraria Rubricis illis; debetque ob eam desisti à tali consuetudine circa celebrationem cum Octauis de Sanctis non canonizatis, dum non sit obtentum particulare priuilegium à Summo Pontifice. Nisi probabile num etiam sit, & applicari huc valeat, quod ait Quartur parte, & tit. 1. dub. 6. V. *Colligitur*, scilicet consuetudinem legitimè præscriptam spatio decem annorum circa Officium, & Missam de Sancto non descripto in Kalendario, posse licitè continuari, obseruarique in posterum, siue bona, siue mala fide fuerit introducta.

Illud

426 Illud de Reliquia insigni accipiendum est, iuxta Decreta Sacræ Congregationis Rituum adiecta Breuiario, de capite, brachio, crure, aut illa parte corporis, in qua passus est Martyr, modò sit integra, & non parua, & legitimè ab Ordinarijs approbata. Quare neque osiculum Sancti quātumcumque illustris, neque pes, neq; manus est Reliquia insignis; licet Quintanadueñæ suprà, Singulari 28. num. 7. probabile sit, posse suppleri defectū quantitatis excessu qualitatis ob eximium Sanctum, cuius sit. Sed vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.

427 In Bulla Gregorij XIII. præfixa Breuiario ante Officium proprium Sanctorū Hispanorū conceditur, *Quòd quælibet Ecclesia, & Monasteriū Hispaniæ habēs aliquas Reliquias insignes, puta caput, brachiū, vel crus alicuius Sancti, etiā alienigenæ, non existentis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario fit tantùm Commemoratio, possit illius festiuitatem celebrare.* In quibus verbis ea *puta caput*, &c. si probabile videatur, fuisse apposita non taxatiuè, sed demonstratiuè, posset apud Hispaniæ Ecclesiam celebrari festiuitas Sancti, cuius haberet cor v. g. Et ex transcriptis verbis infert Quintanadueñas ibidem n. 6. opus non esse, vt in ipsa Ecclesia Monasterij custodiatur Reliquia, sed sufficere, si in aliquo Monasterij loco.

428 Idem Quintanadueñas ibidem ait, [Ex pluribus frustis, seu non insignibus Reliquijs eiusdem Sancti vnam insignem, ob quam celebrare de illo liceat, forsan coalescere posse] Quibus in verbis non declarat modum coalescendi, an per iuxta positionem, an per nexum artificialem glutine, vel bitumine factum, an frusta debeant esse partes eiusdem membri, vel diuersorum, an debeant compingi in eandem figuram antea habitam, an sufficiat, quòd in puluerem redacta compingantur postea in quandam massam? Sed quia Decretum requirit, vt Reliquia integra sit, prospicere oportet ad celebrationem tituli ipsius, vt saluetur vero, & communi sensu, integram extare.

429 Et vbi hæc conditio adsit, & cæteræ prædictæ, poterit Officium Missę, & horarum celebrari de Sancto, vt de Duplici minori per annum, prout à Sacra Congregatione Rituum declaratum est die 23. Nouembris, anno 1602. & die 8. Aprilis, anno 1628. apud Gauantū in Rubricas Breuiarij sect. 1. Cap. 5. tit. 2. num. 8. Poterit, inquam, in ea tantùm Ecclesia, quæ Reliquiæ thesaurum sacrum custodiat, vt dicitur in Decretis additis Breuiario. Nec opus est, vt in altari collocetur die celebrationis. Et dicendum est Symbolum, vt traditur §. 11. Rubricarum Missalis.

430 Si Reliquia, eaque insignis, sit Sancti tantùm beatificati, de quo vt celebretur Missa, extet Indultum Pontificium, asserit Quintanadueñas suprà, Singulari 27. num. 9. posse de eo celebrari non secus, ac de Sancto canonizato. Mihi tamen ob nouā Declarationem Cardinalium num. 404. adductam videtur, opus esse altiorii iudicio. Et sicut non satis est Reliquia Sācti tantùm beatificari, vt fiat Sacrum de eo, nisi habeatur facultas per Indultū Pontificiū; ita quòd habeatur tā hæc facultas, quā illa Reliquia, poterit videri non satis esse, vt celebretur de eo instar alterius Sancti, qui canonizatus esset. Et confirmari valet, quia de Patrono tantùm beatificato nequit absq; speciali priuilegio celebrari eodem modo, ac si esset canonizatus, vt aduertit Quartus parte, & titulo 1. dub. 2. V. *Colligitur secundò*, etsi Granadus relatus in S. anteriori doceat oppositum. Ergo similiter, &c.

431 Illud de celebratione extra Ecclesiam Sancti, cuius alia sit Ecclesia in Ciuitate, intelligi ita debet, vt nec liceat extra suam Ecclesiam celebrare de ipso, vel sub ritu de Simplici. Ex quibus manent explicata, quæ involutè dixImus in num. 423. Addendumque est, si Sanctus Episcopus, aut indigena loci, canonizatus, etsi non descriptus in Kalendario, eligatur in Patronum, aut in Titularem Ecclesiæ, fore, vt posset de eo celebrari tam Missa, quàm Officium eodem modò, ac si in Kalendario contineretur. Nequein Sancto canonizato vrgent, quę nos remorati sunt numero præcedenti in tātùm beatificato, etsi Decretum additum Breuiario coniungat tam vnum, quàm alium, quando loquitur de Sanctis locorum Episcopis, aut Ciuibus

pon

non apositis Kalendario, non habens tunc rationem de electione in Patronos, aut Titulares.

432 Hinc quæritur quintò circa §. 1. & 2. Quis ritus debeat seruari in celebratione de Sancto Patrono, quin in eo fieri possit mutatio? Ad decisionem huius quæstionis debet supponi notitia Decreti Sacræ Rituum Cõgregationis publicati anno 1630. die 23. Martij, quod huius modi est, *Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctissimo Domino nostro, in electione Patronorũ mandauit infrascripta in posterum seruari debere, declarans, quòd aliter facta electio nulla sit ipso iure. Primò, quòd eligi possint in Patronos ij solùm, qui ab Ecclesia vniuersali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat. Secundò, quòd de Patrono Ciuitatis electio fieri debeat per secreta suffragia à populo mediante Concilio generali illius Ciuitatis, vel loci, non autem ab Officialibus solùm; & quòd accedere debeat cõsensus Episcopi, & Cleri illius loci. Idemq; seruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia à populo singularum Ciuitatum Prouinciæ. Et quòd repræsentantibus Regnum, Ciuitatem, Prouinciam nulla cõpetat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatũ, & vlteriùs interueniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum Ciuitatum. Tertiò, quòd causæ electionis nouorum Patronorum debeant in S. C. deduci, & ab ea examinari, ac demum causa cognita ab eadem approbari, & confirmari.* Decretum hoc accipiendum est non solùm de Patrono principali Ciuitatis, seu loci, Regni, aut Prouinciæ, sed etiam de minus principali, vt aduertit Gauantus in Rub. Breviarij sect. 3. C. 12. num. 2. & ad alterutrius electionem præcedere debent omnia, quæ in hoc Decreto inbentur. Principalis Patronus Ciuitatis, seu loci vnus tantùm esse potest, sicut & Regni, seu Prouinciæ; & pro cultu vnius tantùm respectu Ciuitatis, seu loci, & vnius tantùm respectu Regni, seu Prouinciæ Iudici potest ab Episcopo festũ de præcepto, vt habetur in Bulla Vrbani VIII. edita anno 1642. die 13. Septembris, & incipiente *Vniuersa per Orbem.* His suppositis.

433 Respondeo ad quæstionem primò, posse celebrari festũ vnius Sancti principalis Patroni siue loci, siue Prouinciæ sub ritu de Duplici primæ classis cum Octava quoad Officium horarum, & Missæ, tametsi sit Sanctus non descriptus in Kalendario, dummodò sit canonizatus. Tenenturque ad hunc celebrãdi modum Sacerdotes Sæculares in Ecclesijs loci, vel Prouinciæ, vbi Sanctus est Patronus. Sed Regulares in suis non tenentur ad Octauam. Qui de suo Fundatore, seu de Patrono suæ Religionis, si iam sit canonizatus, possunt eodem modo peragere vtrumque Officium, ac de Patrono principali loci, vel Prouinciæ.

434 Respondeo secundò, posse quoad Officium horarum, & Missæ celebrari festũ Sancti Patroni minus principalis sub ritu tantùm de Duplici maiori per annum, non vt primæ classis, neque cum Octaua. Ineſt Sacerdotibus Sæcularibus obligatio celebrandi hoc modo in Ecclesijs loci, vel Prouinciæ, vbi Sanctus est Patronus. Et quanuis Regulares in suis non teneantur, expedit, vt inter vnos, & alios detur conformitas. Hæc secunda responsio amplianda est ad Sanctum Titularem Ecclesiæ minus principalem, & prima ad principalem, etiam si in Kalendario nõ contineatur; sed non sunt extendendæ ad Sanctum Titularem Capellę, vel altaris, vt potè de quo nihil tradatur in Rubricis Missalis, & Breviarij. Vnde si talis Sanctus Titularis in Kalendario non nominetur, non poterit de eo recitari Officium Canonicum, nec fieri Missa de eo, nisi votiua. Videantur Gauantus sectione 3. in Rubricas Breviarij Cap. 12. Quartus parte, & tit. 1. dub. 2. & 5.

435 Respondeo tertiò, siue Sanctus Titularis, siue Patronus donetur ritu altiori Missæ, quàm concesso per Rubricas, peccabitur venialiter, vt colligitur ex num. 421. Si autem donetur ritu altiori Officij Canonici, peccabitur etiam venialiter in recitatione priuata, & mortaliter in publica Chori; neutrãq; potest sine peccato graui imperare Ordinarius. Si denique de Sãcto siue Titulari, siue Patrono non nominato in Kalendario Officium Canonicum dicatur, censet Quartus supra tit. 2. dubio 3. V. *Respondeo*, non satisfieri præcepto horarum, videtur enim mutatio substantialis, & perinde esset, ac si ex alio Breviario, quàm Romano, Officium assumeretur, Sed de postremo

mo hoc puncto alibi agetur.

436 Quæritur textò circa §. 1. & 2. quidnam speciale concessum sit Hispanię circa celebrationes Missarum de Sanctis non descriptis in Kalendario Romano? Respondeo, Gregoriũ XIII. in Bulla præfixa ante Officium propriũ Sanctorum Hispanorum indulsisse, vt *vnaquæque Hispaniæ Ecclesia, eorum Sanctorum, qui in Breuiario non sunt descripti, Officia propria celebrare posset, qui illius Diœcesis sint Naturales.* Infert autẽ Quintanadueñas supra, Singulari 20 n. 1. celebrandum esse sub ritu Duplici, quia præfatos Sanctos coniungit Gregorius XIII. cum SS. Patronis, & cum eis, quorum Reliquiæ insignes asservantur in Ecclesijs Hispanię. Sed hinc nimium quid infertur, scilicet celebrari posse, & debere sub ritu Duplici primæ classis, & cum Octavâ, siquidem celebrari sic possit, & debeat de S. Patrono principali. Et quanuis non possit, nec debeat idem ipsum fieri cum Sancto, cui Reliquia insignis habeatur, inde deducitur, esse inefficax argumentum desumptum ex ea coniunctione. Quare meliùs ex consuetudine, & ex communi interpretatione mentis Pontificiæ ritus de Duplici minori per annum cõuenire illis Sanctis Naturalibus, asseritur. Et ita intellexit Gavantus in Rub. Breviarij sect. 3. Cap. 5. tit. 2. num. 8. concessionem Gregorij XIII.

437 P. Quintanadueñas latè ex Singulari 9. vsque ad 26. inclusiuè, necnon in Advertentijs prævijs ad Libros suos de Sanctis Hispalensibus, & Toletanis expendit præfatam concessionem, aitque, ad eius vsum in Regnis, vel Provincijs nomine Hispaniæ comprehensis, & in alijs Regi Hispaniç subiectis nominatis postea à Gregorio XIII nonesse opus etiam nunc noua licentia Pontificia, neque vt Sanctus sit descriptus in Martyrologio Romano; sed sufficere, vt per antiquam de ipso celebrationem, licet aliquandiu interruptam, constet de eius expressa, vel tacita canonizatione. Addit, eum Sanctum censeri Diœcesis Naturalem, qui in illa obijt, vel natus est, vel dignitatẽ, munusque Ecclesiasticum obtinuit, vel baptismum accepit, vel educatus est, vel habuit domicilium, vel vnde traxit originem paternam: probarique hos naturalitatis titulos ex Martyrologio, distincto etiam à Romano, ex Breviario, epitaphio, inscriptione, scriptura, vel libro antiquo, dum falsitatis apertæ non cõuincuntur; quin obstet, si alia testimonia similia vero, & probabilia inueniantur: approbationemque naturalitatis fieri posse ab Ordinario, & ea præcedente posse de Sancto celebrari vtrumque Officium horarum, & Missç ex communi Breviarij, Missalisq; Romani; nam pro speciali Officio requiri retur recursus ad Sedem Apostolicam: sed Sacerdotes Seculares non teneri ad celebrationem de Sancto, nisi adsit consuetudo, vel mandatum Ordinarij; & à fortiori nec teneri Regulares, nisi Sãctus sit Patronus principalis, aliusve titulus concurrat, vt in contentis in Proprio Sanctorum Hispanorum; aut nisi ipsi Regulares sint Ecclesiarum Sæcularium Rectores, & Prælati, tunc enim debent se conformare cum consuetudine earum.

438 Hæc in summa Quintanadueñas, & probabiliter, si concessioni illi pro Hispania non sit in toto, vel in parte derogatum à legitima potestate: de quo vt ego nunc dubitem, careo omni fundamento. Omisi, quod ait Singulari 11. numero 6. de Sancto tantùm beatificato, nam si sit Naturalis Hispaniæ, & à Pontifice emanarit facultas, vt alicubi celebretur de eo, iudicat, posse de eo celebrari in tota Diœcesi, cuius est Naturalis, & ritu concesso SS. Naturalibus Hispaniæ. Existimatque in Singulari 27. num. 9. idem ipsum de Sancto solùm beatificato, cuius Reliquia insignis asseruetur in Ecclesia, aut Monasterio Hispaniæ, si ad celebrationem de illo extet Indultum Pontificiũ pro aliqua Prouincia, aut Religione, aut pro singularibus personis. Sed vnũ, & alterum gratum mihi non est, quia nomen *Sanctus*, quando absolutè profertur, vt in Bulla Gregorij XIII. significat eum, qui canonizatus sit, vt notat Ioannes de S. Thoma 2. 2. D. 9. articulo 1. V. *Denique*, pag. 773. Et quia, vt probaui in sect. superiori, nõ sequitur ex permissa alicubi celebratione de Beato facultas ad celebrandum alibi de eo.

439 Est & mihi non gratum, quòd in Singulari illo 11. numero 7. P. Quintanadueñas iudicet solummodò vt verius, non esse licitam celebrationem

nem de Beato, qui Naturalis sit Hispaniæ, & de quo vt celebretur, nulli, & nullibi est expresè concessa facultas à Sede Apostolica. Etenim si verius est, maximè quia alioqui celebraretur de hoc Beato in particulari absque authoritate Apostolica. Quæ ratio aut nullius roboris erit, aut ostendet, deviare omnino à veritate oppositum ei, quod verius tantùm dicitur à Quintanadueñas.

440 Omissi etiam, quod ait Quintanadueñas Singulari 23. num. 5. & 6. [quemcumque Clericum, siue Hispanum, siue alienigenam, habentem Beneficium, seu Capellaniam in aliqua Hispaniæ Ecclesia, licet extra Hispaniã perpetuò commoretur, seu firmum habeat domicilium, posse celebrare, & recitare de Sanctis, & festivitatibus Hispaniç, necnon de alijs Sanctis Naturalibus, & proprijs festivitatibus suæ Diœcesis, & de ijs, quorum Reliquias Insignes possidet Ecclesia, in qua habet Beneficium:: Idem dicendum de Regulari, qui extra Monasterium suum moratur, etiam si sit in alia Provincia, potest enim celebrare, & recitare de Sanctis, quorum Reliquias insignes illud habet, & de festivitatibus illius.] Et singulari 28. num. 5. repetit, [Cõmorãtes extra suam Civitatem, in qua scilicet ex professo morantur, possunt celebrare, vbicumque reperiantur, de Sanctis, quorum Reliquias ipsorum Ecclesiæ, vel Monasteria, si Regulares sint, possident.] Hæc ille loquens de privata celebratione Missæ, & horarũ recitatione. Habetque similia verba his postremis P. Mendo Disq. 12. de Ordinibus Militaribus quæst. 10. num. 124. Sed abstrahendo à privilegio pro Hispania, de quo posteà, Decretum Sacræ Congregationis Rituum adiectum Breviario vetat, alibi de Sãcto celebrari ratione Reliquiæ insignis, quàm in Ecclesia, vbi ea asservatur. Si ergo Sacerdos civis Florentinus non potest Florentiæ celebrare de Sancto in alijs templis, quàm in eo, vbi extat Reliquia, videtur fore, vt multò minus possit in aliis Ecclesijs extra Florentiam. Etsi enim peregrinus retinere possit ritum suæ patriæ in celebrando, non tamen eum, ad quem in sua patria facultatem non haberet. Sacerdos autem ciuis Florentinus non habet facultatem, vt Florentiç celebret de tali Sancto, nisi in templo, vbi colitur eius Reliquia. Rursus privilegio concesso cum determinatione loci nemo potest vti extra talem locum. Ergo siquidem privilegium celebrandi de Sancto non descripto in Kalendario, sed cuius Reliquia asservetur in aliquo templo, sit concessũ cum determinatione ad illud templum, non poterit Sacerdos extra Civitatem, vbi templum illud existit, celebrare de eo Sancto; vti non potest in alio templo eiusdem Civitatis: alioqui in melius cederet Sacerdoti ad vsum privilegij, quod discederet à suo domicilio, & à Civitate, vbi templum illud existit, & Reliquia Sancti veneration est. Quod autem manens extra eam Civitatem non posset celebrare in illo templo, vti posset, si vellet, quando in ea commoraretur, minimè sufficit, siquidem nec sufficiat, vt quando in ea degens habeat impedimentum, ne in illo templo sacrificet (etiamsi alias vellet) liceat celebrare de Sancto in alio templo eiusdem Civitatis.

441 Si non abstrahatur à concessione Gregorij XIII. pro Hispania, nõ video in ea concessione tam expressam exclusionem celebrandi in alia Ecclesia, vbi non asservatur Reliquia Sãcti. Verùm quia Pater Quintanadueñas Singulari 27. n. 2. & P. Mendo n. 123. intelligunt eam concessionem conveniente ad Decretum Sacrç Congregationis Rituum, quatenus non in omnibus templis Civitatis, sed in illo solo, vbi Reliquia colitur, fas sit apud Hispaniam celebrare de Sancto, ideo nihil speciale agnosco in ea cõcessione quoad licitam celebrationem de Sancto extra Hispaniam, & extra Civitatem, vbi templum cum Reliquia existit, ab eis, quos Gregorius XIII. eo privilegio donavit.

442 Cætera transcripta ex P. Qintanadueñas etiamsi admittantur, non officiunt decisioni nostræ, nam facultas recitandi, & celebrandi de Sanctis, & festivitatibus Hispaniæ, necnon de alijs Sanctis Naturalibus, & proprijs festivitatibus suç Diœcesis non est concessa cum expressa, vel tacita limitatione ad locum; vti est concessa facultas ad recitandum, celebrandumq; de Sancto, cuius Reliquia habeatur. Et probabiliter quidẽ possunt cætera illa admitti,

admitti, nisi aliud constet ex Declaratione facta per authoritatem Sedis Apostolicæ, sed mihi prorsus ignota. Quāquàm non deerit, qui censeat, privilegia Hispanis concessa in ea Bulla Gregoriana esse localia tantùm, vel, si personalia, sed mixtim, & inseparabiliter localia, cum concedantur Ecclesijs Hispaniæ.

443 Prætereundum non est, quòd ijdem perdocti Patres Quintanadueñas tomo, & Tract. 2. Singulari 5. & Mendo in prælata quæstione ex num. 113. vsque ad 121. notant, posse à Sæcularibus, & Regularibus Sacerdotibus recitari, & celebrari de Sanctis in locis exemptis, & constitutis intra limites Hispanę Diœcesis, cuius Sancti illi sint Naturales, siue loca exępta pertineant, necne, ad alias Ciuitates, vel oppida Diœcesis, siue habeant Prælatum gaudentem potestate quasi Episcopali, siue tantùm Prælatum, & Religiosos non subiectos iurisdictioni Ordinariorum. Quia nomine *Diœcesis*, quo vtitur Gregorius XIII. comprehenduntur loca exempta, sita intra limites illius, præsertim in materia fauorabili, qualis est hæc, & præsertim vbi nomen *Diœcesis* perinde ponitur, ac nomē *Prouinciæ*, siue *Regionis*, vt hìc contingit, sicut colligitur tū ex mente Pontificis intendētis honorari Sanctum in Prouincia suæ naturalitatis, tum ex eo, quòd promiscuè vtitur nominibus *Diœcesis*, & *Prouinciæ*; quanquàm non cum tota latitudine nominis secundi, sed vt significat Prouinciam Episcopalem. E conuerso etiam notant ob eandem rationem, posse in locis Episcopali iurisdictioni subiectis recitari, & celebrari de Sanctis, qui Naturales sint locorum exemptorum.

444 Sed quid, si locus exemptus per varia confinia diuersas æquè Diœceses pertingat? Si cui ex eis Diœcesibus subiectus sit quoad aliquid locus exemptus, poterit & in hoc, & in illa mutuò recitari, atque celebrari de Sanctis Naturalibus. Ita Quintanadueñas num. 4. Singularis 5. Mendo num. 121. Si autem in nullare sit subiectus, tunc in ipso non poterit recitari, celebrarique de Sanctis Naturalibus siue omnium Diœcesum, siue vnius earum; neque in omnibus Diœcesibus, neque in vna illarum poterit recitari, atque celebrari de Sanctis Naturalibus loci exempti. Sic Pater Mendo num. 118. & num. 121. Sed Quintanadueñas non admittit suppositionem, quia nullus locus est ita exemptus, vt ad Episcopū determinatum confinis alicuius Diœcesis non debeat habere recursum siue tanquàm ad Iudicem Ordinarium, siue tanquam ad Delegatum Sedis Apostolicæ in causis nonnullis, siue pro sui visitatione, siue pro Ordinibus, siue pro Chrismate, & oleo sancto petendis, vt addit in num. 8. Advertentię 16. prę-uiæ ad Sanctos Toletanos. Punctū hoc est facti.

445 Ast si detur locus adeò exemptus, dubitabile est, cur nequeat eligi vna ex Diœcesibus confinibus, aut limitaneis, vt de eius Sanctis Naturalibus recitetur, & celebretur in illo loco? Non secus, ac qui plura habet Beneficia in pluribus Diœcesibus, quæ vtantur diuersis formulis recitandi, si in nulla ex eis resideat, sintque omnes æquè nobiles, & Beneficia æquè pinguia, potest sequi formulam vnius ex Diœcesibus, quam maluerit, vt cum Sancto Thoma, Angelo, Sylvestro, Tabiena, Soto, Azore, Reginaldo, & Bonacina docet Baldellus tomo 2. Theologiæ Moralis Libro 3. Disputatione 29. numero 12. Rursus cur, si subiectio aliqua desideratur, quando plures Diœceses sunt confines, non etiam desideretur, quando vna tantùm? Cuius tamen conditionis hoc in casu non meminerunt prælaudati duo Authores. Quæ, si in hoc casu non desideretur, videtur neque desideranda in alio, sed sufficere, quòd vna Diœcesis præ alia eligeretur: nam quòd de omnium Sanctis Naturalibus recitaretur, & celebraretur, neque esset conforme concessioni nominanti Diœcesim tantùm, neque careret manifesta absurditate. Iam ex dictis dubitatiuè de vno loco exempto per comparationem ad plures Diœceses, quarum limites attingat, colliget quisque, quo pacto è regione discurrendum sit de vna Diœcesi per comparationem ad plura loca exempta suos intra terminos contenta.

SECTIO

SECTIO XXVII.

Mutationes aliæ examinantur.

446 QVAERITVR septimò circa §. 3. num. 1. an in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis Missa solemnis quotidiana, debeat esse conformis Officio Canonico, nisi aliud præscribatur, aut permittatur in Rubricis? Respondeo affirmativè ex Cap. *Cum Creatura* 11. de Celebratione Missarum, vbi Honorius III. mandat, *Pro festo, vel feria secundùm temporum congruentiam, Missarum solemnia conuentualiter celebrare.* Sed de hoc textu, & an verbum *Mandamus*, quo Pontifex vtitur, significet gravem obligationem? videantur, quæ dixi Disput. 19. n. 5. Præterea recitatio Canonici Officij publica, & in Choro debet esse conveniens tempori; estque magis illicitum non servare conformitatem in ea, quàm si non serveturin privata, & extra Chorum, vt Baldellus supra numero 10. tradit cum Suario, & Bonacina. Ergo idem existimandum de celebratione solemni, quatenus sit illicita, si non sit conformis diei, & quatenus sit magis illicita, quàm celebratio privata difformis. Vlteriùs vix poterit Missa solemnis discordare à die, quin sequatur admiratio, imò & scandalum populi. Tandem huiusmodi conformitas iubetur in Rubricis, quę graviùs obligant ad sui obseruantiam in Missis solemnibus, quàm in privatis. Vnde mutatio in illis maius erit peccatum, quàm si in his fiat; & communiter in illis censetur mortale, eo quòd iudicetur opponi notabiliter fini, qui per præceptum intendatur primò, & per se: etsi admitti possit, non esse contra substantiam præcepti, supposito quòd cantetur alia Missa.

447 Inquies, non datur grauis obligatio in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, vt cantent duas Missas diebus quibusdā in Missali præscripris, conformesque eis, nam neque probatur ea obligatio ex C. *Cum Creatura*, vt constabit perpendenti illius verba proximè allata; neque ex Bulla Pij V. ante Missale, in ea enim tantùm præcipitur, vt siue vna, siue plures Missa vel priuatim, vel solemniter celebrentur, fiant penes formam Missalis illius; neque item ex Sacra Rituum Congregatione statuente tanquam de re grauissima Missam de feria priuilegiata in Cathedralibus, & Collegiatis omnino cantandam, non obstante quacumque consuetudine contraria, quia de tali Declaratione non constare authenticè, dicunt nōnulli, Romę etiam scribentes; & quanuis constaret, interpretanda venit Declaratio, quatenus vocet rem grauissimam respectivè ad Rubricas, quin velint Eminentissimi Patres his attribuere intimationem præcepti obligantis graviter quoad id. Ergo neque tenebuntur Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiatæ ad vnam Missam solemnem quotidianam conformem Officio. Sed contra, nam vt tutiorem defensavi in numero 7. & 9. Disputationis præcitatæ opinionem agnoscentem obligationem gravem ad duas Missas solemnes.

448 Sed quia non nisi leuem agnoscenti adiudicavi tunc, & num. 308 huius Disputationis, nunc-que adiudico magnam probabilitatem, ideo permisso, vel concesso Antecedēte quantùm ad defectum gravis obligationis per se, nego Consequentiam. Et in primis forma arguendi recta non est, nam ex defectu obligationis ad duas Missas simul non sequitur defectus obligationis ad vnam seorsim. Deinde quæstio non versatur de Missa solemni vtcumque, sed quæ sit de die, nam ad quotidianam solemnem vtcumque supponitur obligatio gravis: quæ cum à te non supponatur, sed potiùs negetur ad duas Missas solemnes in diebus illis, habemus sufficientem rationem discriminis, attenta præcisè forma argumentationis.

449 Sunt & aliæ rationes discriminis, si attendatur, vt par est, ad materiam, quòd scilicet pro duabus Missis non vrgeant fundamenta, quæ pro vna; quòd omissio Missæ de feria priuilegiata non afferat aliud incōmodum, quàm post factam in Officio Canonico Commemorationem de feria, non succedere in solemnijs Missarum mentionem de ea; cum tamen omissio Missæ de festo occurrente, vel de die afferat multò maius inconueniens, nē-

pe discrepantiam Missæ à toto Officio Canonico, & proinde causet improportionem inter finem, & medium, nam Missa solemnis est finis Officij Canonici cantandi in Choro, vt docet Francolinus de Tempore horarum Canonicarum p. 1. C. 16. num. 18. Ad hæc: præceptum Rubricarum de duabus Missis Conventualibus in diebus illis nō versari circa materiam gravem, persuadēt sibi Authores bonæ notæ, vt Castaldus, Ruiz, Niger, Azor, Peyrinus, Tamb. & cū ipsis Quartus p. 1. tit. 3. S. 1. dub. 3. sed de præcepto vnius cōformis Officio Canonico tam ipsi, quàm alij cōmuniter contrariū existimant: præcepta autem Rubricarum cum aliquando obligent graviter, aliquando leviter iuxta materiæ gravitatem, vel levitatem; aliundeque gravitas, vel levitas materię pensanda sit ex iudicio, & æstimatione prudentū, satis esset pro multis hæc ratio discriminis, quanuis cæteræ non suppeterent.

450 Aduertendum hìc est, velle aliquos, vt, casu quo non cantentur in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis duæ Missę diebus illis, quibus tenētur, sed vna tantùm de festo, tunc vel in hac fiat Commemoratio de feria, vel peragatur de feria Sacrum aliquod privatū. Imò & in Ecclesijs non obligatis ad cātum Missę volunt, vt diebus illis Sacrū saltem vnum privatum sit de feria sola. Sed secundum id non video esse in vsu, dicturq́; abillis vt quid tantùm congruum factu, nam in Rubricis non habet fundamentum. De primo quoad vsum testari nihil possum; & quoad fundamētum in Rub. dico, desiderari à me, nam in eis nō statuitur quidminus faciendū, quando ad integrum non serventur ab Ecclesijs Cathedralibꝰ, & Collegiatis.

451 Atque hinc similiter iudico, in Ecclesijs, in quibus non datur obligatio ad cantum Missæ, non esse necessarium, vt diebus, quibus licet celebrare Missas votivas, dicatur aliqua privata iuxta temporis congruentiam. Curat de hac Honorius III. in C. *Cum Creatura*, in ordine ad quotidianam Missam solemnem, & cantatam, sed non in ordine ad privatam, & submissa voce recitatam. Nec video, neque audio, siue Sacerdotes privatos, siue Prælatos ipsorum in eiusmodi Ecclesijs curare, vt diebus illis celebretur vna, vel altera Missa privata conformis Officio Canonico privato, & recitato extra Chorum.

452 Quæritur octavò, quale esset peccatum dicere in Dominica Missam Vigiliæ, quę debuisset transferri ad Sabbathū? Respondeo, si de Missa solemni, & cantata sit sermo, fore peccatum mortale; si de privata, fore veniale, secluso scandalo, contemptu, & animo introducendi novum ritum. Ex antecedentibus liquet satis vtriusque partis ratio. Loco eius noto, Episcopum etsi non per legem, & permanenter, tamen in casu particulari posse propria authoritate dispensare ex causa rationabili in anticipatione Missæ, & Officij Canonici de Vigilia alicuius Sancti, eo quòd alioqui concurreret Vigilia cum festo valde solemni in Civitate, aut Oppido. Non enim est, cur id excedat potestatem Episcopi, nec scitur, coarctatam quoad id esse à Sūmo Pontifice in Bullis Missalis, & Breuiarij, aut in alia Constitutione. Ita Quartus parte 2. tit. 3. S. 2. dub. 1. Et generaliter posse Episcopum ex causa rationabili facere mutationem Officij vnius diei in aliam vna, vel alia vice, sententia est S. Antonini, Tabienę, Armillæ, & Suarij, quos citat, & sequitur Baldellus tom. 2. L. 3. D. 30. n. 12. Sed securius est, quod suadet Gavantus sect. 3. in Rubricas Breviarij Cap. 7. numero 3. vt transferatur ieiunium, & omittatur vtrumque Officium Missæ, & horarum de Vigilia.

453 Rursus noto, etsi Episcopus possit indicere ieiunium, nihilominus non posse propria authoritate addere alicui Sancto Officium, & Missam de Vigilia, tum quia id est contra Bullas Missalis, & Breviarij, tum quia id est mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breuiarij, in altiorem ritum, quod prohibetur Decreto noviter addito ad Breuiarium.

454 Occasione eorum, quæ dixi de potestate Episcopi adijcio adnotationem aliam pertinentem ad eandem potestatem in materia, de qua egi non multò antea. Adnotatio itaque est, si ignoretur, quo die obierit Sanctus, cuius Reliquia insignis asservetur in Ecclesia, posse Episcopum determinare diem, quo celebranda est Missa cum

Officio

Officio de tali Sancto. Ita Baldellus supra, numero 19. nam potestas ex iure communi competens Episcopo ad statuenda festa non est alligata ad diem obitus Sanctorum, vt constat ex C. *Pronunciandum* 1. de Consecratione Distinctione 3. ex C. *Conquestum* 5. de Ferijs. Et in Decreto Sacræ Rituum Congregationis ad Breviarium adiecto non fit mentio de die, quo ob Reliquiam insignem celebranda est Missa cum Officio de Sancto.

455 Contrariam sententiam tribuit Baldellus Thomæ Sanchez Libro 7. Consiliorum Cap. 2. dubio 24. num. 3. Sed Sanchez loquitur de Religione recitante de Sancto ob notabilem Reliquiam, & casu quo privilegium sit pro die tantùmodo, qua incidat Sanctus. Iam privilegium commune non apponit eam restrictionem, vt recitetur de Sancto, cuius Reliquia insignis sit legitimè ab Ordinario approbata. Ait ibidem Sanchez, privilegium à se memoratum non prodesse, quando nullius Sancti habetur notabilis Reliquia, sed plurium minimæ facientes notabilem vnam. Quod verissimum est siue in illo privilegio, de quo Sanchez, siue in hoc, quod nunc est commune, quia hoc expressè loquitur de Reliquia Insigni Sancti alicuius In singulari. Et casu quo vna nobilis esset compacta ex multis diversorum Sanctorum, quæ per se seorsim non essent eximiæ, aut casu quo Ecclesia prædita esset eis multis, cum non daretur potior ratio ad recitandum de vno Sancto, quàm de alio, neuti quam prodesset privilegium.

456 Quæritur nonò circa §. 4. num. 3. Quam Missam debeat, vel possit dicere Sacerdos, quando accedat ad Ecclesiam eiusdem Romani ritus, in qua ob specialem causam celebretur de Sancto, de quo ipse non recitavit Officium? Respondeo, per se non teneri dicere Missam conformem alijs illius Ecclesiæ, sed posse, vel dicere eam, vel alteram, quæ conformis sit Officio, quod recitavit. Suppono, sermonem esse de Missa concessa pro omnibus, qui illic velint celebrare. Ratio resolutionis est, quia, per se loquendo, possunt peregrini, & exteri conformare se moribus loci, ad quem perveniũt, & possunt etiam retinere mores proprij loci. Atque in hoc casu licitum proinde est non servare proportionem Missæ cũ Officio privatim à se recitato: quin imò consultiùs erit, si in qualitate Missæ imitetur Ecclesiam, vbi celebrare vult. Videantur Gavãtus In Rubricas Missalis parte 3. titulo 10. numero 16. V. *Non tamen*, Tamburinus Libro 2. Cap. 6. §. 1. num. 13. Quartus parte 1. tit. 4. dub. 10.

457 Quæritur decimò, quam Missam debeat, vel possit dicere Sacerdos, si sub ritu de Duplici recitaverit de Sancto, cui Ecclesia concessit Missam cum Officio sub tali ritu ad libitum Sacerdotis? Quartus supra, dubio 12. censet, debere celebrare de Sancto, quin possit dicere Missam votivam, nec de *Requiem*, si elegerit recitare de ipso Sancto, quia quoties Officium horarum est Duplex, non datur optio ad Missam votivam, nec de *Requiem*, sed quæ celebretur, concordatura est cum Officio. Opponi potest contra Quartum resolutio quæstionis præcedentis approbata ab eo, vt enim in illo casu admittit exceptionem Rubrica, (quippe potest contingere, vt Sacerdos recitarit de vno Sancto, vt de Duplici, & postea accedat ad Ecclesiam, vbi celebretur de alio Sancto) cur similiter Rubrica non admittit exceptionem in præsenti casu? Et quidem in vno ob conformitatem cum loco, vb sacrificatur; in altero ob libertatem circa celebrationem de illo Sancto.

458 Obijci etiam potest contra eundem Quartum, nam etsi Missæ, & Officij divini concordia debeat per se esse mutua, tamen in casu quæstionis Sacerdos, qui ob libitum suum non recitavit Officium de eo Sancto Duplici, sed de Simplici, vel feria, posset dicere Missam de eo Sancto Duplici, vt non renuit ipse Quartus, posset, inquã, ob libitum suum, cum tamen aliàs non posset, nisi Pontifex in eius arbitrio reliquisset dicere illam, vel non dicere. Nec poterit respondere, etiam si non esset proposita à Pontifice Missa de tali Sancto vt dicenda ad libitum, fore, vt posset dici eo die à Sacerdote, non secus, ac aliæ votivæ. Non proderit, inquam, quia saltem non posset de illo Sancto dici Missa, nisi ex cõmuni, quãdo Pontifex non proposuisset eã Missã cum specialib⁹ orationibus dicendã ad

libitū. Et prętereà, si Sanctus esset tantū beatificatus, non posset nisi eo die dici à Sacerdote. Quare diversa esset ratio illius Missę, ac aliarum, in ordine ad assumptionem in votivam.

459 Argui prætereà potest contra Quartum, quia si quis ex ignorantia, aut oblivione, vel etiam ex malitia omiserit recitare de Sancto Duplici, cuius Missa cum Officio non sit concessa ad libitum, sed iniuncta de necessitate, si posteà celebret, debet quidem de illo Sancto, cuius Officium omisit. At si ex ignorantia, aut oblivione, vel ex placito suo non recitavit de Sancto, de quo procedit quæstio, poterit, sed non debebit de tali Sancto celebrare; vt nullus non fatebitur. Ergo quòd eius Missa cum Officio sit concessa ad libitum Sacerdotis, importat diversitatem aliquam, ne tam certa sit obligatio conformandi Missam cum Officio de tali Sancto Duplici, ac cum Officijs de alijs Sanctis Duplicibus.

460 Ob hæc probabile mihi est, facta electione quoad recitationem Officij Duplicis, posse Sacerdotem celebrare siue de Sancto, cuius Missa cum Officio est ad libitum, siue dicere Missam votivam, vel de *Requiem*. Sed primum est melius. Estque debitum, si Sacerdos facturus sit Sacrum in Ecclesijs, in quibus Officium Chori, & Missa solemnis cantantur de Sancto ad libitum, ipseque Sacerdos est pars illius Communitatis, à qua vt non discorder, æquum est. Nec plura circa §. 4. nam quæ è Theologia Morali ad ipsum pertinet, explicata sunt satis in antecedentibus Sectionibus; vt & quæ ad §. 5.

461 Solummodò circa §. 5. quæritur vndecimò, an Missa solemnis de *Requiem*, & cum concursu Cleri, ac populi prosit magis defunctis, quàm priuata? Respondeo, proficuam magis esse quoad impetrationem, tum quia à Sacerdote solet celebrari maiori cum maturitate, attentione, & devotione, & plures offerentes cōcurrunt ad eam. Tum quia exhibetur Deo maior cultus, & reverentia per Missam solemnem, indeque ipse moveri potest ad magis benefaciendum defuncto. Ast quoad satisfactionem ex opere operato Sacrificij, & penes fructum specialem æquè vtilis est vna Missa, ac alia. Quoad specialissimum verò discurrat quisque, prout ceniuerit respondere, necne, Sacerdoti sacrificanti, & cæteris offerentibus, posse que, vel non posse applicari alijs. Si respondeat, applicabilisque sit, maior erit occasio, vt quò plures adsint Sacrificio, eò plures applicent animæ defuncti specialissimum suum fructum, nam etsi ad id non teneantur, simile vero videtur, excitandos aliquos, vt sic opitulentur.

462 Vbi non gravabor transcribere, quæ de Missis solemnibus pro defunctis habet sapientissimus, & pijssimus Doctor Antonius de Honcala in Opusculo de Exequijs, & suffragijs defunctorum, Tract. 4. [Efficacia Sacrificij publicitus celebrati multò est amplior (inquit ille) quàm cum privatim agitur. Nam licet valor Missę ratione sacratissimæ, & devotissimæ hostiæ in ea contentæ sit infinitus: haud tamen infinitè fructus eius fidelibus, sed finitè communicatur: & iuxta Catholici cœtus devotionem aut plus, aut minus prodest. Crescit enim plurimùm Missæ fructus ille satisfactorius, & impetratorius ex offerentium, & procurantium, & assistentium devotione, vt quò plures illi fuerint, eò sit fructuosior. Ex quo sequi videtur, vt, cæteris paribus, multò sit certior, & amplior fructus fidelibus accedens ex vna Missa solemni, ad quam totius populi devotione concurritur, quàm ex multis alioqui privatis.] Sic Honcala, cui tamen in verbis postremis non assentior, nam fructus satisfactorius specialis crescit pro multiplicitate Missarum priuatarum; totque hæ possunt esse, vt fructus impetratorius resultans ex eis æquet, & superet resultantem ex vna Missa solemni. Concludit Tract. Hōcala dicens, [Liquidò colligitur, eos non satis prudenter agere, qui ab eiusmodi solemnitatibus celebrandis indoctum vulgus avertunt, revocando sumptus in eis expendendos ad solas Missas priuatas. Neque advertunt illi, quòd, licet non affectu, effectu tamen hæreticorum quorundam erroribus fauent, qui solemnes exequias, omnēq; Catholicę fidei splēdorem ab ea excludere impiè, atq; perperam moliuntur. Is demùm ritus in agendis exequijs tenendus est, quicumque patriæ peculiaris

ris est, modò à pietate non abhorreat, vt in Decretis habes, Causæ 30. quæst. 2.] Hactenus egregius Canonicus Abulensis: cuius animam in Cœlo visam à S. Theresia, fama est constans Abulæ; cuius corpus apud Ecclesiam Cathedralem magna est in veneratione; cuius pretiosissima pignora multorum super Scripturam sacram voluminum cum vltima ad prælum manu, testamento legata ob singularem erga Societatem amorem servantur in Nostro Collegio, vbi in transitu vnum, aut alterum avidè perlegi.

463 Quæritur duodecimò circa §. 6. quale sit peccatum, dicere Missam de festo, quod iuxta Rubricas debet transferri in alium diem? Respondeo, si Missa sit privata, non excedere culpam venialem, si absit scandalum, contemptus, & animus introducendi novum ritum; si verò sit Missa solemnis, attingere ad gradum maioris culpæ, & plerisque videri, ad gradum mortalis. Aliquando conceditur, vt cum transferendum est festum, vna tamen Missa solemnis de hoc canteturi quam posse mutari in privatam ob impedimentum aliquod ad solemnem, autumant nonnulli. Sed in hac materia valde temperādum est discursibus proprijs, exactèque sunt observanda Rubricarum verba, alioqui sicut, concurrente festo Duplici cum feria habente proprium Officium, cantandæ sunt in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis duæ Missæ, vna de festo, alia de feria, (quæ non sit quarta Cinerum, nec contenta intra hebdomadam maiorem) ita ex discursu proprio posset, & à fortiori, fieri, vt, si concurrat festum Duplex cum Dominica, cantentur duæ Missæ, vna de festo, & alia de Dominica non excepta; cum tamen non sit cantanda nisi vna de festo cum Commemoratione Dominicæ, & Evangelio eius in fine, vt praxi receptum est ob silentium Rubricarum, & notat Gavantus in Rubricas Missalis parte 1. tit. 7. num. 2. V. *Sed quæritur,*

464 Quando transfertur Missa cum Officio de aliquo Sancto, possit ne etiam transferri authoritate Episcopi obligatio audiendi Sacrum, & abstinendi à servilibus? Disputatur inter Gavantum p. 4. in Rub. Missalis titulo 9. n. 24. Dianamque p. 10. Tract. 16. Res. 7. negantes, & Georgium Gobat in Thesauro Indulgētiarum p. 2. C. 7. q. 17. n. 331. affirmantem. Medius stat Quartus dicens p. 1. tit 6. dubio 5. non posse quidem Episcopum lege permanenti, & stabili, secus tamen in particulari casu, & ex causa rationabili. Ego expressiùs asfero (nisi lege Pontificia aliud cautum sit) posse Episcopū in casu, & ex causa non communibus respectu cæterarum partium Ecclesiæ. Vt si in Civitate suæ Diœcesis coli soleat valde solemniter aliquis Sanctus, qui sit patronus principalis, & raro incidat in hebdomadam maiorem. Porrò si casus concurrentię sit communis respectu totius Ecclesiæ, & non vrgeat causa maior respectu huius Civitatis, quàm aliarum Reipublicæ Christianæ, non poterit Episcopus disponere contra ius vniversale, nec enim censetur Sūmus Pontifex consentire iuris communis dispensationi, aut interpretationi factę ab inferiori quando ipse conscius concurrentię & causę paris in tota Ecclesia, non provider translationi.

465 Eodemque modo opinor in anticipatione Vigilię de Sancto quoad ieiunium, & quoad Missam cum Officio, si occurreret in festo admodùm celebri. Vnde non posset facere Episcop⁹ anticipationem Vigiliæ de S. Ioanne Baptista incidentis in festum Corporis Christi; quàm clarè penes ieiunium, (& consequenter penes Missam cum Officio, vt Quintanadueñæ tom. 2. T. 9. Sing. 19. ex n. 4. probabile est) fecit Vrbanus VIII. anno 1638. die 13. Octobris in Constitutione, quę incipit, *Cum euenire*, feceratque ad tempus, & pro Hispania Leo X. testante Navarro, in Manuali C. 21. n 11. E contra verò posset Episcopus, si Vigilia, & festum solemne, quæ aliquando concurrant, sint specialia, vt & causa, quæ vrgeat; tunc enim pro vna, aut altera vice poterit permittere, aut iubere, vt anticipentur Vigilia, & Missa cum Officio. Atque in hoc sensu intelligo Caietanum, Tabienam, Navarrum citatos à Gavanto S. 3. in Rubricas Breviarij C. 7. n. 3. Azorem tom. 1. L. 7. C. 29. per errorem Typi, debetque esse 18 q. 5. Sà V. *Ieiunium*, n. 5. cum alijs antiquis, modernisq; permultis recensis, & subscriptis à Pasqualigo infra, Decisione 179. num. 2. Bossio tomo 3. Moralit m

Var. tit. 21. §. 3. n. 163. Leandro T. 5. in 5. præcepta Ecclesiæ Disp. 10. q. 39. Qui cum posteà quæst. 42. contendat, incidente Vigilia Sancti Matthæi in aliquem diem Bacchanalium, non posse ab Episcopo anticipari Vigiliam illam, accipiendus est in sensu priori, ne sit sibi cõtrarius. Vti ipsi, necnõ Dianę, & nobis sunt Quintanad. supra, Sing. 20. Pasqualigus in Praxi Ieiunij Ecclesiastici, & naturalis Decisione 180. Bossius, & Gobat supra, quoad anticipationem Vigiliæ Sancti Matthęi, censent enim, posse non modò fieri ab Episcopo, sed expediens etiam esse, vt fiat; & de Leandro ait Bossius, sentire irrationabiliter oppositum.

466 Sed ne id de nobis dicatur, præcavimus sufficienter, designata breviter ratione discriminis ab vno casu ad alium Et certè, si possunt singuli Episcopi, & expedit, vt per se ipsos anticipent Vigiliam Sancti Matthęi in suis Diœcesibus, curta est providentia Summorum Pontificum, qui, cum noscant, & videant imminere periculum æquale in cunctis Diœcesibus, ne à pluribus violetur ieiunium, non promulgant decretum anticipationis per totum Orbem Romanum; vti iure cõmuni in Cap. 1. & 2. de Observatione ieiuniorum statutum est, vt quando Vigilia occurrit in Dominica, transferatur in diem antecedentem, & vti circa Vigiliam Sancti Ioannis Baptistę, si occurrat in festo Corporis Christi, stabilivit Vrbanus VIII. antepositionem præfatam. Premo hoc argumentum: excederet potestatem Episcopi transferre ieiunia quatuor Temporum, quando occurrunt in festis communibus Sancti Thomæ, & Sancti Matthæi, quia Ecclesia videns hanc occurrentiam, hactenus non decrevit translationem illam; quod est indicium dissensus Ecclesiæ in iuris communis dispensatione, aut interpretatione, quę fiat ab Episcopo. Ergo similiter in nostro casu. Nec plura de puncto incidenti.

***

SECTIO XXVIII.

Mutationum aliarum discussio.

467 QVÆRITVR decimotertiò circa §. 6. an qui die proprio ex errore, vel oblivione non celebrasset Missam cum Officio de Sancto Duplici, aut Semiduplici, possit prima die non impedita celebrare de eo? P. Quintanaduenas tomo 1. Tract. 8. Singulari 9. iudicat probabilem, & tutam partem affirmantem, indicatam à Trullench Lib. 1. in Decalogum Cap. 7. dub. 14. numero 11. Movetur autem primò, quia translatio festi Duplicis, aut Semiduplicis fit in primam diem non impeditam, quando propria ipsius festi dies est impedita; vt contingit in præsenti casu erroris, vel oblivionis, quæ est maximum impedimentum operi, cuius obligatio ignoratur, iuxta C. *Pia* 1. §. finali de Exceptionibus in 6. Secundò, quia ignoranti non currit tempus, *leg. Quandiu, C. Qui admitti.* Ergo dies hesterna non currit quantùm ad Missam cum Officio de Sãcto, quandiu ignoratur, esse diem propriam Sancti. Ergo, si posteà die sequẽti id noscatur, poterit Sacerdos perinde se gerere in ordine ad Missam cum Officio, ac si esset dies hesterna præsens. Tertiò, quia nullus privandus est iure suo absque culpa sua, *leg. Crimen, ff. de Pœnis.* Sacerdos autem habet ius, vt semel in anno celebret de Sancto, & hic etiam habet ius, vt celebretur de ipso; nec intercesit culpa in omissione celebrationis, siquidem error, vel oblivio in Sacerdote supponatur fuisse inculpabilis; & quanuis ex parte illius fuisset culpabilis, at ex parte Sancti nulla potest esse culpa. Quartò, quia huic translationi nihil obstat in Rubricis, estque similis alijs præscriptis ab eis.

468 Cæterùm pars negans est omninò tenenda à nobis cum Cardinali de Lugo Lib. 5. Responsorum Moral. dub. 8. cum Quarto p. 1. tit. 6. dub. 3. Probatur primò, nam inter casus, aut causas translationis festorum tacetur in Rub. hæc erroris, vel oblivionis, quin reperiatur in eis casu, aut causa similis,

ex

ex qua peti possit argumẽtũ; & quãvis reperiretur, quòd aliquando ob errorem, vel oblivionem facienda esset mutatio aliqua in præscripto ordine celebrandi Missam, & recitandi Officium diuinum, non liceret ex casu, aut causa expressa facere extensionem ad non expressam, quia id esset mutare authoritate propria in ritibus Missalis, & Breuiarij. Secundò, nam ritus celebrandi Missam, & recitandi Officium diuinum debet esse non varius, & mutabilis ex casu, aut causa priuata, sed constans, & fixus. Quòd si aliquando mutatio fiat quoad dies, debet esse ex casu, aut causa communi totius Ecclesiæ, vel illius, ad quam pertinet celebrans, & recitans, alioqui magna sequeretur confusio, & perversio ordinis in celebrando, & recitando. Tertiò, nam si ex supervenienti impedimento erroris, vel obliuionis transferri potest in alium diem Missa omissa de Sancto; quidni & quæ sit omissa ex supervenienti impedimento morbi, vel occupationis necessariæ? Admissis enim semel alijs impedimentis præter expressa in Rubricis, vt liceat transferre Missam vnius diei in alium, non apparet, cur potiùs error, vel oblivio, quàm morbus, vel occupatio necessaria admitti debeat.

469 Neque respectu Missæ valet disparitas, quàm respectu Officij Canonici assignat Quintanadueñas, scilicet impedimentum ægritudinis, vel occupationis necessariæ tale esse, vt adimat obligationem recitãdi. Hæc, inquam, disparitas non deservit pro Missa, vt cuivis patet, quando Sacerdos non sit obligatus ad celebrandum. Imò neque pro recitatione Officij Canonici quidquam valet, vt ostenditur exẽplo Missę, quam ipse fatetur transferri posse à Sacerdote, etsi quo die nõ est celebrata, Sacerdos fuerit immunis ab obligatione Missę cuiusvis. Et præterea siue impedimentum sit tale, vt excuset à recitando, siue tale sit, vt nõ excuset, redit difficultas proposita, cur non extenditur facultas translationis ad vnũ, & ad alterum, si semel fas est vltra præscripta in Rubricis addere alia impedimenta cohonestantia translationem Officij Canonici? Cur si ex proprio Marte, & ob similitudinem quandam adduntur casus, & causæ trãsferendi festa, non etiam licebit, eo die, quo Missa præscribitur de vno Sancto antiquo, celebrare de novo alio canonizato, etsi non posito in Kalendario, qui forsan sit maioris dignitatis, & meriti, quàm qui est in Kalendario descriptus? Quia nimirùm dicas: Ecclesia concessit olim celebrationem de tali Sancto ob eius dignitatem, & merita. Ergo cum hac die incidat recentior Sãctus maioris dignitatis, & meriti, licitum mihi erit relinquere celebrationem de vno, & assumere de alio, quia ratio, quæ mouit olim Ecclesiam, vrget potiùs in eo alio Sancto recentiori.

470 Probatur quartò, nam si omissa celebratio de Sancto ob errorẽ, vel obliuionẽ suppleri potest alia die, poterit etiam, etsi omissa sit scienter, & ex malitia, tum quia Rubricæ non magis exprimunt errorem, vel oblivionem tanquam casum, aut causam translationis, quàm scientiam, aut cõscientiam omissionis: tum ad hominẽ, quia iure, quod habet Sanctus, vt semel in anno fiat Sacrum de ipso, non est priuandus absque culpa sua. Quòd autẽ tu culpabiliter omiseris celebrare de Sancto, non est etiam vertendum culpæ Sancti, neque æquum est, vt ipse ex culpa tua subeat detrimentum in sui cultu.

471 Probatur quintò ad hominem, nam alioqui posses, celebrationem de Sancto Simplici, & de feria omissam siue ex errore, vel obliuione, siue ex malitia supplere alio die, quia Sanctus etiam Simplex, non est absque culpa sua priuandus iure suo ad celebrationem de ipso semel in anno, & quia si omisisti ex errore, vel obliuione, non currit tempus ignoranti. Eadẽque est ratio de feria. Sed ait Quintanadueñas, Ecclesiam non disposuisse translationem de Sancto Simplici, aut de feria, vti dispõsuit de Sancto Semiduplici, & Duplici. Contra tamẽ, quia si licet tibi pro Sanctis Semiduplicibus, & Duplicibus adijcere casus, aut causas trãslationis, æquo iure fas erit adijcere Sanctos, & ferias, vt hebdomadæ maioris, quę sint transferendę ob ius ad celebrationem de ipsis semel in anno; quod ius in Passione Christi non est minus, quàm in Passionibus aliorum Sanctorum.

Sextò

472 Sextò probatur, nam non modò liceret quod cogitat Quintanadueñas, sed etiam obligatorium esset, suppositò errore, vel obliuione; translationes enim, quæ iuxta Rubricas licitæ sunt ob impedimentum aliquod ab ipsis probatum, sunt simul obligatoriæ. Quare si à paritate impedimentorum, quæ agnoscuntur à Rubricis, adduntur alia à Quintanadueñas, debent addi non cum libertate ad vtrumlibet, sed cum obligatione ad translationem determinatè. Ipse autem expressè diffitetur huiusmodi obligationem in casu erroris, vel obliuionis.

473 Tandem probatur, nam Quintanadueñas dicit, se loqui præcipuè de priuata Missa, & recitatione; quin refugiat concedere, posse sententiam affirmantem habere aliquando locum in solemni Missa, & recitatione alicuius Ecclesiæ, vel Monasterij, si absit scandalum. Sed casu, quo publicè non sit erratum, poterit Sacerdos, qui priuatè errarit, vel vti remedio translationis, vel accommodare se suæ Ecclesiæ, aut Monasterio in celebrando, aut recitando. Atqui Rubricæ de translatione festorum alienæ omnino sunt ab his cautionibus, & varietatibus. Neque enim aliter statuunt de Missis, & Officio Canonico priuatis, quàm de publicis, nisi præcisè quoad cantandas duas Missas, vnam de die, aliam de festo, vbi Titulus fuerit Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet. Neque tolerant vnquam, vt Missa solemnis, & Officium Canonicum publicum discordèt sciètèr ab eo, quod dies exigit; quin potiùs Ecclesia magnoperè curat, vt seruetur concordia cum die. Neque stat cum intentione Ecclesiæ, vt si Sacerdos possit se conformare Missæ solemni, & Officio publico Chori, non se accommodet ex mero suo arbitrio, quando Ecclesia nõ exprimit, relinqui à se id in voluntate Sacerdotis.

474 Iam ad rationes affirmantis partis dico. Ad primam, impedimenta proprij diei, ne in illo celebretur de Sancto Semiduplici, aut Duplici, & quorum aliquo occurrente transfertur festum, non esse alia, quàm quæ exprimuntur in Rubricis; de errore autem, vel obliuione nullũ in eis fit verbum. Ad secundam, ignoranti currere tempus in ijs, quæ sunt alligata certo tempori, & diei, vti est festum Sancti, tunc enim etsi non currat ad pœnam, secus ad posteà præstandum id, quod erat affixum determinato tempori trãsacto. Et quidem si quoad celebrandum de Sancto non curreret tempus ignoranti, sequeretur, non modò posse posteà celebrari de eo, sed debere, quia obligatio, respectu cuius vt ignoratæ tempus non currit, vrget, quandò desiuit ignorari. Ergo qui habuit obligationem ad Sacrum de S. Petro v.g. die proprio, casu quo nosset, esse diem proprium Sancti, & casu quo voluisset rei diuinæ operari, debebit posteà conscius factus celebrare de eo in prima die non impedita, casu quo aggrediatur dicere Missam; si in hac materia tempus non currat ignoranti. Ad tertiam, ius Sacerdotis, & Sancti ad celebrationem de ipso Sancto esse tãtùm pro die proprio, nisi in casu per Rubricas expresso occurrentis Officij dignioris; quando autem ius est huiusmodi, contingit sæpe, vt absque culpa non possimus vti tali iure, si transeat tempus, ad quod est limitatum, vel quia ignoramus tempus, vel quia non est in nostra facultate præstare id, quod exigitur illo tempore. Id quod manifestum fit exemplo Indulgẽtiæ concessæ visitantibus die S. P. N. Ignatij Ecclesiam Societatis, nam si ignoretur dies, vel in eo non possit visitari, certum est, te non posse alio die vti iure tuo ad lucrandũ eã Indulgẽtiã.

475 Quæritur decimequartò, an si hodie ex errore celebraris Missam, & recitaris Officium de Sancto diei crastinæ, debeas die crastina repetere idem Officium, & eandem Missam, si velis, aut obligatus sis facere Sacrũ? P. Quintanadueñas Sing. 10. ait, posse quem probabiliter opinari, nõdari eam obligationem. [Primò, quia iã illi Sãcto pensum diuini Officij solutum fuit; & quod debitum anticipatè solutum fuerit, plenissimæ solutioni rationem non tollit. Secundò, quia inusitatum videtur, quòd bis, vel pluries (exceptis Agnetis 2. & Octauis) de eodem Sancto recitetur; sicut inusitatum est, quòd idem debitum eidem bis soluatur.] Sic ille; & videtur consentire Trullench suprà citatus, quando hodie per errorem omisisti Missam, & Officium

cium Sancti, qui sit proprius diei, & celebratis recitatisque de Sancto diei sequentis, quo casu insinuat, te posse die sequenti resumere Missam, & Officium de Sancto diei antecedentis, sic enim vtrique Sancto suus defertur cultus; idque præualer regressui ad Missam, & Officium diei præcedentis.]

476 Ego cum Cardinali de Lugo, & cum Quarto supra iudico, Sacerdotem debere die crastina iterare idem Officium, eandemque Missam de Sancto, si velit, aut obligatus sit peragere Sacrum, quia cuique diei est alligatum suum Officium cum Missa. Vnde Officium cum Missa de Sancto non est pro aliquo anni die indeterminatè, sed pro tali die determinatè; ideoque non licet transferre scienter illud siue per anteposition em, siue per post positionem, vt omnibus est in confesso. Atquod per errorem anticipaueris illud, non est sufficiens excusatio, ne suo die persolueas illud, nec enim priuatus tuus hesternus error dat ius, aut facultatem, vt hodie mutes præscriptum in Kalendario Officium cum Missa, vt satis probatum est in quæstione præcedenti. Confirmatur, si hodie ieiunes, quia per errorem putes, esse hodie Vigiliam Sancti Petri, non ideo excusaris cras à ieiunando, si Vigilia cras incidat, quia Ecclesia non præcepit indefinitè ieiunium semel in anno ad honorem Sancti Petri, sed determinatè pro tali die, nec verè anteà incepit obligatio illius præcepti, neque verè potuit anteà ei obligationi satisfieri. Similiter ergo discurri debet in nostro casu. Omitto non leuia absurda, quæ Cardinalis de Lugo num. 16. deducit ex contraria opinione.

477 Prima ratio Patris Quintanadueñas facilè dissoluitur, quando enim debitum est alligatum diei certo, & determinato, anticipata solutio (si sic vocanda est) non prodest. Quod si facta ex errore, vel oblivione liberaret ab obligatione diei sequentis, non minus liberaret facta scienter: quod tamen non concedit Quintanadueñas. Ratio secunda æquè facilè enodatur, multa enim, quæ si ritè fiant, non repetuntur, solent, & debent iterari, si primò non sint ritè facta. Nec absurdum est, vt idem debitum bis eidem soluatur, quando prima solutio (si solutio appellari queat) facta fuit extra tempus, nam quòd secunda adhibenda sit, venit suo errori, aut ignorantiæ, qui primam extra tempus præstitit, proindeque inutiliter. Huc facit exemplum illius, qui ieiunasset die antecedenti ad Vigiliam Sancti Petri, persuasus sibi, esse ipsum diem Vigiliæ, is enim conscius erroris tenetur ieiunare secundò. Non nego, esse aliqua debita, quibus satis fit per anticipatam solutionem, imò in quibus hæc melior est, & gratior creditoribus. Sed debitum, de quo præsens versatur sermo, non est huiusce conditionis quoad anteposition em, aut postpositionem ad totum diem, pro quo est designatum Officium cum Missa.

478 Hinc consequenter existimo cum præcitatis Authoribus, & cum Villalobos parte 1. Tract. 24. Diffic. 13. num 3. si hodie sit dies proprius alicuius Sancti, & per errorem celebraueris, recitaueris que non de eo, sed de alio diei sequentis, te adhuc non posse cras resumere Missam, & Officium Sancti omissi, sed debere dicere Missam, & Officium Sancti, cuius est dies proprius, quia non potes priuata tua authoritate transferre Missam, & Officium diei hesternè in diem præsentem; errorque ille tuus præcedens non confert tibi facultatem ad talem mutationem hodie faciendam. Præterea, vt ait bene Villalobus, & cum ipso Hermannus Busembaum Lib. 4. Medullæ. C. & dub. 2. art. 4. num 11. pagina (mihi) 486. minus malum est semel, quam bis errare; & Sancto omisso gratius erit, si de eo non recitetur, nec celebretur, quàm si fiat commutatio festorum contra Rubricas, & regulas Ecclesiæ. Vnde vna opera & nostram sententiam munivimus, & aduersæ rationem exarmavimus.

479 Hinc deducitur, si quis hodie per errorem recitarit Officium alienum à die, debere, agnito errore, si Missam celebret, dicere non eam, quæ conformis sit Officio recitato, sed debito recitari iuxta ordinem, & ritum Ecclesiæ, error enim malè inchoatus non est continuandus, sed potiùs corrigendus. Atque id certum esse, asseverat Quartus supra in fine dubij 3. & Quintanadueñas supra, num. 4. monet, vt quoad celebrationem Missæ attinet, inspiciatur, ne in Ecclesia adsit scandalum, vel sit magnæ solemnitatis dies.]

dies.] Et independenter etiam ab his circumstantijs seruandum est, quod diximus. Circa ipsum autem Officium Canonicum similiter non est error continuandus, sed vel repetendæ erunt horæ recitatæ, vel quæ supersint, debent recitari iuxta Officiū ea die currens, vt sic, quantùm potest, persolvatur Officium præscriptum pro ea die. Ita suprà Cardinalis de Lugo ex num. 17. Quartus V. *Dicendum est in primis*, Busembaum in fine numeri citati.

480 Quæritur decimosextò circa §. 1. 7. & 9. an possit authoritate Episcopi, aut alterius habentis iurisdictionem quasi Episcopalem addi in Missa de Duplici oratio aliqua, habita quidem in Missali Romano, sed quæ authoritate inferiori deberet aliàs non dici? Respondeo, posse. Ita supponit Gavantus in Rubr. Missalis p. 1. tit. 9. n. 16. lit. l. inquiēs. [Accidit etiam, à Superiori decerni pro publica causa quotidie dicendam orationem, *Deus refugiū nostrum*, seu aliam; & tunc vel dicitur loco tertiæ ad libitum; vel addatur vti Commemoratio in Duplicib⁹, Semiduplicibus, & Dominicis. Sacra Rituum Congregatio die 28. Aug. anno 1627. omitti decrevit regulariter prędictam orationem in festis primæ classis. In aliis verò secundæ classis communior vsus insigniorum Ecclesiarum Vrbis est, vt neque dicatur in Missis privatis, nedum in solemni, à qua sola excluditur Commemoratio de festo simplici. Quæ consuetudo mihi placet.] Ita ille. Neque hæc additio est contra Bullam Pij V. est enim conformis Rubricis Missalis, vt probat Quartus parte, & tit. 1. dub. 8. vbi potestatem Episcopi ad eam confirmat ex pari alia ad orationis additionem in Officio Canonico Chori assertam, vt ait, à Suario tomo 2. de Religione, Tract. & Lib. 4. Cap. 11. num. 6. à Filliucio tomo 2. Tract. 23. Cap. 6. quæst. 2. Scripsi, *vt ait*, nam Suarius non loquitur expressè de tali additione. Sed quando fiat siue in Officio Canonico, siue in Missa ex ordinatione Episcopi, debet adesse rationabilis causa necessitatis grauis cōmunis; cui prouidere, & succurrere pertinet ad Episcopum, & proinde indicere orationem, qua Dei auxilium, & misericordia imploretur; præsertim que in Missa, & Officio diuino, vbi maioris est efficaciæ, obtinetque à Deo id, quod petitur, si expediens fuerit, vel quidpiam aliud.

SECTIO XXIX.

Exagitantur mutationes aliæ.

481 Circa §. & num. 1. Rubricarum generalium Breuiarij (quo ex loco ad Missam vtilis doctrina dependet) quæritur decimoseptimò, quomodò intelligenda sint illa verba, *Officium sit Duplex ::: in festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueuerunt solemniter celebrari cum Officijs propriis à Sede Apostolica approbatis, aut ex eiusdem Sedis authoritate receptis, vel recipiendis (seruata tamen forma huius Breuiarij) alioquin de Communi, etiāsi prædicta festa in hoc Kalendario nō sint descripta*. Respondet Emmanuel Rodriguez tomo 1. qq. Regular. in 42. art. 21. sic esse intelligenda, [vt possint in Religionibus recitari Officia propria de his Sanctis, etiam si hæc Officia à Sede Apostolica non sint approbata, dummodò digna sint, vt approbentur, vel Religio eis vtatur, animo ea à Sede Apostolica confirmandi, vt patet ex verbis Rubricæ, ibi: *receptis, vel recipiendis.*]

482 Sed hæc intelligētia displicet Laymano infra, Card. de Lugo L. 5. Respons. Moral. dub. 7. num. 3. Baldello tomo 2. Lib. 3. Disput. 30. num. 18. Quintanadueñæ tomo 1. Tract. 8. Singulari 1. num. 1. 2. & 3. Mendo Disquisitione 12. de Ordinibus Militaribus quęst. 10. num. 125. Et meritò, in primis, quia verbum illud, *vel recipiendis*, coniungendum est cum conditione, quam Officijs receptis apponunt verba alia antecedentia, vt constat ex contextu: conditio autem fuit, vt Officia essent recepta ex authoritate Sedis Apostolicæ. Sensus itaque Rubricæ planus, & apertus est, vt Officia, quæ iam tunc recitabantur, essent approbata à Sede Apostolica; & ad quæ in posterum accrescerent, recitandaque essent de nouo, præcederet approbatio eiusdem Sedis Apostolicę. Non ergo benè Rodriguez accepit absolutè, & si-

ne

ne conditione adeò proximè expressa verbum illud, *vel recipiendis.* Deindè quia vt appositè obseruat Baldellus [futuritio approbationis, quando est futuritio, semper est maximè incerta, & ad vtrumlibet, & non magis sic, quàm non sic, vt loquitur Aristoteles 1. Periherm. Cap. vltimo, de futuris contingentibus in vniuersum; & ideò non magis tribuat, quàm non tribuat vllum ius, aut facultatem recitandi, aut non recitandi id, quod dicitur esse approbandum, & nondum est approbatum.] Tertiò, quia post Bullas Pij V. ad Missale, & Breuiarium praxis constās fuit in Ecclesijs, Religionibus, vel Congregationibus, vt nullum introduceretur Officium de nouo, nisi pręuio examine, & approbatione Sedis Apostolicæ. Quartò *Sacra Rituum Congregatio declarauit, & decreuit, non potuisse post Bullam Pij V. de Breuiario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam Sæculares, quàm Regulares, addere Kalendarijs, etiam proprijs, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur.* Ita in Declaratione edita anno 1628. die 8. Aprilis, & addita posteà ad Breuiarium. In qua debent ponderari verba illa, *non potuisse post Bullam Pij V. de Breuiario Romano, neque posse*, necnon illa, *nisi ea dūtaxat, quæ conceduntur.* Videatur Gavātus in Rub. Brev. S. & C. 2. n. 23. & 24.

483 Deinde Paulus Layman Lib. 4. Tract. 1. Cap. & num. 6. V. *Dicosecundò*, respondet ad quæstionem, intelligenda esse verba Rubricarum, quatenus non opus sit approbatione Sedis Apostolicæ [si Lectiones de Sanctis propriæ, omnis suspicionis falsi carentes, antea in Ecclesia recitari consuetę fuerint.] Hæc etiam intelligentia aliena est à Rubricæ sensu, & à veritate. Primò, nam Rubrica loquitur de Officijs proprijs à Sede Apostolica approbatis, aut ex eiusdem Sedis authoritate receptis, iniungitque, vt alioquin Officia assumantur de Communi. Et præterea sicut requirit approbationem Officiorum propriorum, quæ de nouo introducerētur, ita etiam eorum, quæ anteà erant introducta, & recitari solita. Secundò, quia Pius V. Pontifex Max. in Bullis Missalis, & Breviarij prohibet expressè, ne quidpiam addatur Officijs ibi positis; addunt autem, qui recitant Officia propria non contenta ibi. Tertiò, nam post eas Bullas fuit in more, & praxi, vt ab Ecclesijs, Religionibus, vel Congregationibus adducerētur Romam Officia antiqua ad obtinendam à Sede Apostolica approbationem. Quartò, quia Decretum nuper relatum Sacræ Congregationis Rituū ait, non modò non posse de futuro, sed neque de præterito potuisse à locorum Ordinarijs post Bullam Pij V. de Breviario Romano addi Kalendarijs, etiam proprijs, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quę Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur.

484 Neque satis est, quòd talia Officia careant omni suspicione falsi, tum quia iudicare id authoritatiuè, spectat ad Romanum Pontificem post Bullas Pij V. tum quia finis Pij V. præcipuus fuit, tollere varietatem, & diuersitatem Officiorum, & vt vbique ab omnibus idem Officium recitaretur, nisi quando sibi, aut successoribus suis placeret concedere privilegium aliquod. Et ideò, etsi nulla sit falsitas in Officijs, obligat Pij V. præceptum ex fine dicto. Legatur Gauantus in præcitatis numeris, & inseqq. Obseruetur-que, in Rubrica non verari, vt in posterùm celebrarentur Sanctorum festa, quæ consueta erant celebrari ritu Duplici (vel Semiduplici etiam, vt patet ex §. 2. num. 1.) sed vt celebrarentur Officijs proprijs à Sede Apostolica non approbatis, vti optimè explicat Cardinalis de Lugo suprà, numero 8. addens, per Declarationem Sacræ Rituum Cōgregationis fuisse abrogatam consuetudinem illam celebrandi de Sanctis nō descriptis in Kalendario, ita vt neque cum Officio communi possint iam celebrari ablq; licentia Sedis Apostolicę.

485 Sed videbitur difficile, quòd ea Declaratio addita sit Breviario per modum Decreti ex iussu Pontificio, & quòd Rubricarum verba, quibus aliquatenus derogat, non sint mutata post eam additionem. Ideò posset aliquis dicere, Decreto illo non prohiberi, nisi celebrationem de eis Sanctis, cum Officio proprio Lectionum, & Orationum non approbatarum à Sede Apostolica: quæ celebratio prohibetur

etiam

etiam in Rubrica: nō autem siue in hac, siue in illo celebratio cum Officio cōmuni.

486 Si obijciatur, haberi in eodem Decreto prohibitionem *celebrandi per totam Ciuitatem, vel Diœcesim, etiam cuiuscumque Ordinarij authoritate, festum cum Officio, eoquòd in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia; sed tantùm in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu vbi asservatur corpus, aut insignis Reliquia, & non alibi.* Respondebitur, Rubricam non loqui de consuetudine celebrandi in omnibus Ecclesijs eiusdem Diœcesis, aut Ciuitatis, eoquòd vna habeat aliquem Sanctum Titularem, aut Corpus, vel Reliquiam cuiusdam Sancti, neque approbare talem consuetudinem, quæ potiùs fuisset corruptela. Quare Rubricæ non est contrarium Decretum Sacræ Congregationis Rituum.

487 Si rursus opponatur, in eodem Decreto dici, *De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, ciuibus, & alijs festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breuiarij nihil habetur, vti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria authoritate constituatur, sed omnino consulatur Sacra Rituum Congregatio.* Respondebitur, non agi de Sanctis, de quibus ante Bullam, & Rubricam Pij V. celebraretur, sed de alijs, de quibus post Bullam, & Rubricam nouiter institueretur celebratio.

488 Si vlteriùs obijciatur, Decretum saltem eiusdem Sacræ Congregationis Rituum exaratum n. 404. quatenus vetat celebrationem Missarum, & Officij cum Octauis de Sanctis tantùm beatificatis, nisi expressè concesserit Sedes Apostolica, esse aduersum §. 7. de Octauis, num. 1. quatenus in hoc toleratur consuetudo celebrādi de aliquibus Sanctis cum Octauis apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes. Fuit autem olim consuetudo cēlebrandi cū Octauis de multis Sanctis tantùm beatificatis. Respondebitur, consuetudinem, quam non reprobat Rubrica, esse consuetudinem ipsa anteriorem celebrandi cum Octauis de Sanctis; horum autem nomine propriè prolato significantur Sancti canonizati, & non nisi impropriè, & abusiuè, qui solùm sint beatificati, vt advertit Gauantus in Rubr. Breuiarij, S. 1. Cap. 5. tit. 2. num. 12. Quarè Rubrica non loquitur de cōsuetudine, seu potiùs corruptela celebrandi cum Octauis de Sanctis nondum canonizatis. Ideoque Declaratio Sacræ Rituum Cōgregationis, quæ id prohibet, non opponitur Rubricæ illi. Et hæc dicta sunt tentatiuè, atque exploratoriè; quorū spina pupugit Gauantum supra sect. & Cap. 2. num. 27. 28. & 29. Quartum parte, & tit. 1. dub. 6. Legantur quæ, nos insinuavimus num. 404. & num. 423. dubusque seqq.

489 Sed vt ad Laymanum redeamus, subit mirari, quomodò Patres Quintanadueñas suprà, num. 6. Mendo Disquisitione 12. de Ordinibus Militaribus quæst. 10. num. 124. dicant, sensum ipsius fuisse, si Apostolica Sedes approbauerit proprium Officium alicuius Sancti pro vno loco, posse recitari idem Officium in alio loco absq; noua cōcessione, quādo in eo alio solitū sit recitari de eodē Sancto. Notavit iam Cardinalis de Lugo suprà, num 4. quàm longè distet Layman à sensu, quē ei attribuit Quintanadueñas, siquidem Layman clare loquatur de Officijs nūquam approbatis à Sede Apostolica, sed vsitatis ante Bullam Pij V. quin in eis deprehensa fuerit falsitas.

490 Quidquid verò sit de Laymani mente, Cardinalis de Lugo dubitat de veritate sensus illius probati à Quintanadueñas, & Mendo, omittit tamen refellere, quia aliud agebat. Ego refuto ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum adiecto Breuiarijs, in eo enim inhibētur Ordinarij locorū *extendere concessa Officia de loco ad locum*: quæ verba comprehendunt etiam casum, in quo Quintanadueñas, & Mendo licitam agnoscunt extensionem Officij de loco ad locum. Et ita Gauantus suprà, sect. 1. Cap. 5. tit. 2. num. 11. explicare videtur Decretum illud. Etsi autem Officium carere falsitate noscatur ex approbatione pro vno loco, non inde infertur, fas esse ampliare ipsum ad alium locum, vbi de Sancto recitetur, alioqui & inde inferretur, fas esse ad locum, vbi de Sancto non recitetur. Assignavi paulò antea rationem à priori.

491 Iam ad quæstionem decimam

simam septimam responderi debet, intelligentiam Rubricæ illius esse, vt propria de Sanctis Officia, quæ in posterum inciperent recitari apud Ecclesias, Religiones, vel Congregationes, sint priùs approbata à Sede Apostolica, & in iam olim recitatis non procederet, nisi ab eadem Sede fuissent etiam approbata, aut de novo approbarentur. Atque, vt sapienter docet Cardinalis de Lugo supra, numero 9. approbatio hæc, vtpote licentia per modum actus positivi, non præsumitur sufficienter, nisi probetur, etiamsi ex tempore diuturno fuerint solita recitari ea Officia; imò hinc potiùs vehementer præsumi potest, non fuisse approbata, si vsus præcessit Bullam, & Rubricam Pij V. pauci enim tunc recurrebant ad Summum Pontificem, vt approbaret Officia propria Sanctorum.

492 Ex dictis de Officio Canonico colligitur à fortiori quid dicendum sit de Missa propria alicuius Sancti, cum sit res sacratior, & cuius approbationem vt sibi vendicet, atque reservet Summus Pontifex, potiores multò rationes persuadeant. Ita obseruat Quintanadueñas supra, numero 4. Igitur ad celebrandam Missam propriã de aliquo Sancto opus est Pontificia approbatione, siue eius Missæ formula denuò conficiatur, siue ex longissimo etiam tempore sit confecta, & vsitata apud Ecclesias, Religiones, vel Congregationes, iudicioque hominum sapientum expers sit vel leuissimæ falsitatis. Et quæ Sancti propria sit concessa pro vno loco, non potest extendi ad alium sine speciali licentia Pontificia, etiamsi in alio celebretur de eo Sancto, sed debebit ibi assumi Missa ex Communi, quia concessio limitata ad vnum locum debet non extendi ad alium vltra mentem, & verba concedentis. Non exprimunt Quintanadueñas, & Mendo contrarium circa Missam, sed tantùm circa Officium. Verumtamen nomine Officij in hac materia significantur, quando non apponitur restrictio, horæ Canonicæ cum Missa. Et præterea hæc debet cum illis concordare in orationibus, & in alijs, quæ cõmunia sint ipsi, & illis. Porrò quia de P. Quintanadueñas memini, moneo, opiniones eius propositas à me, & impugnatas in quæstionibus 13. & 14. non improbabiles censeri à Pellizario in Manuali Regularium Tract. 5. Cap. 8. sect. 2. num. 74. pag. 609. sed non addit eis vim novo aliquo argumento, contentus redegisse in summam, quæ ille attulit.

493 Quæritur decimo octavò circa Bullam Gregorij XIII. adiectam Proprio Sanctorum Hispanorum, quomodo intelligenda sint illa eius verba spectantia tam ad Missam, quàm ad horas Canonicas, ideoque nostri instituti propria, *Item concedimus, quòd quælibet Ecclesia, & Monasterium Hispaniæ habens aliquas Reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti, etiam Alienigenæ, non existentis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario fit tantùm Commemoratio, possit illius festiuitatem celebrare, & Officium Duplex facere, & de alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit Simplex, fiat Commemoratio, si verò fuerit Duplex, vel Semiduplex, transferatur in primam diẽ simili festo non impeditam.* Respondet Cardinalis de Lugo Libro 5. Consiliorum Moralium, dubio 17. numero 4. Gregorium XIII. cum anteà concessisset, *vnamquamque Hispaniæ Ecclesiam eorũ tantùm Sanctorum, qui in Breuiario non sũt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius Diœcesis sunt Naturales, vel eius Ecclesiæ, vel Diœcesis sunt Patroni, vel eorum corpora, seu notabiles Reliquiæ in ea Ecclesia, seu Diœcesi requiescunt*, posteà decreuisse aliquid speciale circa Sanctos Alienigenas, limitando, ne de illo, cuius Reliquia insignis habeatur, celebretur in tota Diœcesi, sed tantùm in Ecclesia, vel Monasterio, vbi ea Reliquia colitur.

494 Mihi tamen videtur, Gregorium XIII. respexisse eò in illis verbis *Item concedimus*, vt designaret ritum, quo celebrari posset de Sancto, cuius Reliquia insigni frueretur Ecclesia, vel Monasterium, non enim anteà loquutus fuerat de ritu siue Duplicis, siue Semiduplicis, quẽ impendere liceret. Concessit itaque ritum Duplicis, etiamsi Sanctus esset Alienigena. Et quia de Sancto non Naturali, & de eo, qui ad Ecclesiam, vel Monasterium non pertineret specialiter nisi titulo insignis Reliquiæ, poterat esse maius dubium circa qualitatem ritus, ideo de eo illam expressit; indeque colligitur à Quintanadueñas tomo 1. Tract.

7. Sing. 11. posse in Hispania coli ritu etiam Duplicis alios Sanctos, de quibus Gregorius XIII. loquutus fuerat. Et hanc iudico fuisse mentem Summi Pontificis; non verò quòd de Sancto Alienigena posset tantùm celebrari in Ecclesia, vel Monasterio, vbi asseruaretur Reliquia: cum tamen de Naturali, cuius Reliquia haberetur, celebrationem concessisset in tota Diœcesi, vt interpretatur Cardinalis de Lugo. Sed certè Gregorius iam concesserat celebrationem de Sancto Naturali in tota Diœcesi, & de Sancto, cuius Reliquia haberetur, non meminerat, an esset Naturalis, necne, vt neque de Patrono. Et rogo, an de Sancto Naturali, cuius Reliquia haberetur, concesserat celebrationem in tota Diœcesi, vel etiam de eo, qui Naturalis non esset? Si primum. Superfluè adderetur titulus Reliquiæ, cum titulus Naturalitatis fuisset expressus tanquam sufficiens. Si secundum. Ergo in Hispania æquè poterit celebrari per totam Diœcesim de Sanctis, quorum reliquiæ insignes habeantur, siue Sancti sint Naturales, siue non sint Naturales; quòd non admittit Cardinalis de Lugo; etsi admittat, [si Sanctus non sit Alienigena, sed Hispanus, credibile esse ex vi Bullæ Gregorij XIII. posse fieri in tota Diœcesi, in qua habetur reliquia insignis, Officiũ saltem Semiduplex.] Et id mihi videtur certum, si Sanctus sit Naturalis eius Diœcesis. Si verò non sit Naturalis, iam explicui meum sensum in n. 441.

495 Quæritur decimo nonò, an liceat transferre in vnam Missam partes alterius? Bruno Chassaing in Priuilegijs Regularium parte 2. Tract. 8. Cap. 1. propositione 11. pag. 317. tradit singularem doctrinam, quam sui Authoris verbis presentare libet. [Cũ adest ratio (inquit ille) potest sine peccato omitti Euangelium v. g. de Passione in Missa Palmarum, & poni aliud Euangelium, quod in benedictione Palmarum legitur. Rationem autem sufficientem ad excusandum à peccato arbitror tussim importunam, fletum magnum, aut lassitudinem ex longa huiusmodi lectione causatam, aut aliquid simile. Sicque censuit Ioannes Martinon super hoc casu consultus. Quòd debet intelligi, vt ipse etiam intellexit, sublato scandalo.] Hactenus Bruno. Sed vt quod ait, fas esset ex causa aliqua rationabili, non tamen ex causa vtcumque laboris, & defatigationis ob longam Passionis lectionem, alioqui vbi scandalum non immineret, licita cuiuis esset permutatio illa, nullus enim est, qui non magis laboret, & defatigetur legendo Passionem, quàm Euangelium Palmarum. Aperiturque via, vt delicatuli Sacerdotes, si qui sint, arripiant eam permutationem. Si lassitudo esset ingens, & improportionata viribus ægritudine fractis, aut adsit altera ex causis designatis à Brunone, vel similibus, ego potiùs suaderẽ, vt diceretur Missa votiva de Passione, vel de Cruce. Et valde dubito de licito vsu eius permutationis ex causis tussis importunę, fletus magni, similibusque alijs, est enim admodùm notabilis, contrariaque fini Ecclesiæ.

496 Et quidem de permutatione Euangelij defunctorum in Euangelium Paschatis dicunt Aversa quæstione 11. Sectione 12. Vers. *Nonò vrsus*, Franciscus de Lugo Libro 5. Capite 9. quæstione 4. numero 29. Quartus quæst. Proœmiali Sectione 3. puncto 2. V. *Colligitur quartò*, parte 1. titulo 10. dubio 2. titulo 14. dubio 1. esse peccatum mortale ob notabilem deformitatem. In casu autem superiori etsi non resultaret idem genus deformitatis, siquidem assumeretur Euangelium, quod in fine Missæ esset aliàs dicendum, tamen sua esset deformitas, & grandis in translatione Euangelij Palmarum, & in additione Euangelij Sancti Ioannis loco illius ad finem Missæ, aliundeque omissio Passionis in Missa de Dominica Palmarum esset valde aduersa intentioni Ecclesiæ, esset que enormis ob omissam tantam quantitatem, quantam continet Passio.

497 Vnde quando Aversa supra inquit, [Peccaret venialiter, qui leuem commutationem faceret, vt qui ex eis Missis, quæ signantur pro Martyribus, relinqueret illam, quæ determinatur pro quodam Martyre, & sumeret aliam; vel pro vno Euangelio sumeret aliud, & similia:] quando hæc inquit Aversa, & cum ipso eadem ferè Franciscus de Lugo, & Quartus, non loquuntur de cuiusque Euangelij sumptione pro alio, sed de

Euan-

Evangelij, quod non valdè discordet à cætera Missæ structura, neque ab Ecclesiæ intentione in ea conficienda, vt patet ex ipsorum doctrina nuper relata de graviter illicita sumptione Evangelij Paschatis pro Evangelio defunctorum: loquuntur etiam de sumptione Evangelij, cuius quantitas non sit sine comparatione minor, quàm Euangelium relictum, vti est Evangeliũ Palmarum respectu Evangelij Passionis. Quod advertere volui, ne quispiam contra me alleget eos Authores.

498 Ad quæstionem igitur dico, translationē partium vnius Missæ in aliam esse peccatum, vtpote oppositam præcepto Pij Quinti de retinenda omnino forma præscripta in Missali: fore autem peccatum grave, vel leve, provt graviter, vel leviter opponatur fini præcepti, & provt magnam, vel parvam deformitatem inducat, pro vt etiam sit cum omissione magnæ, vel parvæ quantitatis.

SECTIO XXX.

Quanta sit obligatio dicendi in Missa quædam voce clara, & quædam secretò?

499 IN Rubricis generalibus Missalis §. 16. num. 1. præscribuntur, quæ dicenda sunt clara voce, & quæ secretò. Posteà verò num. 2. subiungitur, *Sacerdos autem maximè curare debet, vt ea, quæ clara voce dicenda sunt, distinctè, & appositè proferat, non admodùm festinanter, vt aduertere possit, quæ legit; nec nimis morosè, ne audientes tædio afficiat, neque etiam voce nimis clara, ne perturbet alios, qui forsasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, vt à circumstantibus audiri non possit; sed mediocri, & graui, quæ & deuotionem moueat, & audientibus ita sit accommodata, vt quæ leguntur, intelligant. Quæ verò secretè dicenda sunt, ita pronunciet, vt & ipsemet se audiat, & à circumstantibus non audiatur.* Hæc ibi. Circa quæ versabitur præsens Sectio.

500 Et vt in primis agamus de obligatione dicendi quædam voce alta, occurrit primò Caietanus 2. 2. quæst. 38. art. 12. inquiens, [Conditiones communis orationis sunt duæ, quòd scilicet sit vocalis, & quòd sit alta. Prima est simpliciter necessaria, vt declaratum est, secunda est rationabilis :: Propter quod dicentes privatas Missas ita submissè de industria, vt intelligi ab auditoribus nequeant, à ratione devij videntur, & inexcusabiles, nisi fortè per accidens coram alijs non celebrent. Tunc enim sufficiens videtur, si à seruitore proximo audiri possint.] Sic Caietanus. Cui consonant Navarrus Cap. 16. de Oratione, num. 54. Sà V. *Missa*, numero 50. Thomas Sanchez Lib. 7. Consiliorum Capite 2. dub. 8. num. 6. quin exprimant, an peccetur mortaliter, vel tantùm venialiter. Id secundum placet Francisco de Lugo Lib. 5. Cap. 9. quæst. 2. num. 10. Bonacinæ Disp. 4. de Sacramentis, q. vltima, punct. 2. num. 20. Quarto parte 1. tit. 16. dubio 1. Vers. *Oppositæ sententiæ.*

501 At Thomas Tamburinus Lib. 2. Cap. 9. §. & num. 5. ea habet verba, quæ liberant à culpa etiam veniali, etsi pro exemptione à mortali sint directa ab Authore, ait enim, [ex vna parte non constat de præcepto, nec de consuetudine obligante; imò video etiam passim à timoratis Missam sine scrupulo recitari voce omnino depressa: & ex alia adstantes non obligantur in die etiam festiuo de præcepto audire, sed solùm interesse deuotè Sacro.

502 Censeo primò, dari sub peccato obligationem. Primò, ob Rubricas præcipientes. Secundò, quia in Concilio Basileensi Sessione 21. C. 8. incusatur abusus aliquorum, *qui præter secretas orationes ita submissa voce dicebant Missam, quòd à circumstantibus audiri non posset.* In Synodo etiam Diœcesana Augustensi C. 18. dicitur, *Reliquæ Missæ, quæ Catechumenorum dicitur, partes debita religione, & voce alta, intelligibilique legantur.* In Concilio Prouinciali Coloniensi celebrato ad annum 1536. parte 2. Capite 13. monetur, *Qui legit Missam, vt cum reuerenda modestia, clarè, distinctè, & exertè legat omnia vsque ad Can. vtquì audiendi Sacri causa adstat, quod legitur, intelligat, atq; ad pietatē excitetur.*

In Concilio Mediolanensi I. parte 2. titulo de pertinentibus ad celebrationē Missæ eadem habetur admonitio. Omitto verba Synodi Diœcesanę Vvladislavienſis adducta iam in num. 227. Sed non omittam adnotare, Concilij Tridentini verba Sessione 22. Cap. 5. exarata ibidem addere magnum pondus nostræ sententiæ, cum attestantur, *piam matrem Ecclesiam instituisse, vt quædam altiore voce in Missa pronunciarentur.*

503 Iustinianus etiam in Novellis, Constitutione 137. Cap. 6. sic fatur, [Ad hæc: iubemus, omnes Episcopos, & Presbyteros non in secretò, sed cum ea voce, quæ à fidelissimo populo exaudiatur, diuinam oblationem, & precationem, quæ fit in sancto Baptismate, facere, vt inde audientium animi in maiorem deuotionem, & Dei laudationem, & benedictionem efferātur. Sic enim & diuinus Apostolus docet dicens in priore ad Corinthios Epistola: Cęterum, inquit, si solùm benedicis spiritu, is, qui idiotæ locum implet, quomodò tuę gratiarum actioni subijciet Deo sanctum illud Amen? Siquidem quid dicas, non novit: tu autem pulchrè gratias agis, sed alius non ædificatur. Et rursus in ea, quę est ad Romanos, sic dicit: Corde quidem creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Id circo igitur convenit, vt ea precatio, quæ in sancta oblatione dicitur, & aliæ orationes cū voce à sanctissimis Episcopis, & Presbyteris proferantur.]

504 Non probo obligationem præfatam exinde, quòd fideles nō adimpleant præceptum audiendi Sacrum, nisi auribus percipiant Sacerdotis verba, huic enim argumento iam satisfecit Tamburinus. Præter quàm quòd peccat ab excessu, & à defectu: ab excessu quidem, quia aliàs Sacerdos die festi de præcepto teneretur graviter ad dicendam tam altè Missam, vt omnes, & singuli, etsi multi numero, sparsiq; per magnum templum, possent audire eam. Rursus peccat à defectu, quia alioqui vbi solus Minister assistat Sacerdoti, & quo die nō sit festi de præcepto, tametsi multi assistant, nō opus erit, nisi sic dicere ea verba, ad quę Minister est responsurus. Obligatio autem gravis in primo casu à nullo asseritur, imò neque levis: & in secundo casu ipsi, qui argumentantur, agnoscunt obligationem saltem levem ad alia dicenda voce alta.

505 Censeo secundò, eam obligationem esse sub peccato veniali, quia non apparet gravis irreverentia, neque deformitas in secretò dicendis omnibus Missæ verbis, si excipiantur illa, ad quæ responsurus est Minister. Inquies, eos, coram quib⁹ celebratur, præsertim die præcepti, habere ius, vt quę possunt dici voce alta, dicantur sic à Sacerdote, vt audiri queant ab ipsis, nisi detur accidentale impedimentum distantiæ, aut surditatis, aut strepitus facti in templo, neque enim tunc obligandus est Sacerdos vociferari. Licet autem multi ex adstantibus non intelligant Latinam linguam, qua celebratur; ast ipsa vox audita excitat ad deuotionem, & pietatem, provt indicat Colonienſe Concilium supra. Præterea auditio eorum, quæ dicuntur, etsi non intelligatur sensus, deservit, vt auditores intersint maiori cum attentione, & voluptate, minoriqne cum distractione, & tædio. Vnde Navarrus supra aiebat de Sacerdotibus recitantibus secretò totam Missam, [Præter quàm quòd est abvsus, vt declaravit statutum Ecclesiæ Gallicanæ, dant occasionem murmurandi, vel saltem imaginandi multa audientibus superflua, vti sæpius mihi dederunt, consequenter sunt causa distractionis attentioni contrariæ.] Sic Navarrus. Et ego fateor, habere aliquale illud ius interessentes Missæ sciente, & consentiente Sacerdote, siue die festi de præcepto, siue alio die. Sed non pertingit ad inducendam obligationem gravem in Sacerdote, & forsan videbitur aliquibus, non esse nisi ius congruentiæ, & æquitatis.

506 Si verò non frequens populus, sed pauci fideles præsentes sint, vel solus Minister, tunc multò minor vrget ratio, præsertim, si Sacro non assistatur ad satisfaciendum præcepto. Et in his quidem circumstantijs non præcipi discrimina vocis à Rubricis, vt quæ videantur attendere solummodò ad circumstantes, fateor esse probabile; quanquam probabile etiam sit, Rubricas per se iubere eam diversitatē in pronunciando altè quędā verba,

& secretò alia, quin fas sit, vt ob defectum circumstantium pronunciet aliter Sacerdos, sicut nec fas est, mutare alloquutiones denotãtes pluralitatem circumstantium, & participantium de Sacramento, & Sacrificio, etiamsi desint circumstantes, & participantes, id enim peraccidens evenit, vt dixi Disp. 14. num. 22.

507 Cæterùm quia multi Sacerdotes timorati, quando etiam celebrant coram frequenti populo, tam submissa voce totam Missam recitant, vt vix Minister, qui adiuvat, & proximè assistit, valeat respondere, ideo nolim damnare eos, qui aliter iudicant; ac nos, & qui existimant, aut Rubricas non esse in hac parte præceptivas, aut licet vt præceptivæ latæ sint; sed contrarium vsum prævaluisse. Suaserim tamen, vt Rubricæ ad vnguem serventur, siue plures, siue pauci intersint Sacro, siue sit, siue non sit dies festi de præcepto. Curandumque est, ne alij Sacerdotes eodem tempore, & templo simul sacrificantes perturbentur, si vox nimiùm efferatur, neve etiam defatigentur contendendo vocem; & quam quisque naturaliter habeat, opus est, vt consideretur.

508 Hinc facilè deducitur id, de quo deinde agendum est, scilicet quanta sit obligatio ad dicenda secretò ea, quæ in Rubricis præscribuntur sic dici, & de quibus in C. *Hoc quoque* 61. de Consecratione Dist. 1. extat indiciũ satis antiquum ex tempore Soteris Papæ, ibi: *Et illud in secretis*, vltra alia adnotata à me in num. 228. Censeo itaque tertiò, esse vt minimùm obligationem sub peccato veniali ob præceptum Rubricarum: quod circa nonnulla verba non videtur versari tanquam circa materiam gravem. Verùm quia, nisi ex inadvertentia altè proferantur, non adsunt excusationes indicatæ de proximo pro submissa recitatione eorum, quæ altè legenda sunt, & quia secretò dicendorum elata pronunciatio est minus ordinaria, timeri magis ex ea potest admiratio, & scandalum adstantiũ; sæpeq; facta verti poterit vel contẽptui Rubricarum, vel animo introducendi novum ritum.

509 Suntque aliqua verba, nimirùm pleraque in Canone contenta, quorum secretò pronunciãdorum maior datur obligatio. Idque constat ex Concilio Tridentino, nam cum in Sess. 22. C. 5. dixisset, Ecclesiam instituisse, vt quædam in Missa pronunciarentur voce submissa, posteà in Canone 9. addidit, percellendum esse anathemate, qui damnaret *Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur.* Vnde hic ritus est magni momenti penes Ecclesiæ Romanæ æstimationem. Commendãtque eum Synodus tum Augustensis, tũ Vvaladislavien sis, necnon Concilium Mediolanense I. supra. Legantur quæ hinc, & inde collegi in num. 227. & duobus sequentibus pro eodem ritu.

510 Putat autem Gavantus parte 1. in Rubricas Missalis titulo 16. num. 1. lit. G. non posse sine culpa gravi totum Canonem altè legi, testaturque de communi Doctorum. Consentit Quartº p. 1. tit. 16. dub. 1. Sed ego nõ in eiui in alios Doctores, qui de huius peccati gravitate tractent. Et Quartus non aliunde eam probat, quàm ex scandalo, quod sequeretur, aut ex novi ritus inducendi animo, antiquive contemptu, qui præsumitur, si Canon altè proferatur. Cæterùm ex his capitibus non ostenditur, altam recitationem Canonis esse delictum grave ex genere suo; possetque, etsi levissimum ex genere suo foret, transire in mortale ratione cuiuslibet ex eis. Et abstrahens ab illis ait Franciscus de Lugo supra, esse tantummodò veniale. Forsanque non deerit, qui putet, nec veniale esse, si Missa celebretur coram vno solo Ministro, vel coram pluribus assistentibus, qui scandalizandi non sint, neque inde excitãdi, vt Canonem, & præsertim verba consecratoria tractent, repetantque profanè.

511 Cuius periculi cautio movit Ecclesiam Romanam, vt institueret, dici secretò verba illa, cum tamen anteà altè proferrentur, vt observant Salmeron tomo 9. in Evangelia, Tract. 12. pag. 98. Tract. 14. pag. 114. Tract. 32. pag. 319. Iosephus Vicecomes Volumine 3. Observationum Ecclesiasticarum Lib. 3. de antiquis Missæritibus C. 22. Augustinus de Herrera in Origine, & progressu rituum Missæ Lib. 3. C. 10. num. 8. additque is in n. 9. Vigilium Papam primò prohibuisse sub gravibº pœnis, ne extra Sacrificium

pronunciarentur. Sed me latet, vnde hauserit notitiam huius prohibitionis. In Monasterio quidem Cuziba Abbas Ioannes, qui postea fuit Episcopus Cæsareæ Palæstinæ, *statuit, vt nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quispiam diceret quocumque tempore absque loco consecrato.* Ita refertur in Prato spirituali Cap. 25. vt & causa, quæ excitauit Ioannem Abbatem, scilicet quòd Frater quidam non Sacerdos protulisset verba sanctæ oblationis super panẽ, quem vt ad Sacrificium afferret, missus fuerat. De quo facto loquutus sum in Disp. 12. num. 4.

512 Vbi etiam adduxi aliud quorundam puerorum Apamiensium, qui ioco verba sanctæ consecrationis pronunciarunt pane, vasque testeo cũ vino impositis plano lapidi, ceu altari: *Sed ignis cœlitus delapsus, quæ proposita erant, consumpsit omnia, saxumque totum cõbusit, ita vt nihil omnino neq; saxi, neq; eorũ, quæ fuerant superposita, relinqueretur. Hoc repẽtè factũ cum pueri vidissent, in terrã omnes præ timore corruerunt, ac diutiùs semiuiui permanserunt, neque erumpere vocẽ, neque de terra surgere valentes*, vt dicitur in eodem Prato spirituali C. 196. Hanc in historiam reuocat Guilielmus Durãdus Lib. 4. Rationalis Cap. 35. [Quòd Patres statuerint, verba Canonis sub silentio dici, inhibentes sub anathemate, ne proferantur nisi à Sacerdotibus super altare, & in Missa, & cum vestibus sacris; cum enim antiquitus publicè, & alta voce Canon diceretur, omnes penè per vsum illum sciebant, & in plateis, & in vicis decantabant.]

513 Consonant Durando alij loco citato memorati, quibus addo Marchinum Tract. 3. de Ordine p. 1. C. 28. num. 14. asserentem, fuisse conuersum panem in carnem, & pueros absumptos flammis; quorum neutrum traditur in Prato spirituali, neq; quòd inde Patres decreverint, verba Canonis proferri secretò, vt iam ante nos obseruavit Cardinalis Bellarminus Libro 2. de Missa Capite 12. ad finem. Et quæcumque fuerit causa dicẽdi secretò verba consecrationis, cum anteà altè pronunciarentur, vt populus eis auditis, & post illa respondens *Amen*, cõfiteretur mysterium Eucharistiæ; tamẽ plura verba Canonis, & Missæ ex initio Ecclesiæ sunt prolata secretò non secus, ac nunc, vt constat ex Liturgijs omnibus antiquis, comprobantq; Bellarminus in illo C. 12. Suarez Disp. 83. sect. 1. ex V. *Secunda obiectio*, Durantus Lib. 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 29. ex num. 3. Vicecomes supra C. 23. Scortia Libro 4. de Missa, Capite 8.

514 Ex quibus omnibus liquet, dignos esse reprehensione Sacerdotes, qui totam Missam eodem vocis tenore, præsertim coram populo, recitant; necnon illos, qui magna cum adspiratione, sibilisque non modicis pronunciant consecrationis verba, ita vt toto propè templo, etsi ingens sit, audiantur: quasi Christus constituendus non sit sub speciebus nisi multa vi halitus, aut sibilorum. Interfuique sæpè Missis multorum, qui cum muti viderentur ad cæteras orationes, & lectiones, sed quando ad consecrationem perventum est, vocalissimos se ostenderunt. Quos meritò obiurgat Navarrus Cap. 16. de Oratione, num. 54.

515 Sunt alij, qui ad extremum contrarium declinant, & voce tã submissa pronunciant consecrationis formam, vt se ipsos audire non valeant. Qui contra Rubricam peccant, & proinde venialiter vt minimùm; imò & mortaliter, vel quia exponunt se periculo valde probabili non consecrandi, vel quia saltem temerant præceptum Ecclesiæ in re grauissima.

516 Quod vt innotescat, sciendum est primo, consecrationis formam, cum Sacramenti sit, hoc est signi sensibilis, debere sub sensum posse cadere, prout notat Salmeron supra, pag. illa 320. & similiter dixit Amadeus Franciscanus apud eruditissimum Petrum de Alba tomo 1. Bibliothecæ Virginalis pag. 667. num. 11. [Proferantur verba illa consecrationis sic, vt ab aliquo propè existente audiri possint, quia Sacramentum est signum sensibile.] Vnde mutum consecrare non posse, admonent Incognitus olim, & nunc notus nomine Michaelis Ayguani in 4. Distinct. 13. quæst. vnica, art. 1. V. *Quantùm ad primum*, Guilielmus de Rubione ibidem quæstione 3. art. 1. Hinc Sacerdos invalidè omnino, adeoque illicitè, atque sacrilegè recitabit mente sola formam consecrationis cũ intẽ-

intentione efficiendi, quod per eam significatur. Hinc etiam quando de Navarro ait Sà V. *Missa*, n. 51. Existimat, quæ in Missa secretò dicuntur, posse mente sola, sine voce recitari,] & quando ipse addit. [Quod nec ausim facere, nec improbare,] intelligendi sunt de secretis vltra formam consecrationis.

517 Sciendum est secundò ex sententia valde probabili, recitationem horarum Canonicarum, etsi fiat verbis inter labia, & dentes formatis, non sufficere ad præcepti satisfactionem, si sonus sit tam submissus, tamque parùm extra prodiens, vt qui ore profert, non posset audire se, tametsi attenderet, & abessent impedimenta surditatis, & strepitus, [quia verba, quæ auditu perci non possunt, non videntur verba, sed quidam motus in gutture, seu inter dentes facti, qui potiùs sunt inchoatio verborum, quam verba,] vt inquit Castro Palao tomo 2. Tract. 7. Disput. 2. puncto 3. num. 6. vbi cum alijs docet, recitantem ex obligatione horas Canonicas teneri proferre ita distinctè, & clarè verba, vt se ipsum audire possit. Qua ex sententia infert Quartus 1. parte, tit. 16. dub. 2. fore æquè probabiliter invalidam pronunciationem formæ consecrationis non audibilem ab ipso Sacerdote; & ideò qui sic pronunciaret, peccaturum grauiter, vt qui se exponeret periculo valde probabili consecrationis irritæ.

518 Hæc tamen illatio meo iudicio non est legitima, nam sicut ex recitatione tam secreta Officij Canonici insufficiente ad præceptum Ecclesiæ implendum non deducitur, ipsam in se non futuram vlla ratione vocalem, & sensibilem, ita neque deducitur nullitas in consecrationis forma, quæ tam secretè pronunciaretur, si adhuc sit aliqua ratione vocalis, & audibilis. Et potest quidem non esse audibilis ab ipso pronunciante, secus ab alio acutissimi auditus. Sed videtur non posse componi, quòd verba consecrationis formentur inter labia, & dentes, sonusque vocis extra prodeat, & quòd talis sonus non sit humanitus audibilis ab aliquo, cuius acutissimus auditus applicaretur proximè. Idque satis est ad sensibilitatem, quam habere debent formæ Sacramentorum, ne reipsa sint irritæ, vt colligitur ex dictis a me in Disput. 5. de Eucharistia, num. 31. & 32. circa sensibilitatem materiæ consecrandæ. Quãquam si neque ipse pronuncians, neque alij adstantes audiant formam, quæ profertur, neque ex aliquo externo signo, vt ex motu labiorum, cognoscant eius prolationem vocalem, deerit illis argumentum, & indicium, quo possint esse securi de requisitis vocibus ad formam.

519 Quapropter quidquid sit de sententia, ex qua argumẽtarur Quartus, & an eam defendant quotquot allegantur à Castro Palao, & quidquid sit de contraria, quæ multos etiam, & graues patronos adepta est, cẽseo quartò, si verba consecrationis non ita proferantur, vt possint audiri ab ipso, qui profert (dummodò nec surdus sit, nec detur impedimentum aliquod extrinsecum) peccari, lethaliter eo quòd præceptum Rubricarũ in materia hac grauissima obliget sub mortali. Rursusq; exinde, quòd vniuersim ad formas Sacramentorum clarè, & distinctè pronunciandas, voceque communiter, & ordinariè per se audibili obligentur grauiter Ministri.

520 Adestque manifestum discrimen inter formam consecrationis, & alias orationes vocales præscriptas ab Ecclesia, nam ea forma dirigitur ad id, vt verbis demonstret apud homines præsentiam Christi sub speciebus; aliæ autem orationes vocales diriguntur ad Deum, quẽ sine verborum sono possumus alloqui. Vnde nisi Ecclesia præscripsisset certa quædam verba pronuncianda, sufficeret oratio mentalis. Et quando horæ Canonicæ recitentur priuatim, & extra Chorum, ac sine socio, probabile est, non dari grauem obligationem recitandi voce per se audibili ab eodemmet recitante. Qua ex probabili sententia inefficaciter arguetur ad formam consecrationis, vt satis patet ex dictis.

521 Quoad alia Missæ censeo quintò, improbandam non esse opinionem Nauarri de Oratione Cap. 19. numero 88. Tamburini Lib. 2. Cap. 9. §. 2. & aliorum asserentium, posse citra peccatum mortale recitari tam submissa voce, vt neque ab ipso Sacerdote audiri queant, nam verba sic formata

sufficiunt, vt recitatio Missæ sit externa, & sensibilis.

522 Debere autem sic externam, & sensibilem esse, nec posse absque peccato graui esse purè internam, & mẽtalem, censeo quintò, quia Ecclesiæ præceptum de Missa integrè dicenda non est de recitatione interna, & mentali, sed de externa, & verbali, nec enim Ecclesia præcipit actus merè internos, neque de illis iudicat. Et iuxta Cap. 14. de Pœnitentia, Distinct. 1. *Cogitationis pœnam nemo patitur*: vnde non punitur, qui iniurias contra aliquem mente concipit, secus qui dicit, & ore profert, *l. Si non conuitij 5. Cod. de Iniurijs.*

523 Confirmatur exemplo horarum Canonicarum, quarum præcepto non satisfit per recitationem mẽtalem, vt contra Nauarrum tenent communiter Theologi; iudicioque Emmanuelis Sà V. *Horæ Canonicæ* n. 11. *tutum non est mente sola dicere*: & ex censura Suarij, Thomę Sanchez, atq; Baldelli tomo 2. Lib. 3. Disput. 34. num. 16. probabile practicè non est. Ipseque Nauarrus Cap. 19. de Oratione, num. 88. retractauit quod in priori editione docuerat, dixit enim, [Consulendo tamen longè verius videtur, omnem orationem publicam, etiam secretò dicendam, requirere verba saltem secretò inter dentes, & labia formanda. Tum quia omnes Canones, & statuta Breuiariorum habent, vt dicantur; & nulla, quòd mente tantùm concipiantur. Tum quia propriè aliud est dicere, & aliud cogitare. Tum quia significant, aliud esse agendum de his, quæ in primo, vel secundo *Memento* sunt concipienda, & aliud de his, quæ sunt secretò dicenda. Tum quia nemo auderet asserere, quòd sufficeret, verba consecratoria concipere mentaliter, licet sufficeret secretò, ita vt nemo illa audiat.] Ita Nauarrus, legendus etiam Cap. 20. num. 14. Cuius antiquior sententia, si ad formam consecrationis se extendebat, fuit omnino falsa, vt supra adnotaui.

524 His tamen non obstantibus, potest Summus Pontifex dispensare, vt, excepta forma consecrationis, recitentur in Missa mentaliter cætera omnia, quæ secretò dici iubentur, & similiter vt Horæ Canonicæ ex parte, vel ex toto mentaliter solùm persoluantur. Dispensasse que de facto Leonem Papam X. cum Franciscanis, existimant permulti moti quadam eius cõcessione, *vt, ne fratres mutuò se impediãt in Officio diuino, aut alijs sint fastidiosi, quòd illa, quæ in Ordinario iubentur dici Secretè sub silentio tam in horis Canonicis, quàm etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mẽtaliter, aut legendo intra se per librum, quia aliqui deuotiùs sic dicunt, & absque impedimento, & fastidio aliorum: & eodem modo possit facere, qui dicit Officium per se solus, cum prolatio verbalis sit præcipuè, vt ab alijs intelligatur.* Extat hæc concessio inter viuæ vocis Oracula Leonis X. n. 12. apud Emmanuelem Rodriguez in Bullario, & in tomo 1. qq. Regular. q. 42. art. 4.

525 Videturque, non fuisse merum viuæ vocis Oraculum, cum interuenerit signatura Papæ, vt obseruat Cardinalis de Lugo Lib. 3. Resp. Moralium, dub. 17. num. 3. Et quanuis fuisset merum viuæ vocis Oraculum, ait Leander 2. parte de Sacramentis Tract. 6. Disput. 13. quæst. 19. non comprehendi sub reuocatione Gregorij XV. & Vrbani VIII. quia fuit confirmatum per Bullam à Pio V. & quia est declaratiuum Iuris communis. Nec ipsum legerunt benè Scortia Theoremate 322. in Selectas Summorum Põtificum Constitutiones, Quartus parte 1. tit. 16. dub. 3. in fine, siquidem primus dicat, Leonem X. tantùm concessisse, [vt submissè dicerent; aliàs consecratio fieri posset mentaliter: quod falsissimum est.] Et secundus affirmet, [non extendi ad recitationem Missæ, nec vnquam fuisse pro Missa vsu receptum.[Sed certè Leo concesserit, *vt satisfaciant dicendo mentaliter*, & loquutus est de *illis, quæ in Ordinario iubentur dici secretè sub silentio tam in horis Canonicis, quàm etiam in Missa.* Neque de forma consecrationis potuit à Papa concedi, neque peti, neque intelligi à sapiente aliquo.

526 Bruno Chassaing parte 2. Tract. 8. Cap. 3. propos. 5. complacet nimis in hoc privilegio, de quo ait, [esse potiùs Iuris communis explicationem, quia præceptum de recitando Officio est tantùm de illo dicendo. Sed ille, qui mente dicit, verè dicit Officium;

cium; verba enim mentalia sunt verba verissima: alioquin Filius Dei non esset Verbum Patris.] Complacet; inquam, nimis, quia alioquin verba mẽtalia essent sufficientia ad formam consecrationis. Et de Filio Dei notissimũ est, non esse Verbum vocale; quo sensu de verbis nunc agimus.

527 Addit Chassaing [motus labiorum non est tanti momenti, vt obligationem sub lethali inducat, cum abundè ijs defectus suppleri possit per maiorem attẽtionem, & deuotionem.] Sed contra, quia motus labiorum magni est momenti in formis Sacramentorum. Neque eius defectus suppleri valet per maiorem attentionem, & deuotionem, quando quis non est excusatus ob ægritudinem, aut ob aliam causam rationabilem ab adimplendo præcepto Ecclesiæ de horis Canonicis recitandis. Et Chassaing eò declinat, vt promoueat antiquatam opinionem Nauarri. Imò adeò declinat, vt relinquat sub dubio, an sit peccatum veniale, si Officium diuinum dicatur tantùm mẽtaliter.

528 Cardinalis de Lugo suprà, num. 4. post exquisitum eius priuilegij examen aduertit primò, etsi in illo agatur de Missa, non tamen vt celebrata à Sacerdote in altari, sed vt audita in Choro à Fratribus, quibus permittitur, vt inter assistendum Sacro dicant mentaliter, quę iuxta suum Ordinarium debuissent dicere secretò vocaliter; permittiturque ea mentalis recitatio, ne mutsitatione precum se se mutuo perturbarent, sibique inuicem essent fastidiosi. Quare illud priuilegium non fauet Sacerdoti celebrãti in altari. Aduertit secundò, vt & Pellizarius in Manuali Regularium, Tract. 5. Cap. 8. sect. 2. num. 71. dum permittitur dicentibus Officium per se solos, vt recitent mentaliter, non fieri permissionem respectu totius Officij, sed tantùm respectu eorum, quæ in Ordinario suo iubentur dici secretè sub silentio; quæ pauca certè sunt in Breviarijs siue ipsorum, siue aliorum. Vnde priuilegium illud non deseruit, vt totum diuinum Officium dicatur mentaliter ab his, qui priuatim, & extra Chorum recitant. Hæ aduertentiæ videntur mihi satis genuinæ; nec ego auderem fiducia illius priuilegij, etsi à Reuerendissimo P. N. Generali fuisset eius vsus communicatus Societati, dicere mentaliter alia, quàm Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & si quę sunt alia debita recitari submissa voce ex præscripto Breviarij.

529 Approbaui præfatas aduertentias, quia conformes sunt litteræ, & contextui privilegij, non autem ex absurdis, quæ aliàs sequerentur in Missa celebrata, vt ait Cardinalis de Lugo his verbis, [alioquin Sacerdos posset nihil Canonis proferre præter verba consecrationis, & Orationem Dominicam. Orationes etiam, quæ ad oblationem panis, & vini pertinent, posset non proferre, & alia similia. Quod absurdissimum esset. Nec facilè apparet, quomodò qui eiusmodi Sacrificio adessent, Missam integram audirent; cum Missa sit actio quædam externa, & tunc magna pars Missæ externæ omitteretur, & reduceretur ad orationem mentalem, & internam Sacerdotis.] Sic Eminentissimus Purpuratus. Cęterùm qui priuilegium aliter intelligunt, ac ipse, non agnoscunt absurditatem, vt videre est in Brunone Chassaing supra Tract. 8. Cap. 1. propos. 11. V. *Item extendimus*, si dicantur mentaliter reliqua secreta præter formam cõsecrationis, & fortè etiam prę-ter oblationem, quæ spectet ad essentiam Sacrificij in aliquorum sententia. De audientibus autem Missam nulla cura eos solicitabit, nam in ordine ad audiẽtes perinde est, siue secreta dicantur mẽtaliter, siue voce tam submissa, quę ab ipsis non percipiatur. Et præceptum de audiendo Sacro non obligat penes ipsum Cardinalem de Lugo Disp. 22. sect. 2. num. 19. vt auribus verba Sacerdotis audiantur. Permissoque, & non concesso, obligare ad aliqua verba audienda, non tamen ad ea, quæ sic secretò pronuncianda sunt à Sacerdote, vt ipsemet se audiat, & à circumstantibus non audiatur: quo, *submissiùs legente, aut tacente, populi partes sunt, vt vnusquisque cum Deo loquatur,* prout admonet Concilium Colonienſe celebratum anno 1536. p. 7 Cap. 26.

SECTIO

SECTIO XXXI.

Quàm exactè pronunciari debeant verba Missæ?

530 RESPONDEO, pronunciandæ esse eo modo, qui præscribitur in Rubrica transcripta initio Sectionis præcedentis, scilicet distinctè, & appositè, non admodùm festinanter, nec nimis morosè. Possuntque huc applicari, quæ de horis Canonicis extra Chorum recitandis admonet Concilium Basileense Sess. 21 Cap. 5. *Si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, vt non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones:: reuerenter, verbisque distinctis peragant diurnum, nocturnumque Officium.* Quare sicut recitatio horarum non carebit peccato graui, vel leui, si deglutiantur, aut transiliantur integra verba in quãtitate magna, vel parua, ita similiter, & à fortiori putandum est de celebratione Missæ, vtpote quæ sit actio sacratior, & diuinior. Sicut item syncopare, abscindereque syllabas Officij diuini, est peccatum veniale, & aliquando potest esse mortale, si syncopatio adimat sensum verborum notabilium quantitate, ita similiter, & à fortiori in Missa. Et quò verba omissa, vel mutilata digniora fuerint, eò magis peccabitur. Et ex dignioribus, vt in verbis consecrationis, potest omissio, vel mutilatio tanta esse, vt irritam faciat prolationem eorum, proindeque Sacramentum, & Sacrificium siue ex toto, siue ex parte: & tunc nequit non committi enorme sacrilegium.

531 Sed evitanda sunt extrema, atque adeò ob distinctam, & appositam prolationem non sunt nimis, & affectatè articulanda verba, neque cum tanta mora, neque tantùm temporis interea interponendo, vt videantur vnam orationem non componere, provt advertit Nauarrus Cap. 16. de Oratione, num. 54. & vt audientibus sint tædio, provt cauetur in Rubricis. E contra autem, provt in eisdem Rubricis cauetur, non sunt pronuncianda admodũ festinanter, inde enim fiet, vt Sacerdos advertere non possit, quæ pronũciat,

532 De his extremis quid senserit Concilium Londinense celebratum anno 1200. gratum Lectori erit audire. Inquit itaque Concilium illud, *Cum in diuinis Officijs non sine periculo corporum, & animarum erretur, salubri prouisione consilij prospeximus, vt à quolibet Sacerdote celebrante verba Canonis rotundè dicantur, & distinctè, nec ex festinatione retracta, nec ex diuturnitate nimis protracta. Non est enim ibidiu immorandum propter insurgentes cogitationes, quæ vt muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Sic Patres illi. Crediderimque, Lectori fore non minus iucunda verba hæc Synodi Augustensis coactæ anno 1548. Cap. 18. *Vt nimia festinatio in Missæ lectione, aut celebratione religiosas aures, oculosque offendit, ita incondita prolixitas fastidium potiùs generat, quàm deuotionem. Quapropter Sacerdotibus nostræ Diœcesis deuotam mediocritatem, & toto sacratissimæ actionis tempore decorum, quod ex corporis gestu, vestium sacrarum munda compositione, ipsoque vultu eluceat, commendamus.*

533 Sapientissimus, vnàque religiosissimus Nauarrus Cap. 16. de Oratione, num. 20 suã etiam accurata censura nos instruit. Ait enim, [peccare eos, qui nimis festinè, aut nimis tardè pronunciant Missam: turbant enim, & distrahunt se, suosque auditores, & occasionem præbent, vt aliqui dicantur celebrare Missam venatorum; alios verò doctissimus ille Episcopus Parisiensis Guilielmus cereorum consumptores vocat. Quoniã verò nõnulli mediocrẽ festinationem, & tarditatẽ vocant nimiam, dico, mensorem eius rei non debere esse appetitum eam dicentis, vel audientis, sed rationem. Et quia illa dictat, ne quis adeò festinus sit in loquendo, vt à semetipso, vel alijs satis intelligi nequeat, neque etiam adeò tardus, vt sui obliuiscì, aut alia meditari videatur, is mihi legere, vel recitare Missam mediocri cum festinatione, & mediocri cum tarditate videtur, qui illam eo modo pronunciat, quo, si alicuì Principi sæculari loqueretur, vel legeret, modestus, & vrbanus censeretur. Fateor nihilominus, quandoq; aliquam festinationem, aut tarditatem esse mediocrem, quæ aliàs foret nimia. Cœpisti tardè Missam, aut coram fatigatis negotijs, vel officijs, aut iter agentibus, æquum est, ea vti festinatione

ne, quàm verborum prolatorum intellectus patitur. Facis Missam societatis S. Sacramenti suis die, & hora, aut festo die maiorem Missam, æquum est, vt tardior sis, citra tamen vllam euagationem. Nam & magnus aliquis Princeps gaudet, iusta de causa, quê æquo, & lito sibi festinantiùs loqui. Cæterùm vt Princeps non gaudet, sibi quem ita festinanter loqui, vt quid dicat non intelligat, neque ita tardè, vt tui obliuiscì, vel alia meditari videatur, ita Deo non est grata festinatio, quæ impedit intelligentiam eius, quod dicitur; neque tarditas, quæ obliuionem, vel distractionem illius inducit.] Hactenus Nauarrus, cuius verba, etsi longa, non sine piaculo truncarem, cum sint ad rẽ præsentem aptissima, præferantque facem doctrinæ tradendæ in Sectione sequenti.

534 Vitatis itaque extremis, proferantur verba distinctè, appositè, & *studiosè*, idest, sine syncopa: quo modo Glossa interpretatur adverbium *studiosè* vsurpatum in Cap. *Dolentes* 9. de celebratione Missarum, vbi præcipitur, *celebrari diuinum Officium nocturnum, pariter & diurnum studiosè, pariter & deuotè*. Refertque ex quibusdam P. Sà V. *Missa*, num 50. *Missam debere celebrari* cum *A. B. C. D. id est, altè, breuiter, clarè, & deuotè*. Idemque dictum non illepidum legitur apud Viualdum in Candelabro aureo parte 1. num. 115. de Eucharistia. Quibus ex litteris C significat claritatẽ, distinctionemq; in pronũciando integrè. Eis autem addidit Gauantus in Rub. Missalis parte 3. tit. 11. num. 13. litteram *E*, id est, exactè, seu exquisitè ad Rubricas. Nec mirum, cũ tot requisitis tam in verbis, quam in gestibus celebrandam esse Missam, *nam si agendis ministerijs Regis studiosissimam homines curam impendunt, quantam putas, æterni Regis ministerijs curam impendendam?* vt ponderat S. Bonaventura in Speculo disciplinæ, particula 2. C. 11.

535 Inter cætera Missæ maiori cura sunt pronunciandæ verba cõsecrationis, & alia Canonis. *Error enim, qui in omni parte Missæ est grauis, in Canone grauior, in ipsa verò consecratione grauissimus*, vt ait Concilium Mediolanense 1. parte 2. Constitutionum, titulo de pertinentibus ad celebrationem Missæ. Sed monet Durandus Lib. 4. Rationalis, Cap. 35. num. 9. [ne muscæ morientes perdant suauitatem vnguenti, dici posse, quòd Canon dici debet expeditè, non morosè; & ne auditoribus tædium generet. Vnde in Exodo dicitur, *Fac festinanter*, quod de immolatione agni dictum est. Et probatur etiam ibi: *Et comedetis festinanter*. Sed nec nimis etiam festinanter, quia non debet Sacrificium sine sale, id est, discretione, & deuotione offerri. Debet etiam in libro legi, ne vllus error contingere possit.] Sic Speculator post Ioannem Belethum in Explicatione diuinorum Officiorum Cap. 119. in fine. Consonatque Angelus in Summa, V. *Missa*, §. 37.

536 Oratio etiam Dominica proferri debet accuratè; eaque antiquitus vocata fuit periculosa, quia olim in Missa cum tanta reuerentia, & cautela recitabatur à Sacerdotibus, vt grande piaculum se admisisse crederẽt, si inter recitandum vel leuiter titubassent. Ita apud Hugonem Menardum in Sacramentario Gregoriano pag. 256. ex Pœnitentiali Romano transcripto ab Halitgario Episcopo Cameracensi Cap. 10.

537 Et hęc de pronunciatione. Pudeatque Sacerdotes Christianos si non tanta cum exactione proferant verba in hoc diuinissimo Sacrificio, quantam adhibuit Metellus Pontifex Gentilis in eis certis, & solemnibus dicendis, quę ad dedicationem ædis Opiferæ spectabant, cum enim inexplanatę esset linguæ, multis mensibus tortus est, ea præmeditando, vt narrat Plinius Lib. 11. Hist. naturalis, C. 37.

538 De accentibus in verbis Missæ nihil præscribunt Rubricæ. Sed expedit, vt nec quoad illos vllus lapsus contingat. Perfecti Sacerdotis est, ne in vno quidem accentu errare. Et qui hæc, & similia alia velut minutias contemnunt, audiant quid Alexandro danti in pueritia operam citharæ respondent præceptor artis; cum enim subinde moneret, quam chordam, quo modo pulsare deberet, & puer parùm obsequens doctori dixisset, quid si hãc pulsarem? Citharœdus lepidè respondit; si istuhc quæris, tanquam mox Rex futurus, nihil refert; si vt artifex futurus, plurimùm interest. Sic Sacerdoti, qui omnibus numeris absolutus esse vo-

lit

lit in sacratissima Missæ functione, multùm refert, si nec in syllaba, nec in littera, nec in accentu deficiat.

539 Quando autem Sacerdos in his errarit ex ignorantia, & inscitia, *nouerint* peritiores, qui adsint, *non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum. Ita enim non irridebunt, si aliquos Antistites, & Ministros Ecclesiæ forte animaduerterint, vel cum barbarismis, & solœcismis Deum inuocare, vel eadem verba, quæ pronunciãt, non intelligere, perturbatèque distinguere. Non quia ista minimè corrigenda sunt, vt populus ad id, quod planè intelligit, dicat Amen; sed tamen piè toleranda sunt ab eis, qui didicerunt, vt sono in foro, sic voto in Ecclesia benè dici. Itaque forensis illa nonnunquã fortè bona dictio, nunquam tamen benedictio dici potest.* Quæ sunt verba S. Augustini L. de Catechizandis rudibus C. 9.

SECTIO XXXII.
Num longum, vel potius breue tempus insumendum sit in Missa?

540 RECTA methodo punctum hoc succedit post pertractatum in Sectione superiori, & vtriusque examine elucidabitur magis Rubrica ibi transcripta. Atque in primis habenda est præoculis admonitio illa Venerabilis Thomæ à Kempis L. 4. de Imitatione Christi Cap. 10. [Nõ sis in celebrando nimis prolixus, aut festinus, sed serua bonum communem modum cum quibus viuis. Non debes alijs generare molestiam, vel tædium, sed communem seruare viam secundũ Maiorum institutionem, & potiùs aliorum seruire vtilitati, quàm propriæ deuotioni, vel affectui.] Expedit itaque, Sacerdotem non esse tardum, neque celerem in Missa celebranda coram populo. Et quanvis [in ea ætate viuimus, in qua plus nimio istud præceptũ de Sacro sine prolixitate faciendo obseruamus; & ne populo tædio simus, cum scandalo, & iactura spirituali ipsius populi festinanter, & indeuotè satis mysteria diuina peragimus,] vt ait Theologiæ Mysticæ magnus Præceptor P. Iacobus Aluarez de Paz tomo 2. de Vita spirituali Lib. 3. parte 4. sect. 1. Cap 7. adnotabo nonnulla contra cunctationem.

541 Guilielmus Parisiensis Cap. 44. de Rhetorica diuina ita contra eam fatur, [Propter hoc dicit Beatus Bernardus, quòd oratio debet esse breuis, & pura, non quia prolixitas, & longitudo orationis Deo displiceat, nisi vbi prolixitas alijs impedimentum etiã præstat orãdi. Sicut notũ est tibi de quibusdã Sacerdotibus, cereorũ consumptoribus, qui Missas adeò longas faciunt, quòd tædio prolixitatis suæ corda circumstantium & à gratia deuotionis arefaciunt, & ipsam refectionem spiritualem, quam in Missa percipere debent, in molestiæ amaritudinem eis vertunt. De his igitur potest conqueri populus Missis circumstans, & dicere, Dederunt in escam meam fel. Stultitia igitur huiusmodi hominum hæc est, vt pro pugillo deuotionis, quod eis in Missis tribuitur, totius populi deuotionẽ auferunt, & protribus, vel quatuor (vt ita dicam) lachrymis compunctionis, vel deuotionis vasa magna, id est, corda deuotè, ac lachrymosè orantium effundãt. Ibi igitur breuis debet esse oratio, vbi breuitas eius deuotioni aliorũ orantium militat, & deservit ::: Vidi multos prolixitate Missarum adeò obstinatos, vt potiùs eligerent Missas huiusmodi non audire, quàm prolixitatis tantæ molestiam sustinere.] Sic admodùm pius, & doctus Guilielmus Parisiensis Episcopus.

542 Approbatur autem in hac prolixitatis reprehensione à Gabriele in Canonẽ Lect. 56. lit. *D.* qui advertit, Guilielmum loqui de Sacerdotibus celebrantibus in publico coram populo, vt & Ioannes Maior in 4 Distin. 13. quæst. 4. vbi ait, [sit homo non nimis longus in Missa, quam multi audiunt, ne pro sua parua deuotione arsditatẽ, & nauseam det alijs ::: Secus est de Missis in secreto celebrandis.] Nauarrus etiam adductus num. 533. Iulius Mazarinus Discursu 99. super Psalmum 50. pag. 563. Panigarola in Concione feriæ secundæ hebdomadæ maioris, Theophilus Raynaudus in Laude breuitatis sect. 1. Cap. 14. commendant Guilielmi dictum. Rursusque Nauarrus Cap. 17. num. 44. obiurgat eos, qui *Memento* nimis prolixa faciunt. S. Thomas Archiep. Cantuariẽsis laudatur à Ioanne Episcopo Carnotensi in processu vitæ ipsius, [quòd in Sacramentali Dominici corporis perceptio-

ne

ne sacratissimus Antistes non tardus, non morosus, non nova, præter quàm sunt in Canone constituta, adiungebat.]

543 E contra autem oportet, Sacerdotem non esse celerem in Missæ functione sacratissima. *Nam si tanto mẽtis ardore quælibet preces dicendæ sunt, quãta putamus deuotione sacrosanctum Missæ ministerium, in quo corporis, & sanguinis Dominici Sacramenta tractantur, conficiunturque, peragendum est?* vt ait Concilium Coloniense celebratum anno 1536. p. 2. C. 9. Ægrè fœderari potest festinatio cum debita pronunciatione verborum, cum perfectione requisita in actionib⁹, cum aduertẽtia necessaria tam ad verba, quam ad actiones, tandemque cum ædificatione adstantis populi. Vnde nimia brevitas non potest non cedere in irreverentiam, & dedecus tanti Sacrificij, neque potest non ingenerare notam, atque scandalum apud eos, qui præsentes sint.

544 Atque hinc hortabatur Sacerdotes Synodus Vvladislaviensis p. & tit. 2 *Eucharistiam in Missæ Sacrificio reuerenter tractent, vt populus rem sacram illos agere intelligat. Absit nimia celeritas, & festinatio, absint motus indecori, gyrationes, & inuersiones sacræ hostiæ: quæ siue attollenda sit in altum, siue paululum erigenda, siue cruces faciendæ, graviter id, religiosèque fiat. Sciant Sacerdotes, se in conspectu Dei, & sanctorum eius Angelorum tractare, Christumq; præsentem suis manibus adstare. Itaque videant, ne quid admittant, quod non deceat.* Similiterque Concilium Prouinciale Cõpostellanum habitum Salmanticæ anno 1565. Actione 2. Decreto 13. dicebat, *In cæremonijs, quæ in cultu diuino fiunt, ea debet puritas inueniri, vt fidei, quam profitemur, & internæ deuotionis indicia præferant.* Grauissima sunt ad hanc rem verba Concilij Tridentini Sess. 22. in Decreto de Obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, *Quãta cura* (sic illud Concilium) *adhibenda sit, vt sacrosanctum Missæ Sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facilè existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris cum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quòd si necessariò fatemur, nullum aliud opus adeò sanctum, ac diuinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium, quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, vt, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotionis, ac pietatis specie peragatur.*

545 Mihi quidem attendenti ad hæc Concilij Tridentini verba credibile valde est, peccare posse graviter admodùm Sacerdotes ob nimiam festinationem in operatione diuinissima omniũ, quę à mortalibus obiri queunt, quia ob præproperam agendi rationem facilè continget omittere plura, quæ dici, & fieri præcipiantur sub pœna peccati lethalis. Et licet nihil truncetur, tanta esse irreverentia potest in præcipitatione, vt iure censere deberet Theologus quisque doctus, & pius reos corporis, & sanguinis Domini eos, qui nimiùm celeres essent. Si enim celebrare in vestibus nimiùm dilaceratis, aut cum notabili immunditia reputatur à Theologis irreligio gravis, & enormis, quantò maior existimari deberent verba deuorata, & deglutita, fædę, & mimicę gesticulationes, cęcę, & inconsideratæ in sacris actionibus circa Christi corpus, & sanguinem properationes, in quibus Christi hinc, inde raptari, sursum, deorsum impetuosè acti, supra altare proiecti maiestas infinita non adoranda hominibus proponeretur, sed despicienda? Quid enim in humanis sic tractatũ videremus, quod nõ iudicaremus contẽptibile? Aut quis sanctum, diuinumq; credi putaret ab præcipitibus illis cursoribus mysteriũ, quod adeò tumultuariè, & indecorè peragant? Scandalosi ergo hominibus essent, sacrilegi in Deum, & præsentis Christi maiestatis ipsæ rei.

546 Præclarus ille diuini verbi in Andalusia præco, Venerabilis P. Ioannes de Abila, cum assisteret Sacro, quod vnus illorum non tam celebrabat, quàm dehonestabat, Christum irreligiosè tractando, accessit propiùs, monuitque his verbis, *Tracta benè, est enim filius optimi patris.* Quæ sanè meditatio, si altè esset infixa Sacerdotum mentib⁹, sufficeret vtique, vt cum decoro, grauitate, & maturitate conuenienti sacrosanctum istud, & tremendum Sacrificium conficeremus. Sed de hoc plura Antonius de Molina Carthusianus in

egregia Instructione Sacerdotum T. 3. C. 11. & seqq. Antonius Caracciolus in Synopsi ueterum rituum p. 1. C. 9. n. 1. deplorans cum Bellarmino nimiam Sacerdotum in sacrificando celeritatem, Angelus Maria Verricelli in qq. Moralibus Tract. 8 q 53. Molfesius in Sūma Tract. 3. C. 10. ad finem, Quartus p. 1. tit. 16. dub. 6. diffic. 1. Scortia L. 2. de Miss. C. 19. n. 1. Et ante illos scripsit Illustriss. Archiepiscopus Granatensis, prudentiæ, & sanctitatis fama satis notus, D. D. Ferdinandus de Talabera in Tract. de Confessione, peccare eum Sacerdotem, qui dicit Sacrū sine pausa, & quiete, quæ decet tam altum ministerium. Legi hoc Opusculum cum alijs eiusdem Authoris ex veteri editione lingua vernacula Hispana in Bibliotheca insigni nostri Collegij Imperialis Madritensis.

547 Sed dicet quis primò, vna ex conditionibus Missæ est, vt sit brevis iuxta dicta supra ex proloquio illo de eius celebratione cum *A. B. C. D. E.* in quo lit. *B.* denotat brevitatem. Respōdeo, denotari brevitatem, quę prolixitati opponatur, non verò quæ sit festinatio, & quæ cum Integra prolatione verborum, cum exacta observātia omnium cæremoniarum, & cum devotione ægrè advnari queat.

548 Dicet secundò, si Sacerdos celeriter celebret, erit minus periculi, ne animus evagetur, & ne phantasia huc, & illuc volet. Respondeo, quin Sacerdos in prolixitatē declinet, habere satis occupationis, vt quanuis absque festinatione celebret, contineat animum, ne distrahatur, & phantasiam, ne oberret. Si Sacerdos decenter pronunciet verba, & accuratè exequatur cæremonias præscriptas, applicetque mentem ad earum sensum, & ad mysteria significata, præcludet aditum muscis prætervolantibus vanarum cogitationum. Licet autem vna, vel altera musca irrepat, minus malum est, quàm ex consulto ita præcipitare Sacrum, vt neque in principio, neque in medio, neque in fine adsit attentio religiosa (quę necessaria est) conditioque pronunciationis rectæ, & exactæ observantiæ cęremoniarum.

549 Dicet tertiò, ni Missa festinanter peragatur, fideles ad eam cōuenientes impediūtur ab alijs negotijs honestis, quibus post assistentiam ad Sacrum, par est, vt incumbant; concipiūt etiam fastidium, & tædium; daturque eis occasio, vt vel Missam incœptam omittant, vel in posterum nō redeant audituri alias, illius saltem Sacerdotis, qui celer non est. Respondeo, hæc incommoda vrgere contra Missas iusto longiores. At si adstantes vellent iusto breviores, curandum de illis non est, vt qui cuperēt inordinatum quid, vergensque in dispendium divini cultus, & maturitatis, ac devotionis, cum qua æquum est litari a Sacerdote. Agat hic quod agit, & habeat suique deque, si interessenti alicui indevoto, aut nimiùm distento temporalibus curis nauseam emoveat. Est enim scandalum acceptum, non datum, etiam si Sæcularis vel in festo de præcepto omissurus esset Sacrum, nisi quod celebraretur, esset venatorum, & *de por la posta*, vt dicitur.

550 Attendant tam Laici, quàm Sacerdotes ad hæc S. Augustini verba in Serm. 251. de Tempore, *Adhuc quoq; quod valde dolendum est, conqueri vobiscum volo, quia sunt aliqui, & maximè potentes istius mundi, qui, cum veniunt ad Ecclesiam, non sunt deuoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt Presbyterum, vt abbreuiet Missā, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet, morem Ecclesiasticum sequi propter illorum gulam, & auaritiam, quatenus vnus punctus diei ad Dei Officium, & reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluptates. Nolite, fratres mei dilectissimi, hæc facere, nolite hæc facientibus consentire; quia non solùm qui hæc faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, pereunt.* Admonitio ista vtilis magnoperè erit, ne Sacerdotes ob importunas, & futiles Laicorum preces, supplicationesque sub prætextu instantium negotiorum breuient Missam, & decurtent. Idque magis caveri debet à Sacellanis nonnullorum Magnatum, qui cum noctē in diē convertant, vigilando inutiliter vsque ad gallicinium, cumque lucem in tenebras permutent, stertendo vsque ad meridiem, & vltra, volunt, vt Capellani decurrant posteà Missam de qua ob brevitatem Hispano nostro idiomate dicatur nec fuisse visam, neque auditam.

551 S. Anastasius Sinaita in Oratione de Sacra Synaxi acriter etiam reprehendit

prehendit Laicos, qui longas Missas fastidiunt. [Magna est (inquit) cęcitas nostra, ingens socordia. Non reperitur apud nos compunctio, non timor Dei, non morum emendatio, non pœnitentia: sed tota mens nostra cōversa est ad malitiam, ad voluptates, ad ebrietatē. Et sępè fit, vt integros dies in theatris, & turpiloquio, & reliquis Diaboli operibus occupati non defatigemur; cibo, domo, cęterisq́; rebus necessarijs propter vana illa, & ludrica contemptui, & neglectui habitis. At in Ecclesia Dei ne vnam quidem horā orationi, & lectioni dare, Deo vel ad stare volumus; sed ab Ecclesia quā primū, non secus ac ab ardente rogo, expediri contendimus, & si de divino Evang. longior instituatur recitatio, indignabundi circumstamus. Et si Sacerdos preces paulò diuti⁹ protrahat, tristitia afficimur; socordesq́; efficimur. Et si is, qui incruentum Sacrificiū offert, vel paululū cunctetur, fastidimus, & oscitamus: & tam paucis ab oratione, quā à tribunali liberari studemus, vtq́; ad vanas actiones, voluptatesq́; nos recipiam⁹, a Diabolo impellimur. Grandis est miseria nostra, Charissimi. Etenim cum in omni oratione, & obsecratione spiritu ardere, eximiè autem tunc, cum immaculata mysteria peraguntur, & immolātur cum timore, & tremore adsistere deberemus in tali, & tanta Synaxi: neq́; hoc, quod nostri officij ratio exigit, præstamus, sinceris precibus in spiritu contrito, & humiliato; sed res, causasq́; nostras forēses, multarumq́; & inanium rerum administrationes, cum ad sacrā Synaxim accedendum est, perficimus.] Sic S. Sinaita.

552 Dicet quis quartò, fructus eò citi⁹ colligetur è Missa, quò brevior hæc fuerit, nam fructus ex opere operato Sacrificij non obtinetur, quandiu illud nō est perfectum saltem essentialiter. Respondeo, accelerationem fructus provēturi ex opere operato Sacrificij compensari per fructum derivatū ex opere operātis rei divinæ maiori cū devotione, longioriq́; cū oratione, vt notat Margallus in Expos. Rub. de Celeb. Mis. V. *Ad secundum respondetur.* Et alioqui si ob anticipandum fructum ex opere operato liceret, cursim dicere Missam, fas ęquè esset, prętermittere antecedentia omnia ad consecrationē, præferreq́; sola cōsecratoria verba; fas itidem esset, si quis vesperè obeat, non expectare tempus assignatū ab Ecclesia pro inchoatione Mis. sed antevertere illud facereq́; Sacrum hora v. g. octava post meridiem.

553 Dicet quintò, iussum à Deo fuisse, vt Sacrificium agni, eiusq́; comestio fieret festinanter, Exodi 12. V. 11. Sacrificium autem illud erat figura Eucharistici. Respondeo, specialibus de causis agnū fuisse mactatum, & esū festinanter prima vice, instabat quippe exitus ex Ægypto; Deumque voluisse observari idem ipsum ab Hebręis in posterū, vt iugem recolerent memoriam festinati exitus illius: quæ causæ cum non militent in celeb. Missæ arguitur inefficaciter ex eo exemplo. Vt omittā allegoricos sensus festinationis in immolatione, & comestione agni, qui facilè accōmodari possunt Sacrificio incruento Missæ sine præcipitatione in ipso peragendo.

554 Dicet sextò, Apostolos breuissimè sacrificasse, quia *mos Apostolorū fuit, vt ad ipsam solūmodò orationem Dominicam, oblationis hostiam consecrarent*, vt ait S. Greg. Mag. L. 7. Epist. 63. id est, vt præmissa tantū oratione Dominica proferrent cōsecrationis verba. Affirmant idē ipsum ex authoritate S. Gregorij Hugo Vict. Vvalafridus Strabo, Honorius Augustod. Amalarius, Radulfus de Rivo apud Raynaud. de 1. Missa, S. 2. C. 4. pag. 306. & apud Vicecomitē Volum. 3. Obseru. Eccles. L. 3 de antiq. Mis. rit. C. 24. Respondeo primò, si Ecclesia in conficiendo Sacrif. Missæ non addidisset alia, quā quibus Apostoli vsi sunt, æquum fore, vt & nunc modico tempore absolveretur. Sed quæ adiecit Ecclesia, & modus quo ex eius pręscripto dicēda sunt, & agenda, exigunt non breve spatium.

555 Respondeo secundò, etsi pauca fuerint, quę Apostoli sacrificantes dixerint, & egerint, sed non festinatò, & præcipitāter, quin potiùs maturè, & spatiosè, vt colligitur ex Act. 2. V. 42. quo loci de fidelibus dicitur, *Erant autem perseuerātes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*; rursusq́; V. 46. *Quotidiē quoq; perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum*: quibus in verbis nomine *fractionis* intelligitur communi-

ter à PP. & Interpretibus Sacrificium peractum ab Apostolis, & communio diuinæ Eucharistiæ præbita fidelibus: vt videre est in Raynaudo supra, sect. 1. C. 4. pag. 37. & 38. necnon in Alfonso Vazquez de Miranda Discursu 1. de tribus Missis, Cap. 3. vbi timidè adducit vtrumque testimonium, vt inducat repetitionem Sacrificij ab vno, eodemque Apostolo in diversis domibus vno, eodemque die. Sed id non habet vllum fundamentum in textu, neque in Patribus; sicut neque quòd vnus, idemque fidelis vno, eodemque die distinctas ædes frequentãs iteraret communionem. Scripserat Cap. & n. 1. videri esse conformiorem repetitionem Sacrificij eodem die, ab eodemque Sacerdote verbis Christi Dñi directis ad Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores, *Hæc quotiescumq; facietis*, &c. Allegat Suarium tomo 3. in 3. partem Disp. 69. Sectione 3. & Petrum Anellum Persicum de primo, ac præcipuo Officio Sacerdotis Lib. 1. Cap. 5. dubio 9. num. 58. Sed Suarius in ea Disputatione, & in 80. (quæ aptior locus erat ad cõsiderationem illã) tale quid non dicit; Persicum ad manus non habeo nunc: magnamque agnosco difficultatem in eo, quòd Ecclesiæ præcepto, vel consuetudine graviter obligante prohibita sit nunc præfata repetitio, quæ tamen ex prudenti iudicio videatur conformior verbis Christi. Fingamus, quem pro solo suo libito velle in die quolibet bis sacrificare. Posset conqueri de prohibitione, de fẽsareque suam iterationem, vtpote cõsonantiorem verbis Christi, & vt dixit Sanctus Cyprianus Epistola 63. *Si nec minima de mandatis Domini licet soluere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ Passionis Sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud, quàm quod diuinitus institutum sit, mutare?* sic ipse posset dicere de non infringenda insinuatione verborum Christi quoad præfatam iterationem, & de non mutanda in vnam tantùm celebrationem. Præterea si eis verbis conformior esset repetitio Sacrificij eodem die, ab eodemque Sacerdote, similiter eisdem ipsis & eis aliis Pauli, *Quotiescumque manducabitis panem hunc*, &c. 1. ad Cor. 11 Vers. 26 congruẽtior foret iterata communio eodem die ab eodem Laico; cum tamen communicare sæpiùs eodem die, nusquam fuerit in Ecclesiâ vsitatum, vt advertit Suarez Disput. illa 69. sect. 3. V. *Ad secundum respondetur*, impugnans hæreticos, qui ob non bene intellecta verba Christi *Hoc facite*, dixerunt, Laicos teneri toties communicare, quoties assistant Missis. Quare adverbium *Quotiescumque* nullatenus significat vt sibi convenientiorem multiplicatam celebrationem, & communionem eodem die ab eodem Sacerdote, aut Laico, sed quòd semper ac sacrificetur, & cõmunicetur, siue semel, siue pluries in anno, vel in mense, vel in die, siue a singulis, siue ab omnibus, fiat in memoriã Christi. Omitto, verba Christi fuisse, *Hoc facite in meam Commemorationem*, vt tradit Concilium Tridentinum Sessione 22. Cap. 1. constatque ex Luca Cap. 22. V. 19. & 1. ad Cor. 11. Vers. 24. & 25. dictaque ab ipso post singulas consecrationes; sed Ecclesiam ad Canonem Missæ permutasse ea aptè in æquivalentia illa *Hæc quotiescumque*, &c. quæ pronunciantur solummodò post consecrationem calicis. Et hæc de incidenti puncto.

536 Iam ad quintam obiectionem respondeo tertio, S. Proclum Patriarcham Constantinopolitanum in traditione diuinę Liturgiæ exstitisse aliter, ac S Gregorius. Inquit enim, *Postquàm Seruator noster in Cælum assumptus est, Apostoli, priusquàm per orbem terrarum dispergerentur, conspirantibus animis ad toto die orandum conuertebantur, & cum multam consolationem in mystico illo Dominici corporis Sacrificio positam inuenissent, fusiùs, & longa oratione Liturgiam decantabant. Hæc enim diuina, vnà cum docendi ratione coniuncta, cæteris rebus anteponenda existimabant, atque maiori, & alacriori rerum diuinarum, & Sacrificij sacrosancti studio, ac desiderio flagrabãt, & illud prolixè amplectebantur, quòd in memoria semper haberent illud verbum Domini dicentis: Hoc est corpus meum; & Hoc facite in meam commemorationem; & Qui manducat carnem meam, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quare & contrito spiritu multas preces decantabant, diuinum Numen impensè orantes. Enim verò tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus eos, qui recens illuminati erant, vis, qua ad gratiam consequendã faciebant, assuescentes, quæque ante donum gratiæ omittenda, docentes, cum ipsi essent vmbra gratiæ,*

piè

piè informarunt: Per has itaque preces Spiritus sancti aduentum expectabant, vt qui diuina præsentia propositum in Sacrificium panem, & vinum, aquæ permixtum, ipsum illud corpus, & sanguinem Seruatoris nostri Iesu Christi efficiat. Qui quidem religiosus ritus obseruatur ad hoc vsque tempus, & ad finem vsque seculi manebit. Hæc S. Proclus, quem cum S. Gregorio conciliare despero. Sed libentiùs præbeo fidem S. Gregorio, quin negem, Apostolos, cum per tempus, & occupationes, perque hostes Christianæ Religionis non impediebantur, sacrificasse ex longissimis formulis, quales videmus in Liturgijs SS. Petri (si legitima est, quam provulgauit Guilielmus Lindanus) Iacobi, Marci, & si quæ sunt aliæ Apostolorum. Vnde argumentum ab exemplo eorum non valet pro omnibus Missis, quas ipsi celebrarint.

557 Ipsorum successores imitati sunt Sacra protractiora, ersi a proximis continuata ea alia breviora, asseueret Vvalafridus Cap. 22. de rebus Ecclesiasticis; quod concedi potest, dummodo iam his, iam illis vsos fuisse admittatur. Sed proh dolor! *Posteri abiecta fidei feruitate, & feruore, negotijs huiusce seculi, & curis mundi mancipati, & immersi, Missæ longitudinem pertæsi vix conueniebant ad audienda Domini verba. Quare Diuus Basilius, medica quadam ratione vsus, breuiorem eam, ac concisiorem reddidit. Haud multò post Sanctus Ioannes, cui aurea lingua cognomen dedit, curam ouium, vt pastorem decet, magna alacritate animi suscipiens, atque hominum naturæ socordiam, atque ignauiam prospiciens, fibras omnes, & radices huius prætextus Sathanici prorsus auellere voluit. Quare multa præcidit, &, vt breuior esset, constituit: ne sensim homines libertatem, & otium maximè amplectentes, fallacibus, & furiosis aduersarij sermonibus decepti ab hac Apostolica, & diuina traditione deficerent: quod multis sæpe accidisse varijs in locis ad hunc vsque diem deprehendimus.* En remisso in posteris feruore spiritus, vt ait Sanctus Proclus, visum est Sancto Basilio breuiorem Liturgiam reddere, & contractiorem adhuc Sancto Ioãni Chrysostomo, vt se se attemperarent sacrificantium, & adstantium tepiditati; sed tam longam reliquerunt, quantam non facilè toleraret nostri temporis indeuotio: ideoque nunc Romana Ecclesia seruat Missæ modum multo minus diffusum. Caueant igitur Sacerdotes, ne nimia sua celeritate in proferendis verbis, & exequendis cæremonijs redigant illum ad maiores angustias.

558 Caueant etiam Episcopi, & alij, quibus erga Sacerdotes iurisdictio spiritualis competat, ne patiantur subditorum suorum præcipitationem immodestam in peragendis Sacris. Et vt constet de obligatione eam corrigendi, & extirpandi, si alicubi erumpat, (quod absit) expẽdantur verba hæc Concilij Tridentini Sess. 22. in Decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missarum, *Cum multa tam sine temporum vitio, siue hominum incuria, & improbitate irrepsisse videantur, quæ à tanti Sacrificij dignitate aliena sunt, vt ei debitus honor, & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem restituatur; decernit Sancta Synodus, vt Ordinarij locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulò curent, ac teneantur, quæ vel auaritia (idolorum seruitus) vel irreuerentia (quæ ab impietate vix seiuncta esse potest) vel superstitio (veræ pietatis falsa imitatrix) induxit.* Sic in eo Decreto. Et cum præcipitatio illa nimia foret species non modicæ irreuerentiæ contra dignitatem tanti Sacrificij, cederetque in magnum detrimentum diuini cultus, & Christiano populo ingeneraret scandalum, apparet satis obligatio Prælatorum Ecclesiasticorum ad eam corrigẽdam, & extirpandam. Imò etsi festinatio aliquorum non esset tanta, quæ pertingeret ad peccatum mortale, quia non fieret cum notabili omissione, aut confusione sacrorum rituum, sed cum leui, si tamen timeretur, ne apud cæteros in consuetudinem abiret, vulgarisque fieret cum graui damno Ecclesiæ, & cum considerabili decremento cultus diuini, tenerentur grauiter Prælati, vt obstarẽt principijs. Ita suprà Verricelli q. 54. & Quartus Diffic. 4. Non exprimit quidem Concilium Tridentinum hanc obligationem, vt neq; omnes abusus, qui contingere possunt in celebratione Missarum, sed nonnullos tantũ in exemplum, & specimẽ producit, vt de similib⁹ alijs idẽ indicium feratur. Vnde post verba exarata subiungit, *Atq; vt multa paucis comprehendãtur, &c.*

559 Porrò sicut Prælati debent corrigere nimiam festinationem, ita etiam nimiam tarditatem in Missis, quæ celebrantur coram populo, ne huic intolerabile fiat onus audiendi Sacrum die festo de præcepto, neve in ipso intepescat deuotio frequentandi auditionem Missę diebus alijs. Quę obligatio magis vrget Prælatos Sacerdotum sacrificantium in templis Parochialibus, ad quæ vt concurrat populus, ius habet. Sed & Prælati aliorum Sacerdotum tenentur ex charitate coercere indiscretam deuotionem protrahendi nimiùm Missam in publico, quando enim iam ad audiendas Missas siue de præcepto, siue ex deuotione admittitur populus in eorum templis, ratio, & charitas dictat, ne ei sint nimiùm molesti, & ne præter opinionem Laicus sentiat se adstrictum ad continuandam auditionem Missæ durantis per vnam horam, vel ad illam dimittendam, cum expectaret Missam dimidiæ horę, parùmplus, minusve.

560 Sed aduertere hic oportet primò, vt prolongandi aliquantò Missam potest dari iusta causa fundata in populi deuotione, quæ Sacerdoti sit nota, aut in necessitate, pro qua offeratur Deo Sacrificium, sic etiam posse dari iustam causam breuiandi aliquantò; sed ita vt nec in verbis, nec in actionibus ab Ecclesia præscriptis quidpiam omittatur. Pro hac animadversione legantur iterùm verba Nauarri adducta in n. 533.

561 Aduerto secundò, aliquos Sacerdotes esse naturaliter expeditiores in pronunciando, agilioresq; in manuum, cæterorumq; membrorũ motu; alios verò è contrà esse indole sua, aut ob ætatem, vel ægritudinem lentos, tardos, & morosos. Vnde prioribus minus tempus sufficiet, vt cum maturitate, & grauitate, atque cum exacta obseruantia Rubricarum quoad verba, & actiones conficiant Missam. Atque hinc difficile est designare tempus, quo nec minus, nec maius impendendum sit Sacro, quod in publico celebretur: præterquàm quòd non omnes Missæ sunt æquales in orationibus, & lectionibus recitandis.

562 Aduerto tertiò, nonnullos Sacerdotes solere esse cunctatiores in vtroque *Memento*, etsi in alijs partibus Missæ seruent conuenientem moderationem, vel alias absoluant breuiùs, vt ibi diutiùs sistant. Sed certè, vt experientia ostendit, nullius moræ in Sacro magis fastidit populus, quàm eius, quæ tunc supra modum fit, nec expedit percurrere cætera Missæ, vt longo tempore quiescatur in oratione mentali, vel in commemoratione siue viuorum, siue defunctorum, pro quibus applicatur Sacrificium, vel in petendo à Deo remedio necessitatis siue spiritualis, siue temporalis, vel in reddenda gratiarum actione pro beneficio accepto. Præstari possunt singula hæc, imò & omnia simul breui spatio. Suadetque cum Scoto Gabriel Lectione 26. in Canonem Missę ad finem, [vt Sacerdos ante accessum ad altare se recolligat, ac intentionem suam ad eos, pro quibus specialiter celebrare disposuit, dirigat, ac intentionem talem Deo offerat. Sic enim sufficiet in Missa eorum memoriam habere in communi, quia Deus oblationem, & deuotionẽ suam pro illis acceptat, pro quibus ordinauit, se velle offerre. Et ita non oportet moram facere in memoria, dum ibi intentio ad eos refertur generaliter, quorum memoria priùs habita est in speciali.] Quo medio effugiet Sacerdos, ne sibi distractio, vel circumstantibus fastidium subrepat, vt ait idem Gabriel. Et quidem ad applicationem Sacrificij, si anteà non sit facta; non opus est mora prolixiori; aliæ autem orationes, etsi tunc deuotiùs fiãt, sintque magis impetratoriæ ob circũstantiam temporis, & Missę, intra quã funduntur, attemperandę sunt, & dimetiendæ iuxta tolerantiam adstantium, qui etiam sunt offerentes, & partem habent in Sacrificio.

563 Adverto quartò, quosdam nimis immorari in Missa ob timores de minus recta pronunciatione: quosdam ob sæpe repetendam intentionem consecrandi, ne contingat proferre verba consecratoria, antequàm certi sint de ea intentione: quosdam obscrupulos de puritate conscientiæ. Sed primi, si pronuncient, vt solent, quando cum graui aliquo homine siue alta voce, siue secretò loquuntur, debent deponere vanos illos timores, nec enim Deus, aut Ecclesia aliud exigit in prolatione verborum Missæ. Secundi

frustra

frustra repetunt intentionem illam, si semel in altari conceperunt eam, & certi non sint de retractatione, nec habeāt aliud fundamentum ad persuadendum sibi, quod retractaverint, quā inquietudinem suæ phantasiæ. Imò absolutè sufficit, quod ante Sacrum habuerint eam intentionem, nec sit retractata, maneatque virtualiter. Quarti sciant, quod ait Sanctus Bonaventura super 4. Dist. 13. in expositione litteræ dub. 1. *Sanum consilium est, quòd homo se ante diligenter præparet, & in Missa non cogitet de se, sed magis de Sacramento.*

SECTIO XXXIII.

Quodnam medium sit seruandum, ne Missa possit censeri nimis longa, neque nimis breuis?

Affertur circa id regula Sacerdotum Societatis Iesu: notanturque aliqua de ritibus Missæ in eadem Societate.

564 PRÆLAVDATVS Antonius de Molina supra Capite 14. §. 2. persuadere conatur, si tres quadrantes, & vna propè hora adhibeātur in celebrando publicè, nō debere Sacerdotem reputari morosum molestè. Verumtamen non modò vna fermè hora, sed etiam tres propè quadrantes iudicantur communiter nimis longum tempus pro Missis ordinarijs, & qui in eis illud consumunt, notantur à Laicis; solentque his tædio esse, experimurq; etiā, si vnam eorum Missā audierint, ægrè adduci, vt alijs assistant. Et quidem tantum temporis non est necessarium, vt benè, debitèque pronuncientur, quæ leguntur, ac recitantur, neque vt cum decoro, & grauitatè religiosa fiant cœremoniæ, neq; vt attentè, atque devotè omnia peragantur.

565 Ideo Gavantus parte 3. in Rub. Missalis tit. 11. numero 13. V. *Alibi* ait ex Scortia L. 2. Cap. 19. iustum Missæ spatium esse mediam horam, vel paulo vltra. Iacobus etiam Alvarez de Paz supra inquit, [Si cupis mensuram in opere tātæ maiestatis tenere debitā, in faciendo Sacro semihoram expleas, & permittitur tibi, vt tantillùm excedas. Hoc enim tempus nec Sacrum audientes admodùm occupat, & sufficiēs est, vt sancta mysteria ritè, ac devotè, provt ab Ecclesia institutum est, celebrentur.] Sic ille. Videturque hæc esse pro præsenti ætate, & statu Ecclesiæ conveniens norma, vt Missa dicatur, provt decet, & absque fastidio Laicorum adstantium, si vel mediocriter sint religiosi, & devoti, nam de irreligiosis, & indevotis nulla est habenda cura, provt anteà dixi.

566 Ad hanc mensuram propè accedit alia, quā assignat Quartus supra Diff. 2. vt Missa non sit brevior tertia parte horæ, neque prolixior media hora. Confirmatque eam, vt & Verricelli, ex regula Religiosissimorum Patrum Clericorum Regularium Theatinorum confecta in Capitulo Generali anni 1618. parte 1. Cap. 3. §. 1. vbi dicitur, *Vnusquisque Sacrum accuratè agat; in eoque nemo moram longiùs horæ semissæ protrahat, neve breuiùs triente contrahat.* Norma hæc mitior est, quàm duæ aliæ propositæ, servarique potest non modò citra peccatum veniale, & imperfectionem, sed etiam cum perfectione. Ast si ab ea devietur, ita vt Missa non expleat quadrantem, vix evitabitur peccatum lethale, nam minori tempore non videtur, posse dici Sacrū etiā quotidianum de *Requiem* ablq; notabili defectu, & dedecore tanti mysterij, vt docet Quartus cum Verricelli. Rursus si Missa non expleat dimidiam ferè horam, vel saltem quadrantem, & dimidium, ægrè evitabitur peccatum veniale. Loquor de Missa, quæ non sit quotidiana de *Requiem*, hæc enim citiùs absolvi potest, nimirùm in quadrante, & parùm plus. Aliæ verò, si saltem per quadrantem, & dimidium non durent, difficillimum est, vt dicantur cum cōditionibus requisitis ad non incurrendum veniale peccatum.

567 Mensura relata ante hanc consuli potest communiter, & à Sacerdotibus Societatis teneri debet. Nam in Regulis Sacerdotum nostrorum ita præs-

præscribitur, num 4. *Cœremonias Missæ ex vsu Romano accuratè vnusquisque obseruet; in eaque celebranda pronunciationem, & quamcumque aliam exteriorem actionẽ ita moderetur, vt non minus aliorum ædificationi, quàm propriæ deuotioni seruiat. Et ideo semihoram in faciendo Sacro nec multũ excedat, nec ita breuis sit, vt illam non expleat.* Quibus ex verbis constat, regulã obligare nostros Sacerdotes, vt nonminùs, quàm semihoram impendant Sacro, permittereque, vt paulò plus. Atque sic obseruatum fuit ab origine Societatis, nuncque vbivis obseruatur, invigilantibus Superioribus speciali cura, ne hæc regula violetur; quæ Laicis confluentibus ad nostra templa non potest iustè molesta esse, neque vnquam fuit, cum medium quoddam conveniẽs teneat inter nimiam longitudinem, & nimiam brevitatem. Aclanè siquidem in alijs sanctissimis Religionibus ædificationi sunt fidelibus concurrentibus ad earum Ecclesias cantus Chori, & Missæ solemnes, expediens est, vt in Societate nostra, quæ Choro caret, & Missis solemnibus ordinarijs, attendamus ædificationi illi per Missas priuatas deuotè, & exactè peractas, perque Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sedulam administrationem, in quibus etiam Religiones alię suo nos exemplo confirmant.

568 Scripsit Alfonsus de Arboleda in Praxi Sacramentorum, nota 3. de Sacramento Eucharistię, pag. 265. [In Societate Iesu Sacramenta tractãtur magna cum reverentia, atque decentia, & Sacrificium Missæ celebratur ingenti cultu, ac exactione; videturque Deus suam in Ecclesiam misisse sanctam hanc Religionem speciali prouidentia, vt esset in exemplum Sacerdotibus Sæcularibus, atque adeò cum eodem habitu.] Cui nos elogio impares iudicamus; sed curare debemus, vt Missarum religiosa celebratione, nitore templorum (qui à Sanctissimo N. Patriarcha Ignatio incrementum accepit, vt testatur Summus Pontifex in tertia Lectione secundi Nocturni) reliquisq; ad diuinum hoc Sacrificium spectantibus nullo vnquam tempore, aut loco degeneremus à Maiorum nostrorum vestigijs, atque præceptionibus.

569 Quanuis verò ob humanam fragilitatem maius sit periculum, ne Missę breviores, quàm ne longiores celebrentur, nihilominus Superiores curare etiam debent, ne semihora notabiliter excedatur, quia cum Societas sit ex Instituto suo tam dedita saluti spirituali, & perfectioni proximorum, omnib⁹ q; excitandis fidelib⁹ ad Sacramentorum percipiendorum, & Missarum audiendarum frequentiã, æquum est, ne ab hac avertamus illos, si nimiũ prolixi velimus esse. In actis MSS. quę apud me habeo, virę Venerabilis Patris Ioannis Fernandez refertur, eo sacrificante publicè, & moram aliquam trahente in petenda à Deo secreti cuiusdã notitia pro solita sua cum ipso familiaritate, responsum illi fuisse, vt in Sacro pergeret, ne præfixi à Societate temporis terminos transiliret, nam finita Missa inter gratiarum actionem auditurus esset, quæ desiderabat scire. Si quem verò devotio moveat ad profusiores nonnunquam Missas, moris est in Societate facultatem concedere, vt in Sacello domestico, & interiori per aliquot horas agantur. Atque ita per tres, & plures horas agebat Venerabilis Pater, cuius meminimus, & de multis alijs idem ipsum est mihi compertũ, imò & ad oculum habeo frequentia exempla. Videantur, quæ dixi ex numero 115. vsque ad 120.

570 Sed quando de regula illa Societatis nostræ sermo incidit, placet addere, specialem inesse nobis obligationem, vt obseruemus ritus, ac cœremonias Romanas in Missa. Sanctus enim Fundator Ignatius parte 4. Constitutionum C. 3. §. 2. inquit, *Qui iuxta Superioris iudicium ad sacros Ordines erunt promouendi, in ratione Missæ dicendæ, vt præter intelligentiam, & deuotionem internam, decentem etiam habeant exteriorem modum ad audientium ædificationem, instituantur; & cæremonijs eisdem omnis Societas, quantùm fieri potest, vtatur: in quibus vsum Romanum, vt magis vniuersalem, & quem peculiari quadam ratione Sedes Apostolica amplexa est, quantùm patietur regionũ varietas, sequetur.* Hæc S. Patriarcha ante Missalis & Breviarij Romani editionem factam a Pio V. Pontifice Maximo; laudareque est affectum S. Patris ad ritum Romanum, necnon curam, vt Sacerdotes Societatis intelligenter, devotè, decenter, & cum ædificatione

populi

populi Christiani Missas celebrent.

571 Rursus in Examine generali Cap. 5. §. 7. iubet, ne, qui iam Sacerdos admittitur in Societatem, vel qui postea fuerit promotus ad Sacerdotium, *publicè Missam dicat, donec coram aliquo, vel pluribus domesticis priuatim eã dicat; & admoneatur, vt in modo dicendi conueniat cum alijs de Societate, inter quos agit, & se ad ædificationem eorum, qui illam sunt audituri, componat.* Vlteriùs parte 8. Constitutionum C. 1. §. 8. inter media, quæ ad vnionem animorum conferent, refert cœremoniarum vniformitatem in Missa dicenda. Ex quibus omnibus liquet, quam altè infedetit cordi S. Patriarchæ æstimatio Romani ritus; & quam ardenter cupierit, filios suos esse exactos, & concordes in eo seruando.

572 Congregatio IX. Generalis premens vestigia Sanctissimi Fundatoris statuit Decreto 9. *ad vniformitatem in omnibus Prouincijs obseruandam, vt in publicis cæremonijs, in Missis, ac Vesperis, quando cantantur in nostris Ecclesijs, in Sacramentorum administratione, & in alijs Officijs Ecclesiasticis ritus vbique Romanus obseruetur, ita vt nihil vspiam, quod vsui Romano contrarium sit, obseruetur.* Nec plura de nostrorum obligatione, cum illis reliquis, quæ circa modum recitandi, vel cantandi Missam prouidè sunt ordinata in Constitutionibus, Congregationibus Generalibus, Regulisque Sacerdotum, Præfecti Ecclesiæ, & Æditui; quorum aliqua attigit Suarez tomo 4. de Religione Tract. 10. Lib. 8. C. 3. num. 2.

573 Cæterùm vt à communi ritu in verbis possimus vel nos discrepare, vel Sacerdotes externi possint aliquando discordare in nostris Ecclesijs, habemus vnum, vel alterum priuilegium Pontificium. Nam cum Leo X. concesserit Monialibus S. Claræ, vt in earum Ecclesijs possit celebrari festum vndecim mille Virginum sub Officio Duplicis, quæ Bulla habetur in Bullario Regularium apud Rodriguez, estque 46. inter alias Leonis X. placuit R. admodùm P. N. Generali, vt nostræ Domus, & Collegia communicare valeant in hoc priuilegio.

574 Rursus Gregorius XV. & Vrbanus VIII. indultere, vt in nostris Ecclesijs possit ab omnibus Sacerdotibus externis celebrari Officium, & Missa tum de B. Aloysio Gonzaga, tum de B. Francisco Borgia diebus suis conuenienter ad Rubricas Breviarij, & ad Missam à nostris dicendam. Idem Vrbanus VIII. indulsit nostris Officiũ, & Missam de BB. Martyribus Paulo, Ioanne, & Didaco; Sacraque Rituum Congregatio de consensu Sanctissimi extendit ad omnes alios Sacerdotes, vt in Ecclesijs nostris liceret celebrare Missam de ijsdem BB. Martyribus die suo.

SECTIO XXXIIII.

De Missæ ritibus in actione consistentibus. Quænam in eis mutatio sit illicita grauiter, vel leuiter?

575 RITVS Missæ alij consistunt in verbis, alij in actione. Egimus hucvsque de prioribus; nunc succedat sermo de posterioribus; sed multò brevior, nam ex dictis adeò diffusè de obligatione ad nullam in prioribus mutationem faciendã facile est discurrere circa obligationẽ similem in posterioribus.

576 Primò itaque ritus sumendi tam corpus, quàm sanguinem Christi Domini sub speciebus pani, & vini vel est de essentia Sacrificij Eucharistici, vel pertinet ad substantialẽ eius integritatem, ideoque si scienter omittatur vtraque sumptio, vel alterutra, perpetrabitur peccatum lethale enormissimum.

577 Deinde in celebratione Missæ sunt complures aliæ actiones à Rubricis præscriptæ, mutatioque in eis erit peccatum mortale, vel veniale iuxta grauitatem, vel levitatem actionis, in qua fiat mutatio. Graves sunt mixtio aquæ cum vino, elevatio hostiæ, & calicis post consecrationem immediatè, fractio hostiæ consecratæ, immissio vnius particulæ hostiæ consecratæ in calicem, purificatio calicis; hæc enim vltima est valdè necessaria, ne quid specierum Sacramentalium pereat: &

reliquæ

reliquæ aliæ suas habent notabiles significationes mysticas.

578 Mistio quidem aquæ cum vino est vt minimùm de præcepto Ecclesiastico, independenter à Rubricis, illoque obligante sub peccato mortali iuxta C. *Litteras* 14. de celebratione Missarum, C. *Cum omne crimen* 7. de Consecratione Dist. 2. necnon iuxta Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 7. & Can. 9.

579 Elevatio hostiæ facienda præsupponitur in C. *Sanè* 10. de Celebratione Missarum, & in Clementina *Ad nostrum* de Hæreticis, & in Epistola 233. Ivonis Carnotensis; quàmq; visitata fuerit ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, probant latè, & eruditè Durantus Lib. 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 4. Suarez Disp. 65. sect. 1. V. *Dico secundò*. Et præter quàm quòd magnum in populo sequeretur scandalum, si non fieret, omnium iudicio datur per se obligatio gravis ad eam, præsertim quãdo celebratur in publico. Dixi *præsertim*, nam si solo Ministro præsente, qui non esset scandalizandus, aut si eo tunc temporis absente, disputari potest de peccati qualitate, siquidem ea elevatio præcipuè dirigatur, vt hostia adoretur ab adstantibus. Ex alia vero parte non caret significatione mystica, repræsentat namque elevationem Christi, mortemque in cruce; & resurrectionem, ascensionemque ipsius ad Cœlũ.

580 Quod ad elevationem calicis attinet, inquit Sotus in 4. Dist. 13. q. 2. art. 5. ad finem, [Veritas est, quòd mos ipsum elevandi non est antiquus. Quare apud neminem eorum, qui de cæremonijs Missæ scripserunt, mentio eius habetur. Vnde omnium antiquorum nuperrimus Alexander de elevatione tantùm corporis loquitur. Et ratio erat, quia cum in hostia corpus, & sanguis existat, & in elevatione calicis nonnihil periculi crearetur, satis Patres ducebant, corpus adorandũ elevare. Et ideo fortasse tempore Sancti Thomæ mos ille nondum inceperat, ob idque illum subticuit. Imò verò apud Carthusienses non elevatur; neq; in Ordinario nostro, quod inde sumptũ est, præcipitur nobis, vt eleven us, quin & complures sunt Religionũ Ordines, quibus non præcipitur elevari. Sed ne ab Ecclesijs Sæcularium dissideant, illum elevant.] Sic Sotus. Sed tempore Guilielmi Durandi iam erat in vsu, vt constat ex Lib. 4. Rationalis C. 41. n. 52. C. 42. num. 30. tuncq; cõtrovertebatur, nũ calix elevandus esset coopertus, an discoopertus? Et in nostra Hispania tẽpore Alfonsi de Carthagena Antistitis Burgensis erat etiam frequens ea elevatio, vt patet ex C. 56 Orationalis ad Ferdinandum Perez de Guzman; tempore etiam Alfonsi Tostati Episcopi Abulensis, vt videre est in eius Tract. de Expositione Missæ ad Alvarum de Zuñiga Comitem Plasentinum edito in lucem à Gillio Gonzalez Davila, viro, cuius memoria immortalis erit apud Nostrates tum ob vitæ suæ integritatem, tum ob Theatra Ecclesiastica Episcopatuum Hispaniæ, & Indiarum indefesso, fœlicique labore constructa vltra alia Opera insignia ab ipso composita, quibus immortuus appositus dudum est Abulæ ad patres suos, non magis senectute, quàm continua lectione paulò anteà visu orbatus. Alfonsus autem Tostatus obijt anno 1455. & Alfonsus de Carthagena natus est anno 1348. & Guilielmus Durandus vivebat anno 1280. Non igitur recens introduci cœpit elevatio calicis.

581 Imò S. Basilius L. de Spiritu sancto Capite 27. eam insinuat inquiens, *verba inuocationis, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit?* Nisi dicatur, S. Basilium loqui de ostẽsione, quæ fieret sine elevatione tam hostiæ, quàm calicis. Augustinus de Herrera L. 3. de Origine, & progressu rituum Missæ Cap. 11. num. 5. narrat, sacrificante S. Proculo, cum ob ingraue scentem ætatem non posset nisi difficulter tollere calicem in altum, fuisse ab Angelo præventum. Quæ narratio si vera esset, extaret exemplum satis antiquum vsitatæ elevationis calicis. Sed Equilinus ab Herrera citatus L. 1. Catalogi Sanctorum C. 15. scribit hunc in modum, [Proculus Episcopus, & Martyr de Siria veniens Romam tempore Iustini Imperatoris, toramq; Romanam Provinciam discurrens, Christũ prædicabat, miraculis, & vita refulgẽs. Quem S. Valentinus Episcopus Interãnensis constituit Sacerdotem. Et dum die quadam celebraret, præsente præ-

dicto

dicto Episcopo, Angelus Domini acceptum de altari calicem in aera, videntibus omnibus, sublevavit, & deinde in altari reposuit, sanguine consecrato. Sanctus autem Presbyter de mandato Angeli sanguinem consecratum libavit.] Casus hic est omnino diversus; eumque ego adnotaveram ob singularitatem de consecratione sanguinis ab Angelo, vt indicant verba. Quibus si fides adhibenda sit, non desunt alij casus Baptismatis confecti ab Angelo per potestatem a Deo extraordinariè collatã, vt observavi Disp. 12. n. 4. Et vt redeam ad calicis elevationem, tractat de ea Ivo Carnotensis in Epistola 233. Vixit autem ille vsque ad an. 1114. vt ait Bellarminus in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

582 Fractio hostiæ est vna è præcipuis cæremonijs Missæ, vt ait Suarez Disp. 83. sect. 1. & iuxta aliquos ad essentiam Sacrificij spectat; omniũque opinione datur ad eam gravis obligatio. Sermo de ea est in Can. *Cum frangitur* 37. in Can. *Ego Berengarius* 42. de Consecratione Dist. 2. copiosèque illustratur à Durando in Rationali L. 4. C. 51. à Durando Lib. 2. de Ritibus C. 51.

583 Immissio fragmenti hostiæ in calicem censetur etiam communiter obligatoria graviter. Agitur de ea in Can. *Triforme* 22 de Cõsecratione Dist. 2. Non rarò accidit, vt huiusmodi particula maneat in fundo calicis post haustum sanguinem. Et tunc ad labium calicis digito adduci potest, & ante purificationem sumi, vel potest infundi vinum, eaque cum ipso traijci. Ita in Rubricis de Defectibus §. 10. num. 8. Posterior modus gratior est plerisque, decentiorq; videtur Navarro in Manuali Cap. 25. num. 90. cum Angelo, & Syluestro, quos citat, Suario Disp. 68. S. 2. V. *Secundus casus est*, vbi priorem modum vocat indecentem, quia tunc non advertit concessionem eius in Rubricis, vt neque Thomas Hurtadus concessionem posterioris, quando ingratus fuit illi parte 2. Resolutionum Moralium Tract. 11. C. 9. Resolutione 3. n. 273. Et alteruter potest vsui esse, quãdo quidpiam hostiæ adhæreat palato Sacerdotis; sed si palato Laici, posterior solus est conveniens, nam non decet, quòd digito tangat species consecratas, vt notat Bossius tomo 3. Variorum Moralium tit. 23. num. 105. pag. 457. Videantur Marchinus Tract. 3. de Ordine, parte, & Cap. 3. num. 16. Gauantus ad num. illum 8. Rubricarum, Quartus p. 2. tit. 10. dub. 7. Aversa q. 8. de Eucharistia, sect. 9. V. *Tertiò*, Castrus Palaus Tract. 21. D. vnica, punct. 13. num. 21. Thomas Tamburinus C. 2. de Communione §. 8. num. 42. L. 2. de Missa C. & §. 8. num. 7. Fagundez Lib. 3. in 3. præceptum Ecclesiæ L. 3. C. 6. num. 4. Mascarenhas Tract. 4. de Sacramentis D. 5. C. 9. num. 305. Capite 10. num. 317. Omitto alios passim occurrentes, est enim casus ab omnibus inculcatus. Sed adverterim, priorem modum debere servari; si Sacerdos secundò celebraturus sit, nam si posteriori vtatur, non poterit iteratò sacrificare, vti neque potest, qui in feria sexta Parasceves consumit præconsecratam particulam, iniectam vino, & aquæ. Advertere id volui, nam scio, nonnemineni in die Nativitatis repetivisse celebrationem, cum posteriori modo consumpsisset particulam adhærentem fundo calicis, fisus concessioni Rubricarum. Sed hæ, etsi dispensent in ieiunio naturali quoad Missam, ad quam spectat particula illa, non tamen quoad aliam.

584 Purificatio calicis est etiam graviter obligatoria, nam nisi adhibeatur, fieri moraliter non potest, ne remaneant aliquæ stillæ specierum cõsecratarum vini cum periculo, vt irreuerenter tractentur. Hæc obligatio non vrget, quando Sacerdos est rursus celebraturus; sed ipsum, vel alium vrgebit, qui eo die vltimam Missam peragat cum illo calice, vt constat ex Rubricis de Defectibus §. 9. num. 4 vbi legendi sunt Gavantus, & Quartus, rursusque Gavantus parte 4. tit. 3. n. 4. Habemus de præfata purificatione textum insignem in C. *Ex parte* 5. de Celebratione Missarum, quæsitus enim Innocentius III. *quomodo Sacerdos in Missa perfundere debeat?* respondit, *Semper Sacerdos vino perfundere debet, postquàm totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum, nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne, si fortè vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret.* Interrogatio fuit nec pluribus, nec paucioribus verbis, quàm quæ proposui ex 3. antiqua

antiqua Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum pag. 371. editionis factę an. 1621. Et neq; in interrogatione, neq; in responsione exprimitur id, quod perfundēdum est, quia nimirùm ex vulgari vsu innotescebat tunc significatio verbi illius in materia subiecta.

585 Glossæ ad hunc Canonem ter repetunt, esse in eo sermonem de perfusione manuum. Sed S. Thomas quæst. 83. art. 5. ad 10. intelligit Canonem de perfusione oris, nam eum refert his verbis, *semper Sacerdos vino os perfundere debet.* Et licet S. Doctor ibidem addat, vino etiam perfundēdos digitos; ast antiquioribus temporibus non nisi aqua perfundebantur, vt testatur idem Innocentius Lib. 6. de sacro altaris Mysterio C. 8. proijciebaturq; aqua in locum mundum, quin biberetur à Sacerdote, vt ibidem tradit Innocentius, necnon Alensis in Tract. de Officio Missæ parte 2. §. 5: cumque in vtroque conveniat Durandus (qui est S. Thoma recentior) Lib. 4. Rationalis C. 55. num. 1. videtur, perfusionem digitorum cum vino non fuisse vbique communem post ætatem S. Thomæ. Pius V. non exprimebat, an solo vino, an aqua etiam esset facienda ablutio digitorum; Clemens VIII. expressit in Rubricis de Ritu seruando §. 10. num. 5. faciendam esse vino, & aqua, sed tacuit in Rubricis appositis in Canone.

586 Atque hinc intelligentia Glossarum de perfusione digitorum apparet satis difficilis. Et aliundè contra eam insurgit alia difficultas, nam Innocentius loquitur de perfusione, quæ omittenda sit à Sacerdote iterùm celebraturo. Hæc autem est gemina oris perfusio, quà oris est, & non quà digitorum. Prima fit post verba illa, *Quòd ore sumpsimus, Domine*, fitque solo vino iniecto in calicem, indeque hausto; secunda succedit, & nunc fit vino, atque aqua hausti etiam è calice, sed intra eum ablutis priùs pollicibus, & indicibus cum eo vino, atque aqua: quorum digitorum ablutio non est omittenda ab iterùm celebraturo; quāquàm facienda non sit in calice deseruituro ad aliam Missam, neque ore sit sumenda, vt dicitur in Rubricis de Defectibus §. 9. n. 4.

587 Ob hæc censeo, Innocentium III. loquutum fuisse de perfusione prima tam calicis, quàm oris debita fieri cum vino, eoque solo. Ità Gabriel Lect. 83. in Canonem Missæ, lit. *K.* Sotus in 4. Dist. 13. quæstione 2. art. 5. V. *Septima cæremonia*, Navarrus in Manuali C. 25. num. 90. Sanch. in Decalogum Lib. 4. C. 11. num. 43. Barbosa in Collectaneis ad eum Canonem num. 4. Tamburinus Lib. 4. C. 9. num. 3. Gavantus parte 2. tit. 10. n. 5. lit. *Y.* Quartus q. procœmiali, sect. 3. punct. 6. Censuræ nostræ probatio satis liquet ex ipso Canone, & ab omnibus ibi intelligitur verbum *Debet*, quatenus significet præceptum, & nò prę cisè debitum decentiæ, & honestatis, vt sæpe alibi.

588 Sed numquid est præceptum graviter, vel leviter tantùm obligans ad perfusionem calicis, & oris cū vino, eoque solo? Authores ante Tāburinum agnoverunt præceptum, sed de eius qualitate siluerunt; Tamburinus num. 5. & post ipsum Quartus iudicant probabilem leuitatem præcepti, nam verbum *Debet* indifferens est ad ipsam, & ad gravitatem, imò & ad decentiam, & honestatem. Nec in perfusione cum vino intenditur ab Ecclesia mysterium aliquod, sed illud adhibetur, quia est magis abstersivum, quàm aqua; quæ tamen abstersiva est, quantùm sufficit. Nec est, cur ex se magis vitari debeat commistio aquę cum speciebus continentibus sanguinem Christi, si aliquæ remaneant in fundo calicis, aut in ore, quàm commistio vini, nam commistio aquæ non rarò fit in secunda perfusione, & ad feriam sextam Parasceves particula specierum panis continentium corpus Christi immittitur calici habenti vinum, & aquam. Notissimusque est mos Græcorum, & ab Ecclesia Romana non reprehensus injicientium aquam calidam calici repleto consecratis speciebus vini. Estq; multorum Theologorum sententia, si aqua, qua temperatum fuit vinum calicis, non fuerit conversa in vinum tēpore consecrationis, manere commistam consecratis speciebus vini. Quòd autem Romana praxis ferat, testante Gavanto supra, vt abstemij, inconsulto Papa, non faciant primam perfusionē cum aqua, non est sufficiens indicium gravis obligationis, quia licentia Papę

potest

potest esse conveniens ad sedandas scrupulosorum mentes, vel potest esse necessaria ad præcludendum aditum, ne specie abstinentiæ à vino relinquatur vsus Romanæ Ecclesiæ adhibendi illud ad primam perfusionem, vel potest esse necessaria ad evitandum incursum peccati venialis; quod vtique committeretur in prima eũ aqua perfusione facta ordinariè sine recursu ad Papam, vbi facilis sit: secus si ea perfusio extraordinariè fiat ob repentinam necessitatem, & citra contemptum, scandalum, animumque introducendi novum ritum. Probabilis videtur hæc opinatio Tamburini.

589 Iam de secunda perfusione tã calicis, quàm oris cum vino, & aqua affirmat Azor tom. 1. L. 11. C. 20. q 7 esse obligatoriam [ob cõmunem Eccles. morẽ, quo Presbyteri in ea ablutione vino, & aqua vtuntur.] Quę sunt formalia verba Azoris, approbatque ea Thomas Sanchez supra. Notandumq; est, Azorem, & Sanchez non adstruere obligationem perfusionis cum vino, & aqua ob authoritatẽ Can. *Ex parte*, sed ob communem Ecclesiæ vsum; & cum Sanchez immediatè antea adduxisset eum Can. ad stabiliendam obligationẽ primę perfusionis cum vino, indicat satis apertè, esse se in ea mente, quòd Innocentius III. non fuerit loquutus, nisi de prima perfusione.

590 Quare ego assentiens Azori, & Sanchezio quoad obligationem ad secundam perfusionem cum vino, & aqua, non probo eam Can. illo *Ex parte*, sed Rub. & vsu Eccles. Dissentiorque Tamburino supra num. 2. & 12. necnon Quarto supra, V. *Si verò* dicẽtibus, posse sine peccato etiam veniali fieri secũdam perfusionem cum sola aqua. Sed meo iudicio, vt Rubricæ, & vsus obligant, vtnõ omittatur omnino perfusio secunda, sic, vt fiat cum vino, & aqua. Testantur duo illi Authores de consuetudine passim recepta omittendi vinũ in secunda perfusione apud pios, & doctos Sacerdotes. Ego de tam frequẽti consuetudine testari non possum. Video quidem recusari vinum, quia ex consecratis speciebus hausitis, & ex vino primę perfusionis nonnulli Sacerdotes deprehenderant, generosum non esse. Satiùs fuisset illis cũ gustus mortificatione servare Rubricas, & cõmunem morem. Vidi etiam recusari vinũ ab vno, vel altero Sacerdote valde abstemio, aut stomachi debilis, cui ieiuno posset officere ea vini bibitio. Apparet quidẽ probabilis Tamburini, & Quarti sententia, si concurrat alterutra ex his causis, vel vtraque simul.

591 Vt verò circà Canonem *Ex parte* aperiam integrè quidquid mihi ad inquirendum occurrit, vellem considerari, num simile verò sit, Innocentium III. quæsitum solũmodò fuisse de perfusione calicis, ipsumque respondisse, quòd deberet fieri vino, quin de perfusione oris nec consulentes, nec consultus loquuti sint principaliter? Quæ cogitatio fundatur in illis verbis, *Ne, si forte vinum perfusionis acciperet*, &c. nam si anteà per *perfundere* intelligebatur os, & non calix, non benè posteà dicerentur ea alia verba, quibus significatur acceptio vini, quo perfusus sit calix. Et adverbium *fortè* indicat, ad perfusionem calicis non semper esse sequutam in ore acceptionem vini, quo calix fuerat perfusus. Annè tale vinũ iniiciebatur in piscinam sacram? Videantur, quæ inquirendo adnotavi in n. 47. D. 22. & in n. 203. D. 17. quibus addi potest, si Laici communicantes nõ tenentur ad perfusionem oris, quando non adhæsit palato fragmentum, quod deglutiri nequeat, nisi sumendo ablutionem: quænam specialis causa vrgeat in Sacerdotibus ad oris perfusionem? Species cõsecratę vini facilè traijciũtur in stomachum, cum eisque quęvis particula specierum consecratarum panis, si remansit in ore.

592 Et vt fallar in adverbij *fortè* indicatis ponderationibus, certè illud neutiquam indicat dubietatem Pontificis circa ieiunij naturalis integritatem non læsam, etiamsi accipiatur vinũ perfusionis, vt animadvertitur in quadam Glossa ad eum Canonem: quę Glossa haberet locum, si Pontifex dixisset, *nè, si vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam fortè impediret*. Produxi hæc in medium, non asserendo, sed vt aliorum iudicium explorem, satis conscius, fuisse hucvsq; sic intellectum Can. *Ex parte*, vt inducat obligationem ad primam oris perfusionẽ, quando Sacerdos non est iterùm sacrificaturus. Et licet is Canon se solo non convinceret huiusmodi obligationem, astmos Ecclesiæ, & Rub. convincunt.

593 Vltra calicem debent

etiam purificari patena, & Corporale, vrgebitque gravis obligatio, si fragmentum in patena, vel in Corporali remanere noscatur. Et adhuc quando non noscatur, tenebitur, Sacerdos sub obligatione levi adinspiciendum Corporale, & ad procurandum colligere cum patena fragmentum, si fortè sit in eo, necnon ad extergendam patenam super calicem; hæc enim cautela est necessaria, cum tam sæpè accidat remanere fragmentum aliquod.

594 Percurrimus actiones graviores, & de omissione cuiuslibet earum quale peccatum esset, declaravimus sequuti Suarium D. 84. sect. 2. V. *Tertio dicendum est*, Dicastillum Tractatu 5. Disp. 4. dub. 18. numero 259. Quartum quæst. proœmiali, sect. 3. punct. 6. V. *Dico secundò*. Et postremus is parte 2. tit. 8. sect. 1. dub. 6. adiungit actionibus graviorib⁹, quòd Sacerdos, cum consecrat, teneat hostiam in manibus, quia hic ritus fundatur in facto Christi, & quia sicut grave est, quòd hostia tempore consecrationis existat supra aram, & supra Corporale, ita quòd existat in manibus Sacerdotis cõsecrantis. Sed prima ratio non est momenti considerabilis, etsi enim Christ⁹ acceperit initio panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, tamen non iam habebat illum in manibus, quando consecravit, prout diximus D. 2. num. 17. & 18. Et vt tunc in manibus habuerit, elevavit etiam oculos in Cœlum, vt dicitur in Canone, & in C. *Cum Marthæ* 6 de Celebratione Missarum, præcipiturque Sacerdoti suorum oculorum elevatio ad imitationem Christi. Et nihilominus si eam omittat absque cõtemptu, absque animo introducendi novum ritum, & absque scandalo, durum esset damnare ipsum peccati mortalis. Secunda ratio non est maioris momenti, non enim video, qua speciali vi inferatur ex debita exsistentia hostiæ super aram, & super Corporale tempore consecrationis, quòd tunc etiã debeat teneri manibus Sacerdotis.

595 Ego rationem non reddderem, nisi ex Rubricarum præcepto, & ex vsu Ecclesiæ in materia adeò gravi, vt hæc est. Si autem alicui cum sufficienti fundamento videatur actio hæc tenendi manibus hostiam tempore cõsecrationis non adeò per se grauis, vt si semel omittatur, peccetur lethaliter, fateri tamen debet, eum, qui chirogra, vel vulnere impeditus esset ad tenendum, non posse celebrare ordinarie sine dispensatione Summi Põtificis; qua etiam indigeret, qui ad tenendum pollice, & indice, quanquàm non alijs digitis, impeditus esset. Legantur Diana parte 10. Tract. 16. Rel. 80. Averla q. 10. sect. 5. Vers. *Secundò*, Franciscus de Lugo Lib. 4. C. 12 q. 4. num. 28. Bonacina Disp. 4. q. 5. punct. 2. num. 10. loquentes de Sacerdote, qui pollice, & indice nequiret ministrare Eucharistiam. & exigentes dispensationem ad ordinariam ministrationem: cum tamẽ minor vrgeat ratio in hac, ne recedatur à communi ritu quoad vsum pollicis, & indicis, quàm in Missæ celebratione.

SECTIO XXXV.

Quatenꝰ sint vetitæ mutationes aliæ in ritibus actionum?

596 Si omittantur crucis signa, seu benedictiones, oscula rerum sacrarum, genuflexiones, inclinationes capitis, aut humerorum, aut corporis, elevationes oculorum, aut manuum, & lotiones harum, motionesque aliquæ locales, peccabitur lethaliter, vel venialiter iuxta gravitatem, vel levitatem actionis omissæ. Sed quia vna sola crucis signatio (& sic de singulis actionibus memoratis) non videtur materia gravis, ideo vnius solius omissio non erit peccatum lethale; erit verò omissio plurium, quę prudenti iudicio faciant quantitatem notabilem. Eodemque modo existimandum est de omissione actionum pertinentium solummodò ad conveniẽtem modum agẽdi, quin habeant specialem significationem moralem, vel mysticã, nisi quòd in his maior omissionum numerus necessarius erit ad peccatum lethale. Doctrinam hanc in cõmuni tradit P. Suarez D. 84. sect. 2. V. *Tertiò dicendum*.

597 Sed circa nonnullas actiones præfatas vtilia erunt adnotamenta, quæ subijcio. Et primò benedictiones, quas cruce signando facit Sacerdos super oblata post consecrationem Eucharistiæ, videri possunt non convenienter institutæ ab Ecclesia, nam Apostolus dicit ad Hebræos 7. V. 7. *Sine vlla contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.*

dicitur. Sed Christus, qui est in hoc Sacramento post consecrationem, est multò maior Sacerdote. Inconuenienter igitur Sacerdos post consecrationem benedicit hoc Sacramentum cruce signando. Ad hanc difficultatē respondet S. Thomas q. 83. art. 5. ad 4. *Sacerdotem post consecrationem non vti crucesignatione ad benedicendum, & consecrādum, sed solùm ad commemorandam virtutem crucis, & modum Passionis Christi.* Quę S. Doct. respōsio difficilis est, quia quādo Sacerdos signat semel super hostiā, semel super calicem, semel super se ipsum, & ait, *Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione Cœlesti, & gratia repleamur*, satis indicatur, has crucesignationes esse benedictiones. Neq; minus indicatur, cum inquit, & cruce signat, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis*, &c.

598 Est rursus difficilis responsio S. Thomę, quia Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 3. crucesignationes à Sacerdote in Missa factas vocat *mysticas benedictiones*, nulla appositā differentia earum, quæ ante, & quæ post consecrationem fiunt. Quod ob argumentum Antonius de Molina in Instructione Sacerdorum Tract. 1. C. 9. §. 3. pag. (mihi) 60. remittit S. Thomæ superiora verba, vt in Scholis examinentur a Theologis. Sed ea approbantur à Gabriele Lect. 21. in Canonem Missæ lit. K. à Suario D. 84. S. 1. V. *Octauo loco.* Nec videtur Concilium Trident. intendisse, vt omnes crucesignationes factæ in Missa haberi debeant strictim benedictiones.

599 Innocentius III. L. 5. de Mysterio sacro altaris C. 2. & cum eo Alexander Alensis p. 2. de Officio Miss. §. 3. Durandus in Rationali L. 4. C. 43. num. 7 respondent eodem ferè modo, ac S. Thomas, aiunt enim, benedictionis signa post consecrationem deservire *ad recolendum ea, quæ per hebdomadā ante Paschā gesta sunt circā Christum*, idest, ad Passionem Christi recolendam, quæ post consecrationem est a Christo consummata. Idemque videtur fuisse sensus Stephani Eduensis C. 17. de Sacramento altaris, & Flori Magistri in Expositione Missæ, quos laudat Durantus L. 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 42. num. 5. Porrò Innocentius agnoscens difficultatem quæst. dicit, *Ego super hac quæstione vellem potiùs docere, quàm docere, magisque referre, quàm proferre sententiam.*

600 Cæterùm inter modernos familiaris est alia responsio non incongrua, admittunt quippè, crucis signa post consecrationem esse stricti benedictiones, nam Sacerdos non quidem vt privatus homo, sed quatenus gerit personam Christi, operaturque nomine eius, est quodammodò maior ipso Christo sacrificato, siquidem in omni Sacrificio Sacerdos maior est victima, quam offert: proindeque potest optimè Sacerdos sub præfata consideratione benedicere Christum vt victimam, seu vt rem oblatam. Ita Ioannes Osorius tom. 4. Concionum, in ea, quæ est de Sacerdotio, pag. (mihi) 50. Cornelius à Lapide in C. 7. ad Heb. V. 7. Gavantus in Rub. Missalis p. 2. tit. 9. num. 1. lit. X. Quartus ibidem. sect. 1. dub. 2. Et pro hac responsione adduci potest S. Thomas in C. 7. ad Heb. Lect. 2. & in 1. ad Corinthios C. 10. Lect 4. quanquam vtrobique non loquatur nisi de benedictione, qua Sacerdos consecrat transubstantiativè panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi.

601 Præterea fas est, dicere cum Hieronymo Columbo L. 2. de Angelicā, & humana Hierarchia Cap. 72. numero 12. benedictionem Sacerdotis nō dirigi ad corpus, & sanguinem Xpi, sed ad species Sacramentales. Quia tamen species ipsæ sunt satis benedictæ, & sacratæ per continentiam corporis, & sanguinis Christi, ideo non omnino difficultas sedatur.

602 S. Thomas post crucesignationes meminit extensionis brachiorum Sacerdotis in Missa, aitque in solutione ad 5. eam cæremoniam a Sacerdote factam, finita consecratione Eucharistię, significare extensionem brachiorum Christi in cruce. Quæ tamen cæremonia non est nunc in vsu apud illos, qui seruant Romanum ritum; sed eius loco disiungunt manus post adorationem sanguinis. Cæterùm adhuc retinetur apud Religiones aliquas extensio brachiorum, de qua loquuntur Petrus Blesensis in Tract. de Euchar. C 7. Durandus in Rationali L. 4. C 43. n. 3. Titelmannus in Expos. Mis. Fer-

dinandus de Talabera in T. de Signific. cæremoniarum Missæ Cap. 32. & alij.

603 Benedictiones, & aliæ actiones, quæ fiunt in oblatione hostiæ, & calicis, vna cum verbis, quæ tunc recitantur, sunt graviter obligatoriæ; quare omissio oblationis siue hostiæ, siue calicis erit peccatũ mortale; quia valde dedecet, vt materia conuertenda in corpus, & sanguinem Christi non disponatur priùs sacris ritibus, & benedictionibus ad sacratissimam formam consecrationis, estq; absurdum ingens, vt materia merè prophana præsentetur tanquàm terminus à quo conversionis tam mirabilis, & venerandæ, nisi anteà fuerit Deo dicata, & aliquomodo reddita sacra per verba, & actiones ab Ecclesia præscriptas. Vnde Ecclesia, solicita ne omnino omittatur oblatio materiæ consecrandę, iubet, vt si in aliquo casu non possit absque scandalo, aut graui incommodo fieri verbis, & actionibus externis, fiat saltem mente, vt iam notaui in D. 3. n. 7.

604 Omissio benedictionis aquæ infundendæ in calicem nõ videtur esse grave peccatum, quia talis benedictio debet non fieri in Missis defunctorum; indeq; colligitur, non esse in alijs Missis cæremoniam pertinentem ad perfectionem Sacrificij. Et eius benedictionis omissio nõ erit in causa, vt aqua præsentetur Sacrificio sine omni præparatione, nam vt aqua ad Sacrificium disponatur, restat oblatio, benedictionesque, & ritus, qui tunc fiunt. Sic cẽsent Quartus p. 2. tit. 7. S. & dub. 3. respondetque ad exemplum aquæ, quæ, vt extra casum necessitatis deserviat Baptismo, debet sub obligatione graui esse benedicta, vt docent communiter Authores. Imò quia benedictio aquæ baptismatis debet esse solemnis, & benedictio aquæ admiscendæ vino in calice debet esse tantùm simplex, habetur sufficiens ratio discriminis ex vna benedictione ad aliam.

605 Genuflexionum in Missa omissio penes quantitatem notabilem erit peccatum lethale; sufficietq; minor quantitas in omissionibus post consecrationem. Et licèt ad genuflexiones in Choro, quando dicuntur horæ Canonicę, non detur per se gravis obligatio, neque levis extra Chorum, vt cum alijs tradit Comitolus L. 1. Resp. Moral. q. 64. cuivis patet, quanta diversitas sit inter causas, ob quas in Missa, & in horis Can. ordinãtur. Si quis pedib⁹ integer, sed ob infirmitatem non possit genuflectere, non ideo prohibitus est celebrare, vbi genuflexionum omissio non parit scandalum, vt si Sacrum fiat in Oratorio secreto, aut coram scientibus impedimentum; quia omissio genuflexionum videtur sufficiẽter excusari ratione infirmitatis, neque impedimentum ad geneflexiones tale est, vt ob illud celebratio Missę fiat cum summa difficultate, aut cum graui deformitate, notabilique indecentia. Vnde Doctores non solent dicere, hoc impedimento inducì irregularitatem, siue perpetuam, cum est perpetuum, siue temporariam, cum est ad tempus.

606 Secus dicendum est de Sacerdote, qui ob podagram, aut ob defectum alterius pedis non posset celebrare, nisi sedens, vel innixus baculo, vel pedi ligneo. Nam eum esse irregularem, aut debere esse à celebrando suspensũ ad tempus, quandiu nequeat in altari consistere, concors est omniũ Doctorum sententia. Et C. *Siquis* 10. Dist. 55. intelligitur communiter de claudo, qui absque magna indecentia adstare valeat altari, cum in eo C. dicitur, *Si quis in infirmitate positus Clericus, Medicorum incisione claudus efficitur, promoueri ad sacros Ordines eum non denegamus.* Legatur Iosephus Gibalinus de Irreg. C. 3. Consect. 3. n. 11. V. *Quintò qui.* Narrat autẽ Thomas Vvalsingham in Eduardo 1. Rege Angliæ, an. 1286. Honorium IV. Pontificem Maximum celebrasse Missarum solemnia sedendo in sella ad hoc artificiosè facta, quia pedum, ac manuum ferè ossa absumerat arthritica ægritudo. Potuit secũ ipse dispensare, vt & Pius Papa III. de quo idem refertur, & ob cruris vicus. Vnde qui Missam celebraret sedens, quia aliter non posset, aut quia ex libito suo vellet, peccaret graviter, si non obtinuisset dispensationem à Sum. Põtifice, quia statio in Missa, nisi quando ad solemnem conceditur sessio in cornu Epist. est ritus cadens sub graui præcepto, vtpote valde conducens ad reuerentiam, maiestatemque Sacrificij. Quò si Petrus Damiani in Opusc. 39. acriter reprehendit sedentes, dũ Missarum offeruntur terribilia Sacramẽta, quãtò magis excandesceret in eos, qui & ipsi sedentes peragerent Sacra.

Omissio

607 Omissio lavandi extremitates digitorum pollicis, & indicis post Offertorium non damnatur peccati mortalis, sed tantùm venialis a Quarto parte 2. tit. 7. sect. 3. dub. 2. Mihi videtur damnanda peccati mortalis, nam est omissio cæremoniæ valdè gravis. [Ablutio namque manuum fit in celebratione Missæ propter reverentiam huius Sacramenti. Et hoc dupliciter. Primo quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis. Vnde indecens videtur, quòd ad tantùm Sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundo, propter significationem, quia vt Dionysius dicit 3. Ecclesiast. Hierarchiç, extremitatum ablutio significat emundationem etiã à minimis peccatis, secundùm illud Ioan. 13. qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lavet. Et talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc Sacramentum. Quod etiam significatur per confessionem, quæ fit ante Introitum Missç. Et hoc quidem significabat ablutio Sacerdotum in veteri lege, vt ibidem Dionysius dicit.] Quæ sunt S. Thomæ q. 83. art. 5. ad 1. verba. Meritò igitur S. Austregilus, [quia deerat aqua, qua manus abluerét, & quã Sacrificio misceret,] retardabatur aliquando, ne celebraret, vt traditur in eius Vita apud Surium Maij 20. De alia ablutione digitorum post corporis, & sanguinis Christi sumptionem egi in Sectione precedenti.

608 Decerque, vt post finitam Missam non omittat Sacerdos lavare rursus manus, priusquàm eis contingat res alias prophanas. Hinc in regulis Æditui Societatis num. 17. iniungitur Ipsi cura, *vt nunquàm illic aqua desit, vbi lauantur manus; & sint linteamina conuenienter munda pro Sacerdotibus ad manus solas ante, & post Sacrum extergendas.* Legoque in Vita S. Goaris Presbyteri L. 1. apud Surium 6. Iulij, positam fuisse in cuiusdam Trevirensis Monasterij vestiario concham, [in qua soli Presbyteri, ac Diaconi ante, & post Missam tantùm manus lavare præsumebant.] Traditque Durandus in Rationali L. 4 C. 55. num. 1. fuisse suo tempore quibusdam in more lavare manus Missa finita, exutis sacris vestibus. Hæc manuum ablutio voluntaria est, nam non præcipitur in Missali, vt advertunt Tãburin. L. 1. C. & §. 7. num. 2. Diana parte 10. Tract. 12. Resolutione 19. Quartus parte 2. tit. 12. dubio 4. Gaufridus Boussardus de divino Missæ Sacrificio parte 2. C. 10.

609 Maioris difficultatis est, an omissio ablutionis manuum ante Missam sit peccatum, siquidem in Missali, §. & num. 1. tituli de Ritu servãdo monetur Sacerdos celebraturus lauare manus, ne in eis sit aliqua fæditas, *cum qua propter Sacramenti reuerentiam nõ decet ad altare accedere; vnde & volentes tangere aliquid sacrum manus lauant*, vt ait S. Thomas 3. p. quæst. 80. articulo 7. in Corpore, necnon Durandus in Rationali L. 4. C. 3. num. 4. & S. Chrysostomus homilia 61. ad populum Antiochenum, *Dic mihi, immundissime manibus ad Sacrificium eligeres accedere? Non (vt ipse puto) sed nec omnino malles accedere, quàm manibus illotis.* Et antea in Homilia 60. *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem Sacrificio? Quo Solari radio nõ splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? Os, quod igne spirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?* Et quidem cum ipsum ius naturale petat, vt Sacrificium Eucharisticum reverenter tractetur, peccabit graviter, aut leviter, qui ad illud accedat cum manibus notabiliter, aut leviter immundis, atque sordidis. Atque hinc ortum est, vt Sacerdotes in Missã lavẽt manus. Imò & olim omnes Christiani ingressuri Ecclesiam, & communicaturi lavabant eas, vtpote in quibus susceperi erant Eucharistiam. Eaque de causa pro foribus Ecclesiæ positum erat vas aquæ ad purificationem, vt observat Cornelius ad Cap. 30. Exodi, V. 19 illustratque Iulius Cæsar Bulengerus L. de templis C. 9. Quo ex vsu remansit postea vasculum aquæ benedictæ in Ecclesiæ ingressu, vt notat idẽ Cornelius 1. ad Timotheum 2. numero 76. Et vel in ipsis Sacrificijs Gentilium scitum est illud Hesiodi,

Neque vnquam mane Ioui libato nigrum vinum
Manibus illotis, neque alijs immortalibus.

De quo more abluendi manus ante Sacra, & preces congerunt multa Cerda ad 8. Æneidos, V. 69. & ad 9. V. 23. Bonfrerius ad 30. Exod. V. 8.

610 Quoad nostrum autem Sacrificium ait Suarez Disput. 82. in proœmio ad finem, [Necessarium est, vt decens mũditia corporalis adhibeatur, quantùm recta ratio dictat. Et ideo iuxta Missalis regulas Sacerdos celebraturus manus corporaliter lavat: nã licet id etiam fiat in significationem spiritualis munditiæ, quàm habere debet, vt notat Innocentius L. 1. de hoc mysterio Cap. 49. tamen hoc etiam fit propter ipsam corporalem munditiam, & omitti facilè non debet, quanuis non videatur illa sufficiens materia rigorosi præcepti.] Sic Doct. Eximius; cui assentiuntur Tamburinus supra, Quartus parte 2. tit. 1. sect. 1. dubio 5. loquentes de præcepto Ecclesiastico: quod in verbis Rubricarum non agnoscitur à Quarto, vt qui censeat, eas esse merè directivas, & instructivas circa illa omnia, quæ ordinant pro præparatione ad Missam.

611 Sed esse præceptivas in hac etiam parte, existimandum est cõsequenter ad dicta in Sectione 1. Et ita ablutionis manuum ante Missam omissio erit peccatum veniale, si detur copia aquæ in Sacristia, vt indicat Diana supra cum alijs, quos citat. Quanquàm dubitari possit, an Pontifex voluerit obligare, casu quo paulò anteà extra Sacristiam lavisset manus Sacerdos, aut casu quo illæ absque ablutione essent sufficienter mundę? De faciei lotione nihil dicitur in Rub. Vnde etsi Diana, alijque apud ipsum loquantur eodem modo de facie, ac de manibus; sed præceptum Ecclesiasticum reticet de facie; & ideo quoad hanc non debet attendi nisi ad præscriptum iuris naturalis; & provt fuerit sordida notabiliter, aut leviter, peccabitur lethaliter, aut venialiter contra reverentiam, quam erga Sacrificium dictat ius illud naturale; nec nisi immunditia sit valde enormis, atque offensiva, peccabitur graviter.

SECTIO XXXVI.

Percurruntur breuiter alia mutationes in ritibus actionum, & in instrumentis sacris.

612 SI ritus vnius actionis mutetur in aliam, peccabitur mortaliter ex genere suo, provt dictum est de mutatione ritus verborũ in alia. Vbi digna sunt, quæ transcribantur verba P. Suarij Disp. 84. sect. 2. V. *Tertiò*, [Quando peccatur per additionem, si id re vera fiat animo immutandi, vel addendi novum ritum pertinẽtem ad novum modum cultus, vel adorationis, qui non est in vsu Ecclesiæ, vel ad specialem significationẽ mysticam ab Ecclesia non statutam, regulariter loquendo semper erit peccatum grave, quia est materia gravis superstitionis, eo quòd fit in publico, & gravissimo ministerio Ecclesiastico. Vnde ex se scandalum inducet. Si autẽ hoc non fiat animo inducendi novum omnino ritum, sed ex peculiari devotione aliquis faciat actionem aliquam ex se bonam, aut religiosam, non tamẽ in ritu Missæ contentam, quanuis indiscretè faciat, & venialiter etiam peccet (si ob aliquam ignorantiam non excusetur) tamen non peccabit mortaliter, quia sine dubio materia levis est.] Hactenus Suarez.

613 Vnde non laudo, sed potiùs reprobo consuetudinem (quam notavi in nonnullis) admovendi purificatorium fronti, oculis, & labijs, postquàm iuxta Rubricas eo extersérunt os, & calicem. Est quidem consuetudo indiscreta; quanquàm si Sacerdos laboret capite, aut oculis, tolerari possit, vt semel, aut iterùm applicet purificatorium eis partibus.

614 Reprehendendi etiam sunt ex dictis, qui signa crucis tam celeriter formant, vt videantur potiùs præstigiatores, & circulatores (*Iugadores de manos*, Hispanè dicimus) quàm Ministri Christi, personamque eius agentes; & multi vel non conficiunt crucis signa, sed præcipitatas quasdam manuum motiones, vel tam rapidè signa illa delineant in aere, vt non possint visu discerni. In eadem cul

pa

pa sunt, qui extensiones manuum, genuflexiones, capitis, & corporis inclinationes decurtant, qui ob festinationem anteponunt actiones verbis, aut verba actionibus, qui efficiunt actiones non in eo loco altaris, in quo debēt iuxta Rubricas.

615 Transpositio etiam actionum est graviter, aut leviter culpabilis, prout gravis, aut levis fuerit actio, quæ transponatur. Si sanguis ebibatur priùs, quàm hostia comedatur, cōmitteretur enorme peccatum lethale, non secus ac si priùs consecretur vinum, quam panis, vt docui in n. CXI. expedietque legere Iobium Monachum L. 3. de Verbo incarnato C. 18. apud Photium in Bibliotheca Cod. 222. pag. 598. & S. Fulgentium ad quæst. 5. Ferrandi, qui de præcedentia cibi ad potū in Sacrificio Missæ non nihil dicunt. Aliarum actionum transpositio quando sit peccatum mortale, vel veniale, poterit per se Lector facilè iudicare.

616 Thomas Tamburinus L. 2. Cap. 5. §. 3. num. 10. notat, non esse quidpiam addendum instrumentis sacris, atque adeò siue Pontificia facultate vsurpandam non esse pallam, super quam ponatur hostia. Nam additio talis pallæ licet solummodo illis, quibus concessit Sedes Apostolica, vt de Clericis Regularibus Theatinis adstruit latè Quartus parte 2 tit. 1. sect. 3. dubio 4. Vtuntur autem ea palla ad faciliùs, & securiùs colligenda fragmenta, vt aiunt. Nos etiam, & multi alij conuenienter ad Rubricas vtimur duplici palla parva, vna, qua tegitur calix post Offertoriū, altera, qua tegitur hostia, quandiu manet superposita patenæ vsque ad Offertorium, & qua post cōmunionem tegitur patena. Pallas has nullatenus adhibemus sub hostia consecrata. Et de vtraque palla egi in Disp. 25. num. 12. ac. 61. Quo in posteriori loco dixi, aut me non benè intelligere verba quædam Gavanti colludentia cū annotatione nunc proposita ex Tāburino, aut debere esse in vsu duplicem pallam, etsi contrarium indicaret Gavantus. Et quidem Rubricæ duas pallas exigunt, estque satis frequens illarum vsus. At Gavantus ad Rubricam de palla linea tegente hostiam ante Offertorium non distinguit eam pallam à tegente calicem post Offertorium, & immediatè post inquit, [Qui duplicem adhibēt pallam, alteram pro calice, alteram pro hostia, approbante, vt aiunt, Summo Pontifice, non sunt reprehendendi; non tamen imitandi sunt ab alijs sine Pontificia facultate. Esset enim additio ritus, quæ est à Pio V. prohibita.] Quæ Gavanti verba respiciunt ad morem PP. Theatinorum. De quibus non declarat Quartus, an vtantur duobus alijs pallis, quibus nos, neque inter eas discernit, vt neq; Gavantus; cum tamen Rubricæ satis clarè loquantur de eis vt diversis.

617 Illi, quibus præter Corporale sit in vsu palla parva ad suscipiendam immediatè hostiam consecratam, tenentur curare, vt ea palla sit linea, alba, munda, & benedicta, æquo iure, ac apud nos Corporale his debet conditionibus ornari, vt latè ostendi in ea Disp. 25. comprobatque eruditè Iosephus Vicecomes Volumine 4. Observationum Ecclesiasticarum Lib. 7. de Missæ apparatu ex Cap. 1. vsque ad 5. addenduisque est Patribus abillo, & à me adductis Author L. de Vita eremitica ad Sororem C. 38. inter Opera S. Augustini tomo 1. agens de Corporali, de que eius materia ex lino. Legebam nuper secundum tomum Opusculorum Doct. D. Iosephi Fernandez de Retes Veiperarij Legum Antecessoris Salmanticensis, & cum in Cap. 29. I ibri 8. adnotassem, proferri ab ipso Decretum S. Sylvestri de materia linea Corporalis, percurri avidè totum Caput; sed affert præfatum Decretum, vt confirmet, vestium linearum vsum in Sacrificijs promanasse ab Hebræis in Ægyptios, Africanosq; Gentiles, & in Christianos. Pace tamē exultissimi Iurisconsulti, mihiq; amicissimi non Corporale (vt quod minimè sit sacrificantium vestis) sed Alba linea in Sacris retenta est à Christianis ad imitationem Aaronicæ tunicæ lineæ, & strictæ, de qua Exodi 28. vt observat ibi Cornelius ad V. 39. qui, vt & Sopranes Digressione 1. de re vestiariâ Iudæorum Capite 2. §. 10. in fine monent,

Ægyptios ex vicinia Iudæorum didicisse vestes lineas in Sacrificijs.

SECTIO XXXVII.

An, & quatenus vetita sit mutatio rituum accidentalium in materia consecrationis?

618 NON modò in verbis, & actionibus, instrumentisque sacris faciēda, non est mutatio, sed neque in materia consecrationis quoad ritus, seu potiùs conditiones quasdam accidentales requisitas ex communi Ecclesiæ more. Attingam nonnullos casus in particulari. Et in primis deficiente aqua, aut pane azymo, quanquam instaret magna necessitas celebrandi, deberet non fieri mutatio in cœremonia miscendi aquā vino, aut consecrandi panem azymum apud Ecclesiam Romanam à Sacerdote Romano, quia ei necessitati præpōderat grauitas cuiuscumque ex his cœremonijs, provt sentiunt communiter Theologi contra paucos alios; inter quos Filliucius tomo 1. Tract. & Cap. 5. num 170. ait, [In particulari huiusmodi defectus tribus modis possunt contingere. Primo modo in materia, & forma consecrationis, vt si panis sit fermentatus, vinum sine aqua, &c. Et tunc si præuideretur ante Missam, & non posset suppleri, potest tolerari, si sit necessitas, & nullum scandalum: si post oblationem, eodem modo dissimulandum: si post consecrationēm, prudenter curandum est, vt defectus tegatur.] Sic Filliucius. Sed valde laxè circa defectum aquæ, & azymi ante consecrationem. Meliùs Suarez Disput. 84. sect. 2. V. *Solùm in hoc*, inquit, [Si tempore oblationis calicis Sacerdos intelligat, deesse aquam, & non possit expectare, donec afferatur, potiùs debet omittere, quàm vlteriùs progredi, aut consecrare sine mistione aquæ, quia iuxta ritum Ecclesiæ illa censetur res valde grauis.] Hucvsque Suarez, qui paulò antea in eodem gradu grauitatis collocarat cœremonias panis azymi, fractionis Sacramenti, & commistionis particulæ consecratæ specierum panis cum speciebus vini.

619 Mutatio in aqua infundenda vino, ita vt ea non sit naturalis, atque elementaris, sed artificialis, non potest fieri absque graui peccato. Probatur primò, quia Ecclesiæ consuetudo, & præceptum, exemplumque Christi est de aqua naturali; quæ nomine aquæ simpliciter, & absolutè prolato intelligitur. Sed quia aqua admiscenda vino significat eam, quæ de latere Christi manauit, & quæ vera aqua, & elementaris fuit, iuxta Cap. *In quadam* 8. de Celebratione Missarū: vbi adnotatu sunt digna verba illa. *Neque per hoc posset vero argumento probari, quòd in Sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino, si de latere Christi non aqua, sed phlema cum sanguine profluxisset.* Tertiò, quia aqua, qua temperandum est vinum, significat populos, iuxta C. *Cum omne crimen* 7. de Consecratione, Distinct. 2. Cap. *Cum Martha* 6. de Celebratione Missarum, §. *Verùm inter opiniones*, & iuxta Concil. Trid. Sess. 22. C. 7. aqua autem elementaris est, quæ significat populos. Legatur S. Thomas 3. par. quæst. 74. art. 7. ad 3. vbi tam ipse, quàm cæteri Theologi consentiunt in doctrina proposita. Sed Paludanus vnam apponit exceptionem in 4. Dist. 11. quæst. 1. art. 6. Conclusione 3. dicens, [Si homo non posset habere aliam aquam, & iam processisset vsque ad Offertorium, & non posset dimittere sine scandalo, tunc fortè liceret miscere aquam artificialem pro naturali.] Applaudit Amicus Disp. 16. sect. 5. num. 97. Ego procurarem sedare scandalum dimittendi Missam.

620 Si calici infundatur aqua naturalis habens artificialem permistam in parua quantitate, peccabitur grauiter contra negatiuum præceptum nō miscendi aliquid in materijs Sacramentorum præter Christi institutionem, & consuetudinem Ecclesiæ. Ita Suarez Disp. 45. sect. 3. V. *Primò igitur*; quem Tamburinus infra, num. 2. interpretatur de graui peccato intra terminos tātùm venialis, quia sic persuadet paruitas materiæ. Sed contextus Suarij ostendit, esse sibi sermonem de peccato graui mortali, & non est paruitas materiæ, si in Sacrificio offeratur alia substantia præter vinum, aquam naturalem, & panem contra C. *Non oportet* 4. de Cons. Dist. 2.

621 Cæterùm si sola aqua naturalis, sed calida immittatur vino, non

non videtur fore peccatum lethale, si abſit animus introducendi novum ritum, contemptus, & ſcandalum, quia non eſt mutatio conſuetudinis Eccleſiaſticæ, quæ gravis ſit, vt inquit Diana parte 6. Tract. 7. Reſol. 18. contra Fagundez, & Perſicum; concordatque Franciſcus de Lugo L. 4. C. 2. quæſt. 7 num. 36. Idque certum videtur, quod monet Diana ibidem, ſi in aliqua friditſima regione eſſet conſuetudo miſcēdi aquam calidam, ne vinum congeletur, poſſe ſine vllo peccato id fieri: & ob æqualitatem rationis in eis regionibus, in quibus vſualis potus eſt calidus, vt in Laponia, & Sinis. Conſiderent q; viri docti, num inter nos fas etiam eſſet Sacerdoti, cui noceret potus frigidus, ſi aliunde ex miſtione aquæ calidæ nō ſequeretur ſcandalum, aut illud pręcaueretur. Apud Græcos moris eſt, aqua calida diluere ſpecies vini iam conſecrati. De qua ipſorum cæremonia non reprobata ab Innocentio IV. in Bulla incipiente *Sub Catholicæ*, edita anno 1254 legantur S. Germanus Patriarcha Cōſtantinopolitan⁹ in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, Nicolaus Cabaſilas in Explic. Liturg. Cap 37. Balſamon in Can. 32. Trullanum, Arcudius Libro 3. Concordiæ Eccleſ. Occid & Orient. Cap. 39. Sed qui in Eccleſia Latina id faceret, peccaret abs dubio grauiter.

622 An verò fas ſit, nive, aut gelu infrigidare aquam, & vinum deſeruitura in Sacrificio? Tractatur noniter à Tamburino Lib. 2. C. 4. §. 2. Et iā olim vſus fuit hac induſtria S. Gerardus Epiſcopus Canadienſis, cui, vt narratur in eius vita apud Surium 24. Septembris, [erga miniſteria Eccleſiaſtica magna cura, & ſolicitudo inerat. Itaq; æſtivo tempore in domo Dei vaſcula glacie plena ponebantur, in quibus lagunculæ, & vinum, quod poſſet optimum inueniri ad Dominici ſanguinis conſecrationem, aſſervarentur. Dicebat enim, quod per fidem intus accipitur, id extrinſecùs ſuave inveniri oportere.] Aſt tam exquiſita cura frigefaciendi vinum, & aquam veneranda potiùs eſt, quàm imitanda. Nam etſi Sanctus ille nō præinfrigidarit vinum, & aquam ad delitias, neque ad meram guſtus delectationem, timeri poteſt, ne, ſi alij faciant idem ipſum, moveantur ex fine inordinato nimiæ commoditatis, & ne populus tribuat voluptati ipſorum potiùs, quàm ſincero affectui adhibendi ad Sacrificium meliora quæque, & præſtantiora intra ſpeciem ſubſtantiarum, quæ ſunt materia conſecrationis. Tamburinus exiſtimat, poſſe per ſe ſine vllo peccato infrigidari nive, aut gelu, tempore verno, aq; æſtivo, vinum & aquam infundenda calici, quia id non eſt contra reverentiam Sacramenti, neque contra conſuetudinem obligantem etiam ſub peccato veniali, nam etſi infundi ſoleat vinum, vt caſu invenitur in dolio, & aqua, vt in amphora; ſed quod is vſus ſit ſub obligatione aliqua, non conſtat.

623 Ego cum Suario ſupra dixerim, [quoad qualitatem accidentalem aquæ, vt quod ſit frigida, ſervādam eſſe reverentiam Sacramenti, & ordinariam conſuetudinem Eccleſiæ, & nullum novum ritum introducendum.] Vnde vbi vſus præinfrigidandi data opera vinum, & aquam non inualuerit, ſuadebo, ne de novo invehatur. Si alicubi eſſet periculum, ne nimio calore vinū evaneſceret, aut corrumperetur, oporteret frigefacere illud. Et vbilibet curandum eſt, vt vinum ſit generoſum, ac purum; & ad munditiem debitam tanto Sacramento magis conducit vinum album, quam nigrum, vt notat Vazquez Diſp. 175. C. 1. num 5. Ideoque Concilium Mediolanenſe 1. p. 2. tit. de pertinentibus ad celebrationem Miſſę hortatur, vt in Sacrificio adhibeatur vinum album. Similiter curandum eſt, vt vinum ſit defæcatum, & aqua pura, ac limpida, nam de his qualitatibus ſemper curavit Eccleſia; poteſtque peccari graviter, vel leviter contra reverentiam Sacramenti, ſi vinum, aut aqua multùm, aut parùm ab eis recedat.

624 Audiantur verba S. Aniceti Papæ apud Burchardum Lib. 5. C. 29. Ivonem parte 2. C. 38. & apud Theodulphum Epiſcopum Aurelianenſem In Epiſtol. ad Presbyteros ſuos, [Panes, quos Deo in Sacrificium offertis, aut à veſtris pueris coram vobis nitidè, ac ſtudioſè fiant. Et diligenter obſervetur, vt panis, & vinum, & aqua, ſine quibus Miſſæ nequeunt celebrari, mundiſsimè, atque ſtudioſè tractentur - & nihil in eis vile, nihil nō probatū inveniatur, iuxta illud, quod

ait

ait Scriptura: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.] Consonat Concilium Coyancense celebratum in Hispania anno 1050. C. 3. inquiens, [Hostia sit ex frumento, sana, & integra; vinum sit mundũ, & aqua munda, ita vt inter vinum, hostiam, & aquam Trinitas sit significata.

625 Concilium etiam Toletanum XVI. C. 6. ait, [Ad Conventus nostri agnitionẽ delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum, partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocati, non panes mundos, & studio præparatos supra mensã Domini in Sacrificio offerant; sed passim quomodò vnumquemque aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis vsibus præparatis, crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ authoritatis historia vspiam gestum perpenditur :: Vnde temeritatis huius, aut nescientiæ cupientes terminum ponere, id vnanimitatis nostræ delegit Conuentus, vt non aliter panis in altari Domini, Sacerdotali benedictione sanctificandus, proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus.]

626 Odo Cameracensis Episcopus in Expositione Missę Distinct. 3. quia in Missæ Canone hostia vocatur immaculata, inquit, [Ex hoc loco advertimur, quòd panis appositus altari debet esse candidissimus, & in quo nulla possit inspici macula.] Legantur Algerus de Sacramento altaris L. 2 C. 9. Stephanus Eduensis C. 13. Sanctus Vincentius Ferrer Serm. in Cœna Domini, vbi scribit, *Auisentur Sacerdotes, ne hostia sit angularis, vel maculata.*

627 Noster Rex Alfonsus Sapiens leg. 52. tit. 4. Partita 1. monet, panem consecrandum debere fieri à Clerico valdè mundè, & accuratè. Monachi S. Pachomij pinsebant panes oblationis, vt narratur in eius vita. Iuberturque in Præmõstratensium statutis Dist. 2. C. 8. titulo de Sacrista, vt pinsentes hostias semper in Alba, aut Superpelliceo sint, in loco mundissimo linteis cooperto, citra fabulas, & otiosos sermones. Plura alia de studio, & nitore in parãdis hostijs habet Lanofrancus apud Novarinum in Agno Eucharistico num. 679. Palludius in Hist. Lausiaca C. 145. refert de Candida fœmina nobili, fuisse visam à se *tota nocte laborantem, & proprijs manibus facientem panem oblationis*: de S. Radegunde Regina scribit Fortunatus, *Dispensasse incessabiliter locis venerabilibus oblationes suis manibus factas.* In Regula Sanctimonialium, quam continet Epistola VIII. Petri Abaelardi, dicitur, *Hostias, si fieri potest, Virgines conficiant, & frumentum purgent, vnde fiant.* De S. Vvenceslaõ Rege Bohemorum traditur in eius vita, meruisse, & vindemiasse, quæ pro Sacrificio afferret Sacerdotum manibus. Ex quibus omnibus liquet, quantam diligentiam, & studium circa materiam consecrationis adhibuerit semper Ecclesia. Et ideo in Regulis nostri Æditui num. 8. & 9. iuxta disciplinam antiquam Ecclesiasticam sic præscribitur, *Curet, vt vinum, quod in Sacrificium paratur, sit bonum, & merum, ac mundum, eoque ipso die haustum: similiter, & aqua, & ampullæ sint mundæ, & decenter coopertæ. Hostias faciat, quàm fieri poterit, pulchras, eo numero, vt & Missis, & communionibus sufficiant.*

628 Præfatæ conditiones, quòd hostia scilicèt sit sana, integra, seu non fracta, candida, munda, seu sine macula, obseruari debent exactè à Sacerdotibus, siquidem ex consuetudine Ecclesiæ requirãtur ad decentiam materiæ consecrandæ. Peccarique potest graviter in earum mutatione, si fiat ex animo introducendi novum ritum, aut ex contemptu, vel si fiat cum gravi notã, & scandalo, vel si cedat in irreverentiam notabilem Sacrificij, & Sacramenti, vt si hostia esset enormiter immunda, aut fracta, proindeque inhabilis ad executionem rituum magni momenti. Cæsarius Lib. 9. Illustrium miraculorum, & historiarum C. 65. prodit litteris casum satis singularem, ex quo innotescit, quanta munditiés debeat in hostia curari. Ait itaque, [Cũ Sacerdos Missam celebraret, & dicto Evangelio, vt Sęcularibus mos est, ministrante Scholare, hostiam patenæ superpositam super Corporale locasset, illa mox resilivit. Putans, hoc Sacerdos casu accidisse, neque hostiam benè locatam, denuò eandem superposuit:

quæ

quæ remotiùs, eo intuente, resilivit, quam priùs: cumque tertio id tentasset, quasi turbine impulsa proiecta est de altari. Quo viso territus est valde, & se tanto ministerio indignum reputans, præcepit Scholari, vt, eadem hostia reseruata, aliam superponeret, quã & consecravit. Dicta vero Missa, tollens secum hostiam prædictam Coloniam properavit, invenientq; Priores apud SS. Apostolos, hostiam ostendit, quidde ea factum sit, recitavit. Cũctis causam mirantibus, vnus Clericorum hostiam contra lucem levans maculam in ea cõtemplatus est, quam cum in aspectu multorum fregisset, cimex, qui vulgò pediculus parietum dicitur, apparuit in ea decoctus: & glorificaverunt Dominum omnes, qui aderant. Haud dubium, quin à SS. Angelis reiecta est, qui non sunt passi, vt panis tam fœdo vermiculo corruptus per ministerium Sacerdotis transiret in corpus Domini.] Hæc Cæsarius.

629 Qui subiungit adnotationem hanc, qua tui, & nostri temporis incuriam perstringit, [Vides, quanta sit negligentia Sacerdotum nostrorum! Olim Sacerdotes legales ad Propositionis panes, agros ipsi excolebant, seminabant, triturabant, molebant, pinsebant, panes formabant, & coquebant, erantque de simila mundissima: attamen in illis panibus sola erat figura. Heu modò panes, sub quibus est veritas, id est, corpus Christi post consecrationem, pinsunt, atq; formant, & coquunt negligentes vxores Campanariorum, & ideo tales eveniunt negligentiæ.]

630 Debet præterea consecranda hostia esse figuræ rotundæ ex antiquo Ecclesiæ more; de quo testãtur S. Cæsarius frater S. Gregorij Nazianzeni Dialogo 3. S. Epiphanius in Ancorato, S. Chrysostomus Homilia 83. in Cap. 26. Matthæi, S. Gregorius Magnus Lib. 4. Dialogorum Cap. 55. Concilium Toletanum 16. C. 6. Sanctus Vincentius Ferrer Serm. in Cœna Domini, S. Bonaventura in Expositione Missæ, S. Antoninus parte 3. Summæ tit. 13. C. 5. § 4. Author de Officijs Eccles. apud Valdensem tomo de Sacramentis C. 90. Humbertus L. ad Græcorum calumnias, Simeon Thessalonicensis Lib. de Sacramentis, Yso in Actis S. Othmari L. 2. Cap. 3. Adduciturque ab Heredia de Eucharistia ad Repetitionem textus in Canone 1. de Consecratione Dist. 2. parte 3. dub. 1. num. 2. Rabbi Salomon præsignans figurã rotundam in hostia tempore Messiæ. Apud Græcos modernos panis, qui Sacrificio destinatur, iam circularis, iã quadrangularis est; eximuntq; ex toto pane quadrangularem medietatem, vt eam consecrent, vt videre est in Arcudio L. 3. de Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis Cap. 38..

631 Ast apud Latinos cõsũater hostia formatur rotunda, quia, vt ait Durandus Lib. 4. Rationalis C. 30. num. 8. [Domini est terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniversi, qui habitant in eo:: & ipsa tui forma significat illum, qui principio caret, & fine quamuis ipse sit Alpha, & Omega, principium principians, atque finis:: Rursus cum figura rotunda formetur à pũcto ad punctum, per hoc innuitur, quòd ab ipso sunt omnia, & ad ipsum omnia retorquentur.] Rursus idem Durand. C. 41. n. 8. addit, [Panis hic formatur in modum denarij, tum quia panis vitæ pro denarijs traditus est, tum quia idẽ denarius in vinea laborantibus in præmium dandus est: & in forma rotunda.] His postremis verbis similia habet Honorius Augustodunensis Lib. 1. de antiquo Missæ ritu C. 35.

632 Et in Cap. 66. addit, [Fertur, quòd olim Sacerdotes è singulis domibus, vel familijs farinam accipiebant (quod adhuc Græci servant) & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant; & hunc consecratum eis distribuebant. Nam singuli farinam offerentium in Missæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur, *Omnium circumstantium, qui tibi hoc Sacrificium laudis offerunt.* Postquàm autem Ecclesia numero quidem augebatur, sed sanctitate minuebatur propter carnales, statutum est, vt qui possent, singulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel summis festivitatibus, vel ter in anno communicarent, ne ante confessionem, & pœnitentiam pro aliquo crimine iudicium sibi sumerent. Et quia populo non communicante, nõ erat necesse, panem tam magnum fieri, statutum est, eum in modum denarij formari, vel fieri, & vt populus pro oblatione

latione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognosceret. Qui tamen denarij in vsum pauperum, qui membra sunt Christi, cederent, vel in aliquid, quod ad Sacrificium pertineret.] Hactenus Honorius.

633 Qui & meminit Cap. illo 35. alterius consuetudinis Ecclesiasticæ debitæ obseruari in hostia conficeranda, vt scilicèt ea habeat Imaginem crucis, vel Christi crucifixi; ait enim Honorius, [Ideo imago Domini cum litteris in hoc pane exprimitur, quia & in denario imago, & nomen Imperatoris scribitur; & per hunc panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen nostrum in libro vitæ notatur.] Reperiuntur eadem ferè verba in Durando Lib. 4. Rationalis C. 41. num. 8. adijcitque, [Nonnulli etiam ibi agnum figurant, tum quia is, qui immolatur, verus est agnus, tum etiam propter illud, quod legitur Exodi 29. Hæc quidem facies in altari, offeres agnos iugiter, & vinum ad libandum in agno.] Iosephus Vicecomes Volumine 4. Obseruationum Ecclesiasticarum Lib. 2. C. 15. comprobat ex Liturgia S. Ioannis Chrysostomi, & ex Nicolao Cabasila in Expositione Liturgiç C. 6. eundem morem formandi crucem, vel Christum cruci affixum in hostia. Sed In formulis pro cõmunione populi non solet tam diligenter curari de huiusmodi imagine, neque de figura rotunda. Quantùm verò, & quousque de his debeat curari in hostia pro communione Sacerdotis, colligitur ex dictis circa alias conditiones sanitatis, integritatis, & munditiei.

SECTIO XXXVIII.

De alijs mutationibus, quæ cauendæ sunt in ritibus accidentalibus circa materiam consecrationis.

634 INSVPER hostia consecrandi pro communione Sacerdotis debet habere magnitudinem conuenientem ad cœremonias elevationis, & fractionis, & ad alias, quæ in Missa fiunt. Hæc magnitudo nõ est mensuræ determinatæ. Ne valdè excedat, cauetur in Concilio Toletano XVI. C. 6. his verbis, *Neque grande aliquid in altari proponatur, sed modica tantùm oblata, secundùm quod Ecclesiastica consuetudo retentat: cuius reliquiæ aut ad conseruandum modico loculo absque aliqua iniuria facilius consecrentur; aut si ad consumendum fuerit necessarium, non ventrem illius, qui sumpserit, grauis farciminis onere premat; nec quod in digestionem vadat, sed animam spirituali alimonia reficiat, ita nempe, vt ab ijs, qui ea sumpserint, priscorum Canonum instituta seruentur.* Huc faciunt verba illa Concilij Nicæni I. relata ab Alfonso Pisano Lib. 3. de Niceni Concilij Decretis, & à Bellarmino L. 2. de Sacramento Eucharistiæ C. 10. *Iterùm etiam hìc in diuina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem, & calicem, sed attollentes mentem fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius corpus, & sanguinem verè nos sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola; propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, vt sciamus, non ad satietatem, sed ad sanctificationem sumi.* De Alexandro I. Papa refert Radulphus Decanus Tungrensis Propos. 23. libri de Canonum obseruantia præcepisse, [Vt hęc oblatio ex azymo fieret in modica quantitate, dicens: Quantò paucior, tantò potior.] Sed Durandus in Rationali L. 4. C. 30. num. 21. non habet, nisi *Quantò rarior, tantò pretiosior.* Fides alterutrius dicti sit penes ipsos.

635 Si hostia careat magnitudine solita, & non reperiatur alia maior, non ideo debet Sacerdos omittere Sacrum in Sacello secretò, imò neque in templo publico, si sit dies festi de præcepto, cui populus satisfacturus sit, nam necessitas celebrandi in hoc casu præponderat defectui hostiæ magnæ, aut etiam rotundæ. Sed priùs occurrẽdum est scandalo. Ita post Marchantiũ Diana parte 5. Tract. 13. Resol. 80. p. 6. Tract. 7. Resol. 17. Raphael Aversa q. 11. sect. 12. V. *Rectè*, Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 9. quæst. 3. num. 17. Antonius de Quintanadueñas in Instructione Ordinandorum p. 5. §. 8. n. 4.

Quartus

Quartus quæstione præmiali, Sectione 5. puncto 4. Vers. *Colligitur*, Tamburinus Libro 2. Capite, & §. 8. numero 16. Huius autem doctrinæ conscius quidam Sacerdos, cum ob defectum hostiæ grandioris consecrasset formulam, visus est ad evitandum populi scandalum ea industria, vt elevaret non formulam, sed hostiam debitæ magnitudinis præconsecratam, quam è Tabernaculo sacro extraxit. Gelsitne se bene? Marchantius, & post eum Diana parte 5. Tractatu 13. Resolutione 96. Aversa quæstione 11. Sectione 2. Vers. *Sexto*, Franciscus de Lugo Lib. 5. Capite 2. quæstione 4. numero 53. Dicastillus Tract. 5. Disput. 1. dubio 10. numero 201. sentiunt, fore, vt melius se gessisset, si simul cum hostia magna elevasset formulam, sic enim servasset cæremoniam exhibendi adorandam populo Eucharistiam consecratam in eodem Sacrificio, & occurrisset scandalo eiusdem populi. Cæterùm Thomas Tamburinus supra numero 22. censet, consultius non esse hoc secundum, quàm illud prius, quia Rubrica extans §. 8. num. 5. in titulo de Ritu servando, vt elevetur adoranda eadem hostia, quæ consecrata est in eadem Missa, non est præceptiva, sed directiva; & quanuis præceptiva esset, non apparet, cur ex causa præfata non possit iudicari non obligare tunc. Et sicut ex eadem causa fas est penes Marchantium, & sequaces alios elevare duas hostias, cum tamen Rubrica non loquatur, nisi de elevatione vnius solius, cur æquè fas non erit, elevare solam hostiam grandiorem non consecratam in ea Missa?

636 Quartus tandem p. 2. tit. 3. S. 1. dubio. 7. existimat, debere per se in eo casu elevari solam hostiam paruam, instructo ante Sacrum populo de licita illius consecratione; nam non elevare ipsam, est contra Rubricam præcipientem; & similiter contra eam est elevare hostiam grandiorem; præmonitis autem adstantibus, irue obviam scandalo, & elevata sola hostia parva, manet salva observantia Rubricæ.

637 Discurrunt probabiliter hi Authores. Sed vt ego quidquam reponam, & non sim tantùm auditor, dico, si, elevando hostiam grandiorem siue solam, siue simul cum minori, evitetur interventiui nota de facto Sacro cum formula, latius id esse, quam præmonere illos, præbereque eis rationem, nam forsan post ipsam redditam non deponent inquietudinem, atque offensionem. Et in alijs casibus, in quibus ex defectu alicuius cæremoniæ timetur populi scandalum, non solet recurri, aut raro recurritur ad instructionem præsentium, sed curatur occultari defectus, aut alia via suppleri; vltimumque remedium esset, quod Sacerdos sui facti redderet rationem. Et quidem quod elevetur hostia grandior, siue sola, siue simul cum minori, non est res tanti momenti, vt ob id sit incurrendum peccatum mortale, imò neque veniale in circumstantijs casus propositi. Quare, si casus iterùm eueniat, elevet Sacerdos siue sol. n. grãdiorem hostiã, siue simul cum minori, vel, si ei magis placeat, præmoneat populum, elevetque minorem tantùm.

638 Iam autem vt ex more Ecclesiæ hostia pro celebratione Sacri, & pro communione Sacerdotis solet esse magna, sic parvæ solent esse, quę pro communione non sacrificantium consecrantur: vocatque Tertullianus Lib. de Monogamia Cap. 11. *buccellas* fragmenta illa parua, quę communicaturis Laicis distribuebantur, vt interpretatur Baronius anno 57. num. 149 etsi Albaspinæus in quibusdam Tertulliani locis explicatis intelligat eum de pane profano mendicantibꝰ elargito: S. etiam Basilius in Epist. ad Cæsariam Patritiam, & ex eo Anastasius Nicænus apud Baronium supra, num. 150. S Augustinꝰ, & alij appellant *particulas* Eucharistiam dispensatam Laicis Et olim quidem ex hostia, quam in maiori quantitate sumebat Sacerdos, reservabatur pro alijs minor quædam pars, saltemque singuli minorem partem accipiebant, quàm ipse Sacerdos. Videantur quæ dixi Disput. 3. num. 56. noteturque nunc insignis locus ex Exordio Ordinis Cisterciensis C. 54. vbi dicitur, *Omnibus diebus, quibus Conventus communicat, possunt (vbi necesse fuerit)*

plures hostiæ consecrari, & super patinam communicaturis distribui. Nam cæteris tam priuatis, quàm festiuis diebus, ad omnes Missas vna tantũ hostia consecretur, cuius tertiam partem Sacerdos super calicem tenens communicaturis distribuat, & postea sanguinem. En minorem portionem pro non sacrificantibus. En etiam iam tunc vsitatam formularum diuersarum consecrationem ad communionem Religiosorum non celebrantium. Quod confirmat Vicecomes Volumine 3. Obseruationum Ecclesiasticarum Libro 2. Cap. 13. exemplo petito ex vita Sanctæ Coletæ scripta ab Stephano Iuliaco. Sed tempore eius Sanctæ, quæ obijt anno 1447. erant absdubiò frequentissimæ illæ formulæ, imò illæ solæ, & non pars adempta ex hostia, conferebantur communicaturis. In Can. *Tribus gradibus* 23. de Consecratione Distinctione 2 dicitur ex Sancto Clemente Papa I. *Tanta in altario certè holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant.* Quibus verbis significatur, initio etiam Ecclesiæ plures hostias fuisse consecratas. Sed præstat exponere de quantitate continua maiori, vt maior esset numerus eorum, qui Eucharistia cibandi essent, ita quidem, vt singuli è populo participes fierent minoris quantitatis, quàm Sacerdos celebrans.

639 Certè in præsentiarum non licet hostiam magnam, eamque integram Laicis dare, vt notat Tannerus tomo 4. Disput. 5. quæst. & dubio 8. numero 191. meminitque ibi cuiusdam grandis miraculi, quod accidit aduersus Laicum, qui magnam hostiã sibi ministrari postulauit arroganter. Refertur illud ad longum à Tilmanno Bredenbachio Libro 1. Collationum sacrarum Capite 55. his verbis, [Anno à Nativitate Domini 1384. quidam dictus Osvvaldus Mulser, ex nobili ortus prosapia in Seveld, & ibidem in Castro vulgariter Schlosperg nuncupato residens, tempore Paschali, quo Christi fideles ex præcepto Ecclesiæ ad communionem Eucharistiæ accedere solent, maiori hostia, & non vt cæteri Laici, communicare nitebatur. Ex timore itaque huic Sacerdos perniciosè assentiri volebat. Sed dum venerabile Sacramentum supra linguam antedicti Osvvaldi poneretur, ecce miraculosè ante altare terra se aperit, ac si ipsum Osvvaldum prorsus deglutire vellet, & in illam vsque ad genua cecidit. Ille verò manibus latus altaris apprehendit; sed altare istic totùm instar ceræ molescere cæpit, manibusque celsit. Osvvaldus præsentem Dei vindictam præsentiens, mox pœnitentia ducitur, veniam à Deo precatur. Cumque hostiam deglutire non posset, Deo id non permittente, Sacerdos eam in Sacrarium reponit: quæ etiam num hodie istic sanguine colore diuinitus tincta, & ex linguæ saliva contacta conspicitur. Vbi etiam iam inde ad nostra vsque tempore plurima fiunt miracula:: Porrò Osvvaldus iste sic diuinitus correptus in molestam incidit ægritudinem, pœnitentiamque agens, & confessus aliquanto supervixit tempore, demum mortuus in Domino.] Sic Bredenbachius & ex ipso, & Rubeo Libro 1. de Eucharistia Capite 7. Benedictus Gononus Libro 2. Historiæ Eucharisticæ Cap. 41.

640 Non expressit Tannerus, an sit graviter, vel leviter tantùm illicitum, ministrare Laicis hostiam magnam. Primum placet Quarto, quæstione præmiali, Sectione 5. puncto 4. Versic. *Respondeo, hoc.* Et certè vix poterit fieri sine graui scandalo eorum, ad quorum notitiam perueniat. Potestque timeri error circa virtutem Sacramenti, quatenus qui à consilio dat Laico hostiam magnam, aut quatenus Laicus eam postulans existimet, maiori quantitati specierum Sacramentalium respondere maiorem gratiam ex opere operato. Qua de causa, vt referunt Suarez Disputatione 63. Sectione 7. Vers. *Hanc quæstionem*, & Henriquez Lib. 8. Cap. 43. §. 2. lit. K. in Glossa à Censoribus fidei proscriptus est abusus porrigendi plures formas consecratas eidem personæ. Et Vazquez Disputatione 203. Capite 2. num. 26. dixit, [Curandum esse, ne maior quantitas specierum mulierculis ignorantibus detur, quia ::: facilè introduci potest falsa opinio de virtute huius Sacramenti, vt eò maior existimetur, quò plures sint species panis, aut quò maior

quantitas

quantitas illarum sit.] Luisius etiam Turrianus in Censuris Theologicis Centuria 3. dubio 29. scripsit, [Alij verò graviter reprehendunt eam doctrinam, & vsum aliquarum fœminarū, quę secretò sumunt plures formas consecratas ad cōmunicandum, nulla causa subsistente. Et ego existimo, esse contra communem vsum Ecclesiæ, & consuetudinem, quæ habet vim præcepti. Et ideo referunt viri graves, quòd Inquisitores solent punire fœminas istas, & eos, qui illis plures formas tribuunt.] Sic Turrianus. Testaturq; Dicastillus Tract. 4. Disp. 8. dub. 3. n. 42. monitos fuisse Confessarios a Cardinali Zapata Supremo in Hispania Inquisitore, ne cui darent plures formas consecratas. Quæ admonitio posterior fuit illa damnatione memorata ab Henriquez.

641 Quòd autem, si maior quantitas specierum sumatur, durabit magis in stomacho Christus sacramentatus, & proinde gratia ex opere operato Sacramenti vberior erit, homine continuè proficiente in actuali dispositione, ac devotione, non sufficit ad honestandam dispensationem hostię magnæ, aut plurium formarum pro cōmunione Laici; tum quia falsò supponitur, diuturniorem Christi moram sub speciebus intra stomachum conducere ad lucrandam cumulatiorem gratiam ex opere operato. Refutavi latè id in Disp. 13. de Eucharistia num. 6. & sequentibus. Tum quia ipsi etiam Authores, quibus gratum id est, præcauent, ne inde accipiatur occasio ad sumptionem hostiæ magnæ, aut pluriū formarum. Legantur Suarez in fin. S. illius 2. Coninch 3. p. quæst. q. 79. ar. 1. dub. 2. num. 46. Averta quæst. 7. S. 4. V. *Nec S. Thomas*, Pellizarius in Manuali Regul. T. 5. C. 3. n. 114. Et licet peraccidens maior quantitas specierū possit iuxta ipsos esse occasio maioris gratię, si interim, ac illæ manēt incorruptæ in stomacho, homo se devotiùs, & ferventiùs disponat, tamen attendēdum esse dicunt consuetudini, rituiq; Ecclesiæ, & non aperiendam portam, vt indiscretè devoti non contenti vna forma petant centum, & mille. Et sicut Ecclesia modum posuit communioni Laicorum, vt vnica tantùm esse posset in die, sub specieque solius panis ob euitanda gravia incommoda, licet communione repetita in die, & sub vtraque specie augeiceret gratia ex opere operato; ita eiusdē Ecclesiæ consuetudo, & ritus meritò fert, vt Laicis non detur hostia magna, neque plures formæ ob inconvenientia, quæ significamus, etsi maior quantitas specierum posset peraccidens esse occasio vberioris gratię ex opere operato Sacramenti, vt ex abundanti permitto in præsentiarum; sed censens cum Raynaudo in Heteroclitis spiritualibus, & in Laude brevitatis Sect. 1. num. 12. cum innumerisque alijs Theologis, esse absolutè falsum.

642 Quoad quantitatem vini infundendi in calicem, vt consecretur, nihil hactenus præscripsit Ecclesiæ consuetudo, dummodò enim illud non exundet in calice, neque sit periculum, vt effundatur, potest quisque pro suo libito tantam, vel tantam quātitatem apponere. Sed si cuppa sit valde capax, decet, vt apponatur in quantite moderata, ne videatur inserviri gulæ. Nunquamque debet vinum tam modicū esse, vt aquę admistio nōqueat conuenienter fieri. Fit autem hæc convenienter, si iuxta Cap. *Pernicioſus* 13. de Celebratione Missarum minus de aqua, quàm de vino ponatur in Sacrificio; ita enim, vt ibi dicitur, fert rationabilis consuetudo Ecclesię generalis. Et in Concilio Florentino in Decreto Eugenij traditur, aquam debere esse modicissimam, scilicet respectu vini, ita vt quò minus vini appositum fuerit, debeat minus aquæ admisceri, & quò plus vini, magisque generosi calici sit infusum, possit plus aquæ injici, sed ita vt semper sit modicissima respectu illius. Vnde etsi aquæ gutta, quæ sensibilis sit, sufficiat, vt præceptum de mistione adimpleatur, oportet, Sacerdotem non esse nimis scrupulosum in vna tantùm, vel altera gutta instillanda ex ampulla. Concilio Triburiensi Can. 19. non displicet, si duæ partes vini diluantur vt summùm tertia aquæ. Sed tertia pars comparativè ad duas non est modicissima, qualem requirit Concilium Florentinum; ideoque minor pars aquæ suadenda est. Videantur, quæ scripsi in Disputatione 4. de Eucharistia, numero 21.

643 Sanctus Philippus Nerius dicitur habuisse in vsu consecrare calicem ferè plenum. Notandaque sunt, quæ de Sanctissimo viro narrat Antonius Gallonius in eius vita, pagina 59. [Hic me locus admonet, vt ponam aliquid de gustu, quem ille in sanguine Christi ebibendo, eiusque carne degustanda habebat. Is erat, vt crediderint, qui ab eius nunquàm latere discedebant, eum ipsius sanguinis, ipsiusque carnis saporem percipere, perinde atque nudam carnem, nudumque sanguinem gustaret, labia ille sibi aviditsimè lambebat; iterùm, ac sæpiùs calicem ori admouere obseruabatur:: In desumendo sanguine sonus in eius gutture is audiebatur, vt putares aliquid degustare, quod ob eius pinguedinem, crassitudinemque Sacerdotis palato inhæresceret. In ea calicis parte, ex qua sanguinem hauriebat, indicia dentium erant, aurumque ipsum, quod ibi circù n erat, quanquàm recens, brevi obscurabatur. Purificationem, quam dicunt, dari sibi nolebat, donec ipsemet petijsset. Denique diuinissimi huius Sacramenti vsque eò delitijs capiebatur, vt suavissimam Christi carnem, sanguinemque pretiosissimum in ore tenens, non statim glutiret, sed paulatim, guttatimque in stomachum defluere sineret.] Hæc de S. Philippo Nerio satis admiranda.

644 Quoad alias conditiones vini consecrandi egi abundè in illa D. 4. ex num. 11. Liceat tamen hìc repetere, succum ex vuis non admodùm passis, neque exsiccatis expressum iuuamine etiam modicę aquę, vt humectentur, & turgescant, posse consecrari validè, est enim verum vinum, possèque consecrari licitè apud eam regionem, vbi desit copia vini eliciti ex vuis recentibus, àrque maturis, nam necessitas extrema excusat à consuetudine aliarum regionum, quæ hoc assumunt ad consecrationem. Ita Diana p. 7. Tractatu 12. Resol. 8. Amicus, Gamachæus, Bernal, Fagundez ibi laudati, quib⁹ addo Hermannum Busembaũ in Medulla Theologię Moralis Lib. 6. Tract. 3. Cap. 1 dub. 4. Franciscum de Lugo Lib. 4. C. 2. quæst. 4. num. 25. Mascarenhas Tract. 4. Disp. 2. Cap. 3. num. 50. Amadæum Guimenium aduersus quorundam expostulationes cõtra nonnullas Iesuitarum opiniones Morales ex Tract. de Euch. propositione 5 Quartum parte 3. tit. 4. dub. 10.

645 Primus Author consecrandi in huiusmodi succo apud Æthiopiam ob defectum alterius vini asseritur à Fagundez, & Mascarenhas fuisse ille sanctissimus vir, nostræ Societatis lumẽ, ac decus singulare, eiusdemque Æthiopiæ meritissimus Patriarcha Andreas de Oviedo. Sed certè ante ipsum in Æthiopia de more erat ad consecrationem succus præfatus, vt ex Francisco Alvarez, & ex Genebrardo adnotavi D. illa 4. num. 21. Referuntque Hieronymus Osorius L. 3. de rebus gestis Emmanuelis Regis Lusitaniæ, & Henricus Spondanus in Annalibus Eccles. anno 1500. num. 8. Archangelus Madrignanus Cap. 134. pag. 146. libri inscripti Novus Orbis Regionum, ac Insularum, Sacerdotes Christianos Cranganorenses, imò & cæteros, qui in orientis Solis regionibus habitant, vino ex vuis passis confecto in Sacrificijs vsos fuisse ab antiquissimis temporibus; id quod de Thomæorum Christianorum Sacerdotibus nominatim tradit Petrus Iarricus in Thesauro rerum Indicarum Lib. 2. C. 18. Nuncque Patres nostrę Societatis in Æthiopia in eodem succo consecrãt, vt testantur Fagundez, & Mascarenhas, quorum ex Provincia Lusitana quotidie eunt Nostri ad Missionem Æthiopicam, indeq; multi redeunt illam in Provinciam, eorumque litteris, & colloquio potuerunt certiores reddi, asseverareq;, fieri ex vuis passis vinum satis generosum. Addit Franciscus de Lugo, (qui in Occidentali India diu vixit) dictum sibi esse, interdum consecrari apud Philippinas Insulas in succo elicito ex vuis passis ob defectum alterius vini.

646 Quæ praxes adeò antiquæ, continuatæque etiamnum ab hominibus Catholicis, Religiosis, pijs, doctis educatisque in Europa sunt valdè efficax motivum tum, vt persuadeamus nobis, esse verum vinum eum succum, validèq; proinde in eo consecrari, tum vt prudenter credamus, non assumi illicitè, neque temerè, neque absque magna consultatione, atque deliberatione, vt in eo fiat consecratio, cogente penuria vini apud alias

lias Provincias vulgaris. Mihique indubiũ est, vel certos illos fuisse de falua vini essentia in eo succo, vel, si quę incertitudo subortа est, consuluisse viros sapientes Europæ, & fortè etiam Sedem Apostolicam, vt solent frequẽter nostri Missionarij in rebus minoris momenti.

647 Hoc argumentum validissimum est apud me. Potestque huc applicari, quod ait Gabriel Lectione 35. in Canonem Missæ lit. F. Iequens de simili causa, sed à me non probata; [Non videtur tutum, ac securum, quemcumque Scholasticum Doctorem, etiam acerrimi ingenij, ac profundæ scientiæ, definire hanc negatiuam, determinareque, *quòd succus de vuis passis expressus*, non est apta materia consecrationis; cum ad hoc non habeatur evidens Canonis authoritas, nec divina revelatio, nec cogens ratio, nec Ecclesiæ determinatio.] Et addo, quin potiùs contrà habeatur praxis antiqua, & recens, hominum què pietate, & doctrina præstantium. Proposui istum discursum viro cuidam amico, & docto, qui in lucem parabat sententiam oppositam nostræ, fusis rationibus nonnullis, quarum nunc non recordor, sed quando eas audivi, vitæ mihi non sunt satis efficaces.

648 Adieci exemplum succi ex vuis maturis, aut acinis non omnino compressis eliciti opè modicæ aquæ, qui succus est verè, & simpliciter vinum, potestque valide consecrari, vt docent Vazquez Disputatione 175. Capite 1. numero 8. Henriquez Lib. 8. Cap. 12. §. 2. littera L. in Glossa, Suarez Disput. 45. Sectione 1. V. *Hic verò*, Filliucius Tractatu 4. num. 87. & alij communiter: eritque licita eius consecratio, saltem quando desit aliud vinum. Quidni ergo idem dicatur de succo elicito ex vuis passis luvamine etiam modicę aquæ? Si respondeatur, hunc succum esse vini iam corrupti. Contra, quia cum adhibeatur ad consecrationem ab illis, quos dixi, compertum ipsis erit ex colore, odore, sapore & effectibus causatis in stomacho, atque capite retinere adhuc naturam vini; forsanque tanquàm vinum vsitatũ est in potu profano à principibus, & divitibus illarum regionum.

649 Tandem vino consecrando nihil est admiscendum alieni liquoris præter aquam in calice; peccaturque graviter, etiam si tantus nõ sit, vt neque physicè, neque moraliter in specie vini visualis mutationem inducat. Sic Aversa quæst. 2. sect. 5. Vers. *Hinc fit*, Quartus parte 3. tit. 4. dub. 5. cum alijs. Et in Concilio Autissiodorensi Can. 8. dicitur, *Non licèt in altario in Sacrificio diuino mellitum, quod mulsum appellatur, nec vllum aliud poculum extra vinum cum aqua mistum offerre.* Videndusque est Canon 3. Apostolorum, & Can. *Non oportet* 4. necnon Can. *In Sacramentis* 5. de Consecratione Dist. 2. Aitq; Paschasius Radhbertus in Epist. ad Frudegardum, *Ad vltimum quæso, non sequaris ineptias de tripartito Christi corpore, non salem, aut mel in eo admisceas, quod quidam voluerunt, nec aliud adjicias, nec subtrahas; sed totum, vt Christus instituit, ita esse credas, & intelligas.* Tò *non salem* ostendit, non solùm Durandum in Rationali L. 4. Cap. 41. numero 7. caviſſe, ne sal in pane consecrando ponatur, vt visum est Duranto Libro 2. Capite 38. num. 7. vbi inquit, ignotum sibi esse, vnde ille didicerit. Et præter Paschasium Alcuinus in Epistola 69. excluſit etiam salem, inquiens, *Audiuimus quoque, aliquos affirmare, salem esse in Sacrificium corporis Christi mittendum. Quam consuetudinem nec vniuersalis obseruat Ecclesia, nec Romana custodit authoritas.* Sed quidquid sit de sale, quo si nunc panis consecrandus condiatur, necne, haud curari video, dummodò fermentum non apponatur, adnotavi iam in Disp. 20. num 50. locum Venerabilis Petri Cluniacensis de melle iniecto in vinum, quod in Cœna Domini consecrabatur, permittente Antiquitate, vt ipse ait. Sed nostra ætas iam non permittit.

SECTIO XXXIX.

An rituum in Missa mutatio excusari aliquando possit à culpâ ob impotentiam?

An etiam aliunde excusari valeat?

650 AD primum respondeo, non excusandam mutationem, si impotentia prænoscatur ante inchoatam Missam, & gravitas cæremoniæ omittendæ præponderet necessitati celebrandi, quia, vt inquit Suarez Disp. 84. sect. 2. V. *Sèlum in hoc*, actio, quæ non potest debito modo fieri, potiùs omittenda est, quàm indebitè exercenda. Et actio Missę exercenda est valdè exactè, omnibusque numeris absoluta, *Nam si homo suæ vitæ diligentiàm studiosiùs adhibere procurat, quàtò magis sacris Dei cultibus nitorem debitũ exhibere summopere debet?* Quæ sunt verba Concilij Toletani XVI. C. 6.

651 Cæterùm potest tantà esse necessitas sacrificandi, seu tantùm esse incommodum, quod ex Missæ omissione sequeretur, vt gravitati cæremoniæ præponderet. Et tunc habità ratione vitandi scandalum in populo, aut infamiam Sacerdotis, poterit Superior dispensare, aut in defectu Superioris Sacerdos doctus, & pius arbitrari, vt sibi videbitur, si minus incommodum timeatur ex celebratione absque eo ritu, quàm ex omnimodà omissione Missę. Prout autem fuerit ritus maioris, aut minoris momenti, eò maior, aut minor necessitas requiretur, aut sufficiet ad excusandam celebrationẽ, quæ sine eo fiat.

652 Eadem regula servanda est, si impotentia prævideatur post bona fide inchoatam Missam, nisi quòd minor necessitas celebrandi sufficiet ad prosecutionem Missę, postquàm hęc est inchoata, & minor etiam, postquàm prima oblatio est iam facta. Curandumque similiter tunc est, ne ex relicta cæremonia sequatur scandalum, aut vt sit minùs, quàm quòd derivaretur ex omnimoda prętermissione Sacri. Et absolutè quidem melius est, dimittere Sacrum non perductum saltem vsque ad oblationem, quàm prosequi illud indebito modo.

653 Si impotentia prænoscatur post consecrationem, vel vnius tãtùm speciei panis, nulla est tam gravis cæremonia, quæ præponderet obligationi perficiendi essentialiter, aut substantialiter Sacrificij; ac proinde cuiusuis cæremoniæ omissio non tolùm ex illo tẽpore excusabitur à culpa ob impotentiam, sed vrgebit obligatio perficiendi Sacrificij, non obstante prævisione impotentiæ prædictæ, & omissione cæremoniæ posteà eventura. Obuiandum autem erit scandalo, quantùm fieri possit.

654 Atque hinc, si impotentia ad ritum essentialem, vel substantialem prævideatur ante consecrationem panis, debet Sacerdos non exordiri Missam, vel dimittere eam inceptã, ne attentet Sacrificium imperfectum essentialiter, aut substantialiter. Quæ per compendium, & in genere hìc dixi, tractata sunt partim in Sectionibus præcedentibus, partimque in Disput. proximè instituẽda explicabuntur, innumeris casibus in specie, & in particulari decisis extensè.

655 Ad mutationem ex impotentia reduci potest, quod ait Pater Azor tomo 1. Lib. 10. C. 29. quæst. 6. [Qui iustam ob causam Rubricas non seruaret aliquando, liber à culpa foret; vt si per necessariam aliquam festinationem omitteret.] Quod intelligo de festinatione, cuius causa foret ægritudo superueniens inter celebrandum, vel necessitas similis corporalis molestè vrgens, vel periculum aliquod cõsiderabile imminens, quibus occurri possit maturando Sacrum, & omittendo cæremonias nonnullas minutiores. Quartus q. proœmiali sect. 3 puncto 8. V. *Dico septimò*, intelligit Azorium, quatenus possint excusari, qui sunt minus ágiles, vel tardioris apprehensionis, & longiùs protraherent Missam cũ tædio adstantium, si exequantur punctualiter tot, tantasque cæremonias, quot, quantæcũque in Sacro iubentur fieri. Sed Azorius id non exprimit; & timendum est, ne ex Quarti dicto occasionem sumant Sacerdotes minùs devo

ti,

ri, cupidique breviandi Missam; vt omittant multas cœremonias sub prætextu non creandi tædium adstantibus.

656 Ad idem caput mutationis ex impotentia revocari potest, si instet necessitas celebrandi, & Sacerdos nō habeat in sua potestate vasa, aut lintea, aut vestes sacras cum conueniēti munditie; quando enim non sunt enormiter immunda, poterit in eis facere Sacrum, vt iam dixi Disp. 26. num. 150. Similiter quando vinum cœperit acescere vel corrumpi; vel fuerit aliquantùm acre, vel temperatum aquâ in dolio, sed tamen certò sit vinum, nō peccabit Sacerdos cum eo celebrans, si rei diuinæ non possit non operari absq; nota; & facultatis suæ non sit adhibere aliud vinum. Peccabit tamen graviter Superior, vel Sacrista, cui incumbat providere de vino ad Missas, quod sit perfectum, & vitio carens, si reperiri illud commodè queat. Conlulantur Coninch quæst. 74. num. 122. Fagundez in 3. præceptum Ecclesiæ L. 2 C. & num. 3. Franciscus de Lugo Lib. 4. C. 2. quæst. 6. num. 30. Quartus parte 3. tit. 4. dub. 12.

657 Iam quoad secundam partem Sectionis dico primò, mutationem in ritibus Missæ excusari posse ab omni peccato ob inadvertētiam prorsus invincibilem; & excusari posse à peccato lethali, etiamsi ritus sit grauis, quandotantùm semiplena, imperfecta, atq; confusa fuerit advertentia; non tamen à veniali, etiam si ritus sit levis, esto tunc peccatum erit venialissimum. Non est huius loci stabilire doctrinā hanc, vt quæ descendat ex principijs generalibus in Tractatu de Voluntario, & involuntario.

658 Secundò dico, mutationem in ritibus missæ excusari posse ab omni peccato ob ignorantiam prorsus invincibilem tam iuris, quàm facti, vt si Sacerdos ignoret ritum aliquem, aut faciendum esse in hac, aut illa Missa, quin habeat motivum noscendi suum errorem, aut dubitandi de eo. At, si mutatio proveniat ex ignorantia vincibili, peccabitur mortaliter, vel venialiter iuxta gravitatem, vel levitatem ritus ignorati, cum tamen aliqua cognitio, dubitatio, vel scrupulus sit de obligatione sciendi illum, indeque procedi posset ad vincendam ignorantiam, sed non proceditur, quia ignorans omittit adhibere diligētiam crassè, & supinè, vel si aliquam adhibet, sed modicam, aut quia voluntariè, & affectatè vult non adhibere vllam. Hęc etiam doctrina pendet ex principijs prædicti Tractatus.

659 In quo notant communiter Doctores, præsumi facilius ignorātiam invincibilem facti; quàm iuris, esseq; rarò invincibilem ignorantiam earum rerum, quæ ad proprium officium, & statum pertinent, vti ad Sacerdotalem spectat scire ritus Missæ. Vnde Scotus in 4 Dist. 13. quæst. 2. n. 10. V. *Sed hoc* peritè ait nominatim de Sacerdote, & in ordine ad Sacrificium, *Ignorantia iuris non excusat, quia tenetur ille, qui se exponit ad tantum actum* (quale est Sacrificium) *scire iura, secundùm quæ potest exercere tantum; & talem actum; & ideo talis ignorantia iuris non excusat, sed fortè magis aggranat.*

660 Et quidem Sacerdoti imputabitur regulariter ad culpam lethalem, si ignoret ea, quæ necessaria sunt ad essentiam Sacramenti, & Sacrificij Eucharistici, qualia sunt materia, forma, & intentio: si item ignoret ea, quę ex præcepto gravi Ecclesiæ requiruntur ad conuenientem Missæ celebrationem, qualia sunt dispositio animæ, & corporis in sacrificaturo, subministeri altare, lumen, lintea, vasa, & vestes sactæ: si item ignoret ritus, & cœremonias verborum, & actionum, quibuscum Sacrum est conficiendum: si item ignoret modum cavendi, & supplendi defectus contingibiles in Missæ celebratione. Quanuis autem non debeant hæc omnia sciri valde perfectè, & vnius, aut alterius cœremonię minutioris consistētis in verbis, aut in actionibus inscientia, & cavendi, atq; supplendi vnum, aut alterum defectum rarum, exquisitumque ignorantia non tribuetur culpæ mortali, ast à veniali vix excusabitur, si deponatur cura sciēdi hęc etiam.

661 Erit etiam in Sacerdote culpabilis ignorantia, si non sciat id, in quo consistit essentia Sacrificij Missæ, quodque ad illius integritatem, & cōplementum substantiale spectat; si non sciat, cui offeratur, quidque in eo offeratur, & quid per illud repræsentetur, & quos effectus caulet. Nam etsi

perfecta

perfecta horum notitia non sit ex obligatione; at imperfecta, & confusa quędam si absit, excusabile ęgrè erit. Imò & Christianum populum de ijs aliquatenus esse instructum, vult Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 8. dum mandat *Pastoribus, & singulis animarum curam gerentibus, vt frequenter inter Missarum celebrationem, vel per alios ex ijs, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi huius Sacrificij mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & festis.* Quæ mysterij declaratio, vt & proximè dicta notitia habenda à Sacerdote ex obligatione, non requirit intelligentiam difficilium, subtiliumque quęstionum, quas Theologi Scholastici discutiunt circa Sacrificium Missæ.

662 Ex his, quæ debere à Sacerdote sciri in ordine ad Missę Sacrificium adnotavimus, colligitur, quænam sint illa, de quibus examinandi sunt novi Sacerdotes Sæculares, antequàm ipsis detur approbatio ad celebrandum: quod examen vsitatum est in omnibus Diœcesibus, quantum noscere potui. Et in Societate nostra Regula Præfecti Ecclesiæ num. 13. sic ait, *Per se, vel per alium à Superiore designatum, promouendos ad Sacerdotium instrui curet: & videat, vt ad Romanæ Ecclesiæ ritum tã ij, quàm omnes Sacerdotes se accommodent.*

663 Certè ab Ecclesiæ exordio curatum est, vt Sacedotes haberent peritiam sacrorum rituum Missę. Quarè S. Fabianus Papa decrevit, *Sacrificium non esse accipiendum de manu Sacerdotis, qui orationes, vel actiones, & reliquas obseruationes in Missa secundàm ritum implere non potest.* Ita refertur in Codice Decretorum sexdecim librorum, Lib. 3. C. 9. Et Patribus Concilij Bracarẽsis 2. *Placuit, vt per singulas Ecclesias Episcopi per Diœceses ambulantes, primùm discuterent Clericos, quomodò ordinem Baptismi tenerent, vel Missarum, & qualiter quæcumque Officia in Ecclesia peragerentur. Et si rectè quidem inuenissent, Deo gratias agerent; si autem minimè, docere deberent ignaros.* Qui Canon transcribitur à Burchardo L. 1. C. 85. ab Ivone parte 1. C. 75. & p. 5. C. 191. Similęq; est ei Decretum extãs in Capitulis Caroli M. & Ludovici Pij L. 5. C. 2. his verbis, *Decreuimus iuxta SS. Canones, vt vnusquisque Presbyter in Parochia habitans Episcopo subiectus sit, & semper in Quadragesima rationem, & ordinem ministery sui siue de Baptismo, siue de fide Catholica, siue de precibus, & ordine Missarum Episcopo reddat, & ostendat.* Quod Decretum desumptũ est ex Synodo congregata à Sancto Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, & Martyre anno 742. siue Ratisbonæ, siue Augustæ Vindelicorum. Theodulph. in Epist. ad Clerũ suum Aurel. n. 4. scribit, *Quando more solito ad Synodũ conuenitis, vestimenta, & libros, & vasa sancta, cum quibus vestrum ministerium, & iniunctum officium peragatis, vobiscum deferte. Necnon duos, aut tres Clericos, cum quibus Missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite, vt probetur, quàm diligenter, quàm studiosè Dei seruitium peragatis.*

664 Dico tertiò, consuetudinem in Missæ ritibus mutandis non esse sufficientem excusationem à peccato siue mortali, siue veniali, prout graues, aut leves fuerint ritus, in quibus mutatio fiat, tenetur enim Sacerdos corrigere talem consuetudinem, quãdocumque ad eam advertat. Vnde etsi ea ductus non advertat ad ritus mutationem, quam faciat, non ideo immunis est à peccato, quia mutatio tunc est voluntaria, & libera in causa culpabili, nempe in consuetudine, cuius emendatio negligitur. Istius etiam Cõclusionis doctrina dimanat ex principijs generalibus eiusdem Tractatus de Voluntario, & inuoluntario. Oportetque, vt præ oculis eam habeant, qui de more deglutiunt multa verba, decurtantque plura signa, aut in alijs deficiũt præcipitantes se ex consuetudine.

SECTIO XXXX.

An Missæ veræ in eam, quæ sicca, & nautica dicitur, sit licita mutatio?

665 VT absoluam omnia, quæ ad mutationem in Missæ ritib⁹ spectant, restat hæc difficultas de Missa sicca, seu nautica: quę primo nomine vocatur, quia non fiebat in ea consecratio, nec communio, atque adeò

adeò non erat verè Missa, seu Sacrificium, sed apparenter ob multos ritus, & cæremonias, in quibus cum ordinaria Missa conueniebat. Appellabatur etiam secundo nomine, quia ad consolationem nauigantium celebrari solebat in nauibus, vbi propter motum, & agitationem fluctuum non audebant consecrare corpus, & sanguinem Christi Domini.

666 Huius Missæ siccæ vsus cæpisse videtur Ettio in Oratione contra ipsam habita (quæ est 13. Theologica) & Landtmetero Lib. 2. de Vetere Clerico Monacho C. 84. paulo ante tempora Guidonis de Monte Rocherij, qui in Manipulo Curatorum scripto ad annum 1333. Tract. 4. C. 7. meminit de ea, approbavitque. Sed tamen Guilielmus Durandus, qui vivebat anno 1280. agit de eadem vt valde vsitata, laudatque L. 4. Rationalis C. 1. numero 23. vt & Thomas Vvaldensis in Opere de Sacramentalibus tit. 4. C. 35. inquiens, [Nominari commemorationem, vel memoriam Missæ; & in ipsis domibus, aut agris, vel super mare dici fas esse.] Sylvester V. *Interdictum* 5. num. 5. quæst. 3. Liber Sacerdotalis, cuius verba ex 1. parte Tract. 14. Cap. 34. 35. & 36. transcribuntur à Navarro in Miscellaneo 89. 90. & 91. de Oratione, Ioannes Burchardus in Missæ Ordinario, & eisdem ferè verbis, quibus Liber Sacerdotalis, Navar. in Miscellaneo 88. & seqq. Ioannes Stephanus Durantus Lib. 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 4. n. 8. Henriquez Lib. 9. Cap. 27. § 3. Azor tomo 1. L. & C. 7. quæst. 6. Fagundez in 1. Ecclesiæ præceptum Lib. 3. C. 10. num. 14. Lezana in Summa tomo 4. V. *Missa*, n. 56. cum Cœremoniali Carmelitano, Portel in Resp. Moralibus parte 3. Cas. 26. Quartus parte 1. tit. 14. dub. 4. Sà V. *Missa*, num. 36.

667 Quorum aliqui adducunt pro Missæ siccæ defensione exemplum earum, quæ, teste S. Dionysio Areopagita Cap. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, celebrabantur pro fidelibus defunctis, nam in eis non fiebat consecratio, neq; communio, ideoque permissum erat pœnitentibus, & Catechumenis, vt præsentes essent quo tempore peragebantur. Adducunt etiam exemplum Missarum ex præsanctificatis apud Græcos satis frequentium, & actionis Liturgicæ in Paraseeve apud Latinos. Prætereà arguit Navarrus, nam Missæ siccæ prohibitio nusquam extat, eiusque celebratio nihil mali cõtinet; quin potiùs fovet devotionem erga veram Missam, & consolationi est Sacerdotibus, atque Laicis, quando impediti sunt sacrificare, & interesse Sacrificio.

668 Nihilominus multis absolutè displicet Missa sicca. Et in primis Ioanni Eckio in Annotationibus ad L. oblatum Cæsari art. 21. Synodis Belgis, Yprensi sub Martino Rythovio tit. 15. C. 10. Cameracensi 2. tit. 3. Cap. 7. Guilielmo Ettio in Oratione præcitata, Ioanni Langhecrucio Lib. 3. Speculi Canonicorum C. 19. Laurentio Beyerlinck in Theatro magno vitæ humanæ tomo 7. V. *Sacrificium*, tit. de Missa sicca, pag. (mihi) 51. Landtmetero supra, Sylvio 3. p. q. 83. art. & quæst. 2. pag. 388. Mercero ibidem, dub. 2. in respons. ad 3. arg. pag. 296.

669 Moventur autem primò, quia talis Missa est novum inventum, cuius nec in vllo contextu Iuris Canonici, nec in vllo Ordinario, & Classico Interprete fit mentio, vt fatetur Navarrus. Qui de Libro Sacerdotali, vbi continetur, solùm dicit, [Liber Sacerdotalis à Leone X. (vt aiunt) probatus, &c.] Reponitque Cardinalis de Lugo Disput. 20. sect. 3. num. 82. [In Sacerdotali, quem in nostra Bibliotheca (Romana) habemus, non inuenitur illa Leonis approbatio; solùm dicitur in fronte Libri, fuisse multoties approbatum authoritate Pontificum. Posteà verò, cum iterùm impressus sit Venetijs anno 1568. dempta fuerunt verba prædicta de approbatione Summorum Pontificum.] Quare ab authoritate Pontificis non cõmendatur Missa sicca, sed solùm videtur habuisse exordium ex privata, indiscretaque aliquorum Sacerdotum devotione non longè ante ætatem Guilielmi Durandi, quorum praxim, modumque celebrandi eam Missam tradiderunt scriptis Author privatus Libri Sacerdotalis, & Ioannes Burchardus coætaneus Alexandri VI. Papæ.

670 Secundò, quia ritus tam verborum, quàm actionum Missæ, necnon totus apparatus vestium Sacerdotalium, altaris, linteorum, vasorum, luminis,

luminis, &c. ordinati sunt ab Ecclesia ad offerendum verum Sacrificium, in quo fiat consecratio, atque perceptio corporis, & sanguinis Domini. Ergo non licet eos convertere in Sacrificiũ apparens, vbi nec consecratio illa, nec perceptio fit. Et licet vnus, vel alter ritus vsitatus in vera Missa communis sit alij functioni sacræ ex dispositione Ecclesiæ; ast videtur enormis perversio, si ex privata dispositione tot ritus, tantusque apparatus simul transferantur ad finem diversum ab eo, quem Ecclesia intendit.

671 Tertiò, quia à mysterijs diuinis removenda est omnis fictio, & quidquid præseferat simulationem in damnum fidelium. Ac sanè nisi rudiores instruantur, imminet magnum periculum, ne Missam siccam cum vero Sacrificio confundant, & ne existiment, eosdem omnino effectus ex illa, ac ex hoc ergà se derivandos. Ipsa quidem necessitas instructionis, ne deludantur, ostendit satis, quàm aliena sit à veritate, & sinceritate Ecclesiæ Illa vmbratilis Missa.

672 Quartò, quia, vt Landtmeter ait, [Tota actio Missę siccę merè histrionica est; ac proinde in negotio tam gravi verè sacrilega. Declarat Guil. Estius eleganti similitudine, Si quis, inquit, amicos ad cœnam invitet, ac strata mensa, adsideat in veste cœnatoria, mensæ benedicat, quadras, mãtilia adponat: deinde nullo cibo, aut potu adposito gratias Deo agat, atque ita amicos famelicos dimittat, nòn is illusor, aut verius scurra? non hìc quadret vetus querela,

Nos accumbimus otiosa turba.

Refertur à Lampridio Heliogabalus, [Sæpè cereamcœnam, sępè ligneam, sæpè eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream etiam, vel lapideam exhibuisse, ita vt omnia convivis exhiberentur videnda de diuersa materia, quæ ipse cœnabat. Manus nihilominus, quasi comedissent, lavarent.] Quidin nostra cœna minùs imposturæ? Atqui simile ludibrium habet Missa sicca. Paratur altare, sternitur mundis linteis, vestit se Sacerdos tanquam sacrificaturus, legit orationes Sacrificio præambulas, ac denique in fine gratias agit pro Sacrificio percepto. *Refecti*, inquit, *cibo, potuquè Cœlesti*, aut *Hæc nos communio, Domine, purget à crimine.* Et tamen nulla communio facta est, nullus cibus, potusve adpositus, nihil eorum factum, quæ per orationes præmissas futura significabantur. Non est hæc meritissima histrionia? Non est hoc populo imponere? Non Christo illudere? Quem cum tota actio significet Patri offerri, non tamen hoc aliter fit, quàm contingat historia, quam repræsentat histrio personatus in scena.] Sic Landtmeter eleganter, & vehementer declamans contra Missas siccas.

673 Quintò, quia cum Ecclesia nihil decreverit circa ritus Missæ, exposita est eius celebratio monstrosæ cuidam confusioni, & varietati: vnus namque dicet eam ieiunus, alter pransus, aut potus; vnus manè, alter vespere, aut nocte; vnus semel in die, alter bis, aut centies; vnus super altare, & aram consecratam, cum lumine, & Missali, alter sine his omnibus, aut cum horum aliquo; vnus cum cunctis vestibus Sacerdotalibus, alter cum sola veste profana, aut cum superpelliceo, & stola, aut cum amictu, alba, cingulo, stola, manipulo, sed sine casula; vnus in Ecclesia, aut Oratorio tantùm, alter in navi, in cubiculo infirmi, in campo, in foro, in plateis; vnus cum Ministro siue viro, siue fęmina, alter solus; vnus dicet plura Missę verę, alter pauciora; vnus dicet orationes, facietque signa significantia Sacrificium futurum, vel præteritum, participationemque eius, alter omittet talia, sed addet alia ex suo cerebro, aut ex alijs veris Missis. Quid? quòd Missam siccam posset celebrare mulier non indutavestes sacras, vel cum solo superpelliceo, vt solent aliquando Moniales induere illud. Et inde forsan deveniretur in id, vt non deesset, quæ imitaretur illam, de qua Firmilianus ad S. Cyprianum, Epist. 75 inter alias huius, *Quæ priùs per præstigias, & fallacias Dæmonis multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cætera, quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequẽter ausa est, vt & inuocatione non contemptibili sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet, & Sacrificium Domino sine Sacramento solitæ prædicationis* (aut *precationis*) *offerret.*

674 Confirmatur hæc ratio ad hominem contra Quartum, qui etsi dicat,

dicat, non esse per se illicitum facere Missam siccam coram infirmo, vel alio diù impedito ab auditione Sacri, tamen quia ea in desuetudinem abijt, requiritur licentia Episcopi ad eius vsũ. Ast etiam inconsuetum est, vt petatur licentia ab Episcopo, & vt ab ipso concedatur. Ego saltem nunquam vidi, neque audivi, fuisse petitam, & concessam in Hispania. Omitto, si talis cęremonia sit per se licita, non videri, cur ad vsum coram infirmo, vel detento in carcere desideretur licentia Episcopi, nam Ecclesia non pręscripsit vllam legem circa talem cæremoniam, potestque eius non vsus revocari in merum arbitrium Sacerdotum, & fidelium.

675 Confirmatur rursus eadẽ ratio ad hominem contra eundẽ Quartum, qui fatetur, non esse licitum, vt agatur Missa sicca in locis destinatis ad verum Sacrificium, ne rudioribus Laicis detur occasio confundendi hoc cum illa, & Sacerdotibus iniquis celebrandi cum fictione, & absque consecratione, quando debent sacrificare verè: quæ absurda cessare in navi, ait, quia scitur, non posse ibi dici veram Missam. Atqui hæc absurda neque in navi, neque in quouis alio locó cessant, nam falsum est sciri, non posse validè litari in mari, & in quocumque alio loco; ipseque Quartus parte 3. tit. 10. num. 1. sect. 1. dub. 6. docet, posse licitè sacrificari in navi de licentia solius Episcopi, noruntque multi ex rudioribus, divinam rem peragi cum legitima facultate in navibus Indicis, vt & vrgẽte necessitate manifesta, vel accedente saltem licentia Episcopi, nonnunquam in aperto campo, & sub dio, extra Ecclesiam, & loca sacra.

676 Ad hæc: Sacerdotibus parùm doctis datur occasio, vt faciant, quod ille malè consultus, de quo Innocentius III. in C. *De homine* 6. de Celebratione Missarum, *Cum enim se sciret in mortali crimine constitutum, Missarum solemnia, quæ non poterat propter necessitatem quamlibet intermittere, propter sui facinoris conscientiam dubitabat celebrare, peractisque cæteris circumstantijs Missam celebrare se finxit, & suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem, & vinum tantummodò purè sumpsit: ita credens per id, quod prætendebat, populo satisfacere, vt per hoc, quod intendebat, Deum non deberet prouocare.*

677 Datur etiam occasio, vt fiat, quod in Sacerdotibus quibusdam improbat Concilium Toletanum 12. C. 5. adductum à Gratiano C. *Relatum* 11. de Consecratione Distinct. 2. *qui non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumebant, quot Sacrificia in vno die videbantur offerre; sed si in vno die plurima per se offerrent Sacrificia, in omnibus se oblationibus à communione suspendebant, & in sola tantùm extrema Sacrificij oblatione communionis sanctæ gratiam sumebant.* Reprehenduntur etiam alij Sacerdotes à Sancto Cypriano Epist. 63. ad Cæcilium, qui manè offerebant Sacrificium imperfectum, non appositio vino, sed sola aqua in calice, & vesperè perfectum, appositio tunc vino. Propositi hæc absurda, seu occasionem, vt ea sequantur, ad hominem contra Quartum non minus, quàm secundum, quod ipse veritus est ex Missa sicca celebrata in locis destinatis ad verum Sacrificium. Quãquàm Burchardus non recuset Missam siccam in eis, dummodò non ostendatur Sacramentum, *Etiamsi illud in Ecclesia ibidem in loco suo sacro habeatur paratũ, propter periculum ostensionis.*

678 Burchardi forsan conscius quidam Sacerdos, de quo Portel, cum ieiunus existeret, celebravit Missam siccam in die festo de præcepto coram populo, vt huius devotioni satisfaceret. Reprehendit eum Quartus. Sed non deerit, qui dicat, gessisse se rectiùs, quàm si extra Ecclesiam recitasset Missam siccam, dummodò instruxerit populum de non vero Sacrificio à se tunc confecto. Idemque Burchardus non culpat eos Sacerdotes, qui *in sexaginta, vel alijs diebus, in quibus duæ Missæ speciales habentur, videlicet vna de festo, & alia de Dominica, vel feria, celebrata earum altera, aliam pro deuotione sua legunt, absque consecratione.* Idem Burchardus absolutè tradit, dicendas esse in Missa sicca Communionem, & Postcommunionem; admonentibus contrarium Nauarro in Miscel. 90. & Card. de Lugo, necnon Quarto supra, quia in eis fit vt plurimùm mentio Sacramenti percepti. Ex quibus omnibus patet, quàm ad libitum cuiusque sint cæremoniæ Missæ siccæ; atque adeò quàm sit ipsa intuta, & periculosa.

679 Mediam viam tenent Thomas

Thomas Hurtadus parte 1. Resolutionum Moralium Tract. 2 Resol. 28. C. 7 ex num. 312. Diana parte 11. Tract. 6. Resol. 23. Vt nimirùm Missa sicca sit licita, vbi fuerit de more, & è contra sit illicita, vbi absit eius vsus, quia cõsuetudo facit, vt præfata Missa non accipiatur in sensu simulato, & sit potiùs fidelium solatium, quàm Dei, & Xpi irrisio. Sed si consuetudo desit, militãt argumenta nuper proposita pro sententia negante. Ego tamen non intelligo, quo pacto consuetudo adimere possit inconvenientia illa simulationis, irrisionis Dei, & illusionis Christi, si Missa sicca sit per se exposita eis incommodis.

SECTIO XXXXI.

Nostra sententia negatiua, & responsio ad argumenta affirmatiua.

Vbi obiter de Missis defunctorum pro viuis, quasi mortui iam essent.

680 CENSEO, esse absolutè illicitas Missas siccas, & exterminandas nunc esse, vbi in vsũ fuerint deductę, quia Pius V. tales Missas non proposuit in Missali, neque posteà alij Pontifices; eoque ipso iudicandæ sunt reprobatæ: & quia intentio Ecclesiæ Romanę in ritibus Missæ tã quoad verba, quàm quoad actiones est, vt illi dirigantur ad conficiendum verum Sacrificium, in quo fiat consecratio, atque sumptio corporis, & sanguinis Christi. Ergo neque licet, neque vtile est contra, aut præter intentionem Romanæ Ecclesiæ dirigere illos significativè in alium finem. Dixi, *significativè*, nam merè recitativè possunt dici, & fieri cum aliquo etiam fructu ex opere operantis in loco conveniẽti, vt solet à Neopresbyteris ex fine addiscendi modum Missæ celebrandę; imò & tunc possent, sed imprudenter, proferri verba consecrationis, præsente etiam materia apta, sed sine intentione consecrandi, celebrandique verè. Suadeo omnino, vt in huiusmodi Missa vmbratili non apponatur ea materia, & ne proferantur verba cõsecrationis.

681 Simili argumento reieci Disp. 17. Conclusione 18. Missas funebres pro vivis, quasi iam obiissent, cõsentiente Quarto parte 1. tit. 5. dub. 9. septem que alijs Authoribus, quos ibi allegavi vltra nonnullos apud Dianam memoratos. Sed quia Modernus quidam in Opere propè diem evulgando dissentitur, & quia Leander Tract. 8. Disp. 4. quæst. 23. inquit, [certissimè respondeo, licitam, imò & omnibus modis laudandam esse talem consuetudinem,] audiant sapientissimum Antonium Honcalam Opusculo 4. Tractatu 3. fol. 62. qui ante Laymannum, & plerosque ex Societate nobis concordes, exceptis Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Libro 3. C. 10. num. 13. Mascarenhas Tract. 5. Disp. 3. C. 6. num. 168. sic loquutus est, [Vir quidam tam pius, quàm doctus exegit à nobis scripto declarare, vtrum benè faciant, qui pro se adhuc viventibus Officium defunctorum fieri procurãt? Et forsitan alicui videbitur, eos benè facere:: Sed contrarium nobis videtur. Primò, quia illud aliud est contrarium Ecclesiæ Catholicæ institutioni, quæ distincta Officia, atque suffragia pro viuis, & defunctis fieri instituit. Secundò, quia orationes, quæ in exequijs defunctorum dicuntur, pro defunctis, & non pro vivis verificantur. Quòd si dixeris, eas orationes verificari pro tẽpore futuro, hoc nihil valet, cum ipsę proferantur in tempore præterito, nec sint Oracula Prophetica, quibus sub forma præteriti solent futura prædici. Tertiò, quia nihil fictitiũ debet esse, nec in Sacramentis Christi, nec in Sacramentalibus Ecclesię exercendis, sed omnia debent constare aperta, planaq; veritate. Proferre autem quempiam viventem se mortuum, & tanquam pro eo mortuo Campanas pulsari, procul dubiò fictitium est. Quartò, quia non licèt præsumere iudicium Dei, neque prævenire iustitiam eius ei, qui nescit, an suffragia, quæ pro se vivens facit, sint satis, vt à totis pœnis Purgatorij ipsum eximant. Quintò, quia si peractis suffragijs, quæ ille facit pro se adhuc vivens, posteà vivat decem, aut plures annos; aut iterùm in vita sua replicanda

plicanda erunt ab eo eadem defunctorum suffragia, aut post eius obitum erunt ei adhibenda. Sextò, quia illud inducit errorem putantium, Missam, quæ intitulatur pro peccatis, pœnisq; remittendis peccatorum, minus liberare eius procuratorem viventem à pœnis Purgatorij, quàm eam, quæ inscribitur pro defunctis. Cum è contrario opera facta à viventibus, cæteris paribus, vtiliora sint eis, quàm si eadē taliter fiant pro eis iam defunctis, qualiter ipsi in suo testamento facienda decreverint.] Hæc plenè, & prudenter Honcala in codice admodùm raro.

682 Quibus addo, si fas est defunctorum manentium in Purgatorio celebrare Missam pro vivis; quidni fas erit eorum, qui existerent in Cœlo? Nam priorem petenti non constat, se futurum post mortem in Purgatorio potiùs, quàm statim in Cœlo. Cur ergo aliquis genij erga se benigni, & læti æquo iure non postulabit, vt in gratiā sui sono festivo pulsentur Campanæ, fiatque Sacrum, quod in funere parvulorum decedentium cum Baptismo, quodque solet esse de Angelis? Vt enim potest se considerare in Purgatorio, & ex hac consideratione petere, vt pro se celebretur Missa defunctorum, hìc etiam potest se meditari in Cœlo, & postulare, vt sui de causa quasi ibi commorantis cantetur Missa de Angelis vsitata in exequijs eorum parvulorum, & vt offeratur ad mortuorum in Purgatorio excruciatorum subsidium, & ad vivorum solatium. Addo rursus, si ob periculum, vt, cum quis obeat, nō dicantur Missæ pro ipso, licet prævertere tempus Missarum de *Requiem* pro se, perinde ideſſe videtur, ac quod faciunt Græci Sacerdotes refutati ab Arcudio Libro 5. de Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis Capite 4. qui ob immaturam, ac sæpè subitaneā, & in expectatam mortem administrant benè valentibus Sacramentum extremæ vnctionis. Et de his satis, si tantùm per me moneatur Lector, vt videat Landtmeterem Libro 2. de Vetere Clerico Monacho Capite 81. pagina 212. qui refert contrariam opinionem, sed quin approbet, nec reprobet.

683 Iam ad fundamenta partis affirmantis licitum vsum Missæ siccæ. Ad primum exemplum dico Sanctum Dionysium agere non de Sacrificio, sed de orationibus, & precibus, quæ solemniter cantabantur in funere fidelium, & à quibus excludebātur Catechumeni, non tamen pœnitentes. Ait enim ex versione Balthasari Corderij in Contemplatione, & §. 38 [Cæterùm observa, quomodo non omnes, qui expiationi vacant ordines, pro more iam dimittantur, sed soli Catechumeni à sacro choro arceantur, quòd nimirùm hic ordo sacri omnis ministerij sit expers, neque fas sit illi quidquam sive parvum, sive magnum eorum, quæ sanctè peraguntur, adspicere: quippe qui necdum eius virtutis particeps existat, quæ assurgit ad divina contuenda, quam solummodò indulget sacra illa regeneratio, quæ primam lucem confert. Cæteri autem ordines, qui expiantur, iam pridem quidem sacris sunt instituti, sed quòd stultè in deteriora relapsi sint, cum ad anteriora vitæ suæ rationes extendere debuissent, præcipuis quidem illis sacris divinis, quæ sub sacrosanctis signis latitant, interdicuntur, & ab eorundem conspectu, ac communione meritò arcentur, si quidem damnum referrent, si ijsdem indignè communicarent, & ad maiorem rerum divinarum, suique contemptum devenirent. Non incongruè autem admittuntur ad ea, quæ hìc geruntur, &c.] Sic Sanctus Dionysius. Vnde arridet mihi quod cum Cochlæo Philippica 3. Capite 14. ait Raynaudus in Opusculo contra errorem popularem de communione pro mortuis, n. 13. fideles ætate S. Dionysij non suscepisse Eucharistiam, quando Officium defunctorum agebatur; si simul dicat, neque tunc Missam fuisse celebratam, sed tantùm preces quasdam fusas pro eis.

684 Posteà verò cœpit fieri Missa in funeribus, & hac occasione volebant aliqui Sacerdotes, etsi ieiuni, celebrare vespere, ne Missa desideraretur, contingente sæpè valde serò necessitate sepeliendi mortuos: quod prohibuit Concilium Carthaginense III. Canone 29. aut Africanum Canone VIII. relatum C. *Sacramenta altaris* 49. de Cons. Dist. 1. & transcriptum à nobis n. 313. Interminatque eandem prohibitionem Concil. II. Brac. Can. 10.

vbi acriter obiurgantur quidam Presbyteri, *qui in Missa mortuorum, etiam post acceptum merum, oblationem audebant cõsecrare.* Iusserunt itaque Patres horum Conciliorum, vt ad funera non agerent Missam Sacerdotes, si solvissent ieiunium, sed solemnes tantùm preces persolverent, facta defuncti commemoratione. At in C. *Presbyter* 2. Dist. 91. PP. Concilij siue Nannetẽsis, siue Agathẽsis imperarunt, vt Sacerdos maneret ieiunus *vsque ad statutam horam pro qualitate temporis, & opportunitate, vt necessitatibus defunctorum succurrere posset*, per celebrationem scilicet Missæ tempore vespertino. Et quia nõ rarò feria quinta in Cœna Dñi occurrebat necessitas sepeliendi mortuos manè hora tertia, & ea occasione dicebantur Missæ, quibus dictis cessabat ieiunij lex; ideo Cõcilium Bracarense I. C. 16. intendens, vt ieiunium eo die diutiùs protraheretur, & ne ex vlla occasione solveretur, nisi tardè in vespere, & post nonam, sic decrevit, *Si quis feria quinta Paschali, quæ est Cœna Dñi, hora legitima post nonam ieiunus in Ecclesia Missas non tenet, sed secundùm sectam Priscilliani, festiuitatem ipsius diei ab hora tertia, per Missas defunctorum, soluto ieiunio, colit, anethema sit.* Quę interpretatio obscuri huius Canonis gratior erit, si Lectori sit perspecta Observatio XIV. Gabrielis Albaspinæi L. 1. pag. 41.

685 Cum quo noto, quo iam tempore in funeribus fiebant vera Sacra, fuisse privata, & non solemnia, hoc est, non instituta, vt in eis publicè fideles omnes communicarent, vti in alijs Sacris, vt colligitur ex Concilio Vasẽsi I. sub Iulio Papa I. C. 2. discriminante solemnia Sacra abijs, quę pro defunctorum commemorationibus fiebant. Verba Cõcil. sunt, *In omnibus Missis siue Matutinis, siue Quadragesimalibus, siue in illis, quæ pro defunctorũ cõmemorationibus fiunt*, &c. Noto etiã cum Durãto supra, Missam siccam fuisse Tolosæ in vsu, quando post prandium dabantur sepulturæ defuncti. Num duret is vsus? ignoro, & an, si permaneat, corrigendus sit ab ijs, quorũ interest? ipsi viderint.

686 Ad secundum exemplum respondeo, Missas ex præsanctificatis decretas esse ab Ecclesia, & in eis fieri sumptionem corporis Christi à Sacerdote; nec constare verbis, aut actionibus, quæ denotent consecrationem corporis, & sanguinis, sumptionem q; huius sub specie vini: quare nullam continent falsitatem. Ordinet Ecclesia Missas siccas, & nos eas probabimus. At sicut Missas ex præsanctificatis non nisi pro feria sexta in Parasceve, quo die ab Ecclesia conceduntur, admittimus, ita pro nullo die Missas siccas laudamus, cum pro nullo Ecclesia illas instituerit.

687 Ad priorem partem rationis Navarri satis liquet ex superioribus. Ad posteriorem dicimus, devotionem erga veram Missam, consolationemque spiritualem Sacerdotum, & Laicorum quærendam esse alijs medijs; non secus ac devotio erga veram communionem, & consolatio spiritualis in huius defectu procuranda est alijs medijs, quàm communionis siccæ, seu eius, quæ, servatis ijsdem cęremonijs, fieret cum pane non consecrato, quia Sacerdos non posset licitè eum consecrare. Nunc quidem temporis celebratio, & auditio verę Missæ facillima est, siue Sacerdotum copiam, siue locorum multiplicitatem, in quibus sacrificare licet, consideremus. Solũ in navibus, si longò tempore non possint tenere littus, vrgeret aliquantò ratio illa devotionis, & cõsolationis. Sed in eis, quæ ad Indias, & exinde proficiscuntur, quid praxi fiat, tradidimus Disp 23. ex num. 96. celebratur enim ibi Missa vera, & frequentissimè. Vnde mirari est, Ioannem Mariam de Castilento in recenti Polianthea Seraphica Theologię Moralis V. *Communio Eucharistica*, Difficultate 11. subtricere eã praxim, quàm tot Scriptores testantur, timereque ex celebratione in quovis mari tanta pericula effusionis sanguinis Christi; cum tamen in navigatione Indica, adhibitis cautionibus, quas Castellanorum, & Lusitanorum religiosa excogitavit industria, omne removeatur discrimen; adeò vt asseveret Pater Franciscus de Lugo (qui ad Occidentales Indias navigavit) [Se nec vidisse, nec audivisse vnquam in tot Missis per triginta, & plures annos super mare dictis, effusum fuisse calicem consecratum.] Ita in Lib. 5. C. 6. q. 1. num. 16. Mirari etiam est, Castilentum disputare, an possit, necne Papa concedere facultatem ad sacrificandum

candum in mari? procedereque tam periculosè in vtramque partem, ac si res esset noviter ad controversiam vocata: cum tamen authoritatem Episcopi sufficere ad eam facultatem concedendam, affirment palàm multi, graueisque Doctores. Porrò in navibus, vbi veri Sacrificij celebratio non sit permissa per legitimam potestatem, alijs medijs, quam Missæ nauticæ, foueri debet devotio, & consolatio spiritualis procurari.

688 Sed adhuc pro Missa sicca obijci potest, visos aliquando Cœlites Sacerdotes celebrantes Missam; quæ non potuit alia esse, quàm sicca sine consecratione, & sumptione. In vita Sancti Egvvini Episcopi Vvigornien-sis 11. Ianuarij apud Bollandum Cap. 6. narratur, quendam Monachum audisse noctu cantari Matutinas, & Missam ad altare illius à Cœlitibus nonnullis: & iterùm noctu etiam vidisse S. Egvvinũ celebrantem Missam in honorem Beatæ Virginis. Respondetur primò, fuisse visiones imaginarias. Secundò, si Missæ illæ in ritibus fuerunt similes nostris præter cõsecrationem, & sumptionem, Beatos non subiacere legibus humanis, sed gubernationi solius Dei.

689 Ex tota hac Sectione, & antecedenti videtur inferri, Missam siccam non comprehendi nomine Officij divini Ecclesiastici; proindeq; tempore Interdicti non debere Laicos excludi ab ea, si celebraretur. Sed contrarium docent Sylvester V. *Interdictum* 5. num. 5. quæst. 3. in fine, Navarrus in Manuali C. 27. num. 177. Abila de Censuris parte 5. Disp. 4. sect. dub. & Conclus. 1. Sayrus Lib. & C. 5. n. 26. Nam etsi non sit vera Missa, aut Sacrificium Missæ, est tamen Officium divinum; non solùm autẽ Sacrificium Missæ, sed etiam Officium divinum prohibetur per Interdictum, vt constat ex toto Titulo de Sententia excommunicationis in 6.

690 Sed ego non parùm dubito de illorum Authorum doctrina, quia non prohibetur Officium divinum vt cumque, & qualecumque, sed quod sit Ecclesiasticum, id est, quod fiat modo Ecclesiastico, vt peritissimè advertit Suarez D. 34. de Censuris, sect. 3. n. 5. & post eum Gibalinus Disq. 7. de Censuris, q. 14. in 2. effectu Interdicti, n. 16. [Modus verò Ecclesiasticus est ille, quem Ecclesia suo nomine, & à Ministris ab ipsa deputatis ex ipsorum officio, & pro communi vsu populi Christiani servandum instituit.] Quæ sunt verba Suarij. Et quę in Missam siccam non videntur quadrare, quia tametsi Ecclesia instituerit ritus verborum, & actionum, quæ dici, & fieri in Missa sicca contingat, sed non in ordine ad ipsam, nisi tantùm in ordine ad Missam veram; nec destinavit Ministros nisi ad Missam veram, nec voluit, eos ritus suo nomine adhiberi nisi in Missa vera. Quòd autem Missa sicca non soleret celebrari ab alijs, quàm à Sacerdotibus, id proveniebat ex decenti quadam cõgruentia, & non ex speciali Sacerdotũ consecratione, & deputatione ab Ecclesia ad illud munus, nunquam enim Ecclesia quidpiam decreuit circa Missam siccam.

691 Et videtur puniẽdus mitiùs Laicus, qui faceret Missam siccam, non simulando consecrationem, neque sumptionẽ, sed significando præsentib⁹, se longè esse ab eo animo, quàm qui se fingeret Sacerdotem, & simularet celebrationem cum consecratione, & sumptione, etiamsi non simularet ad irrisionem, & contemptum Sacrificij, vt Michael tertius Imperator Orientalis, cognomine Temulẽtus, aliiq; quorum infandos ausus, & supplicia sequuta enarrat Beyerlinch in Theatro magno vitæ humanæ V. *Sacrificium*, tit. de Contemptoribus, tom. 7. ex pag. 32. Videtur etiam formandum diuersum iudicium de excommunicato, qui celebrasset Missam siccam, aut ei interfuisset, quàm de alio, qui sacrificanti adfuisset.

692 Dixi, me non parùm dubitare, nam si quis contendat, vbi vsus fuerit Missæ siccæ celebrandæ à Sacerdotibus, nõ contradicentibus Prælatis, reputari eam debere inter Officia diuina Ecclesiastica, etsi Summus Pontifex nihil de ea statuerit; quo in sensu videntur loquuti Authores prælaudari: expecto aliorum iudicium, vt maturè negem, vel affirmem.

SECTIO XXXXII.

Explicantur multi textus Iuris Canonici pertinentes ad ritus Missæ.

693 VT huic Disputationi de ritibus Missę finem imponam, restant declarandi complures textus Iuris Canonici, in quibus sermo habetur eis de ritibus, etsi, prout se dedit occasio, non paucos iam interpretatus sim ex fine, quem mihi præstitui iuvandi pro meo modulo in hoc Opere non modò Theologos Scholasticos, & Morales, sed etiam Canonistas.

694 Igitur, servato ordine ipsius Missæ, occurrit primò, deprecatio *Kyrie eleison* memorata in Can. *Cum aliquis* 108. 11. quæst. 3 non vt dicta in Missa, sed in reconciliatione pœnitentis ab Episcopo: at in Concilio Vasensi II. seu potiùs III. Can. 3. fit mentio de ea, vt recitanda in Missa. Legantur, quæ annotavi Disput. 14. num. 24. & Gavantus parte 1. in Rubricas Missalis titulo 8. num. 2. Azor tomo 1. Lib. 10. Cap. 34. quæstione 2. Baronius anno 58. num. 103. anno 384. num. 28. & 29. Demochares Cap. 15. de Observanda Missarum celebratione, Durantus Lib. 2. de Ritibus Cap. 13. Durandus Libro 4. Rationalis C. 12.

695 Canone *Nocte sancta* 48. de Consecratione Dist. 1. dicitur, *Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent Presbyteri, & hymnum Angelicum in illis solemniter decantent, quoniam & eadem nocte ab Angelo Pastoribus nunciatus est.* Hic Canon desumptus est ex Epistola Decretali Sancti Telesphori Papæ IX. numero, & non VII vt habet correctio Gratiani ex iussu Gregorij XIII. neque VIII. vt habet Berno L. de quibusdam rebus ad Missam spectantibus C. 2. Assumptusque est ad Pontificatum Sanctus Telesphorus anno 142. & Martyrio coronatus obijt anno 154. Non constat ex ipsius Epistola, nisi quòd instituerit dici hymnum Angelicum in Missis, quas celebrarent Presbyteri nocte sancta Nativitatis Domini Saluatoris; & Damasus in Pontificali ait, *Hic fecit, vt ante Sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo.* Consonat Rabanus Libro 1. de Institutione Clericorum Cap. 32.

696 De cæteris verbis, quæ post Angelica sequuntur, & quę Sanctus Telesphorus nō exprimit in ea Epistola, asseverat Innocentius III. Lib. 2. de sacro altaris Mysterio Cap 20. fuisse ab ipso adiecta. Sed in Constit. S. Clemētis L. 7. Cap. 48. leguntur eadem ferè, quibus nunc vtimur, non quidem vt dicenda in Missa, sed in oratione matutina. Extare eadem ferè in Liturgia S. Iacobi, testatur Augustinus de Herrera L. 2. de Origine rituum Missę C. 6. n. 1. Ego invenire non potui. Tribuuntur S. Hilario Pictavienſi à plurib⁹, vt inquit Innocentius III. supra, & nominatim ab Alcuino L. de divinis Officijs C. de Celebratione Missæ, Beletho Cap. 36. Hugone de S. Victore, & alijs. Concilium autem Toletanum IV. Can. 13. vel 12. relatum Can. *De hymnis* 54. de Consec. Dist. 1. composita fuisse dicit ab Ecclesiasticis Doctorib⁹. Inter quos refertur à Bernone S. Symmachus Papa, si credimus Duranto L. 2. Cap. 14. n. 1. qui ex eo in Cap. 25. de Officio Missæ exarat hæc, *Auxit, & cōpleuit hunc hymnum Symmachus à Petro* 53. *& completum instituit, vt nunc, canendum.* Aſt Berno in C. 2. supra à nobis citato refert solùm, quæ Damasus in Pontificali tradidit, scilicet, *Hic constituit, vt omni die Dominica, vel Natalitijs Martyrum Hymnus Gloria in excelsis diceretur.* Subijcit continuò Berno in commendationē S. Symmachi, quòd Paschasius purgatorias flammas sit perpessus, quia eius restitit ordinationi; nimirū circa hymnum Angelicum decantandum, vt vult Herrera supra n. 5. Sed nec tale quid cogitauit Berno, nec S. Gregorius Magnus adductus à Bernone assignat eam causā L. 4. Dialog. C. 40. Causa fuit, quia in parte Laurentij contra Symmachum sensit, vt dixit ipse Paschasius apparens Germano Episcopo.

697 Omisit Gratianus, quod in eadem Epistola subiecit S. Telesphorus de hymno Angelico, scilicet, *Ab Episcopis idem Angelicus hymnus pro tempore, & loco Missarum solemnijs celebrandus est, atque solemniter recitandus.* Vnde videri alicui posset, voluisse S. Telesphorum, vt Presbyteri dicerent hymnum Angelicum in solis Missis Nativitatis Dñi, & Episcopi in alijs etiā Mis-

sis.

sis solemnibus. Sed existimandum est cum Suario D.83. sect.1. V. *Quarto additur*, nominari Episcopos, quia ad illos maximè spectat celebrare Missas; non quia, si alij Sacerdotes celebrent, debeant abstinere ab hymno illo.

698 Ex quibus Canon *Nocte sancta* manet satis declaratus quoad partē de hymno Angelico. Quoad Missas verò nocte Nativitatis Domini cēlebrandas egi D.22. ex num 16. Videriquè potest Alfonsus Vazquez de Miranda Discursu 1. de tribus Missis C.4. ex n. 10. vsque ad finem Capitis: qui etsi solicitus fuerit in investigāda apud antiquitatem pluralitate Missarum ab eodem Sacerdote in eodem die, nihilominus nobiscum sentit, quatenus ex verbis S. Telesphori non constet de expressa concessione trium Missarum nocte, & die Nativitatis ab vno Sacerdote. Sed tacitam agnoscit, cum dicatur, vt Presbyteri celebrent Missas, & non vt Missam nocte Nativitatis; cumque hora tertia diei Sacrum non esset defuturum. Verumtamen non dicitur, vt singuli Presbyteri celebrent Missas nocte illa, & Missa ad horam tertiam posset fieri ab alio Presbytero, quàm abeo, à quo nocturna fuisset facta. Quare duo illa indicia non sunt convincentia; & trium Missarum celebratio nocte illa, atq; die ab eodem Sacerdote revocāda est ad antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem siue priorem, siue posteriorē tempore S. Thelesphori.

699 Idem Alfonsus Vazquez ibidem n. 14. ait, noctē Resurrectionis Dñi similem olim fuisse nocti Nativitatis quoad Missam in ea, quin Sacerdos, qui nocte celebrasset, impediretur sacrificare diu. Cæterùm omnes authoritates, quas affert, vt Capitis *Quod à PP.* 4 Dist. 75. Glossę cum Bedā ad istud Caput V. *Declaratur*, Amalarij, Vvalafridi Strabonis, & Loaysæ, loquuntur de Missa vespertina, vel nocturna Sabbathi sancti ante mediam noctem succedentis diei Resurrectionis, provt compertum erit easlegenti attētè, necnon Cardinal. de Lugo D 20. S. 1 n. 16. & scripta à me in D. 21. n. 46. atq; 47. Ideoq; minimè bis celebraret in eodem die, qui posteà litaret in die Resurrectionis. Fatendum tamen est, eo in die nonnullis in locis semel, & iterùm sacrificatum fuisse ab eodē Sacerdote, vt ex alijs monumentis antiquis observavi D.22. n. 13.

700 Probat ipsemet Alfon. Vazq. C.6. n. 19. cum Pamelio pluralitatem Missarum eodem die ab eodem Sacerdote antiquitus ex verbis S. Augustini Epist. 118. C.4. dicentis, *Si verò etiam in aliena patria cum peregrinatur, vbi maior, & frequentior est populus Dei, v. g. videt bis offerri quinta Sabbathi hebdomadæ vltimæ Quadragesimæ, & ad manè, & ad vesperam, venienſque in patriam suam, vbi in fine diei mos est offerri, malè, illicitèque fieri contendat, puerilis sensus est ille.* Verumtamen ex his S. Augustini verbis non claret, Missas illas, matutinam, & vespertinam, in die Cœnæ Domini peractas fuisse ab vno Sacerdote. Satis est fini intento à S. Doctore, si alicubi manè, & vesperè operarentur rei diuinæ Sacerdotes diversi, & alibi solo vesperè vnus, vel plures. Probationem aliā magis receptam profert idem Alfonsus Vazquez n. 20. ex C. *Necesse est* 51. de Cons. Dist. 1. Sed non esse tam indubitatam, quàm ipse ait, ostendi in n. 130 D. 19. & in n. 29. D. 22.

701 Vlteriùs in n. 21. attribuit S. Prospero L. de Prędictionibus dimidij temporis C.6. hæc verba, *Bis intra paucas horas vno in loco Sacrificium oblatum.* Sed neutiquam sunt S. Prosperi. Sunt quidem Bellarmini L.2. de Missa C.9. V. *Denique*, vbi ex historia quadā puellæ Dœmoniacæ sanatę per cōmunionem narrata à S. Prospero conficit propositionem illam. At nec S. Prosper significat, nec Bellarminus intendit probare, eundem Sacerdotem operatum bis esse divinis intra modicum tempus; sed cōtra Hæreticos modernos adducit illud exemplum, & alia, vt demonstret vsitatas quōdam fuisse Missas privatas, quæ præter vnam dicerentur in eodem templo, eodem die, siue ab vno, siue à pluribus Presbyteris; quod secundum sufficit ad scopum Bellarmini, & primū non infertur ex exemplo S. Prosperi.

702 Nihilomagis firmum est argumentum, quod C.7. n.23. petit Alfonsus Vazquez cū Loaysa ex Concil. Autisiodorensi C.10. dicente, *Non licet super vno altario in vna die duas Missas dicere: nec in altario, vbi Episcopus Missas dixerit, Presbyter in illa die Missas dicat.* Sensus tamen Concilij est, vt vno die in vno altari non celebretur, nisi

vnica Missa, siue vnus tantùm adsit Sacerdos, siue plures; quod potiori iure prohibetur Presbyteteris, si iam vna Missa fuerit celebrata ab Episcopo. Quem Concilij sensum explicui in Disput. 19. num. 129. Minusque est, quod obseruari præcipitur in Ecclesia Autisiodorensi, quàm quod alibi de more erat, vt etiam in vno tẽplo, etsi multa haberet altaria, multique conuenirent Sacerdotes, non fieret in die nisi vna tantùm Missa, prout expendi in num. 130. sequenti.

703 Idem Alfonsus Vazquez Cap. 9. num 28. affert in confirmationem tres Missas in S. Ioannis Baptistæ Nativitate peractas olim à singulis Sacerdotibus. Sed Ordinis Romani testimonium, quod allegat, non loquitur, nisi de vna Missa in Vigilia, & de duabus in die Nativitatis; nomine autem Missæ in Vigilia significatur Missa, quę celebraretur vespertino, vel nocturno tempore ante mediam noctem diei aduenientis. Quare ex Ordine Romano non probantur tres missæ in die Natiuitatis S. Ioannis, sicut tres sunt, quæ fiunt in die Nativitatis Christi, vltra Missam in Vigilia. Et eodem modo debent intelligi Alcuinus, Amalarius, & Hugo Victorinus citati ab ipso, C. 10. num 29. & 30. Cap. 12. num. 34. cum primam Missam appellent de Vigilia. Et ita ego ex eis, & ex alijs antiquis obseruavi Disput. 22. num. 11. contra nonnullos Modernos, qui in eadem sunt pertuasione de tribus Missis antiquitus celebratis die natali S. Ioannis Baptistæ; quin scripserim, falli illos valde, vt Alfonsus Vazquez dicit Cap. 10. n. 31. de P. Gabriele Vazquez, eo quòd Disput. 232. C. 5. num. 43. retulerit ex Vvalafrido, S. Bonifacium Episcopum, & Martyrem, sacrificasse sæpiùs in die. Id quod etiam refertur ab Aversa quæst. 11. sect. 15. V. *Tertiò.* Quanquàm autem contrarium reperiatur in Vvalafridi editionibus lectis ab Alfonso Vazquez, & à me, liceatq; de hoc admonere Lectorem, vt ego feci Disput. 22. num. 6. sed bonis verbis, quando agitur de tã magnis Authoribꝰ.

704 Concilij Salegunstadiensis Cap. 5. verba pro præfata Missarum pluralitate sunt satis conducentia, & exarata à nobis Disput. 22. num. 5. decernit enim illud Concilium, vt *vnusquisque Presbyter in die non amplius, quàm tres Missas celebrare contendat.* Sed Melchior Inchofer in Annalibus Ecclesiæ Regni Hungariæ anno 1022. reddit hunc Canonem, quatenus in die Natiuitatis Domini non licerent plures Missæ, quàm tres. Nam cum totidem Missæ in die Nativitatis S. Ioannis Baptistę ex vsu antiquo adhuc in multis locis piè celebrarentur, consentaneum putabatur, numero in solemnijs Nativitatis Domini excedere. Cæterùm latet me, vnde innotuerit Melchiori Inchofer, Patres Salegunstadienses habuisse sermonẽ de die Nativitatis Domini, & non de quovis die. Rursus ex proximè dictis verius videtur, in die S. Ioannis Baptistæ non nisi bis fuisse litatum ab vnoquoq; Sacerdote de more, & ter in die Nativitatis Domini; quanuis alijs diebus semel, aut bis, aut ter, aut pluries pro devotione, aut necessitate occurrente sacrificaretur. Iam conveniens modus est præscriptus. Et hæc ad plenam interpretationem Canonis *Nocte sancta.* Redeamus ad hymnum Angelicum; supersunt enim alij Canones de eo.

705 Nempè Canon *Hi duo* 55. de Consec. Dist. 1. vbi dicitur. *Hi duo solummodò hymni ab Angelis in nouo Testamento inueniuntur decantati, Alleluia, atque Gloria in excelsis Deo. Quos pariter in Septuagesima intermittimus, quia peccato hominis veteris à conuentu Angelicæ iubilationis expulsi in huius miseræ vitæ Babylonem, super flumina eius sedemus, & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet hymnus*, &c. Huius Canonis Author est S. Leo Papa dictus IX. qui Pontificatum iniit anno 1049. Quà in Epistola, Decreto, aut Concilio eum ediderit, non potui invenire. Ait, intermitti *Alleluia*, & *Gloria* à Septuagesima vsque ad Pascha, vt magis declaratur in fine, quia tempus Septuagesimæ pertinet ad commemorationem miseriæ nostræ, & in hymnis illis commemoratur fœlicitas Cœlestis. Quam rationem assignat S. Thomas quæst 83. art. 4. in Corp. vt *Gloria* intermittatur in Officijs luctuosis, qualia sunt, quæ fiũt in dieb⁹ ieiuniorũ, & pro defunctis.

706 De *Alleluia* decanta ab Angelis in novo Testamento, vt patet ex Apocalypsis 19. congerunt multa Durandus in Rationali Lib. 4. Cap. 20.

Lib.

Lib. 6. Cap. 24. Durantus Libro 2. de Ritibus C. 20. Baronius anno 384. numero 28. & 29. Loaysa ad Concilium IIII. Toletanum C. 11. pag. 368. Gauantus in Rub. Brev. sect. 5. C. 4. n. 5. & 6. Augustinus de Herrera Lib. 2. de Origine rituum Missę Cap. 11. Demochares de Obseruanda Missarum celebratione C. 15. Olim Romæ in funere defunctorum non reticebatur *Alleluia*, vt competum est ex Epistola 30. Sancti Hieronymi in Epitaphio Fabiolę; probari id à Balsamone, ait Durantus supra, num. 5. sed Balsamon ad Cap. 106. Synodi Carthaginensis potius reprobat simile quid his verbis, [In Synodo huius reginæ Vrbium (nempe Constantinopolis) diversa fuerunt edicta significantia, eos sacrorum celebrandorũ suspensioni esse obnoxios Antistites, qui in nobilium, & procerum defunctorum memorijs sacrificant, & dicunt laudatorias preces cum lambis, vel etiam soluta oratione. Multi enim hęc facere deprehensi sunt. Similiter & Synodali edicto excommunicati sunt Lectores quoque, qui in ijsdem memorijs musica, & organica cantica cantillant, & pro Epitaphio Epithalamium celebrant.] Quicquid de Balsamone sit, & de vsu illo antiquiori Romano in exequijs defunctorum, nunc *Alleluia* in eorum Missis omittitur, vt quæ sit vox significativa lætitiæ, & suavitatis, sicut ob eandem causam siletur in omnib⁹ Quadragesimæ diebus, quia, vt ait Concil. Toletanum prędictum, *tempus est, non gaudij, sed mœroris.*

707 Vlteriùs in Can. *Porrò* 56 eadem distinct. apponitur exceptio, quæ subintelligebatur in proximè antecedenti, vt scilicet *Gloria in excelsis Deo, ab Episcopis in Cœna Dñi inter Missarum solemnia more nostro*, id est, Romano, *dicenda sit.* Ita Nicolaus I. evectus in Sedem Apostolicam anno 858. respondit Rodulpho Archiepiscopo Biturice-si. Non reperio hanc Epistolam; extat tamen alia eiusdem ad eundem apud Baronium anno 866. num. 67. Facta est exceptio ob gaudium ex institutione Sacramenti in die Cœnæ. Nominantur Episcopi, quia ad ipsos præcipuè spectabat eo die solemniter celebrare. Sed quando Prebyteri celebrant, dicũt etiam *Gloria*; etsi Glossa V. *Ab Episcopis*, insinuet, debere non dicere, & Durandus Lib. 6. Rationalis Cap. 75. numero 2. scribat, [Ex institutione Bonifacij Papæ (an Nicolai ?) cantat Ecclesia *Gloria in excelsis Deo*, quia gaudent Angeli de conversione pœnitentium. & hoc in Ecclesijs, in quib⁹ Chrisma conficitur, & nõ in alijs, provt quidam dicunt, vbi enim Episcopus præsens non est, nec *Gloria in excelsis* dicitur, nec aliæ solemnitates servãtur.] Nunc certè Rubricæ iubent, vt quisq; Sacerdos, qui eo die rei divinę operetur, cantet, vel recitet *Gloria*. Eadem exceptio extenditur ad Missam Sabbathi ob rationes assignatas à Durando Lib. 6. Cap. 85. num. 2. vel affirmari potest, hanc Missam, quæ olim noctu celebrabatur, & quæ dabat principium solemnitati Paschatis, translatam esse ad tempus matutinum, reputariq; quodammodò in Paschate.

708 Tandem de *Gloria* extat celebre responsum Innocentij III. ad Bracarensem Archiepiscopum in Can. *Consilium* 4. de Celebratione Missarum, *Apud nos* (inquit) *in diebus profestis, cum Missarum solemnia in honorem B. Virginis celebrantur, neque hymnus Angelicus, neq; Symbolum decantatur, licet in Missa, propria Præfatio decantetur, vt inter commemorationem, & solemnitatem differentia ostendatur. Vnde Te Deum Laudamus regulariùs dimittitur, quàm dicatur in Laudibus matutinis.* Interrogatio fuit non solùm de Missis B. Virginis, sed etiam Sancti Spiritus, & Sanctæ Crucis in diebus profestis. Responsio exprimit tantùm Missas B. Virginis, tamen subintelligi etiam debent alię. Non esse eam in vsu iuxta Missale Romanum (nempe in Rubricis generalibus §. 8. num. 4.) ait Suarez Disp. 83. sect. 1. V. *Quartò*. Nam *Gloria* dicitur in Missis B. Mariæ in Sabbatho, & Angelorum; necnon in votivis solemnibus pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa. Consentio quoad Missas votivas Angelorum, cũ enim hi protulerint prima verba hymni istius, prævaluit vsus Romanus dicendi eum in omnibus ipsorum Missis. Dissentio quoad Missas votivas B. Mariæ in Sabbatho, nam Sabbathum non est dies profestus, sed festus B. Virginis, vt qui sit specialiter dicatus, colaturq; cum aliqua solemnitate in honorem illius. Dissentio etiam quoad Missas votivas solemnes pro causa grani,

ni, vel publica, quia causa ipsa facit, vt dies assumptus ad celebrationem solemnem æstimetur quasi festus.

709 Iam cum in Missis alijs votivis non sit dicenda *Gloria*, vt inter commemorationem, & solemnitatem appareat differentia, sequitur, neque dicendam esse in Missis ferialibus, vt sit discrimen inter dies communes, & festivos. Insuper sequitur, non esse dicendam in Missis defunctorum, neque in Adventu, & Septuagesima vsque ad Pascha (exceptis Cœna Dñi, & Sabbatho sancto) vt inter dies luctus, mœroris, atque pœnitentiæ, & lætos, hilaresque diversitas aliqua noscatur.

710 De Symbolo Apostolico, & de Præfatione delibabimus nonnihil infra. De cantico *Te Deum laudamus*, existimatur communiter, fuisse compositum à SS. Ambrosio, & Augustino, quando hic baptizatus fuit: atque ita asseritur à S. Dacio Episcopo Mediolanensi Libro 1. Chronici Cap. 10. (qui vixit tempore Iustiniani Imperatoris, laudaturque à S. Gregorio L. 3. Dialogorum Cap. 4) & quod magis est, Breviarium Romanum vocat hymnum SS. Ambrosij, & Augustini. Non desunt, qui non moveantur authoritate Chronici citati, quod putant, non esse opus S. Dacij, quia stylus non sapit ætatem Iustiniani, & quæ narrat de gestis in SS. Ambrosij, & Augustini colloquio non consonant scriptis ab ipso S. Augustino, & à Possidio. Addunt, ante S. Benedictum in Regula C. 11. nullibi fieri mētionem de eo cantico; sed postea fuisse sæpissimè frequentatum in signum lætitiæ, vel actionis gratiarum; cumq; ex S. Patriarcha cœperit concini in quibusvis Dominicis, offensos inde fuisse Præsules, vt refert Radulphus Glaber L. & C. 3. historiæ, quia Romæ in solis Pontificum Natalitijs decantabatur, vt tradit Amalarius in Prologo Antiphonarij; quanquam tempore succedēte Micrologi iam dicerētur in Dominicis, & festis novem Lectionum, vt testatur Cap. 46. Videatur Gavantus in Rubricas Brev. sect. 5. C. 19. vbi ait, censeri melius ab ijs, qui totum hymnum attribuunt S. Ambrosio, cū careat Dialogismo; & in quodam Breviario valde antiquo se pro titulo legisse, *Hymnus S. Abundij*. Sed quod initio dixi de communi existimatione placet magis mihi, vt & Benzonio alleganti plures L. 1. in *Magnificat*, C. 19.

711 Ideo autem Innocentius III. cum docuisset, quibus diebus non esset decantandus Hymnus Angelicus, addit, Hymnum Dominicalem (sic vocat Alcuinus in Lib. de Officijs canticum *Te Deum laudamus*) dimitti regulariùs in Laudibus matutinis, quia ex vsu antiquo Ecclesiæ Romanę, quandocumque in Matutino dictus est Dominicalis, succedit Angelicus in Missa, si excipiantur Missę de feria quinta, Sabbathoque hebdomadæ maioris, & Missæ votivæ, de quibus supra. Respondent sibi mutuò hi duo hymni, sunt ęnim pleni lætitia.

SECTIO XXXXIII.

Elucidantur alij textus.

712 S. Soter, qui Cathedram Petri administrandam, & gubernandam suscepit anno 175. decernit in Can. *Hoc quoque* 61. de Consecratione Dist. 1. vt duo saltem Subministri adsint Presbytero sacrificanti, *quia cum pluraliter ab eo dicitur Dominus vobiscum, aptissimè convenit, vt ipsius respondeatur salutationi.* Quę quidem salutatio *Dominus vobiscum* sumpta est ex veteri Testamento, Ruth. 2. V. 4. Iudicum 6. V. 12. Paralip. 2. 15. V. 2. Angelusq; Gabriel salutavit Virginem Lucæ 1. V. 28. dicens, *Dominus tecum.* Commendatur autem magnopere in Concilio Bracarensi I. Can. 3. his verbis, *Item placuit, vt non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri populum, sed vno modo salutēt dicentes, Dominus sit vobiscum, vt in Libro Ruth legitur; & vt respondeatur à populo, Et cum spiritu tuo, sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens; & non sicut Priscilliana prauitas permutauit.*

713 Sed hic Canon videtur reprobare Episcopalem salutationem, *Pax vobis*, quam primò Episcopi vsurpant in Missa imitantes Christum Lucæ 24. V. 36. qui sic post resurrectionē salutavit discipulos: constatque ex Liturgijs Sanctorū Iacobi, & Basilij, & ex multis Patribus, prima saltem vice in

Missa

Missa Præsules salutasse populum eis verbis, quibus nunc, *Pax vobis*. Respondeti potest, Patres Bracarenses non loqui de prima salutatione Episcoporum, sed de alijs, eo quod Priscillianus vellet, Episcopos debere semper salutare verbis *Pax vobis*. Ita Loaysa in notis ad Concilium Bracarense. Non omnino acquiesco, quia si Priscillianus tantùm invexisset, vt salutatio *Pax vobis* repetereretur ab Episcopis, non diceretur, ex Priscilliana pravitate provenisse hanc permutationem. Qui modus dicendi denotat, adinventam fuisse à Priscilliano aliam salutationem, qua nec Christus sit vsus, nec Episcopi vnquàm vterentur.

714 Quare mihi persuadeo, Priscillianum excogitasse salutationē quandam prorsus diversam, quam Episcopi deberent semper dicere, & quam Patres Bracarenses non expressérunt, vtpote notam àpud eos, quibuscum loquebantur. Si hæc responsio non placeat, addo aliam, scilicet Patres Bracarenses ex odio in Priscillianum, qui ab Episcopis removebat salutationem *Dominus vobiscum*, & solam *Pax vobis* vsurpandam contendebat, decrevisse, vt ipsi etiam Episcopi dicerent semper in salutationibus *Dominus vobiscum*. Habemus plura exempla similia in Ecclesiastica antiquitate prohibendi absolutè aliqua, quia Hæretici eis abutebantur, etsi alias licitè & sanctè vsitata forent, posteaque redierint in vsum, cōsopito iàm, aut extincto abusu, errore vè Hæreticorum. Sic C. *Ieiunium* 14. de Consec. Dist. 3. prohibetur ieiuniū feriæ 5. à Melchiade Papa ex odio Manichæorum, qui eo die in contemptū, (vt puto) Ascensionis Dominicę ieiunium servabant, vt & die Dominica in contemptum Resurrectionis Dominicæ: quare & ieiunium diei Dominicæ prohibetur ibidem à Melchiade, & in pluribus alijs Canonibus, nominatimque in C. 4. Concilij Bracarensis præcitati: qua hæresi abolita, cessavit illius præcepti causa, & consequenter ipsum præceptum. Occurrunt passim alia exempla. Nec plura circa C. *Hoc quoque*, de quo latè in Disputatione 14. Sectione 2.

715 De Collectis fit mentio in Can. *Convenit* 13. de Consec. Dist. 5. ex Concilio Agathensi C. 30. Collectarum autem nomine significantur orationes, quę in Missa recitantur, vel cāntantur, collecto adeam populo. Cuius nominis rationes non sine tædio repeterem, cum apud omnes, qui de Missa scribunt sint satis expressæ. Videantur inter alios Durantus Libro 2. Cap. 16. Suarez Disp. 83. sect. 1. V. *Sextò*, Bellarminus Lib. 2. de Missa C. 16. Cerda C. 42. Adverss. sacrorum n. 2.

716 In Can. *Omnes fideles* 62. de Cons. Dist. 1. (qui Canon est 9. Apostolorum) dicitur, *Omnes fideles, qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiā, & Scripturas Apostolorum, & Evangelium audiant.* Vbi vides antiquitatem legēdi, quam vocamus *Epistolam* in sacris solemnitatibus; neque est, cur tempore etiam Missæ non putemus factam eam lectionem. Cuius de causa in Can. *Vt quisque* 3. de Vita, & honestate Clericorum iubetur *Presbyter, qui plebem regit, habere Clericum, qui secum cantet, & Epistolam, & lectionem legat*; & in C. *Si Subdiaconus* 17. Dist. 34. vetatur legere Apostolum Subdiaconus, qui secundam vxorem duxerit. In Canone autem 2. Concilij Bracarensis I. *Placuit* Patribus, *vt per solemnium dierum Vigilias, & Missas, omnes eaſdem, & non diuersas lectiones in Ecclesia legant.*

717 Olim post Epistolam sequebatur immediatè Evangelium in Ecclesia saltem Hispana, quin interponerentur Graduale, Versus, Alleluia, Tractus, Sequentia. Constat id ex Cōcilio Tolerano 4. Can. 12. dicente, *In quibusdam quoque Hispaniarum Ecclesijs Laudes post Apostolum decantantur, priusquàm Euangelium prædicetur, dum Canones præcipiunt, post Apostolum non Laudes, sed Euangelium annunciari. Præsumptio est enim, vt antea ponantur ea, quæ sequi debent. Nam Laudes ideo Euangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem Euangelium prædicatur. Circa omnes igitur Sacerdotes hic ordo teneatur.* Sic PP. Toletani. Contra quos prevaluit ad imitationem Græcorum vsus Romanus, vt observat Berno C. 1. de quibusdam rebus ad Missam spectantibus. Ignoramus, quinam sint illi Canones prohibentes Laudes post Epistolam. An fuerunt Canones alicuius Concilij Hispanici? Ignoramus etiam, quo fundamēto dicat Loaysa, hymnum trium puerorum vocari specialiter Laudes à PP. Toletanis,

Toletanis, cum potuerit sic generatim appellari quidquid post Epistolam canebatur. Et quidem in Officio Muzarabico legitur Prophetia, posteà canitur, quod vocant *Psallendum*, quod idē pene est, atque *Responsum*, non dispar *Graduali* Officij Romani, finito *Psallendo* dicitur Epistola, succeditq; immediatè Evangelium, & vocatur *Lauda*, vel *Laudes* quidam Vers. qui, præeunte, & subsequente *Alleluia*, cantatur, absoluto Evangelio.

718 Mos legendi Evangelium in Missa introductus est à primis Apostolorum successoribus, vt ait Valafrid. Strabo Cap 22. de rebus Ecclesiasticis. Vnde in Concilio Laodiceno Cap. 16. statuitur, vt die quoque Sabbathi legatur Evangelium cum alijs Scripturis; & S. Anastasius Papa I. (qui obijt anno 402.) iussit in Can. *Apostolica* 68. de Consecratione Dist. 1. *vt dum sancta Euangelia in Ecclesia recitantur, Sacerdotes, & cæteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi, in conspectu Euangelij stantes Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.* Ita transcribit Gratianus ex Epistola S. Anastasij ad omnes Germaniæ, ac Burgundiæ Episcopos. Ersi autem non constet, eam Epistolam esse legitimam, constat tamen ex Libro Pontificali, S. Anastasium constituisse, *Vt quotiescumque sancta Euangelia recitarentur, Sacerdotes non sederent, sed curvi starent.* Cuius Decreti occasio audiatur ex Baronio anno 402. numero 44. [Gravis Romæ his temporibus inter Presbyteros, & Diaconos est obortа cōtentio: hi enim administrantes res Ecclesiæ, supercilio elati spernebant Presbyteros; Presbyteri autem in eos demin surrexere, atque ex consuetudinis Romanæ Ecclesiæ præscripto, ipsis sedentibus, eos stare debere, contendebant. Sed eò vsque contentio pertinax progressa est, vt etiam cum stantes Diaconi coram populo legerent Evangelium, Presbyteri tamen minimè è sessione consurgerent. Quod vt enorme factum Anastasius Papa emendandum sancito einsmodi Decreto putavit.] Hactenus ex Baronio. Vnde perspicitur, S. Anastasiū nō fuisse, qui instituit, vt starent omnes, dum legitur Evangelium, sed correxisse eos, qui non observabant antiquam consuetudinem tunc standi, de qua S. Clemens Romanus L. 2. Const. Apost. C. 57. commendatque illam etiam in Episcopis S. Isidorus Peluſiota Lib. 1. Epist. 136. vti è contra damnat novitatis Sozomenus Libro 7. hist. Eccles. Cap. 19. in Alexandrinis Præsulibus, quòd tunc sederent: [id apud alios vsquam fieri equidem neq; comperi, neque audivi] inquit Sozomenus.

719 Concilium Valentinum Hispaniæ Cap. 1. censet observandum, *Vt sacrosancta Euangelia ante munerum illationem, vel Missam Catechumenorum, in ordine lectionum post Apostolum legantur; quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermonem Sacerdotis non solū fideles, sed etiam Catechumeni, ac pœnitentes, & omnes, qui ex diuerso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos euidenter scimus.* Cui Canoni consonant Canon *Episcopus* 67. de Consec. Dist. 1. ex Concilio Carthag. 4. C. 84. & Cap. *De incestis* 8. magisque clarè C. *De his, qui* 9. 35. quæst. 2. & 3.

720 Sed notare oportet, in Concilio I. Arausicano Galliæ Narbonensis C. 18. dici, *Placuit, Catechumenis non legi Euangelium in Ecclesia*, vel iuxta aliam lectionem, *Euangelia placuit deinceps Catechumenis legi apud omnes Prouinciarum nostrarum Ecclesias.* Si prima lectio probetur, mirari non est, continuatum in Gallia morem non legendi Evāgelium ante dimissos Catechumenos; de quo conqueritur Amalarius Lib. 3. de Officijs Ecclesiasticis Cap. 36. quia [proculdubiò prædicatoribus Gentiū præceptum est, vt Evangelium eis prædicent.] Et ex S. Clemente Papa I. in Const. Apost. constare, initio Christianæ Religionis exclusos priùs Catechumenos, quàm legeretur Evangelium, asseritur ab Albaspinæo in notis ad præcitatum Canonem Arausicanum pagina 261. Sed certè non nisi contrariū constat ex Lib. 2 Cap. 57. & de pœnitentibus Cap 39. Finitoque Evangelio, & explicato ab Episcopo edicebat Diaconus, *Ne quis ex Catechumenis: ne quis ex audientibus: ne quis ex infidelibus: ne quis ex Hæreticis. Qui primam precationem fecistis, exite*, vt traditur in Lib. 8. Cap. 12. Huic mori primævo voluit conformare se Concilium Arausicanum, si secunda lectio præhabeatur.

721 Animadvertendum etiam est,

est, Catechumenos dimissos fuisse ante Offertorium, vt patet contra Guilielmum Durandum Lib. 4. Rationalis C. 1. num. 46. ex verbis Concilij Valentini. Et vt omittam innumera alia testimonia antiqua, passim obvia, partimque indicata à Loaysa ad Concilij Valentini C. 1. & à Vicecomitte L. 2. de antiquis Baptismi ritibus C. 10. adduco singulare quoddam ex Concilio Constantinopolitano sub Menna, Actione 5. tom. 2. editionis Binianę Conciliorum parte 1. pagina 733. ibi: *Post lectionem sancti Euangelij ex more Missa,* (scilicet Catechumenorum) *finita, & ianuis clausis, ac sancta lectione iuxta cōsuetudinem lecta, tempore diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circum circa altare, & audiebant.*

722 De Symbolo fidei in Missa dicendo nō reperio memoriam apud Ius Canonicum nisi in C. *Consilium* 4. de celebratione Missarum. Nec opus est coacervare, quę alij afferunt, vt Valdensis in Opere de Sacramentalibus tit. 4. Cap. 32. num. 6. Durandus L. 4. C. 25. Durantus Lib. 2. C. 24. Loaysa ad Concilium III. Toletanum pag. 239 Azor tom. 1. Lib. 10. C. 24. quæst. 9. Landrmeter Lib. 2. de Vetere Clerico Monacho Cap. 81. pag. 207. Baronius anno 44. ex num. 15. vsque ad 19. Suarez, Bellarminus, Demochares, Herrera, & alij passim.

723 Nostra in Hispania Concilium Toletanum III. anno 589. decreuit [propter roborandam novellā conversionem, vt omnes Hispaniarum, & Gallæcię Ecclesię eam regulam observarent, vt omni Sacrificij tempore ante communicationem corporis Xpi, & sanguinis iuxta Orientalium Patrum morem vnanimiter clara voce sacratissimum fidei recenserent Symbolum: vt primum populi, quam credulitatem tenerent, faterentur, & sic corda fide purificata ad Christi corpus, & sanguinem percipiendum exhiberent.] Sic ante Capitula. Vnde in Missa Muzarabica recitatur à Sacerdote, & Choro Symbolum paulò post consecrationem, incipiuntque, *Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem.* Verba illa *iuxta Orient. PP. morem* intelligenda sunt, nō de vsu Ecclesiæ Græcę in Symbolo post consecrationem, sed de vsu dicendi Constantinopolitanum, id est, confectum in Synodo eius Vrbis, anno 381. vt declaratur in eodem Concilio Toletano III. Can. 2. nisi quòd formulæ Constantinopolitanæ addiderant PP. Hispani ab anno 447. professionem fidei de processione Spiritus sancti a Filio, provt didicerant ex S. Leonis Papæ 1. Epistola ad Turibium Episcopum Asturicensem C. 1. vt tradit Baronius eo anno 447. vel ex S. Damaso in Cōcilio Romano, an. 382. vt mavult Durantus supra, n. 11. Quod additamentū ad Symbolum non fuit gratum Leoni Papæ 3. etsi grata fuerit veritas ipsa Catholica de processione Spiritus sancti non modò a Patre, sed etiam à Filio, provt latè narrat Baronius anno 809. ex num 52. vsque ad 63. videndus etiā anno 883. ex num. 30. vsque ad 40.

724 Sed anno 1014. cœpit cani Romæ ad Missas Symbolum cum ea additione. Sic refert Berno C. 2. de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, [Romani vsque ad tempora divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt Symbolum post Evāgelium, sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram assistente audivi eos huiusmodi responsum reddere, videlicet quòd Romana Ecclesia nō fuisset aliquando vlla hæreseos fæce infecta, sed secundùm S. Petri doctrinā in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa: & ideò ijs magis necessarium esse illud Symbolum sæpius cātando frequentare, qui aliquando vlla hæresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea desijt, quā omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico (huius nominis Papæ VIII.) persuasit, vt ad publicam Missam illud decantarent.] Hactenꝰ Berno.

725 Cuius narratio difficilis alicui erit, nam Symbolum Apostolorum habetur in Liturgia S. Petri, & iuxta S. Dionysium Areopagitā C. 3. de Ecclesiast. Hierarchia illud in Missa dicebatur; & à S. Marco Papa iussum est recitari in ea Symbolum Nicenum, vt Radulphus Decanus Tungrensis Libro de Canonum Observantia, propos. 23. Berno citatus à multis in Cap. 25. Martinus Polonus ad annum 338. alijque tradunt; à S. Damaio Papa Symbolum Constantinopolitanum: atque ita scribit idem Radulphus ibidem, necnō

Rupertus

Rupertus Libro 2. de diuinis Officijs C. 21. Sigebertus in Chronico ad annum 688. Sed responderi potest, priorem vsum desijsse in Ecclesia Latina, quando Romam accessit Berno; vel sanctiones SS. Marci, & Damasi fuisse pro alijs partibus extra Romam. Neq; caret scrupulo, quòd præfati Pontifices permiserint additamentũ ad Symbolum Apostolorum, scribit enim Ruffinus in eius Expositione, [Illud non importunè commonendum puto, quòd in diversis Ecclesijs aliqua in his verbis inveniuntur addita: in Ecclesia autem vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum; quod ego propterea esse arbitror, quòd neque hæresis vlla illic sumpsit exordium, & mos ibi servatur antiquus, eos, qui gratiam Baptismi susceperi sunt, publicè, id est, fideliũ populo audiente, Symbolum reddere, & vtique adiectionem vnius saltem sermonis, eorum, qui præcesserunt in fide, non admittit auditus.] Hęc Ruffinus coætaneus S. Damasi.

726 Occurrebat mihi, posse aliter responderi, scilicèt Romæ non fuisse quidem in Missis solemnibus cãtatum; ast fuisse tam in eis, quàm in priuatis lectum, recitatumque Symbolum Apostolicum, & posteà Nicænum, atq; etiam Constantinopolitanum; si Ruffini narratio quoad secundum, & tertiũ non retardet ab assensu. Et quidẽ Berno non loquitur nisi de Symbolo non cantato Romæ; Leoque Papa III. in Colloquio cum Legatis Synodi Aquisgranensis, & Caroli Magni vrgentibus, vt cõcederetur addere Symbolo (quod iam in Gallia, & Germania ex facultate Pontificia inter solemnia Missarum canebatur) processionem Spiritus sancti à Filio, aiebat, *Nos Symbolum non cantamus, sed legimus, & legendo docemus, nec tamen legendo, aut docendo addere quidpiam eidem Symbolo inferendo præsumimus.* Ita apud Baronium anno 809. num. 60. Et secretè recitandi Symboli Apostolici in Vrbe reddi potest causa ex S. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 9. ad 6. quia scilicet *tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata.* Videatur Gavantus S. 5 in Rub. Brev. C. 3. num. 4. Præterea in Concilio Toletano III. supra signanter exprimitur recensio Symboli *clara voce*, quasi quid speciale; in 8. etiam, C. 1. dicitur, *Sicut denique in sacris Missarum solemnitatibus concordi voce profitemur, ac dicimus, Credimus in vnum Deum;* in 12. C. 1. *Sicut etiam in Missarum solemnijs, patulis confessionum vocibus proclamamus, Credimus in vnum Deum.* Et S. Isidorus L. 1. de Officijs diuinis C. 16. inquit, *Symbolum tempore Sacrificij populo prædicatur:: vniuersis Ecclesijs pari confessione à populo proclamatur.* Sed hæc responsio non omnino sufficit, siquidẽ Rupertus, & alij supra de cantu Symboli ex institutione Summorum Pontificum Marci, & Damasi sermonem habeant.

727 In Concilio III. Toletano verba illa *iuxta orientalium Patrum morem*, accipienda etiam sunt de vsu dicendi Symbolum *omni Sacrificij tempore*, non præcisè in omni Dominica, vt parùm exactè refert ex eo Concilio Valafridus Strabo C. 22. de rebus Ecclesiast. & ex Strabone Gavantus parte 1. in Rubricas Missalis tit. 11. lit. *L.* pag. 37. Ante Concilium Toletanum III. dicebatur Symbolum in Ecclesia Constantinopolitana ad omnes Synaxes, nã [Timotheus (Antistes illius Ecclesię) ab amicis rogatus Symbolum fidei trecentorum decem, & octo Patrum per singulas Synaxes dici curavit, ad reprehensionem videlicet Macedonij, quasi ille Symbolum hoc (quod fuit Nicænum) non recæperit: cum antea semel tantùm in anno, in Paraseeve scilicet, Dominicæ Passionis tempore, quo Episcopus catechizabat, recitatum esset,] referente Theodoro Lectore Lib. 2. Collectaneorum Historiæ Ecclesiasticæ.

728 Causa, quæ movit Concilium Toletanum III. nempe novella cõversio Hispano-Gothorum ex Arianismo ad fidem Catholicam, vt frequẽtaretur cantus Symboli, eadem ir duxit in Ecclesia vsum tradendi, & explicãdi illud Catechumenis competentib⁹, curandique, vt ab illis in cętu fidelium publicè recitaretur De quomore extant Canones *Ante viginti* 55. *Symbolum* 56. *Baptizandos* 58. de Consecratione, Dist. 4. multusque est in eo illustrando Vicecomes Lib. 3. de antiquis Baptismi ritibus C. 14. Tandem circa Concilium Toletanum III. obseruare est, S. Mariam Ægyptiacam proximè ante Viaticum recitasse Symbolum, & orationem Dominicam, vt refert Sophronius.

nius. Quod de more fuisse antiquo apud Orientales in ordinarijs communionibus, indicat Raynaudus sect. 2. de Prima Missa Cap. 5. pag. 328. Vellem alijs testimonijs antiquitatis instructus esse, vt de cõmuni vsu sententiam ferrem; sicut & vellem invenire in Epist. 1. Sancti Clementis Papæ ad Iacobum, seu potiùs ad Simeonem fratrem Domini, quod ei attribuit Herrera Lib. 2 de Origine rituum Missæ Cap. 20. numero 7. videlicet fideles in exordio Ecclesiæ recitasse Symbolum post communionem.

SECTIO XXXXIIII.
Aliorum textuum enucleatio.

729 TEMPORE Offertorij cantati in Missa fuisse à fidelib⁹ oblata munera, vulgatissimum est, vt potè constans ex multis antiquis monumentis, nempe ex S. Pij Papæ I. Decreto in Codice 5. Librorum, Lib. 2. C. 117. ex S. Fabiani Papę Decreto in Codice 16. Librorum, Lib. 5. C. 7. ex Concilio Matisconensi apud Burchardum Lib. 5. C. 32. ex C. *Oblationes* 2. Dist. 90. ex C. *Antiquos*, C. *Quia Sacerdotes* 10. quæst. 1. Et vt alia silea, Gregorius VII. in Synodo Romana anno 1078. iniungit, *Vt omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & duci ad memoriam, quòd Deus per Moysem dixit, Non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in Collectis SS. PP. liquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre aliquid Deo ex vsu SS. PP. debent.* Addit plura verba Gratianus C. *Omnis Christianus* 69. de Consecratione Dist. 1. nesciturque, vnde ea desumpserit. Recitabantur autem publicè a Diacono nomina eorum, qui offerebant, vt innotescit ex Epist. 10. 60. & 66. Sancti Cypriani. Prohibuitque Sanctus Innocentius Papa I. vt enunciarentur illa ante precem Sacerdotis. Sic enim in Epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum ait, *De nominibus verò recitandis, antequã precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commender, quàm superfluum sit, & ipse pro sua prudentia recognoscis, vt cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quanuis illi incognitum sit nihil.* Hæc S. Innocentius apud Gratianum C. *De nominibus* 73. de Consec. Dist. 1: Pergit S. Pontifex, *Priùs ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, vt inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, vt ipsis mysterijs viam futuris precibus aperiamus.* Subticuit hæc verba Gratianus. Et pius hic mos publicandi offerentium nomina, de quo latè, & doctè Albaspinæus Lib. 1. Observ. 7. detortus est à multis in vanitatem, quam reprehendit S. Hieronymus in Hieremiam Lib. 2. C. 11. & in Ezequielem Lib. 6. C. 18.

730 Nunc quidem fas est Sacerdoti, in Canone commemorare secretò nomina offerentium, & eorum, quos Deo commendare vult; non tamẽ necesse est, ea exprimere, sed satis est, mente tantùm eorum memoriam habere, vt dicitur in Rubricis de Ritu servãdo §. 8. num. 3. Videturque S. Innocẽtius voluisse, vt in Canone, & non anteà, fieret commemoratio altior (quæ tunc in vsu erat) offerentium, nam per vocem *precem* (transcriptam à Gratiano, etsi non ab omnibus alijs, nam multi legunt *preces*) potest aptè significarĩ Canon, siquidem *precis* nomine appelletur à S. Gregorio Magno L. 7. Epist. 63. & à Vigilio, antequàm esset legitimus Papa, in Epist. ad Eleutherium C. 5.

731 Præfationes novem præter communem, quas longa retrò vetustas in Romana Ecclesia servaverat, & quas ab Episcopis Galliæ, & Germaniæ teneri mandat S. Pelagius Papa II. recenset ipse in Epist. ad illos scripta post annum 577. quo creatus est Pontifex. Referturq; eius Decretum à Gratiano in C. *Inuenimus* 71. de Cons. Dist. 1. notaturque ab eodem Gratiano C. *Sanctorum* 2. §. finali *In eodem Concilio*, Dist. 70. additam fuisse decimam Præfationem de B. Virgine ab Vrbano II. in Concilio habito Placentiç ad annum 1095. sicut in Claramontano ad eundẽ annum preces horariæ eiusdem B. Virginis sunt commendatæ, vt recitandæ non tantùm à Clericis, sed etiam à Laicis pro auxilio contra Saracenos obtinendo. De Præfatione propria B. Virginis sermo habetur in C. *Consilium* 4. de Celebratione Missarum: de communi extat Cànon *Quando autem* 70. de Cons. Dist. 1. desumptus ex S. Cypriano

in Sermone de Oratione Dominica, ad cuius num. 85. legendus est Pamelius. Et in Concil. Milevitano 2. C. 12. & in Africano C. 70. iussum est, non recitari nisi Præfationes approbatas. Nec plura de illarum numero, & authoritate, nam hæc sufficiunt ad intelligentiam Canonum, qui de ipsis reperiuntur.

732 Ad finem Præfationum dicitur hymnus trisagius ex iussu Sancti Sixti Papæ I. martyrio coronati anno 142. Sic refertur in Pōtificali Damasi, [Constituit, vt, Missarum actionem Sacerdote incipiente, populus hymnū decantaret, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, &c.] Quo ex Pontificali asseruerunt idem ipsū multi alij. Cæterùm Sanctus Sixtus non de novo instituit, sed Decreto suo firmauit vsum iam antea receptum, vt cum Baronio, & Bellarmino notat Binius in notis ad vitam Sancti Sixti, nam in Liturgijs Sanctorū Petri, Iacobi, & Marci extat is hymnus, & de vsu eius testatur Sanctus Clemens Romanus Lib. 8. Const. Apost. C. 12. Vnde iam inde ab Apostolis per manus Ecclesiæ Christi traditum esse, videtur optimè Nicephoro Callisto Lib. 18. Hist. Ecclesiasticæ C. 51. & appositè ab Alcuino vocatur hymnus primæuus, vt notat Durantus Lib. 2. C. 31. num. 23. quanuis huius nominis causa reuocari possit in decantationem ab Angelis ex mundi origine.

733 Concilium Vasense I. sub Iulio Papa I. edidit præclarum Canonem, qui est ordine secundus, & qui hymni triumphalis, aut victorialis, aut Seraphici (quibus etiam nominib⁹ appellatur à Patribus) morem in Missa commendat magnificis his verbis, [In omnibus Missis siue matutinis, siue Quadragesimalibus, siue in illis, quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus eo ordine, quo ad Missas publicas, dici debeat, quia tam dulcis, & desiderabilis vox, etiam si die, noctuq; posset dici, fastidium non potest generare.] Sic Synodus Vasensis celebrata non multò post Concilium Nicænum I. cui hoc Decreto, vt & sequenti de additamento *Sicut erat in principio, & nunc, & semper*, &c. ad hymnum glorificationis, id est, *ad Gloria Patri*, &c. valde se conformavit, simulque Arianam hæresim validè confutavit, prout animadvertit Baronius anno 325. n. 176. & 177. annoque 442. numero 3. Constat autem ex Synodo Vasensi, hymnum trisagium in publicis Missis fuisse frequentatum, quandoquidem vt in alijs non omittatur, Patres illi præcipuè caveant.

734 In Cap. *Cum Marthæ* 6. de Celebratione Missarum concludit Innocentius III. responsum ad primam quęstionem dicēs, *Credimus igitur, quòd formam verborum, sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores*. Quæ verba intelligenda sunt, non de toto Can. sed de illa eius parte, quæ continet formam consecrationis, vel ad ipsam proximè antecedit, vel subsequitur, scilicet de verbis, *Elevatis oculis in Cœlum, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei*, &c. Ita constat ex toto contextu responsi.

735 Canon *Vtrùm sub figura* 72. de Consecratione Distinctione 2. habet declarationem verborum illorum, quibus vtimur in Canone Missæ, *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam*, &c. & quorum meminit Sanctus Ambrosius Libro 4. de Sacramentis, Capite 5. Circa Canonē *Vtrùm* legantur quæ adnotaui Disputatione 12. num. 17. & cum eo conferatur Canon *Panis est* 55. eadem Distinctione.

736 Sanctus Alexander Papa I. ad Pontificiam sedem evectus anno 121. in Epist. 1. ad omnes Orthodoxos ait, *In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, Passio Domini miscenda est, vt eius, cuius corpus, & sanguis conficitur, Passio celebretur*. Quæ verba transcribuntur à Gratiano Can. *In Sacramentorum* 1. de Consecratione Distinctione 2. Et ob ea dicitur de Sancto Alexandro in Libro Pontificali Damasi, *Passionem Domini miscuisse in precatione Sacerdotum, quando Missæ celebrantur*. Notatque Baronius anno 132 numero 3. Sanctum Alexandrum potiùs scriptis mandasse, ac Decreto roborasse, quàm recèns statuisse Passionis in Missa memoriam, nam Lucę 22. V. 19. iusserat Xps, *Hoc facite in meam cōmemorationem*, & Paulus ad Corinthios 1. C. 11. V. 26. dixerat,

Quotiesq;

Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

737 Sed responderi potest, cum anteà exercitè sacrificaretur in memoriam Passionis Christi, S. Alexãdrum instituisse, vt verbis sacrificantiũ eadem Passio exprimeretur, dicendo, vt nunc, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, vel *Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi filij tui Domini nostri tam beatæ Passionis*, &c. vel *Qui pridie, quàm pateretur*, &c. Et hęc quidem verba vsque ad consecratoria tribuuntur S. Alexandro ab Vvalafrido, Bernone, Sigeberto, Platina, & alijs communiter, vt & à Breviario Romano Lectione de S. Alexandro, die 3. Maij, quanquàm eadem ferè reperiantur in Liturgia S. Petri, & in S. Clemente Romano Lib. 8. C. 12: affirmetque Alcuinus in Lib. de divinis Officijs Cap. 40. seu de Celebratione Missæ, Apostolos in vsu habuisse post ascensionem Domini verba illa, *Qui pridie, quàm pateretur* vsque *in mei moriam facietis*. Legantur C. *Panis est* 55. C. *Vtràm sub figura* 72. de Cons. Dist. 2. vbi invenire est verba, *Qui pridie*, &c. Et in posteriori C. invenire etiam est verba, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui*, vsitata in Canone, & in Liturgia S. Petri.

738 Alcuinus in C. præcitato, & Florus Magister in Expos. Mis. scribunt, [Post illa verba, quibus dicitur, *Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*, vsus fuit antiquorum, sicut etiam vsque hodie Romana agit Ecclesia, vt statim recitarentur ex diptychis, id est, tabulis, nomina defunctorum: atque ita post lectionem nominum subiũgerentur verba sequentia, *Ipsis, Domine*, videlicet quorum nomina memorãtur, *& omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas, deprecamur.*] Atque hinc intelliguntur C. *Quid obest* 11. quæst. 3. C. *Nomen* 2. quæstione 1. C. *Sanè* 24. quæst. 2. vbi de sacris diptychis, quę erant duplices tabellæ, in quibus piè viventium, & defunctorum nomina continebantur, & ex quibus recitabantur.

739 Quod vel tetigisse sufficiat, & indigitasse singularem locum Concilij Emeritensis C. 10 cũ de sacris diptychis eruditissimè actum sit à Duranto L. 2. C. 43. n. 8. & 9. Baronio ad annũ 430. & 518. Heriberto Rosvveydo in Onomastico ad Vitas PP. V. *Diptychum*, Lælio Bisciola tomo 2. Lib. 9. Horarum subsecivarum C. 15. Cerda in Adversarijs sacris C. 42. num. 1. C. 143. num. 6. Hieronymo de la Higuera in Diptycho Toletano, edito in lucem à Clarissimo viro D. D. Laurentio Ramirez de Prado vnà cũ Operibus Luitprandi; videndusque est idem Laurentius in calce Iuliani Petri, necnon Thomas Tamayus de Vargas in notis ad Luitprandum pag. 11. & 249. Landtmeter L. 2. de Vetere Clerico Monacho C. 81. pag. 210. & 211. Hugo Menardus in notis ad Lib. Sacramentorũ, pag. 20. & in Observationibus ad Concord. regularum C. & §. 4. Gavantus in Rubricas Missalis parte 2. tit. 9. numero 2. lit. *C.* Vicecomes Volumine 4 Observationum Ecclesiasticarum L. 7. C. 17. Phelippæus in Cap. 4. Oseę pag. 787. Pamelius in notis ad C. 2. Libri Tertullianici ad Martyras n. 22. alijsq; in locis, ad quæ ibi se remittit, qui & alios citant, & ex eis multi tractant de diptychis profanis, de quibus in *l. 1. de Expensis ludorum Cod. Theodosiano*, & in multis Symmachi Epistolis.

740 Canon *Ecclesiasticorum* V. Distinctione 11. habet hæc verba, [Quæ Scriptura salutiferę crucis signaculo fideles docuit insigniri, vel quę trifariàm digesta super panem, & calicem prolixæ orationis, vel consecrationis verba commendavit? Nam non modò, quod in Evangelijs continetur, vel ab Apostolo insertum est, in secretis dicimus, sed & alia plura adijcimus, magnam quasi vim commendantia mysterijs.] Sic ex Sancto Basilio in Libro de Spiritu sancto Cap. 27. Et Glossa V. *Trifariàm* explicat, quia ter repetimus in Secretis *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam*, vel quia sub triplici silentio fit Missa, primo vsque ad *Sanctus*, secundo vsque ad orationem Dominicam, tertio vsque ad *Agnus Dei*, vel, provt addit Turrecremata, quia triplici lingua, nempe Latina, Græca, Hebraica proferuntur verba in Sacro.

741 Sed totus hic labor frustraneus erit ei, cui magis placeat versio

Erasmi, iuxta quam verba S. Basilij hęc sunt, [Vt signo crucis eos, qui spem collocarũt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Vt ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his cõtenti fuimus, quæ commemorat Apostolus, aut Evãgelium, verùm alia quoque & ante, & post dicimus tanquàm multum habentia momenti ad mysterium, quę ex traditione citra scriptum accepimus.] En verba trifariàm digesta sunt, quę ex Evangelio dicuntur in consecratione, & quæ ante, & post dicuntur ex traditione.

SECTIO XXXXV.

Aliorum textuum enucleatio; fitque excursus ad intricatos quosdam Canones Concilij Iliberritani.

742 S. Innocentius Papa I. in Epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum C. 1. inquit, [Pacem asseris ante cõfecta mysteria quodam populis impertiri, vel sibi inter Sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax fit necessariò indicenda, per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysterijs aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, prębuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demõstretur.] Transcribuntur hæc verba à Gratiano in C. *Pacem* 9. de Cons. Dist. 2. Sed post Decretum S. Innocentij tradit S. Isidorus Lib. 1. de Officijs Eccles. C. 15. osculum pacis fuisse datum ante cõsecrationem, nam In ordine orationum Missæ scribit, [Quarta oratio post hęc infertur pro osculo pacis, vt charitate omnes reconciliati invicem, digni Sacramento corporis, & sanguinis Xpi cõsocientur, quia non recipit dissensionẽ cuiusquam Christi indivisibile corpus. Quinta infertur illatio in sanctificatione oblationis:: Sexta succedit confirmatio Sacramenti, vt oblatio, quę Domino offertur, sanctificata per Spiritũ sanctum, corpori Christi, & sanguini conformetur. Harum vltima est oratio, quam Dominus noster orare discipulos suos instituit, dicens, Pater noster,] &c. Vnde noscitur, quænam fuerit anticipatio osculi pacis improbata à S. Innocentio, & nunc etiam temporis observata in Officio Isidoriano, seu Muzarabico Salmanticæ, & Toleti, recitatur enim oratio, quę *Ad pacem* appellatur, & præbetur osculum post petitã pacem defunctis, & ante Præfationem, seu munerum, quam vocant, Illationẽ, necnon ante consecrationem.

743 Ratio, quam exhibet S. Innocentius, cõfirmatur ex Tertulliano, qui in L. de Orat. C. 14. appellat *signaculum orationis* osculum, quo in fine orationis se salutabant fideles. In illis S. Innocentij verbis, *Cum post omnia, quæ aperire non debeo*, innotescit quanta cum religione veteres PP. venerati sint sublimiora Missæ mysteria, videlicet cõsecrationẽ, & quæ ipsam proximè antecedunt, atque consequuntur in Can. siquidem S. Innocentius scribens etiam ad Episcopum non audeat in Epist. exprimere diviniora illa arcana. Atque hinc mirari non est cautelam Patrũ, qui cum sermonem haberent ad populum coalescentẽ ex fidelibus, Catechumenis, & infidelibus celabant augustiora Fidei nostræ mysteria, aut sic significabant, ciscque sub involucris, vt tatis testata maneret sui reverentia erga illa.

744 S. Cyrillus Hierosolimitan⁹ Catechesi 6. Illumin. aiebat, [Hæc mysteria, quę nunc Ecclesia enarrat tibi Catechumeno, non est mos, Ethnicis enarrare. Nec enim Ethnico mysteria de Patre, & Filio, & Spiritu sancto declaramus: quin & Catechumenis non adeò apertè dicimus mysteria, sed sępè obscuriùs dicimus, vt sciẽtes fideles intelligant, & qui nesciunt, non corrumpant.] Et anteà in Præfatione ad Catecheses, [Cũ Catechesis recitatur, si Catechumenus ex te quæsierit, quid dicebant Doctores, nihil dicas extra; mysteria enim tibi, & spem futuri sæculi tradidimus. Custodi hoc mysterĩ retributori, nec vnquam dicentem aliquem audi, quid obest, si & ego dicero? Etiam ægroti vinũ quandoq; postulant, quod si intẽpestivè illis detur, phrenesim conciliat; & duo hinc nascũtur mala, nã & ęger interit, & Medic⁹ malè audit. Sic & Catech. si audiat mysteria à fideli, phrenesim patitur, nescit enim quid audierit, & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet; fidelis verò tanquàm proditor condemnatur.

Iam-

Iam ergo tu in finibus nostris constitutus, cave, ne quid effutias, non quòd digna non sint narratione ea, quæ tibi dicuntur, sed quòd indignus est ille audire, cui referres. Et tu aliquando Catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc planè intelliges, dignos non esse Catechumenos, qui ea audiant.]

745 S. etiam Augustinus in novis Sermonibus editis in lucem à nostro Iacobo Sirmondo, Serm. 1. Appendicis sic alloquitur Neophytos, [dimissis Catechumenis, vos tantùm ad audiēdum retinuimus, quia præter illa, quæ omnes Christianos convenit in commune servare, specialiter de Cœlestib⁹ mysterijs loquuturi sumus, quæ audire non possunt, nisi qui ea, donante iam Domino, perceperunt. Tantò ergo maiore reverentia debetis audire quæ dicimus, quantò maiora ista sunt; quæ solis baptizatis, & fidelibus committuntur, quam illa, quæ etiam Catechumeni audire consueverunt. Non autem mirari debetis, fratres charissimi, quòd vobis inter ipsa mysteria de mysterijs nihil diximus, quòd non statim ea, quæ tradidimus, interpretati sumus. Quod certè non negligentia, quæ in tam sacris rebus, atque divinis sacrilegium est, sed religione fecimus. Adhibuimus enim tam sanctis rebus, atque divinis honorem silentij, & inter illos sacros mysteriorum apparatus à docendi cessamus officio, vt tantam divinæ gratiæ maiestatem, quæ dignè nullis hominum vocibus explicari potest, amplius tacendo veneremur.] S. Ambrosius L. 7. in Luc. C. 9. *Quæ Lector agnoscis, infidelis intelligere non debet, non quo cibus imperetur, aut potus, sed sacræ oblationis veneranda communio reueletur. Nō ergo interdictum est muneris, sed religionis mysterium, communionem nobis cum Gentilibus mortuis non futuram.* Omitto alios Patres, & illud sæpe ab eis repetitum, *Norunt fideles*, quando in concionibus præteribant explicationem aliquorū mysteriorum, quæ cæteris adstantibus occulta esse oportebat, aut quæ superabant ipsorum captum.

746 Iam ex eodem C. *Pacem*, moti plures dixerunt, S. Innocentium instituisse pacis osculum in Sacro. Sed Canon ipse ostendit, fuisse antea vsitatum, quanuis tempore non conveniēti; probatque diligenter Durantus L. 2 C. 54. ex S. Dionysio Areopagita, ex S. Iustino Martyre, & alijs Religionis Xpnæ primarijs adhibitum illud fuisse ab origine Ecclesiæ. Polydorus Vergilius L. 5. de rerum Inventoribus C. 11. attribuit Leoni Papæ II. vt pax in Sacrorum cæremonijs adstāti populo circumferretur, per tabellā scilicet. Quo sensu intelligo Platinam scribentem in Leone II. institutum ab eo fuisse, vt in celebratione pax populo daretur. Et à quocumque vsus tabellæ osculandæ continentis imaginem Christi, aut reliquias Sanctorum fuerit introductus, eò ille respexit, ne sub specie boni aliquid carnalitatis Diabolico afflatu subintraret, vt inquit Biel Lect. 81. in C. Missæ lit. *S.* necnon Baronius anno 45. num. 26.

747 Nec solùm qui in Sacro, sed etiam qui extra illud communicabant ex causa Viatici, valedicebant olim sancto osculo adstantibus, antequā susciperent Eucharistiam, vnde Monachi, de quibus S. Gregorius L. 3. Dialog. C. 36. *Non tam ex morte vicina, sed ex ipsa eius præsentia, ac visione turbati omnes sibimet pacem dederunt, corpus, & sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli comendantes, vt eorum animas benignè susciperet, quorum corpora in tam pauenda morte tradiderat.* De S. Severino Noricorū Apostolo scribit Eugippius C. 44. vitæ ipsius, *Cunctos per ordinem ad osculum suum iussit accedere, & Sacramento cōmunionis accepto, fieri se penitus prohibet, totumque corpus signo crucis extenta manu consignans, vt psallerent, imperauit.* S. Maria Ægyptiaca apud Sophronium ex interpretatione Pauli Diaconi, *Dicto Symbolo, & oratione Dominica, sicut mos est, pacis osculum obtulit seniori, & sic viuifica mysteriorum suscipiens dona, in Cœlum extensis manibus ingemiscens, cum lachyrimis, ita clamauit, Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam.* Alter Paulus Diaconus in L. de vita, & miraculis Patrum Emeritensium C. 7. narrat, Fidelem Antistitem Emeritensem dixisse cuidam, *Interim vade, communica, & da nobis osculū valefactionis, quia iterus es. Tamen & domui tuæ sub omni festinatione dispone, aut si desideras remedium pœnitentiæ, percipe, Qui mox accepta pœnitentia, dispositaque domo sua valefaciens cunctis, sequenti nocte migrauit è corpore.*

748 In Missis defunctorum omittebatur iam antiquitus osculum pacis; quia cum non essent solemnes, sed priuatę, populus in eis non accipiebat Eucharistiam. Qua etiam de causa parcebatur osculo in Monachorum Sacris, vt peritè vtrumque notatur ab Albaspinæo Lib. 1. Obseruationum in 17. approbaturque à Gauanto parte 2. in Rub. Mis. tit 10. num. 4. lit. *I.* Alij alias rationes excogitant, vt videre est in Turrecremata ad C. *Pacem.* Thomas Cantipratanus Lib. 2. de Apibus C. 53 num 33. tradit de quodam Monacho Cistertiensi, [qui in Missa celebrata pro mortuis, ante participationem corporis Christi, cum diceret, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem*, audivit voces clamantium à remotis, Festinate, festinate, pacem suscipite, quia iam Missa propinquat ad finem. Qui mox vt stabat Christi corpus tenens in manib^9, fuit raptus in spiritu, & vidit innumerabilium animarum multitudinem festinantem ad pacem, & aliis recedentibus, percepta pace, alias clamantes, Festinate, festinate, quia iam Missa propinquat ad finẽ. Sic Monachus stetit à prima ferè hora diei vsque ad horam nonam, præstolãtibus alijs, & mirantibus quid stans haberet immobilis. Tandem ergo reversus ad se, finivit Missam.] Post quæ subdit Cantipratanus, [His Lector auditis, quis, salvo tamen meliori iudicio, dubitare potuerit, quin Spiritu sancto commodiùs ordinante in Ecclesia Dei antiquitus sit statutum, vt in Missa pro fidelibus defunctis nec pax precetur viventibus, neque detur, sed tantùm vt requiescant in pace, pro eisdem oretur.] Quibus verbis (ni fallor) indicatur, notuisse alicubi receptum vsum Romanum omittendi pacẽ in Missis funebribus.

749 De quibus cum Lectoris pace obiervo Can. *Non oportet* 29. de Consecratione Distinctione 1. vbi dicitur ex Martini Bracarensis Episcopi collectione Orientalium Synodorum apud Lucense Concilium Canone 68. *Non oportet, Clericos ignaros, & præsumptores super monumenta in campo ministeria portare, aut distribuere Sacramenta; sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, vbi Martyrum reliquiæ sunt depositæ, ibi pro defunctis oblationem offerre.* Quo cum C. soleo conjungere C. 34. Concilij Iliberritani, *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incẽdi.* Nam in priùs relato C. prohibetur, peragi Sacrum super sepulchra, atque in cœmeterijs, quæ extra vrbes in cãpo erant; & in posteriùs relato C. vetatur incendi per diem cereos in cœmeterio sito forsan extra ciuitate conuenienter ad morem antiquum communiorem, diuersoque forsan etiam atẽplo, atque basilica iuxta CC. *Præcipiẽdum, Quibus, Nullus*, 13. quæst. 2. & iuxta vulgatos alios textus; quanuis negari non debeat, ante Ecclesiæ persequutiones sedatas deseruisse sæpè cœmeteria instar templorum. Verisimileque est, cereorum incensionem, quæ in cœmeterio displicuit Iliberritanis Patribus, inter alia directam fuisse, vt ibi celebrarentur Sacra funebria.

750 Multiplex ratio, quæ ad prohibitionem Missæ super monumenta in campo, mouere potuit Authorẽ C. *Non oportet*, facilè cuique se se offeret. Causa verò, cur in Concilio Iliberritano reprobatur accensio cereorũ ad cœmeterium, assignatur ab ipsomet Concilio, cruciaque ingenia, discursumq; multorum, inquit enim Cõcilium, *inquietandi enim Spiritus Sanctorũ non sunt*; additque in pœnam, *qui hæc non obseruauerint, arceantur ab Ecclesiæ cõmunione.* Circà quam causam consulantur Durantus Lib. 1. C. 23. p. g. (n ihi) 150. Loaysa, Binius, Albaspinæus Ferdinandus de Mendoza in notis accuratissimis ad eum Canonem, Bellarm in^9 Lib. 2. de Purgatorio C. 19. Baronius anno 34. numero 312. Suarius tom. 1. in 3. partem Disp. 55. sect. 1. Vazquez tom. 1 in 3. partem Disput. 212. Cap. 7. Azor tomo 1. Lib. 9. C. 8 q 3. Sanctius Davila Episcopus Gienneusis L. 3. de Veneratione SS. Reliquiarum C. 2. n. 4. Eivarius in Commentario ad Chronicon Dextri anno 311. Duvallij^9 Tract. de quatuor Novissimis quæst. 1 art. 9. pag. 593. Basilius Legionensis parte 1. Variarum quæst. 2. Scholastica Cap. 1. Thomas Hurtadus de vero Martyrio fidei Resol 34. Digregres. 1. sect. 6. quos maiori ex parte allegavi in Exercitatione 21. de Cœlo Empyreo num. 112. vbi meam interpretationem in medium attuli.

751 Nuperautẽ Doct. D. Iosephus Fernandez de Retes Velperarius Salmanticensis Antecessor Iuris Civilis L. 8. Opusculorum C. 27. scripsit, natam inde

inde difficultatem huius Canonis, quia antepositus fuit, cum deberet postponi ei, qui est ordine 33. in quo dicitur, *Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeteriis pervigilent, eo quòd sæpe sub obtentu orationis, scelera latenter committant*; & quia cum sit vitiatus ex scriptorum incuria; debet sic corrigi; *Cereos perinde*, &c. De causa vero Canonis ait patere eius sensum ex nostro idiotismo, iuxta quem perinde est, ac si diceretur, *non enim inquietabuntur spiritus defunctorum, quamuis cerei ad eorum sepulchra non accendantur*; hoc enim Gentiles metuebant. Sic ille.

752 Sed ego in idiotismis Hispanis tale quid nunquâ animadverti, neque alij, quos quæsivi; essentq; idiotismi Hispani longè breviores Laconismis, si *non enim inquietabuntur spiritus Sanctorum, quamuis cerei ad eorum sepulchra non accendantur*, significatum sit eis alijs paucioribus verbis, *inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt*. Calvinus, & Centuriatores Magdeburgenses, alijque Hæretici abutentes Iliberritano Canone contra cereos à Catholicis accensos in exequijs, sepulchrisque defunctorum, aut in cultum Martyrum, & Reliquiarum; ægrè credent tantam in nostra dialecto breviloquentiâ, tantam q; vim significandi, & quòd *inquietandi non sunt*, perinde sonet, *ac non inquietabuntur*. Prætereà tempore Concilij illius non inceperant idiotismi Castellanæ nostræ linguæ nunc vernaculæ; & Canones in eo confecti Latinissimi sunt.

753 Translocatio Canonis 34. in 35. & è converso, mutationque vocum *per diem* in *perinde* non habet fundamentũ siue in MSS. siue in impressis exemplaribus, fugitq; tot antiquitatis Ecclesiasticę oculatissimos explo ratores, quot supra recensui. Criticæ autem hæ emendationes in verbis Conciliorum, quasi essent Apulei, Plinij, aut Modestini, non expediunt, quandiu manifestò non constet de menda; quæ irrepserit. Alioquì non deerit alius, qui vocem *Sanctorum* in C. 34. corrigat substituendo vocem *Satellitum* dicatq; inhiberi diurnam cereorum ad cœmeteria accensionem, ne eis visis concitarentur spiritus, furiæve apparitorum Gentilium adversus Christianos, vtqui publico apparatu, & pompa, ad lucemque Solis, & facularum auderent non sine Magistratuum contemptu colere memoriam Martyrum, vel ritu Christiano parentare vita defunctis. Et cum duos illos Canones detorqueant Hæretici adversus cœremonias Catholicas, opus proculdubiò est magna consideratione in eis interpretandis, ne irrideamur à Sectarijs. Canon quidem 34. siue dicat *per diem*, siue *perinde* Impiexus semper est tum ob prohibitionẽ incendendi cereos, tum ob eius causã. Sed ad vetandam incensionem diurnam specialis apparet ratio, & à multis iam declarata. Nec debet in titulo, aut sũmario Canonis contineri tota eius materia cum omnibus circumstãtijs temporis, & loci. Nec quòd dicatur, *qui hæc observauerint*, argumentum est duarum interdictionum contentarum in duobus Canonibus, sed incendendi cereos; & inquietandi spiritus Sanctorũ. Quòd si fas est. mutare *per diem* in *perinde*, & translocare Canones; licebit multò magis, legere *hoc*, vbi vulgati codices habent *hæc*.

754 Canon etiam 35. qui Concilio Meldensi non benè tribuitur ab Ivone parte 11. C. 60. siue imponat pœnam, siue non fœminis pervigilantibus in cœmeterio, difficilis est, si de cœmeterio Martyrum intelligendus sit, cum Vigiliæ ad eorum sepulchra fuerint ex Ecclesiæ initio admodùm frequentes; & laudabiles. Sed quæ fierent à mulieribus, sunt in eo Canone interdictæ ad cœmeteria ob evitandà incommoda, quæ contra pudicitiam emerserant. Qua etiam de causa sæpe alias sunt vetitæ fœminis, vel ad Ecclesias, vt benè notant Loaysa ibidem, Lorinus in Acta C. & V. 12. Eritque operę pretium legere Concilium Aquilelense anno 1596. num. 16 seu titulo de Ecclesijs; quod Conciliũ magis conducere, quàm Autisiodorẽse anno 590 C. 3. allegatum à Loaysa, comperiet, qui legerit Baronium tomo 8. anno illo 590. num 36. & 37. Forsan verò in C. 35. Iliberritano non exprimitur pœna transgredientiũ, quia subintelligitur extendenda ad obseruantiam huius Canonis, quæ in antecedenti fuit imposita, vel quia scelera fœminarum ex occasione, aut obtentu orationis nocturnæ in cryptis subterraneis potiùs erant coviseque præsumpta, quàm probata; vel quia mitiùs age-

re

re oportebat cum teneriori sexu; vel tandem quia, si fas est refingere Canones, fas multò erit dicere, ex scriptorum incuria omissam esse mulctam, quam Iliberritani Patres imposuerant.

755 In C. 37. eiusdem Concilij fit etiam mentio de lucernis, iubeturque sub pœna abstinentiæ à communione, ne Energumeni, qui essent Neophyti, lucernas publicè accẽdant; Anne ad sepulchra? Crediderim cum Duranto Lib. 1. C. 8. num. 5. ad Sacra Gentilium ex superstitione nondum plenè abolita in Neophytis. Idemque prohibetur in Canone 70. Apostolorũ his verbis, *Si quis Christianus oleum tulerit ad Sacra Gentilium, vel Synagogam Iudæorum festis ipsorum diebus, aut lucernas accenderit, de societate pellatur.* Et apud Burchardum Lib. 10. C. 21. intimatur Presbytero à Concil. Bracarensi, ne patiatur, infidelem aliquem incendere faculas sua in Parochia, ad Sacra, vt existimo, Gentilium.

756 Quòd verò in Sacris suis vsui fuerint Ethnicis lucernæ cereæ, claret ex Iuvenali Satyra 12.

Inde domum repetam, graciles vbi parua coronas
Accipiunt fragili simulachra nitentia cera.
Hìc nostrum placabo Iouem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis.

Addi potest Sophocles apud Clementẽ Alexandrinum L. 4. Stromatum, C. 1.

Queis enim erat vellus, eratque vitium
Libamen, vvaque & probè recondita.
Eratque fructus mixtus omnis generis,
Pingueque olivum, variumque maximè,
Flaueque quod apis munere fit cereum.

Sed fortè non loquitur de cera, vt arderet in Sacrificio, sed de florida oblatione, composita ex lana, vino, vva, fructibus omnis generis, oleo, cera, vt explicat Gentianus Hervetus in Commentario Clementis Alexandrini. At Hebræis ad Sacra perraro, aut nunquã vsus lucernarum ex cera, sed ex oleo, vt colligitur ex Epistola 12. S. Hieronymi ad Gaudentium, vbi ait, *In Domini Sacrificijs mel non offerunt, ceraque contempta, quæ mellis hospitium est, oleum accenditur in templo Dei, quod de amaritudine exprimitur oliuarum.* De ijsdem Hebræis noti sunt illi versus Persij in Satyra 5.

——— *at cum*
Herodis venere dies, vnctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thymni, tumet albafidelia vino,
Labra moues tacitus, recutitaque Sabbatha palles.

Atque hinc signanter in Can. prædicto Apostolorum inhibetur delatio olei ad Synagogam Iudæorum festis ipsorũ diebus.

SECTIO XXXXVI.

Illustrantur alij textus. Agitur item de necessitate signorum crucis ad Sacrificium Missæ.

757 ANTE consumptionem dabatur olim populo in Hispania benedictio, vt constat ex C. 18. Concilij IV. Toletani, cuius verba sunt, *Nonnulli Sacerdotes post dictã orationem Dominicam statim communicant, & posteà benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: sed post orationem Dominicam, & coniunctionem panis, & calicis benedictio in populum sequatur, & tunc demum corporis, & sanguinis Domini Sacramentum sumatur.* Et ita nunc obseruatur in Muzarabica Liturgia, nam antequàm Sacerdos ipse Eucharistiam sumat, impertit benedictionem continentem tres petitiones, quarum singulis respondetur *Amen*; sed non se conuertit ad populum, vti facit absoluta Missa,

Missa, & tunc largitur aliam benedictionem his verbis, *In vnitate sancti Spiritus benedicat vos Pater, & Filius. Amen.*

758 Nec id fuit singulare in Hispania, vt ostendit locus ille S. Augustini in Epistola 59 ad Paulinum q. 5. [Interpellationes vero, siue, vt alij codices habent, postulationes fiunt, eũ populus benedicitur. Tunc enim Antistites, velut advocati, susceptos suos per manuum impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.] Concilium Aurelianense III. in Gallia celebratum anno 540 indicat, concessam fuisse tunc temporis benedictionẽ anteà, quã nunc, in Missa, inquit enim C. 28. [de Missis nullus Laicorum ante discedat, quàm Dominica dicatur oratio. Et si Episcopus præsens fuerit, eius benedictio expectetur.]

759 A Concilio autem Aurelianensi I. coacto ad annum 507. C. 28. prædictum fuerat, [Cum ad celebrãdas Missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat, quàm Missę solemnitas compleatur: & vbi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.] Refertur à Gratiano C. *Cum ad celebrandas* 65. de Cons. Dist. 1. proximèque relatus fuerat C. 47. Cõcilij Agathensis habiti anno 506. vbi iubetur, *vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat è Missis.* Quo etiam in Concilio Agathensi C. 30. & apud eundem Gratianum Can. *Conuenit* 13. de Cons. Dist. 5. commendatur plebis ab Episcopo dimissio cum benedictione *in conclusione Matutinarum, vel Vespertinarum, & Missarum*, seu *Vespertinarum Missarum*, vtrovis enim modo legitur Canon ille. Existimo tamen, attento toto eius contextu, non esse sermonem de Sacrificio Missę, sed de congregatione facta ex causa psallendi publicè horas Canonicas. Quod conforme est annotatis à me in D. 8. num. 19. & in Disp. 18. num. 44. consentiente Antonio Quintanadueña Lib. 3. Ecclesiastic. num. 40. pag. 171

760 Etsi verò in eodem Concilio Agathensi C. 44. dicatur, *Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere, Presbytero penitus non licebit*: intelligendus est is Canon, & conciliandus cum 47. prę-citato, quatenus loquatur de benedictione siue intra, siue extra Sacrum solemni, qualis ab Episcopis datur, vt notant Micrologus C. 21. de Ecclesiasticis Observationibus, & Saussay parte & L. 2. Panopliæ Sacerdotalis Cap. 5. art. 7. vbi ex Concilio Regensi, anno 439. C. 5. seu potiùs 4. probat, Presbyteris licuisse privatam benedictionem. Sed Regense Concilium non loquitur de benedictione à Presbytero *nisi per familias, per agros, per priuatas domos pro desiderio fidelium*; & de benedictione quidem *in Ecclesiarum plebibus, per loca magis, quàm per vrbes*, sed à Chore piscopo. Conciliatio proposita Can. Agathensis 44. cum 47. magis placet, quàm alia, quæ nomine *Sacerdotis* in C. 47. intelligat non quidem Presbyterum simplicem, sed Episcopum, vt sæpe debet in Canonibus antiquis, & in Patribus Ecclesię, provt copiosè ostendit Vicecomes Volumine 3. Observationum Ecclesiasticarum L. & C. 1. Quæ intelligentia si arrideat alicui cententi, PP. Agathenses solis Episcopis licitam voluisse benedictionem populi in Missa, occurrit Micrologus inquiens, [Sententiam Provincialis Concilj tam generali Ecclesiasticæ consuetudini præiudicare non posse.]

761 Regredior ad C. 18. Concilij Toletani IV. & animadverto, non explicari benè ab eodem Micrologo de benedictione à solis Episcopis impẽdenda ante communionem Sacerdotis, & populi. Verba PP. Toletanorum, & consuetudo Muzarabicæ Liturgiæ comprehendunt quemvis Sacerdotem sacrificantem; tametsi fatendum sit, non deesse vestigium solemnis benedictionis, quæ ab Episcopis solis exhiberetur tunc temporis. Nam Durandus Lib. 4. Rationalis C. 51. num. 23. meminit benedictionis solemnis datæ ab Episcopo in nonnullis Ecclesijs ante *Pacem*. Extatque apud Baronium anno 1034. num. 10. quoddam fragmentum Concilij Lemovicensis, vbi legimus, *His, & huiusmodi peroratis, facto silentio, cum ad horam fractionis Dominici corporis ventum esset, atque ex more Archiepiscopus benedictionem populo funderet, superinterseruit B. Martialis nominis mentionem, ita dicens, Benedicat, & custodiat vos Omnipotens Deus*, &c. Sic. ibi.

More

762 More etiam Romano quondam ante *Ite, Missa est*, & ante orationem, *Placeat tibi*, dabatur benedictio, vt patet ex Durando Lib. 4. C. 59. num. 8. Rabano Lib. 1. de Institutione Clericorum C. 33. Micrologo C. illo 21. Bernone apud Democharem, Cap. 15. de obseruanda Missarum celebratione in fine: nunc, & diu iam post *Ite, Missa est*, & post orationem, *Placeat tibi*. Micrologus supra C. 51. ait, [Hinc quoque & illa consuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inoleuisse videtur, vt & in alijs temporibus etiam Presbyteri post finem Missæ benedicant, ne populum ita benedictione, vt communione priuatum, discedere permittant.] Dixeratque idē ipsum in illo C. 21. sed addens, [Siue autem ea occasione, siue alia hoc Presbyteris permitteretur ab Episcopis, adeò tamen in vsu iam vsquequaque deuenit, vt nequaquam absque graui scādalo à Presbyteris in populo prætermitti possit.] Sic ille, & meritò in Missis, quæ non sunt de defunctis, nam in funebrib⁹ prętermittitur benedictio ob causas assignatas à Durando supra, num. 24.

763 Sed cum inciderit sermo de benedictione, quæ cum signo crucis fit tam sępe in Missa, visum est hoc loco adnotare nonnulla antiquorum dicta satis difficilia, quibus significari videtur, signationem crucis esse quid essentiale in confectione Sacrificij Eucharistici. Atque in primis in Capitulis Caroli Calvi, titulo 23. pag. 202. ex editione Iacobi Sirmondi scribunt Episcopi è Synodo apud Carisiacum ad Ludouicum Regem, *Manus chrismate sacro peruncta, quæ de pane, & vino aqua misto per orationem, & crucis signum conficit corporis, & sanguinis Christi Sacramentum*, &c. Philippus Abbas de Dignitate Clericorum C. 107. inquit, [Substantiam panis, & vini veraciter corruptibilem, nullo penitus dubitante, signo crucis, & virtute verborum adhibita, reddit incorruptam, adscriptam, ratam, Spiritu efficaciter operante, ita quidem vt visibilis species oculis non appareat transformata, substantia verò certa fide teneatur esse in aliud inuisibiliter trāsformata.

764 Sanctus Augustinus Sermone 19. de Sanctis, qui est 3. de Annunciatione Dominica inquit, [Huius crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum eiusdem crucis charactere basilicæ dedicantur, altaris Sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum cōficiuntur. Sacerdotes, & Leuitæ per hoc idem ad sacros Ordines promoventur, & vniuersaliter omnia Ecclesiastica Sacramenta in huius virtute perficiuntur.] Serm. 181. de Tempore, qui est 1. in Vigilia Pentecostes, [Hoc signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam Presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici, & omnia, quæcumque sanctificantur, hoc signo Dominicę crucis cum invocatione Christi nominis consecrantur.] Tract. 118. in Ioannem ad finem, [Quid est, quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquę, qua regenerantur, siue oleo, quo chrismate vnguntur, siue Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.] V. Beda in C. 19. Ioannis transcribit hæc verba S. Augustini, vt & Amalarius Lib. 3. de Ecclesiasticis Officijs C. 24. ob eaque affirmat, necessariam esse cruce signationem ad hoc Sacrificium.

765 Sanctus Cyprianus, vel quisquis est Author antiquus Tract. de Cardinalibus operibus Christi, in C. de Baptismo ait, [In cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit Sacramenta, sine quo signo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum.] Iterùm in C. de Passione, [Quicumque sint Sacramentorum Ministri, qualescumque sint manus, quæ vel mergunt accedentes ad Baptismum, vel vngunt, qualecumq; pectus, de quo sacra exeunt verba, operationis authoritas in figura crucis omnibus Sacramentis largitur effectum, & cuncta peragit nomen, quod omnibus nominibus eminet, à Sacramentorum vicarijs invocatum.

766 Sanctus Chrysostomus Homilia 55. in Matthæum, [Veluti coronam sic lęto animo Christi crucem circumferamus. Omnia, quæ ad salu-

tem

tem nostram conducunt, per ipsam cõsummantur. Nam cum regeneramur, crux Domini adest, cum sacratissimo alimur cibo, cum in Ordine consecrandi statuimur, vbique, ac semper id victoriæ insigne nobis adsistit.] Rursus in Homilia de Veneratione crucis, ideo [signaculum crux appellata est, quòd testamenta, & statuta divina omnia, quæ accepimus, hoc quasi signo quodam regio, & annulo obsignantur.]

767 S. Stephanus Papa VI. quem alij perperàm nominant V. in Epistola ad Episcopos Orientis apud Baronium anno 886. num. 26. scribit, *Per venerandam crucem omnia dona Sacerdotalis ministerij perficiuntur, & sancti baptismatis lauacrum sanctificatur.* Eiusdem S. Stephani nomine referuntur à Gratiano in C. *Numquid* 10. de Consecratione Dist. 5. hæc verba paulò diversa, *Num, quid non omnia chrismata*, aut potiùs *charismata Sacerdotalis mysterij*, seu potiùs *ministerij, crucis figura perficiuntur? Numquid baptismatis vnda, nisi cruce sanctificata, peccata relaxantur? Et vt cætera prætereamus, sine crucis signaculo quis Sacerdotij gradus ascendit?* Eodem modo enarrantur ab Ivone parte 1. C. 114. p. 2. C. 91. Omitto alia Patrum testimonia, quæ videri possunt apud Valterium de triplici Cœna Christi C. 29. Cœnæ 3. Gretserum tomo 1. de Sancta Cruce Lib. 4. C. 16. & 17. Durantum Lib. 2. C. 37. num. 5. & 6. C. 45. num. 7. & apud Laurẽtium Beyerlinck in Theatro magno vitæ humanæ V. *Crux*, tit. *Vsus signi crucis in Sacramentis* pag. 625. tomi 2. non enim tam in speciem vrgent, quàm quæ ob oculos posui.

768 Nihilominus adducta testimonia intelligi debent, quatenus expressio signi crucis sit solummodò ex traditione, & præcepto necessaria ad consecrationem Eucharistiæ, & vt ritè fiat Sacrificium iuxta vsum, atque regulas Ecclesiæ, non autem vt præcisè fiat validè. Et ita notatur in Glossa ad præcitatum C. *Numquid*, V. *Nisi cruce*, & à Turrecremata ibi, ab alijsque Ordinarijs antiquis. Etsi autem admittatur, quod aiunt Salmeron tomo 9. in Evangelia Tract. 12. pag. 98. Barradas tomo 4. Lib. 3. C. 2. Christum in postrema cœna benedixisse panem, & vinũ efformando signum crucis, quod quidẽ *norunt ipsi, qui præsentes fuerunt, præsertim cum nondum erectum esset vexillum sanctæ crucis*, vt ait Amalarius supra; tamen non benedictio vt cum signo crucis, sed verba *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei* relicta sunt nobis à Christo vt essentialia ad validè conficiendam Eucharistiam. Quanuis etiam concedatur, Christum consecrasse benedicẽdo, ita vt consecratio nõ sit realiter subsequuta benedictionem; quod mihi displicuit in Disput. 12. de Euch. num. 6. cæterùm effectus consecrationis factæ à Christo referendus non est in crucesignationem manibus ipsius, sed in verba illa, quę benedicens protulit; quippe benedictio præstita sit à Christo non cũ solo signo aliquo externo manuum, sed cum illis etiam verbis, vt benè notat Salmeron supra pag. 97.

769 Rursus licet non improbaretur antiquata persuasio quorundam apud Salmeronem supra Tractatu 13. ex pag. 103. & apud Amicum Disputatione 24. de Sacramentis Sect. 2. de consecratione à Christo facta per solam benedictionem cum signo quodam manuum antecedenter ad verba illa; adhuc tamẽ benedictio cum signo crucis, quæ à Sacerdotibus fit super panẽ, & vinum, neque habet se vt forma Sacramenti Eucharistici, neque requiritur essentialiter ad illud, vt exploratissimum cunctis est. In alijs Sacramentis necessitas efformationis crucis discutienda nunc non est, neque ferendum iudicium de opinione Landtmeteri s Libro 2. de vetere Clerico Monacho C. 89. in fine, censentis ob allegata Patrum testimonia debitam esse ex præcepto in absolutione Sacramentali crucesignationem.

SECTIO XXXXVII.

Aliorum textuum declaratio. De Communione Laica varia sententia multorum Authorum.

770 POST sumptam à Sacerdote Eucharistiam sub speciebus panis, & vini succedit in Missa dispensare alijs sub sola panis specie, si de Sacramento participare velint. Ast quoad

quoad communionem adstantium diximus multa tum in hoc Opere, tum in alio de Sacramento Eucharistiæ, explicuimusq́; non paucos Canones, in quibus de ipsa est sermo; quanquàm hactenus non egerimus de communione, quam Ecclesiastica antiquitas appellauit Laicam, neque de illa, quam vocauit Peregrinam. Materies est à multis pertẽtata, sed nõ exhausta. Ob id ergo, & ne in nostro hoc Tract. desideretur notitia vocum toties repetitarum, omittere non expedit, sed seligemus inter plurima, quę ad satietatem nostrã, & alienam congeri possent.

771 In primis hoc sæculo, & antecedenti communio Laica dici solet, qua sub sola panis specie suscipitur Eucharistia à Laicis, imò & à Clericis, imò & à Sacerdotibus, quando ipsi cõmunicant, quin sacrificent. Vnde in Concilio Rothomagensi anno 1581. tit. de Episcoporum Officijs num. 11. cum reprehensi fuissent Presbyteri recèns ordinati, qui vltra sex menses differebant celebrare, impositaque fuisset eis pœna, additur, *Id quod fieri iubemus primo quoque tempore contra eos, qui à multis annis sacro Presbyteratus Ordine initiati, necdum accesserunt ad sanctum Sacrificium Missæ celebrandum, sed Laicam tantùm cõmunionem, eamque rarò sumunt: quam, nisi intra semestre se Presbyteros in altari præbuerint, illis quoque denegari iubemus*, &c.

772 Sed & antiquioribus temporibus nomine communionis Laicæ idem ipsum significatum, quando in pœnam gravis alicuius delicti auferebatur Clericis communio, quæ anteà licebat, & permittebatur Laica, asseruit Bellarminus Lib. 4. de Euch. Cap. 24. V. *Quintus vitus erat*, necnon Valẽtia tomo 4. Disp. 6. quæst. 8. puncto 5. §. 8. V. *Sextò sit*, & ante ipsos Salmeron tomo 9. in Evang. Tract. 35. pag. 369. & doctissimi quidam innominati apud Lindanum Lib. 4. Panopliæ C. 58. Quia tamen scitissimum est, Laicos olim cõmunicasse sub vtraque specie: quod de nostra Hispania constat ex Cõcilio Toletano IV. C. 18. & ex XI. C. 11. item ex Epistola Silonis Regis Prauiæ, seu Asturiarum ad Cyxillam Antistitem Toletanum anno 777. vbi Rex ille ait, [Regina (scilicet Adosinda) mittit pro nova vestra Ecclesia S. Thyrsi Martyris, quam iam audivi, quòd absolvistis, quædam munuscula, calicem argenteum, & patenam cum aqua manili, & cum suo naso, & in operculo corona nostri Regni cum nomine tuo, & meo per compendium sic C. S. (hoc est Cyxilla, & Silo) serviet ad dandum sanguinem Domini populo. Orate pro me, & Regina, Deus vos custodiat. Amen. In Pravia, 24. Februarij, æra 815.] Exarant integram hanc Epistolã Prudentius Sandobalius in Vita, & gestis Silonis Regis ex Codice MS. Toletano, & Franciscus Biuarius in Comment. Dextri pag. 303. In Ordinis etiã Cistertiensis Monasterijs Hispanis quã vsitata fuerit communio sub vtraque specie non solùm à ministrantibus Sacerdoti in Missa, sed & à reliquis Religiosis, noscitur ex privilegio quodam concesso ab Eugenio Papa IV. an. 1437 num. 28. apud Chrysostomum Henriquez pag. 274. Et de eadem consuetudine in toto Ordine tractat Illustrissimus Antistes Pacensis Angelus Manrique in Annalibus anno 1110. C. 3. ex num. 1. vsque ad 6.

773 Quia, inquam, scitissimũ est, Laicos etiam admissos olim ad vtramque speciem; & proinde Clericis irrogata pœna de communione Laica non potuit consistere præcisè in exclusione ab specie vini, à qua non remouebantur Laici; ideo Bellarminus in V. *Sed neque*, addit [Laica communio dicitur ea, quæ Laicis permittebatur tangenda, & etiam deferenda secum, si vellent. Sola autem species panis dabatur in manus; ex calice autem bibebant qui volebant in Ecclesia; sed non licebat Laicis, calicem tangere, nedum secum deferre. Vide Cyrillum Hieros. Catecheſi 5. Mystagogica, extrema, vbi describit modum communicandi.] Sic Eminentissimus Cardinalis, cui se associat Vazquez 3. p. Disp. 216. C. 3. num. 34.

774 Sed hæc additio videtur destruere quod anteà intendebatur de cõmunione sub vnica specie, nam hæc additio rectè componitur cum communione sub vtraque, dummodò calix non tangeretur, neque in domum propriam adsportaretur. Ipseque S. Cyrillus, ex quo probatur, Laicis fuisse vetitum contactum calicis, clarè exprimit, eos hausisse speciem vini, aitque, *Sanctificeris*

geris eo sanguine Christi, quem assumis, & cum adhuc est humiditas in labijs tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra. Quibus ex verbis constat, Laicos potuisse tangere speciē vini. Et ex alijs antecedentib⁹, solitos fuisse excipere manu speciem panis. Quod vtrumque etsi maius longè erat, quam admouere manum calici; sed id prohibebatur, ne contingendo calicem exponeretur sanguis periculo effusionis, vel ne viderentur ministrare sibi sanguinem, & non sumere Eucharistiam de manibus præsidentium, contra consuetudinem primævam Laicorum in Ecclesia contestatam à Sancto Iustino Martyre in Apologia 2. pro Christianis, à Tertulliano Capite 3. de Corona militis, & Cap. 7. de Idololatria, & à Concilio Tridentino Sessione 13. Cap. 8. dicente, *In Sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt Laici à Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent.*

775 Vnde non benè Gibalinus Disquisitione 7. de Censuris, quæst. 12. Reg. 2. Consectario 4. num. 20. argult falsitatis, quòd Laicis non licuerit tangere calicem, vti Bellarminus affirmavit innixus his verbis Sancti Cyrilli, *Tum verò post communionem corporis Christi accede, & ad calicem sanguinis illius non extendens manus, sed pronus, adorationis in modum, & venerationis, dicens, Amen.* Et fortè huc alludit quod Codinus Capite 17. de Officijs, & Officialibus Ecclesiæ, & Aulæ Constantinopolitanæ numero 44. narrat de Imperatore communicante in die Coronationis suæ, [Patriarcha, postquàm pretiosum Domini corpus sumpsit, tradit quoq; Imperatori in manus Dominici corporis particulam: qua sumpta sumit etiam vivificum sanguinem. Communicat autem, Patriarcha sanctum calicem tenente, & ipso os ad calicem applicante, quemadmodùm Sacerdotes solent.

776 Minus etiam benè Gibalinus post Albaspinæum Libro 1. Observationum in 4. ait, nullo antiquo testimonio doceri, quòd fas fuerit Laicis vnam tantum speciem asservare, & in domum suam deferre. Sunt certè innumera testimonia asservatæ, & delatæ à Laicis Eucharistiæ sub specie panis: quod meritò vetitum postea fuit in Concilio Cæsarauguſtano Can. 3. Toletano 1. Can. 14. Toletano 11. Can. 11. quanquam mos ille perdurarit in Ecclesia Orientali longè post Concilium Cæsarauguſtanum. Et de Occidentali aiebat, Christiano sæculo XII. minus verè Theodorus Balsamon ad Canonē 58. Trullanum, [Latini azyma assiduè in sinu ferentes, etiam si sint Laici, ea non solùm sibi vt Sacramenta impertiunt, sed etiam alijs.] Et nec in Occidentali, neque in Orientali Ecclesia invenire facile est antiquum exemplum adportatæ à Laicis in ædes suas Eucharistiæ sub specie vini; atque Sanctus Athanasius in Apologia 2. loquens de Ischyra, *Quomodò homo priuatus, & priuatas ædes inhabitans, poculum mysticum sibi concreditum habuit?*

777 Nihilominùs siquidem Laici possent sumere vtramque speciem, cur Clericorum pœna de cōmunione Laica explicatur potiùs ex ordine ad prohibitionem tangendi calicem, quàm ex ordine ad potestatem sumendæ speciei vtriusque? Præterea vnde compertum est, Clericos insontes, dum non sacrificabant, sumpsisse semper vtramque speciem, & cum contactu calicis, & cum libera facultate deferendę in domum vtriusque, vel alterutrius speciei? Quod quidem deberet esse compertum, vt pœna communionis Laicæ, oppositæ Clericali, declararetur penes prohibitionem vtriusque speciei, aut contactus calicis, aut adsportationis ambarum specierum, vel vnius solius in suos lares. Tandem si pœna communionis Laicæ erat prohibitio vtriusque speciei sumendæ à Clericis; cur Laici ipsi, quibus insontibus licita erat vtriusque sumptio, non etiam quando criminosi essent, reperiantur puniti simili prohibitione? Nusquàm autem legimus, latam fuisse in Laicos pœnam communionis Laicæ. Si verò hæc pœna revocatur in Clericis ad solam prohibitionem

contingendi calicem, levior est, quàm vt ea disciplinæ antiquæ Ecclesiasticæ rigor pro magnis Clericorum criminibus contentus esset; damnatioque illorum ad communionem Laicam tanquàm ad pœnam valde gravē fuit proculdubiò, vt clamant Canones.

778 Sunt alij celebres Doctores, qui communionis Laicæ pœnam revocent ad susceptionem Eucharistiæ cum Laicis extra cancellos altaris. Ita Durantus Libro 2. de ritibus Cap. 55. num. 6. Pamelius in Epist. 52. Sancti Cypriani, num. 37. Loaysa, & Binius ad Can. 16. Concilij Ilerdensis, & ad Can. 13. Concilij Bracarensis I. Suarez 3. parte quæst. 73. in Commentario articuli 4. V. *Est autem.* Vvalterius de triplici Cœna Christi Cap. 14. Cœnæ 3. Et ab Albaspinæo Lib. 1. Observ. 4. recensetur Baronius. Sed etsi hic anno 254. num. 91. promittat, se alibi fusè declaraturum, quænam fuerit Laica communio, ego non invenio, vbi fidē suam liberaverit. Consentiunt Sainctes Repetione 10. de Euch. C. 2. Mendoza Lib 3. pro confirmando Concilio Iliberritano C. 76. Herrera Lib. 3. de Origine, & progressu rituum Missæ C. 22. numero 3. & sequentibus: nam & hanc communionis Laicæ explicationem amplectuntur, & eam, quam immediatè antea retuli.

779 Et sanè Laicos extra altare, eiusque cancellos, & extra Chorum accepisse Eucharistiam, quin liceret ipsis accedere ad loca, ad quæ Clericis fas erat, notum est ex Concilijs Toletano IV. C. 18. Bracarensi I. C. 13. Laodiceno, C. 19. Trullano C. 69. ex Can. *Sacerdotum* 30. de Consecratione Distinctione 2. C. *Vt Laici* 1. de Vita, & honestate Clericorum, & ex Sancto Dionysio Areopagita in Epistola ad Demophilum: vt omittam alia, quę collegit eruditus D. Ioannes Antonius ab Oralora in Opusculo de Irregularitate proveniente ex pœnitentia publica, & solemni à pag. 65. vsque ad 175. necnō Doctor D. Antonius Graña Nieto in Catena affabrè elaborata ad textum in C. *Vt Laici* 1. de Vita, & honestate Clericorum, & Cellotius Lib. 6. de Hierarchia, & Hierarchis C. 16. pagina 477.

780 Damnari igitur Clericos ad communionem Laicam, nihil aliud erat, quàm vt non possent communicare nisi inter Laicos extra cancellos, septumque altaris, & Chori. Vnde in Can. 14. Apostolorum dicitur de Clerico, qui, relicta Parochia sua, in aliam concesserit, *Vt Laicus tamen ibi locorum in communionem admittitor*: & in Concilio Toletano I. Can. 4. dicitur de Subdiacono, qui tertiam vxorem duxerit, *Abstentus biennio, postea inter Laicos reconciliatus per pœnitentiam, communicet.* Refert Anastasius, vel Guilielmus Bibliothecarius in Vita Adriani Papę II. [Anastasium, qui dudum à Leone, Benedictoque Pontificibus Presbyterio denudatus inter Laicos communicare solitus erat, Ecclesiasticam communionem sub congrua satisfactione recepisse.] Et Sanctus Gregorius Magnus L. 4. Epist. 5. C. 49. scribit ad Venantium Episcopū Lunensem de Exuperio Expresbytero, *Sin autem cum Fraternitas tua talem pœnitentiam agere cognouerit, vt ei iustè ad recipiendam inter Laicos communionem etiam ante exitum debeat misereri, hoc in tuæ Fraternitatis ponimus potestate. C. Accedens* 10. Dist. 50. In Actis Concilij Suessionensis anno 853. dicitur de Episcopo Ebbone depositō, *adeò vt inter Laicos communionem tantùm haberet meretur.* Tandem cum Monachi quidam inter alias quæstiones proposuissent 8. hanc Synodo Constantinopolitanę tempore Patriarchæ Nicolai, & Imperatoris Alexij Comneni, *An oportet, Sacerdotem, qui propter crimen est depositus, vel qui Sacerdotium sua sponte deposuit, cum se ipsū condemnasset, communicare intra altare?* Responsum est, *Non, in Laicorum enim locum redactus est.*

781 Contra hanc declarationem solet obijci, quòd Felix Papa III. Epistola 7. C. 2. relatus C. eos 118. de Consecratione Distinct. 4. decernat, vt quibusdam Clericis communio Laica reddatur in fine vitæ, ita tamen, vt vsque ad exitus sui diem, in pœnitentia, si resipiscant, iaceant, nec orationi non modò fidelium, sed nec Catechumenorum omnimodis interfint. E contra verò Concil. Sardicense C 2. iubet, vt alij Clerici magis criminosi ne in morte quidem admittantur ad eam cō-munionem. Respectu autem moribūdi solitariè existentis, & in privato cubiculo

culo non potest intelligi concessa, aut negata Eucharistia, simul cum alijs Laicis, & in loco Ecclesiæ extra altaris cancellos.

782 Sed huic argumento respondet Suarez supra, [communionē, quæ communiter omnibus fidelibus concedebatur, dictam esse communionem Laicam, sumpsisseque denominationem ex loco, & conditione Laicorū, postea verò retinuisse illud nomē, vbicumque daretur. Itaque communionē Laicam aliquibus permitti, nihil aliud erat, quam vt communicarent cōmuni more Laicorum, & quando aliquibus hoc concedebatur solùm in fine vitæ, tunc dicebatur illis permitti communio Laica pro illo articulo. Vel addi potest, Clericos non solùm in speciali loco, sed etiam proprio aliquo ritu, vel indutos aliquibus vestibus sacris, vel cum proprijs insignibus solitos fuisse communicare: qui ritus ex parte observari poterat etiam in mortis articulo, ita vt tunc etiam distinctio aliqua fieret inter Clericos, & Laicos in prædicto ritu. Et ita eum conceditur solùm Laica communio pro eodem tēpore, idem est, quod concedi solùm vulgari ritu Laicis communi.] Sic Suarez. Quæ responsio sufficientissima est, etiā silentio prætērita à Gibalino, & alijs, qui eo argumento tanquā palmario vtuntur.

783 Nihilominùs ego non acquiesco propositę declarationi, tum quia in Concilio Turonico II. an. 570. tempore Ioannis Papæ III. C. 4. decernitur, vt *ad oranduin, & communicandum Laicis, & fœminis, sicut mos est, pateant Sancta Sanctorum*, quanuis *Laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter Clericos tam ad Vigilias, quàm ad Missas stare, penitus præsumpturi non sint; sed pars illa, quæ à cancellis versus altare diuiditur, choris tantùm psallentium patere debeat Clericorum.* Post hoc autem Concilium concedens, vt de more erat, ingressum Laicorum, & fœminarum ad altare pro suscipienda Eucharistia, prodierunt multæ sanctiones, & in ipsa Gallia, vbi Turonica civitas sita est, de communione Laica in pœnam Clericorum. Tum quia prohibitio alterius communionis, quàm Laicæ, importabat plura alia, quàm quæ superior explicatio describit; & non semper restitutio ad communionem Laicam erat ad id, vt Eucharistia posset suscipi: quod vtrumque constabit paulò post.

784 Antea enim, vt noscatur, quantùm hallucinati sunt prisci Canonistæ circa communionem Laicā, gratum erit audire Turrecrematam ad C. *Si Episcopus* 7. Distinctione 50. vbi ex Concilio Agathensi C. 50. legitur, *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab officij honore depositus in Monasterium detrudatur, & ibi, quandiu vixerit, Laicam tantummodò communionem accipiat.* [Laicam, id est, conversationem cum Laicis tantùm habeat, quasi non Clericus, vt negativè intelligatur, inquit Turrecremata. Laica tamen communio dicitur multis modis, scilicet acceptio Eucharistiæ post Clericos cum Laicis, vel acceptio Eucharistiæ ter in anno tantùm, sicut faciunt Laici, scilicet in Nativitate, Paschate, & Pētecoste; vel panis benedictus, qui solet dari Laicis, Dominicis diebus. Item cessatio ab officio, Choro, & Dormitorio, & Refectorio Clericorum. Cōmunicatio tamen cum Laicis hoc quarto modo competentiùs accipitur hìc, licet quolibet aliorum modorum posset intelligi.] Hactenus Turrecremata, qui ad C. *Euangelica* 13. Distin. 55. vbi eadem pœna imponitur cuidam Presbytero, qui Diaconi oculum fustè euerat, repetit lepidum illud de exclusione *à Choro, & mensa, & Dormitorio cum Clericis*. Sed præter primam acceptionem reliquæ aliæ frustrà, & non sine temporis dispendio à me refutarentur.

*

SECTIO XXXXVIII.

Complurium aliorum Doctorum, & nostra sententia de communione Laica.

785 PLAVSIBILIOR inter cæteras communionis Laicę acceptiones ea est, quam tradũt Guilielmus Lindanus L. 4. Panopliæ C. 58. Albaspinęus L. 1. Observ. 1. & 4. Theophilus Raynaudus de Monitorijs Eccles. p. & C. 2. n. 1. & 2. Io, Ludov. de la Cerda in Advers. sacris C. 145. n. 10. Ioannes Phelippæus in C. 4. Osee V. 9. Ioan. Antonius de Otalora p. 2. de Irregularitate proveniente ex publica, & solemni pœnitentia, Excursu 3. n. 24 & seqq. Ludov. Cellotius de Hierarchia, & Hierarchis L. 6. Cap. 16. §. 1. Ioan. Morinus in Exercitationib⁹ Eccles. L. 2. Exerc. 1. 4. 8. & 9. Gibalinus in Disqq. Canonicis Disq. 2. C. 4 §. 1. n. 9 & seqq. item in Opere de Cens. Disq 7 q 12. Reg. 2. per totum Cõsect. 6. in cuius fine allegat Claudium Saincte sium Repetitione 10. de Euch. C. 2. pag. 370. Sed Claudij verba de cõmunione Laica sunt pauciss ima, & potiùs indicant id, pro quo illum supra adduxi.

786 Dicunt itaque hi Authores primò, pœnam communionis Laicæ in Clericis esse privationem cõmunionis Sacerdotalis, aut Ecclesiasticæ, de quibus fit mentio in Concilio II. Arelatensi C. 30. & in 5. Aurelianensi C. 17. Hæc autem communio Sacerdotalis, aut Ecclesiastica erat commercium Clericorum cum alijs Clericis in reb⁹ sacris præcipuè, & proinde eius priuatio erat prohibitio illius cõmercij. Dicunt secundò, pœnam communionis Laicæ in Clericis esse permissionem consuetudinis cum Laicis in spectantibus tam ad religionem, quàm ad vitam civilem, & politicam. Quare Clerici damnati ad communionem Laicam veluti dejciebantur à gradu Clericali, & redigebantur in ordinem plebis, & Laicorum, quorum instar se gererent, & quibuscum consuescerent, haud aliter, ac si re ipsa Clerici non forent, quandiu durabat pœna illa, siue in perpetuum, siue ad tempus.

787 Quàm hic sit legitimus sensus præfatæ pœnæ, nullo alio modo meliùs probari potest, quàm consideratis Canonibus de ea agentibus, vt *Si Episcopus* 7. *Si quis viduam* 8. *Accedens* 10. Distinctione 50. *Si Euangelica* 13. Distinctione 55. *Si quis Episcopus* 13. Distinct. 81. *Quisquis Clericus* 5. Distinctione 84. *Teugualdum* 10. 11. quæst. 13. *Eos quos* 118. de Consecratione Distinctione 4. *Osius* 2. de Electione, & electi potestate. Vltra quos Canones afferunt complura alia antiqua monumenta, in quibus de ea pœna est sermo, Durantus, Pamelius, Albaspinæus, Cellotius, Gibalinus, atq; Morinus, & cum omnibus, ac singulis apprimè consonat præstita explicatio, vt attentè expendenti Canones, cæteraque alia loca compertum erit.

788 Porrò etsi communio Laica valde principaliter respiceret participationem Eucharistię more Laicorum, siquidem diuinissimi Sacramẽti sumptio sit præcipua pars societatis Christianorum, maiusque bonum, quo participare in hac vita possunt fideles, vt aiunt Sanctus Basilius ad Amphilochium C. 4. & 22. Conciliumque Ancyranum Cap. 4. 5. & 6. vnde factum est iam, vt communio antonomasticè, & pro principaliori significet sumptionem Eucharistiæ, provt optimè notat Raynaudus, & ex ipso Gibalinus, & ante eos Sanct⁹ Thomas p. 3. quæst. 73. artic. 4. in Corpore: tamen antiquitus Communio Laica complectebatur plura alia, quorum particeps adhuc erat Clericus, qui excludebatur à communione Ecclesiastica, & ad Laicam admittebatur.

789 Id quod evincitur manifestè ex Concilio Arelatensi II. Can. 12. vbi habetur, *De his, qui in pœnitentia positi vitam excesserunt, placuit, nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo, quòd honorauit pœnitentiam, oblatio eius recipiatur.* En communio in genere extendebatur ad alia, quàm ad sumptionem Eucharistiæ, nempe ad admissionem oblationum, quas vel pœnitens testamento iusserat, vel cognati, fidelesve alij extranei exhibebant Ecclesiæ pro ipsius anima. Nec enim communio, ad quam pœnitens defunctus restituitur ibi, potest intelligi de participatione Eucharistię.

Nam

Nam licet insolitum non fuerit, ministrare eam mortuis, vt notum est ex Concilijs III. Carthaginensi C.6. Hipponēsi C.5. Autisiodorensi C.12. Trullano C.83. prohibentibus morem illū; & licet Theodorus Balsamon in Can. Trullanum citatum loquatur de vsu saltem sepeliendi cū Episcopis Eucharistiam vigente ad suam vsque ætatem, dicatque, [quòd autem sanctus panis Antistitibus post mortem tradatur, & sic sepeliantur, existimo, hoc fieri ad avertendos Dœmonas, & vt per ipsum tanquàm viaticum deducatur ad Cœlū, qui magna, & Apostolica professione dignus est habitus:] attamen verba Concilij Arelatensis non patiuntur, vt de alia communione, quam per oblationes, seu munera allata ad Ecclesiam, intelligantur. Sunt multi alij Canones, in quibus expendi potest idem ipsum, quod in Arelatensi. Videantur apud Albaspinæum in Observ. 10.

790 Sunt item nonnulli Canones Concilij Ancyrani, & complures aliorum Conciliorum, in quibus conceditur communio sine, vel cum oblatione, & siue per *oblationem* significetur admissio ad Eucharistiam participandam, vt vult Baronius anno 314. num. 87. siue munerum illatio ad Ecclesiam, vt placet Albaspinæo in Observatione 6. siue vtrumque simul, vt Cellotio Lib. 6. de Hierarchia, & Hierarchis Cap. 16. pag. 480. mihique magis arridet, conuenienter ad Concilium Ilerdense C. 9 inde etiam claret, communionem in genere comprehendisse plura alia, quàm sumptionem Eucharistiæ. Ex quo subinfertur, communionem Laicam in specie minimè fuisse coarctatam ad eam solam sumptionem more Laicorum.

791 Quo concesso, facile est cum hac explicatione communionis Laicæ conciliare alias Bellarmini, & Duranti, cæterorumq; sequacium, si enim ea communio dicitur fuisse Clericorum demissio ad cōmercium, & coniunctum cum Laicis in rebus omnibus sacris, & profanis, consequens est, vt quando de Eucharistia participarent, gererent se instar Laicorum, atq; adeò Sacramentum illud susciperent siue sub vnica specie, siue sub duplici, provt vsus regionis obtineret, & non contingēndo calicem, & extra altaris cancellos, atque extra Chorum. Et hæc sufficiant circa communionem Laicam.

SECTIO XXXXIX.

De communione peregrina opinationes quorundam.

792 CIRCA peregrinam communionem nihil restaret dicendum, si eadem esset, ac Laica, vt iudicat Author Glos. ad C. *Contumaces* 21 Dist. 50. ad C. *Clerici* 11. 13. q. 2. necnon Bellarminus supra, ideoq; fortasse dictam peregrinam, quòd olim Eucharistia mitteretur peregrinis aduentantibus, in signum cōmunionis, & pacis: quod saltem de Episcopis constat ex quadam S. Irenæi ad Victorem Papā Epistola apud Eusebium Cæsariensem L. 5. C. 24. Vazq etiam supra n. 35. nō discernit inter vnam, & alteram communionem, indeque deductum censet nomen peregrinæ, quòd esset peregrina, seu extranea à Clerico. Sic Laicum iudicium in causa Ecclesiastica nominavit peregrinū Goffridus Abbas Vindocinensis L. 2. Epist. 24. ad Goffridum Episcopum Carnotensem. Similiter Durantus supra n. 8. non agnoscit inter eas discrimen, sed improprietatem in vocando peregrinam communionem, quæ Laica propriè dicitur: & ideò cū Concilium Regense Galliæ Narbonensis anno 439. C. 3. vsurpasset nomen peregrinæ cōmunionis, addidit, *vt aiunt.* Loaysa item ad C. 16. Cōcilij Ilerdēsis existimat, Laicam, & peregrinam cōmunionem idem esse. Nam duo tantùm ordines communicandi erant, Clericorum, & Laicorum: peregrinus autem superveniens aut inter Clericos, aut inter Laicos habebat locum, ex Concilio Carthaginēsi IV. C. 33. relato in C. *Episcopi, vel Presbyteri* 38. 7. q. 1.

793 Turrecremata ad C. *Contumaces* 21. Dist. 50. vbi ex Concil. Agathensi C. 2. dicitur, *peregrina eis communio tribuatur*, notat, [id est, cōmunio Sacramentorum tantùm in fine, si tunc, & non ante pœnituerint, scilicet cum incipient peregrinari, id est, de hac vita recedere, nam tunc nulli pœnitenti deneganda est :: vel ideò dicitur peregrina, scilicet quæ datur peregrinis, id est, panis benedictus ad mo-

dum Laicorum : vel peregrina communio , id est , peregrinarentur , & separarentur à communione fratrum quoad eorum mensam, & beneficium, & officiū, hoc est, suspenoantur ab officio, & beneficio Eccl.] Sic Turrecrem. qui nonnulla ex his repetit ad C. *Clerici* 11. 13. quæst. 2. Et vtrobique colligit, quæ boni Canonistæ priores excogitarant de communione peregrina , satis quidem peregrinantes in notitia disciplinæ Ecclesiasticæ antiquioris.

794 Subtiliori Minerva Saincteſius supra scripsit , Peregrinæ communionis mulctam eam fuisse, qua non solùm suspendebantur Clerici à sacro ministerio, sed etiam arcebantur à publicis Ecclesiæ Sacris, extra quæ reposita pro peregrinis Eucharistia donabātur. Consentiunt Valentia supra, V. *Septimò sit*, Herrera supra, num. 6. Nam olim in locis religiosis parata erat Eucharistia sub specie panis pro peregrinis, qui adveniebant. Probant id Saincteſius, & Valentia ex Epistola Leonis Papæ IX. ad Michaelem Imperatorem Orientalem. Sed huius nominis Imperator nullus tūe fuit, & coętaneus Leonis dictus est Constantinus Monomachus, ad quem, & ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum extant eius litteræ. Reperio tamen quæ allegant verba in Disputatione Humberti Cardinalis cōtra Græcos scripta Constantinopoli, cum esset Legatus Leonis : [Si quid, inquit, ex sancta, & venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis Ecclesijs superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pyxidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populū, quia quotidie communicant ibi, eo quòd conveniunt illuc ex diversis Prouincijs Christiani, qui propter fidem, & maximum amorem Filij Dei cōmunicari ibidem desiderant.] Sed ex his verbis haud constat, non licuisse peregrinis sumere publicè Eucharistiam, si accederent quo tempore incolæ sumebant ; tantùm constat, eam fuisse reservaram pro peregrinis, qui Hierosolymam perveniebant diebus illis, quibus non fiebant Sacra publica, nec Hierosolymitanis dispensabatur Cœlestis alimonia.

795 Adducunt etiam duo illi Authores verba alia Pseudohieronymi in Epist. 13. de septem Ordinibus Ecclesiæ, titulo de sexto Ordine, tomo 9. vbi Auth. ait, [Nec ego dico, præsentibus Episcopis, atque adstantibus altari, Presbyteros posse Sacramenta conficere. Sed si fortè vsus exegerit, vt venientes ad Ecclesiam Sacerdotes eisdē horis, quibus aut oblatio parata nō sit, aut non possit offerri, non debere Episcopum repudiare Eucharistiam Presbyterorum, si ponatur in altari, quam accipi oportet propter Christum. Sed hæc verba valdè remota sunt ; vt & alia Sancti Ambrosij, seu potiùs Hilarij Diaconi Romani propagatorijs dogmatis Luciferiani, ad C. 3. 1. ad Timotheum, allata etiam à Saincteſio, quæ huiusmodi sunt, [Omni hebdomada offerēdum est, etiam si non quotidie peregrinis, incolis tamē vel bis in hebdomada]

796 P. Suarez supra inde sibi persuadet derivatum nomen communionis peregrinæ, quòd peregrinis speciali aliquo ritu daretur communio, vel separatim ab incolis loci, vel aliquo alio signo, quo denotaretur, eum, cui dabatur, extraneum esse ab Ecclesia illa : qua nota afficiebantur interdum Clerici aliqui ob delicta sua. Fatetur itaque Eximius Doctor, vt & cæteri alij, quorum hucvsque sensa recensui, communionem peregrinam nō importasse exclusionem à sumptione Euch.

797 Quod tamen negatur à Baronio anno 400. num. 67. & anno 407. num. 40. vbi ait ; admissis ad peregrinam communionem exhibita omnia, quæ ad victum erant necessaria, negata verò, quæ ad vsum pertinebant Sacramentorum : & eam communionē inde nomen accepisse, quòd impertiri soleret illis peregrinis, qui commendatitias litteras secum minimè ferrēt. Producit Baronius duo Symbola eius communionis, alterum S. Chrysostomi, qui quosdam Monachos, vt refert Sozomenus L. 8. C. 13. [comiter excepit, & in honore habuit, & in Ecclesia preces fundere nō prohibuit, ad mysteriorum verò communionem admittendos non censuit ; quod id ante causam cognitam fieri, non fas esset.] Isidem ferè verbis vtitur Socrates Lib. 6. C. 9. quanquam Palladius in Dialogo, & Metaphrastes in Vita S. Chrysostomi solummodò significent, eos fuisse hospitatos in templo dicto Anastasia,

sine

sine admissione ad societatem in precibus, imò & quin S. Chrysostomus victui necessaria suppeditarit, sed Olympias fœmina inprimis nobilis, & dives, Diaconissaque Constantinopolitana. Causa verò erat, quòd Origenistarum hæresis ipsis attribueretur, & ob eã à Theophilo Alexandrino Patriarcha damnati dicerentur. Alterum exemplum continetur in Epistola 66. Synesij, vbi ad eundem Theophilum scribit, se admisisse hospitio Alexandrũ Episcopum Basianopolitanum, defensorem partium S. Chrysostomi, sed *in Ecclesiam non suscepisse, neque Sacramenti participem fecisse.*

798 Ast in neutro loco declaratur, peregrinam fuisse eam communionem, de qua agitur; & in primo cõcessa fuit precum sacrarum communicatio, secus in secundo, imò neque in hoc communicatio publica civilis, ait enim Synesius, [Sed & Alexandrum hunc, cum quidem ad Ecclesiam progredior, vellem me nusquam in foro videre, vbi enim contingit, vt videam, aliò verto oculos, & statim rubor per genas efloresçit: at ingressum atrium meum, & sub eodem tecto versantem, omnibus, quibus par est, honoro.] Sic ille. Quare ex eis locis non habetur quid certum de permissis, aut vetitis in communione peregrina.

799 Ipse Synesius in Epist. 67. meminit quorundam Ecclesiasticorum, [qui certam quidem nullam sedem habere volunt, quiquam habebant anteà, reliquerunt, non vlla calamitate pulsi, sed sponte locum mutantes. Honoribus porrò fruuntur eò vagãtes, vbi maius compendium est. Mihi verò, Reverendissime Pater (scribit ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum) ita videtur, oportere ijs, qui suas Ecclesias reliquerint, omni Ecclesia interdici, & priusquàm illuc redeũtes se receperint, neminem ad altare eos admittere, neque ad primas sedes invitare, sed inter gregarios in plebeijs subsellijs relinquere, cum Ecclesiã adibunt:: Ac publicè quidem ita cum ijs agendum erit, tanquàm cum privatis.] In quibus verbis noster Dionysius Petavius agnoscit Laicam communionẽ, non autem Peregrinam. Et ab hac diuersam valde putat eam, ad quam Synesius admisit Alexandrum Episcopum Basianopolitanum.

800 Atque adeò censet Petavius, peregrina communione mulctatos, ab Dominico corpore non fuisse abstentos, neque à sacro, & civili commercio cum alijs Ecclesiasticis, sed tãtùm à functione, & ministerio sui Ordinis proprio. Cum autẽ suis locis egressi carerent iure ad vsum Ordinis sui, indè Peregrina communio nomen accepit, quippe qui ea puniebantur, privabantur exercitio sui Ordinis in suis Ciuitatibus, non secus ac peregrini carebant eo exercitio, aut saltem iure ad illud in alienis.

801 Lindanus suprà explicat communionem Peregrinam, quatenus solũ esset admissio ad societatẽ precũ cum alijs Clericis, non verò ad vsum Eucharistiæ, & Sacramentorum; aitó; vocem eam vsurpatam, quia peregrini admittebantur tantummodò ad societatem precum, nisi nota esset ipsorum probitas, abesset que omnis suspicio de minus sana fide, minusque rectis moribus. Concordat Landtmeter Lib. 2. de Vetere Clerico Monacho C. 56. pag. 123. nisi quòd orationem non cum Clericis, sed cum Sæcularibus fundere, permissum fuisse damnatis ad communionem peregrinam, dicat. Et hanc explicationem colligere sibi videtur ex S. Felice Papa III. in Epistola 7. cuius fragmentum refertur in Can. *Eos, quos* 118. de Cons. Dist 4. Cæterùm in illa Epistola non fit mentio de communione peregrina. Etsi autem Baronius anno 487. num 5. interpretetur de ea, quod ait Summus Pontifex, *sed tantummodò Sæcularibus in oratione socientur*: tamen is loquitur de Clericis, & Monachis, aut puellis Dei, aut Sæcularibus, ad quos omnes neutiquam extenditur pœna communionis peregrinæ, vt potè quæ Clericis, & nunquàm Laicis irrogaretur, vt notum est ex Canonibus, & advertunt reliqui Doctores, qui de huiusmodi pœna accuratiùs tractarunt.

802 Albaspinæus Lib. 1. in Obseruatione 3. ait, cõmunionem peregrinam nihil aliud esse, quàm cõmunitatem, & consociationem, quę Presbyteris, siue alijs Clericis, qui sine formatis, aut commendatitijs litteris peregrinabantur, indulta fuit quoad id, vt alerentur sumptibus Ecclesiæ in loco semoto, vbi soli viverent, & orarent.

Quæ

Qua pœna interdum puniebantur Clerici, qui peccaverant, licet peregrini non essent, & in certa Diœcesi domicilium haberent. Videtur significare Albaspinæus, damnatos ad communionem peregrinam non habuisse cum alijs Clericis societatem in precibus sacris; exprimitq́; clarè, potuisse sperare, & habere regressum ad Clerum, secus ac cõtingebat in detrusis ad communionem Laicam. Porrò quod spectat ad participationem Eucharistiæ, ait ille, communionem peregrinam sacris Eucharistiæ eos dumtaxat interdixisse, quibus ob scelera aliqua in pœnam irrogaretur; cum verò tribueretur Episcopo, qui sponte Episcopatui renuntiarat, quemque vellet Ecclesia in aliquo honore esse, nihil aliud ea illatum, nisi quod ab Episcopo, cui locum cesserat, separaretur, & sumptibus Ecclesiæ aleretur, Eucharistiæ tamẽ communione non frustraretur. Cum sapientissimo Aurelianensi Antistite concordant Ioãnes Ludovicus de la Cerda in Adversarijs sacris C. 138. num. 13. Raynaudus de Monitorijs parte, & Cap. 2. num. 1. Oratora parte 2. de Irregularitate proueniente ex pœnitentia publica, & solemni, Excursu 3. n. 28.

803 Communionis autem peregrinæ specimen, aut vmbram quandam agnoscit Albaspinæus in pœna deportationis apud Romanos, nam deportati fiebant extorres, & sine civitate, cuius, & testamenti condendi, ex eoq́; quærendi amittebant ius, & quæ iuris civilis erant, solumq́; retinebant, quę erant iuris gentium, vt innotescit ex *l. Si incertus* 1. *§.* 2. *&* 4. *ff. de Legatis* 3. *l. Sunt quidam* 17. *ff. de Pœnis*, ex totoque tit. 22. de Interdictis, & relegatis Lib. 48. Digestorum: quas leges recenti, dexterrimaque manu excutit nobilissimus Eques D. Nicolaus Antonius, Iurisconsultorum Hispaniæ novum decus, in Libris de Exilio, & præcipuè in 2. ex C. & num. 6. nosterque amicitia, & municipatu Salmanticensi Doctor Don Ioseph Fernandez de Retes Vespertinæ Cathedræ Legum Moderator oppidò quàm famigeratus in antiquiori ad titulum de Interdictis, & Relegatis Commentario, quod secundis curis auctum, & paratum ad lucem ostendit mihi nuperrimè pro sua inter nos litterarum consuetudine.

804 Sed propiùs ad rem facit, quod notat Gibalinus Disq. 7. de Censuris quæst. 12. Reg. 2. Consectario 7. num. 28. & ante eum Andreas Alciatus Lib. 1. Parergon Iuris C. 15 apud Romanos fuisse dictos, & habitos vt peregrinos, qui, ob delicta quædam, civium iuribus, & numero eximebantur. Vnde in *l. Qui deportantur* 1. *C. de Heredib. instituendis*, ait Titus Ælius Antoninus, *Qui deportantur, si heredes scribantur, tanquàm peregrini capere non possunt*; & Vlpianus in *l. Sed si* 10. *§. Sed si* 6. *ff. de In ius vocando, Sed si perpœnam deportationis ad peregrinitatem redactus sit patronus, putat Pomponius, eum amisisse honorem, sed si fuerit restitutus, erit ei etiam huius edicti commodum salvum.* Idem Vlpianus in *l. Sed si* 6. *§. Solemus* 2. *ff. de Heredibus instituendis, Solemus dicere, media tempora nõ nocere, vt puta ciuis Romanus heres scriptus, viuo testatore factus peregrinus, mox ciuitatem Romanam peruenit, media tempora non nocent.* Idem Vlpianus *lib. Regularum titulo de Caducis* 18. *vel potiùs* 17. in principio, ibi: *Vel pereger factus sit.*

805 Non solùm per deportationem, sed etiam absque ea ius civitatis Romanæ fuit amissum, & de peregrinitate damnatio inflicta, vt videre est in Suetonio, qui de Claudio Cæsare C. 16. scribit, *Splendidum virum, Græciæque prouinciæ Principem, verùm Latinẽ sermonis ignarum, non modò albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.* Et expressiùs in Dione Cassio Lib. 60. Hist. Rom. anno V. C. 796. *Legatum quendam, Lycium quidem origine, Romanũ tamen natum, Latinè interrogauit, ac non intelligenti, quid quæsiuisset, ciuitatis ius ademit, dicens, Romanum eum esse non debere, qui sermonem eum nesciret.*

806 Addi potest, peregrinitatis, & exilij pœnam non rarò fuisse impositam multis, relegatis in patriam, in portionem, vicumve vrbis suæ, in domum propriam, inde non excessuris, vt plenè illustrat prælaudat. I. C. Nicolaus Antonius Lib. 1. Cap. 11. num. 6. & 7. C. 14. ex num. 11. Atque hinc mirari non est, si Ecclesiæ disciplina antiqua Clericos criminosos punierit intra suũ domicilium, non relinquendo eis aliam communionem, quàm peregrinam; alijs verò criminosioribus ne vel hanc quidẽ relinquendo; quod fiebat, nunc que fit per excommunicationem, quã

exilium

exilium finitimum appellat Sanctus Alexander Papa I. vt perite notat Turrianus noster Lib. 1 aduersus Magdeburgenses pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum C. 22. pag. 88. quia excommunicatus degit intra suam ciuitatem non secus, ac exul. Vnde Glossa ad C. *Pastoralis* 53. de Appellationibus, V. *Subtrahuntur*, Ioannes Andreas ad Cap. *Decernimus* de Sententia excommunicationis in 6. Bartholus in *l. 2. de public. iudic.* & Roper. in *l. Placet*, *Cod. de Sacrosanctis Eccles.* num. 5. æquiparant, vel agnoscunt affinem excommunicationem relegationi, & deportationi; aliique apud Ripam ad *l. Si constante ff Soluto matrimonio*, conferunt cum interdictione ab aqua, & igni.

807 Quanquàm, vt dicitur à Gregorio Papa VII. in C. *Quoniam multos* 103. 11. quæst. 3. *Si quis excommunicatis, non in sustentationem superbiæ, sed humanitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibemus*: ideoq; à fortiori licet tribuere eleemosynam excommunicato, patienti nedum extremam, vel gravẽ, sed etiam ordinariam, & communem necessitatem victus, aut vestitus; licèt item excipere eum hospitio, etiam nõ expectata exclusione ab aliis, vt ex disciplina Ecclesiastica tam moderna, quã antiqua tradunt communiter Canonistæ, & Theologi. Quod animadvertere volui, vt cum minor pœna esset cõmunio peregrina, quam excommunicatio, notum sit, priorem illam nõ priuasse Clericos prætatis suppetijs exhibendis à Clero, aut à populo.

SECTIO XXXXX.

Aliorum iudicia de communione peregrina.

808 CELLOTIVS supra C. 16. §. 2. pagina 486. existimat, communionem peregrinam nihil sacrum respicere, sed tantùm humanam societatem, & subsidia victus, ac vestitus erogata Clericis, quib⁹ imponebatur ea pœna. Idcircò verò dicta est peregrina, quia sistebat in participatione externorum vitæ præsidiorum, non secus ac peregrini Clerici illa sola participatione fruebantur, si commendatitijs tantùm litteris muniti accederent: vel etiam quia castigati communione peregrina merebantur vitio suo non tractari iuxta phrasim Pauli Ephes. 2. V. 19. vt cives Sanctorum & domestici Dei, sed vt hospites, & aduenæ, vt peregrini, & ignoti, quos Ecclesia non dignabatur communione ciuium, sed externis tãtùm quibusdam subsidijs ad vitæ sustentationem. Sic apud Romanos arcebantur à Sacris peregrini, aut extranei, ius quippè Sacrorum coniunctum erat cum iure ciuitatis, vt ex Seruio, & Halicarnasseo obseruat Iacobus Gutherius L. 4. de Vetere iure Pontificio Vrbis Romæ C. 1. pag. 365. Quã remotionem à Sacris iuris Romani extendit Albaspinæus supra in Observ. 3. ad deportatos, allegatque Traianum apud Plinium Epist. 59. Lib. 10.

809 Ne verò gratis dictum videatur, commendatitias solas peregrinorum Clericorum litteras non satis fuisse, vt illi admitterentur ad sacrorũ mysteriorum participationem, aduertendum est, nulli Clerico licuisse, sua sponte abire Ecclesia, cui addictus erat, & cuius debebat esse localis, vt dicitur in Concilio Valentino Hispaniæ C. 6. ideoque à Concilio Hispalensi II. C. 3. relato C. *Placuit* 2. 21. quæst. 2. priuatur communione Sacerdos eum suscipiens, & susceptus cingulo honoris, atque Ordinis sui exutus includi iubetur aliquo tempore in Monasterio; & C. *Sanctorum* 2. Distin. 70. ex Decreto Vrbani Papæ II. in Concilio Placentino intimatur, vt *in qua Ecclesia quilibet titulatus est, in ea perpetuò perseueret*; & in Concilio Arelatensi I. Can. 2. vt *qui in quibuscumque locis fuerint ordinati Ministri, ibi perpetuò perseuerent*; alioqui deponantur, vt additur C. 22. Concilium etiam Moguntinum sub Archiepiscopo Ricolpho Can. 22. acriter reprehendit Clericos acephalos, & vagos. Quòcũque autem migrarent siue ad tempus, siue in perpetuum, opus erat Superiorum suorum facultate, & litteris, vt constat ex C. *Extranei* 8. Distin. 71. C. *Non oportet* 36. de Consec. Dist. 5. ex Epist. 8. Hilari Papæ ad diuersos Metropolitanos Galliæ n 5. Concilio Andegauensi C. 2. Aurelianensi I. C. 9. & 5. C. 5.

Præfatæ

810 Præfatæ litteræ alię erant formatæ, id est, tali forma scriptæ, vt falsari facilè non possent. Dicebantur etiam communicatoriæ, pacificæ, canonicæ, Ecclesiasticæ, vt Hermannus Hugo de prima scribendi ratione C. 13 post Baronium anno 142. num. 6. & 7. anno 325. ex num. 162. vsque ad 170. diligenter exponit, delibatque nonnihil Cuiacius ad Novellam 6. Iustiniani: Loayla ad C. 25. Concilij Iliberritani, Landtmeter de Vetere Clerico Monacho L. 2. C. 87. pag. 243. legendusq; est tum C. *In nomine* 1. tum *Sanctissimo* 2. Dist. 73. ibique Gratianus. Qui eas litteras portabant, admittebantur ad plenam, perfectamque communionem.

811 Aliæ erant commendatitiæ, dabanturque ijs, qui gradu moti fuerant, vel communione priuati, vel hæresis, aut schismatis suspecti. Vnde in Concilio Chalcedonensi Actione 15. Can. 11. dicitur, *Litteras commendatorias ijs solis personis, quæ sunt suspectæ, præberi oportet.* Et in Can. 12. Apostolorũ, *Si quis Clericus, aut Laicus à communione segregatus, seu nondum in communionem receptus* (alij legunt, *vel non recipiendus*) *ad aliam profectus ciuitatem, sine cõmendatitijs litteris receptus fuerit, à communione excluditor tam qui recepit, quàm qui receptus est. Si excommunicatus fuerit, in longius illi tempus excommunicatio protenditor.* Rursus in Can. 32. *Nullus peregrinorum Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum sine commendatitijs suscipiatur epistolis, & cum scripta detulerint, discutiantur attentiùs, & ita suscipiantur, si prædicatores veritatis extiterint. Sin minus illis ad victum necessaria cum præbueritis, vlteriùs ipsos in communionem ne recipite; multa enim fiunt per subreptionem.* Deferentes itaque commendatitias litteras probabantur, antequã ad communionẽ plenam introducerẽtur; quòd si adhuc de eorum probitate incertitudo vlla maneret, illis suppeditabantur necessaria ad vitam, sed excludebantur ab omni alia communione. Nec solùm Clerici, sed etiam Laici aliò demigrantes solebant ferre secum litteras siue formatas, siue commendatitias, vt patet ex præcitato Concilio Chalcedonensi.

812 Si verò peregrinantes Clerici non adsportarent vllas suorum Episcoporum litteras, removebantur ab omni penitus communione, sicut statutum fuit in II. Concilio Milevitano C. 20. in Africano sub Bonifacio, & Cœlestino C. 73. ibi: *Si sine formata voluerit pergere, à communione remoueatur.* Consonant Agathense C. 52. Epaunense C. 6. Venetum C. 5. Aurelianense 3. Can. 15. ait, *Presbytero, Diacono, vel Subdiacono sine Episcopi sui litteris ambulanti, iuxta statuta priora, communionem nullus impendat.* Imperaturque in Concilio Turonensi III. Can. 13. vt nullus Presbyter peregrinus permittatur celebrare, nisi deferat commendatitias litteras.

813 Ast vt in hoc Concilio prohibetur dumtaxat communio Sacerdotalis, sic etiam in alijs proximè memoratis non prohiberi nisi eandem, aut Ecclesiasticam, simile vero valdè est contra Cellotium. Probarique potest ex C. 14. Apostolorum, vbi talibus Clericis non negatur communio Laica, etiam si contra voluntatem sui Episcopi discesserint, & maneant in aliena Ecclesia, vt advertit Balsamon ad eum Canonem, quem numerat 15. & rursus in C. 16. Concilij Nicæni, vbi ad verba illa, *vel si perseuerent, eos à communione separatos esse oportet*, subiungit, [id est, non permittitur eis, vt simul sacrificent. In ea enim significatione *Non communicare* accipitur; nõ autem in ea, quę est, in Ecclesiam non accedere, vel Sacramenta non participare: idq; omnino fit consequenter XV. Canoni Apostolico, qui decernit, eos non ministrare.] Videantur etiam Canon 13. Concilij Chalcedonensis, & Canon 7. Synodi Antiochenæ, & vtrobique Balsamon: qui Canones referuntur Dist. 71. C. *Extraneo* 8. C. *Nullum* 9.

814 Rursus quando Clerici peregrini tales erant, vt de eorum ordinatione, fide, & probitate nulla esset probabilis suspicio, non video, vnde constet, non fuisse admissos ad communionem Ecclesiasticã ob defectum litterarum. Imò lego in Concilio Carthaginensi IV. Can. 33. *Si Episcopi, vel Presbyteri causa visitandæ Ecclesiæ ad alterius Ecclesiam venerint, in gradu suo suscipiantur, & tam ad verbum faciendum, quã ad oblationem consecrandam inuitentur.* Notatque Glossa ad C. *Episcopi* 38. 7. quæst. 1. hinc desumptum, V. *Inuitentur*,

tur, fore, vt aliàs non liceret: quam etiam invitationem, seu iussionem Episcopi, cuius Parochia est propria, requirit Concilium Vernense sub Pipino Rege Francorum C. 13. & Alexander III. in C. *Tuæ fraternitatis* 3. de Clericis peregrinis non vetat, *vt secretò ex deuotione celebrent* Clerici euntes ad partes Hierosolymitanas sine litteris commendatitijs, & quorum Ordinatio Canonica nec per testes sit nota. Idemque colligitur ex C. *Tua nos* 1. sub eodem titulo, vt notat Glosia ibi ad V. *in Suspensione.*

815 Præterea cum tria fuerint Clericorum peregrinorum genera, vnum eorum, qui communiti litteris formatis admittebantur ad plenam communionem, secundum eorum, qui instructi commendatitijs accipiebant necessaria ad vitæ sustentationem, tertium eorum, quibus neque de ijs prouidebatur, quia nullas deferebant litteras, cur, rogo, mulctari communione peregrina, cum indigenæ forent, reuocantur potiùs ad secundam classem, quàm ad tertiam, aut ad primam? Sanè vox *Peregrina communio*, quæ ansam dedit ad inuestiganda monumenta Ecclesiastica circa modum tractandi Clericos peregrinos, non magis ducit ad vnam classem, quàm ad aliam

816 Vlteriùs quod de litteris commendatitijs dicitur, non vndequaque firmum est, quia lectio illa Concilij Chalcedonensis ex interpretatione Zonaræ, Balsamonis, Matthæi Blastaris, & ex versione Gentiani Herueti, atque Bernardini Ferrarij non est certa, quin potiùs hęc, quę sequitur, communis est, *Omnes pauperes, & indigentes Ecclesiasticis auxilijs, cum proficiscuntur, sub probatione epistolij, siue pacificis, quæ dicũtur Ecclesiasticæ, tantummodò commendari statuimus, & non commendatitijs epistolis, quia commendatitias epistolas, quas dicimꝰ, eos tantùm accipere conuenit, qui in opere sunt clariores.* Qui sensus è diametro opponitur ei, quem adducit Cellotius. Et ab eodem Concilio Chalcedonensi, eademque Actione, C. 13. commendatitiæ litteræ requiruntur in extraneo Clerico, & Lectore, vt extra ciuitatem suam ministrare licitè valeant: quæ sunt personæ honoratiores, quàm illiæ aliæ, de quibus in C. 11. Vnde cõmendatitiæ litteræ videbuntur potiùs concessæ hominibus maioris dignitatis, & pacificæ, seu Ecclesiasticæ viris minoris conditionis.

817 Sed etsi retineatur lectio probata à Cellotio, sensus Cõcil. Chalcedonensis erit, commendatitijs litteris non indigere personas illustres, & probitatis notæ, sed ignobiles, & quæ possint esse suspectæ, ne quid de illis dubitetur. Inde autem non infertur, eas litteras nunquam fuisse concessas tã illis, quam his; imò contrarium constat ex Cap. 32. & 12. Apostolorum in verbis supra exaratis. Et in C. quidem 32. quia commendatitię litterę non carent omni periculo subreptionis, iubetur, vt examen fiat vitæ eas afferentiũ, admittanturque ad plenam cõmunionem, qui probati fuerint, cæteris verò subueniatur de necessarijs ad vitã, nulla alia cum eis habita communione. Quod examen non solùm fiebat, si afferrentur litteræ commendatitiæ, sed cũ etiam communicatoriæ, quas Cellotiꝰ easdem putat cum formatis, pacificis, canonicis, Ecclesiasticis. Audiatur Cõcilium Iliberritanum Can. 58. *Placuit, vbique, & maximè in eo loco, in quo prima cathedra constituta est Episcopatus, vt interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia rectè habeant, suo testimonio comprobati?*

818 Ast vt constet, quàm promiscuè sumantur nomina memoratarum litterarum, considerentur verba Balsamonis ad C. 13. Concilij Chalcedonensis, [Nonnulli quidē dixerunt, commendatitias hìc litteras pro dimissorijs dictas esse. Alij autem dixerunt, Canonem de commendatitijs litteris loqui, quæ dantur accusatis hominibꝰ, qui post examinationem innocentes inuenti sunt. Mihi autem videtur hic Canon de litteris commendatitijs definire, quæ Clerici Ordinationem declarant, eumque dimittunt, vt etiam alibi ministret, & operetur. Commendatitiæ enim, quę ad tollendam suspicionem dantur, etium Laicis præbentur, de quibus nulla hìc fit mentio.] Sic Balsamon attribuens nomen litterarum commendatitiarum eis, quæ dabantur personis, de quibus poterat esse existimatio siue bona, siue mala. Et ne plura ex Balsamone transcribam, adeat qui velit, commentaria ipsius ad C. 32. Apostolorum, ad 11. Synodi Chalcedonensis,

nensis, ad 3. & 7. Antiochenæ relatæ C. *Nullum* 9. Dist. 71. ad 17. Trullanę, ad 41. & 42. Laodicenæ relatæ C. *Non oportet* 36. de Cons. Dist. 5. ad 9. Sardicensis. Oportebit etiam legere C. 28. Carthaginensis 3. C. 20. Milevitanę 2. C. 20. Andegavensis, & Concilium Anglicanum anno 1075. tempore Gregorij Papæ VII. Concilium in Palatio Vernis anno 756. C. 12. Aquisgranense 1. anno 816. C. 44. cum Chalcedonensi Act. 15 C. 5. & 13. Concilium Cabilonense 2. an. 813. C. 41. Iliberritanum C. 81. Tridentinum Sess. 23. de Reform. C. 16. & constabit, quàm variè, & confusè vsurpentur vocabula earum litterarum; quod adnotatum iã fuit ab Albaspinæo ad C. 11. Concilij Chalcedonensis pag. (mihi) 241. vsq; ad 244. à Landtmetere Lib. 2. de Vetere Clerico Monacho Cap. 87. pagina 244.

819 Sed non omittam verba S. Clementis Romani in Constit. Apostolicis Lib. 2. C. 58. quæ huiusmodi sunt, [Si aliquis frater, aut soror ex Paroecia advenerit, qui commendatitias afferant, accedat Diaconus, & inquirat, an fideles sint, an Ecclesiastici, num hæresi quapiam contaminati, ac rursus soror, nuptane, an vidua sit? Atque ita cum cognoverit, fideles planè esse, & in doctrina Dñi idem, atque nos sentire, deducat singulos eorum ad locum eis accommodatum. Si verò Presbyter item ex Paroecia advenerit, excipiatur in commune à Presbyteris; si Diaconus fuerit, à Diaconis, si autem Episcopus fuerit, cum Episcopo sedeat, eodem honore ab eo receptus. Rogabisque eum, Episcope, vt sermonem habeat apud populum docendi causa:: Deinde, Episcope, committas ei, vt offerat Eucharistiam. Sin verò tanquã sapiens propter reverentiam erga te, quo tibi honorem servet, offerre noluerit, coge, vt saltem benedicat populo.] Hęc verba videntur habita præ oculis à Concilio in Palatio Vernis sub Pipino Francorum Rege C. 13. vbi ait, [De Episcopis vagantibus, qui Parochias non habent, nec scimus de Ordinatione eorum, qualiter fuit, placuit iuxta statuta SS. PP. vt in alterius Parochia ministrare, nec vllam ordinationem facere debeant, sine iussione Episcopi, cuius Parochia est: & si hoc facere præsumpserint, suspendantur,] &c. Suessonense etiam Concilium anno 744. contentum est, [Si supervenientes Episcopi, vel Presbyteri de alijs regionibus non suscipiantur in ministerium Ecclesiæ, nisi priùs fuerint probati ab Episcopo, cuius Parochia est.] Similiter Concilium Aurelianense 4 C. 7. satis habet probationem Episcopi, vt à Dominis prædiorum intromittantur Clerici peregrini ad Oratoria, ibique celebrent. Concilium autem habitum Ratisponę, vel Augustę Vvindelicorum anno 742. requirit [probationem Synodalem, vt in Ecclesiasticum ministerium admittantur vndecumque venientes ignoti Episcopi, vel Presbyteri.]

820 P. Phelippæus supra ex pag. 787. proponit varias notiones cõmunionis peregrinæ Et prima est, vt aliquando sumatur pro communione reservata ad exitum vitæ. Secunda, vt pro Laica. Tertia, vt pro solita dari Clericis peregrinis, & advenientibus aliunde absque communicatorijs litteris, quin damnarẽtur depositionis pœna. Quarta, vt pro consueta in Ecclesia Latina cum Clericis peregrinis Ecclesiæ Græcæ, si quid in ipsorum litteris cõmunicatorijs esset fidei suspectæ. Nec enim nisi in Canonibus Ecclesiæ Latinæ invenitur mentio communionis peregrinæ, vt asserit ipse Phelippæus, & post eum Gibalinus supra, numero 28. pagina 328. Tractationis de Censuris, viri quidem Ecclesiasticę antiquitatis peritissimi, quibus proinde credere par est. Quinta, vt sit potiùs amoris, honoris, & favoris plena, quã pœnæ. Sed hæc explicatio facta magis per divisionem, quàm per definitionẽ, complectensque tam diversas species communionis peregrinæ relinquit audientes valde ancipites, desideraturq; scire, quidnam sit in genere communio peregrina, præsertim cum Canones, in quibus de ea est sermo, vocent eam nudè, & absolutè hoc nomine, quo significant notionem aliquam communem, & genericam.

821 P. Gibalinus supra censet, communionem peregrinã fuisse pœnã ejectionis ex propria Ecclesia, seu ab eius publicis muneribus, & functionibus, ac iuribus, ita vt multati huiusmodi pœna fierent quasi extranei, & peregrini-

peregrini Clerici. Sed non redigebantur ad classem Laicorum, neque expellebantur è gradu Clericali, neque privabantur vsu Eucharistiæ, aut celebratione privata, & invitati, vel ex peculiari dispensatione poterant ministerium suum præstare in rebus sacris, aut publicis. Suspicatur autem Gibalinus in numero 30. pagina 330. Vers. *Clericus grauiùs peccans*, intelligendum esse de communione peregrina Canonem XV. Concilij Toletani I. relatum C. 26. *Si quis Laicus* 11. quæstione 3. vbi dicitur, *Si quis Laicus abstinetur, ad hunc, vel ad domum eius, vel Clericorum, vel Religiosorum nullus accedat. Similiter & Clericus si abstinetur, à Clericis deuitetur. Si quis cum illo colloqui, aut conviuari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur*, &c. Qui Canon, si accipiendus sit de communione peregrina, erit hæc non maior communio, & non minor pœna, quàm Laica, imò erit excommunicatio, aut ad eam propè accedet: quod à Gibalini præcedentibus discursibus circa eam communionem longissimè recedit.

822 En de communione peregrina tot sententiæ, quot capita, eaque hominum maturo iudicio, doctrina, & eruditione pollentium. Nos autem si quid possumus post ipsos, præstabimus, expendendo strenuè textus, qui de ea communione loquuntur, deducendoque inde nostram de ea coniecturam (nec enim nisi coniecturis agere datur in re adeò antiqua, & obscura.), Quod si præstiterimus, manebunt sufficienter refutatæ aliorum sententiæ, præsertim si adiungantur quę vellicauimus in nonnullis ex eis.

*

SECTIO LI.

Discutiuntur duo Canones loquentes de communione peregrina.

823 PRIMVS, qui de hac communione textus occurrit, habetur in Can. *Contumaces* 21. Distinct. 50. in Ivone parte 6. C. 366. in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pij Additione 4. Cap. 102. desumptusque est ex Concilio Agathensi celebrato ad annum 506. C. 2. vbi dicitur, [Contumaces Clerici (provt dignitatis ordo permiserit) ab Episcopis corrigantur; & si qui, prioris gradus elati superbia, communionem fortasse contempserint; aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita vt cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum, dignitatemque suscipiat.] Qui Canon est contra Clericos protervos, aitque, eos esse corripiendos ab Episcopis, iuxta maiorem, aut minorem gradum, quem in Clericali statu habeant. Non declarat omnino expressè, in qua materia versaretur eorum Clericorum contumacia, neque qua pœna, aut quo modo corrigendi essent.

824 Sed, provt casus proponitur in Glossa, protervia consistebat in spernenda communione fratrum, vel in negligenda frequentatione Ecclesiæ, aut exequutionis muneris sui, eo quòd prioris, seu altioris gradus dignitate superbirent. Ob quæ puniendos decernitur, provt Ordo permiserit (alio enim modo sunt puniendi Clerici minorum Ordinum, & alio maiorum, vt C. *Ante omnia* 9. Distinct. 35. C. 11. *Fraternitas* 12. quæst. 2. C. 25. *Si qui Clericorum* 11. q. 1.) quare maiores Clerici plectendi erunt suspensione ab officio, & beneficio, communioneque pereregrina, & minores acriori supplicio. Id tamen postremum in Canone non dicitur. Et cum addit Glossa, [qui tamen, si postea resi-

resipuerint, & pœnitentiam egerint, in matrice Ecclesia rescribentur, & in statum pristinum revertentur,] relinquit locum ambiguitati, an habeat sermonem de maioribus, an de minoribus Clericis, an de vtrisque? Et illud de matrice Ecclesia non est conforme textui, aliud enim est matrix Ecclesiæ, aliud matricula Ecclesiæ, dicta *Canon* in Concilio Antiocheno I. C. 2. ex 1. editione, & in CC. 16. atque 17. Nicæni Concilij I.

825 Sunt, qui Canonem intelligant, quatenus contumaces Clerici corrigantur primò ab Episcopis communione Laica: quam si contempserint; aut neglexerint frequentare Ecclesiam, id est, communicare in precibus cum cæteris fidelibus apud ipsam, sed sine oblatione; vel implere officiũ suum, id est, se gerere eo modo, quo Laici, tribuatur eis communio peregrina tanquàm secunda, & maior pœna. Ita Cellotius supra, pag. 484. subtiliùs quidem, quàm convenienter ad textum, nisi enim multa, quæ in verbis fundamentum non habent, subaudiantur, consistere non potest ea intelligentia. Et cur illa, *communionem contempserint*, non sint potiùs accipienda de contemptu communionis Ecclesiasticæ? Cur sequentia alia, *aut Ecclesiã frequentare*, &c non debeant potiùs exponi de negligentia, aut neglectu in adeunda Ecclesia, & exercendis ibi officijs Clericorum propriis.

826 Illud certò constat ex Canone, nomen castigati communione peregrina erasum fuisse ex albo Clericorum illius Ecclesiæ, cui anteà erat adscriptum. Ea autem expunctio fieri poterat, quin ideo Clericus deponeretur à gradu Ecclesiastico, & proinde quin in Laicorum ordinem, & communionem redigeretur. Si verò pœnitentia illum correxisset, rescribebatur in matricula, & ad pristinam communionem Ecclesiasticam restituebatur.

827 Atque hinc infertur, pœnitentiam, de qua loquitur Canon, non fuisse eam, quæ solemniter imponebatur ab Ecclesia iuxta varias pœnitentium classes, quas olim distinguebat Maiorum severitas, tum quia ijs, qui afficiebantur pœnitentia solemni, præclusus erat aditus, vt redirent in Clerum, provt animadvertit Albaspinæus Lib. 1. in Observatione 3. V. *An censere*: probaturque ex Innocentio I. Papa Epistola 6. cuius pars exaratur à Gratiano C. *Canones* 60. Distinct. 50. ex C. *Confirmandum* 65. eadem distinct. qui Canon est Concilij Carthaginensis V. C. 11. ex Concilio Toletano I. C. 2. & ex multis alijs priscis monumentis collectis ab eodem Albaspinæo Lib. 2. Observatione 34. tum quia si pœnitentia publica (quod negant aliqui) non tamen solemnis quondam imponebatur Clericis, nisi saltem anteà fuissent depositi, & degradati, vt norunt, qui vel tenuem cognitionem habent antiquitatis Ecclesiasticæ, monetque Gibalinus Consectario 7. regulæ tertiæ n. 30. pag. 330. Quapropter verba nostri Canonis, *ita vt cũ eos pœnitentia correxerit*, intelligenda sunt de pœnitentia, quæ sit dolor, detestatio, atque propositum emendationis de contumacia præterita, de sprerave communione, &c. vel sunt accipienda vt summùm de pœnitentia publica, sed non solemni.

828 Infertur rursus, communionem peregrinam in nostro Canone distinctam prorsus esse à Laica, nam Clerici ad hanc damnati deponebantur totaliter gradu Clericali, vt liquet ex plerisque textibus, qui de ea agunt, probantque extensè Albaspinæus Observatione 4. Phelippæus supra, pagina 779. & Gibalinus Consectario 6. notatione 3. numero 23. pagina 325. Depositis autem citra iniustitiam Clericis fas non erat iuxta antiquiora Iura Canonica postliminiò repetere primæ vum Clericatus locum, vt multis ostendunt Phelippæus pagina 777. & Morinus Libro 2. Exercitationum Ecclesiasticarum in 9.

829 Dixi *iuxta antiquiora iura Canonica*, nam vltra Can. 1. Concilij Ilerdensis anno 546. videndum apud Gratianum Can. *De his Clericis, qui* 36. Dist. 50. & vltra C. 2. Concilij Aurelianensis III. non adeò apertum, ideoq; à me prętermittendum, in Concil. Aurelian. V. anno 552. C. 17. legitur, *Si patuerit, Episcopum ipsum contra iustitiam fatigatum, is, qui eum iniusta interpellatione pulsauit, anni spatio, à communione Ecclesiastica suspendatur.*

Et

Et in Turonensi II. anno 570. C. 20: *Si inuentus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur: & depositus ab omni officio Clericali, inter Laicos se obseruare cognoscat: eo tamen permisso, vt inter Lectores in psallentium choro colligatur.* En depositio à gradu Clericali, & amandatio ad communionem Laicam non fuit perpetua, sed temporaria in his Concilijs.

830 Si tempore etiam non admodùm anteriori Concilij Agathensis remissus esset rigor antiquus, probatio istius illationis non erit conuincens: præsertim si cum Canone Agathensis Concilij conferatur C. 19. Concilij Aurelianensis 3. anno 540. inquiens, *Si quis superbia elatus officium suum indignatione quacumque implere noluerit, iuxta statuta priora, Laica communione contentus, ab Ordine depositus tamdiu habeatur, quamdiu digna, sicut scriptum est, pœnitentia, & supplicatione satis fecerit præsidenti Pontifici.* Qui Canon videtur respicere ad Agathensem, vocatque communionem Laicam, quam Agathensis peregrinam, & non infligit eam in perpetuum, nec irrevocabiliter, nec *sine spe restitutionis*, vt in Can. *Si quis Presbyter* 24. 7. 1. C. *Accedens* 10. §. *Præterea*, Dist. 50.

831 Secundus textus de communione peregrina habetur in C. *Clerici* 11. 13. quæst. 2. ex eodem Concilio Agathensi C. 4. & 5. Et omissa prima textus parte, quæ non est huius loci, in secunda dicitur, *Si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.* Circa quem Canonem dubitari potest primò, cum delictum hoc sit multò gravius, quàm illud, de quo in C. *Contumaces*, cur æquali pœna communionis peregrinæ, & non maiori punitur?

832 Secundò, cum furtum sacrilegum soleat castigari in alijs Concilijs pœna excommunicationis, cur Agathense non plectit eadem pœna, sed leviori alia?

833 Tertiò, cum idem Concilium feriat excommunicationis pœna reos aliosminorum, aut non maiorum criminum, vt videre est in Canonibus 8. 22. & 41. relatis C. *Placuit* 1. 21. quæst. 3. *Statuimus* 32. 12. quæst. 2. *Ante omnia* 9. Dist. 35. cur se habet mitiùs cum furibus sacrilegis?

834 Quartò, cum idem Concilium C. 50. adducto C. *Si Episcopus* 7. Distinctione 50. ab officij honore deponat, detrudat in Monasterium, & ibi per totam vitam Laica tantummodò communione donet Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, qui capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, cur Clericum rerum Ecclesiæ raptorem, proindeque non leuioris culpæ reum, admittit ad communionem peregrinam?

835 Quintò, si communio peregrina non excludebat à perceptione Eucharistiæ, quì fieri potest, vt Cõcilium Agathense Clericis sacrilegè furibus eam communionem concedat? Albaspinæus Obseruatione 3. nimiùm defert huic scrupulo. Sed qui facilè adimitur, cum & ipse Author Obseruatione 4. fateatur, communionem Laicam non privasse vsu Eucharistiæ: quæ tamen communio imponebatur scelestis Clericis in pœnam. Vt ergo Laica permittebat accessum ad Eucharistiam, supposita pœnitentia, dolore, & confessione de commisso crimine, sic etiam posset permittere peregrinæ. Et in vtraque salvaretur ratio pœnæ cum permissione eius accessus, non secus ac cum tali permissione salvatur eadem ratio in suspensione Clericali absoluta, & simplici ab officio. Licèt autem vsus Eucharistiæ magna sit in se fœlicitas, & gloria, nihilominus respectu Clerici infœlicitas esset, & pœna, quòd non posset aliter sumere Eucharistiam, quàm modo præscripto ijs, qui mulctati erant vna, aut altera communione.

❧

SECTIO LII.

Duo Decreta Conciliorum de eadem communione peregrina.

836 VLTRA textus expensos restant duo Decreta aliorum Conciliorum, quæ communionis peregrinæ expressam mentionē faciunt, vnum est Concilij Regensis in Gallia Narbonensi, anno 439. Can. 3. cum enim Armentarius consecratus fuisset Episcopus Ebredunensis à duobus Episcopis tantùm, & absque Comprovincialium litteris, authoritateque Metropolitani, ait Concilium illud C. 3. [Quod ergo in quibusdam Schismaticis magis, quàm Hæreticis recipiendis Nicænum Concilium statuit, à singulis per territoria sua, hoc etiam præsens Conventus in hoc statuit ab omnibus seruari debere, id est vt cuicumque de fratribus tale aliquid charitatis consilia dictaverint, liceat ei vnam Parochiarum suarum Ecclesiam cedere, in qua aut Chorepiscopi nomine, vt idem Canon loquitur, aut peregrina, vt aiunt, cōmunione foveatur.] Hæc, & plura alia ibi. Quæ vt meliùs intelligantur, oportet præsentare Canonem 8. Concilij Nicæni I. cui Patres Regenses se se conformarunt.

837 Canon itaque 8. Concilij Nicæni est huiusmodi, [Si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novarianis, placuit sancto Concilio, vt ordinentur, & sic maneāt in Clero :: Et sicubi ijdem ipsi fuerint inuenti siue in vicis, siue in vrbibus Clerici ordinati à Catholicis, sic etiam in Clero persistant, vnusquisque tamē in suo Ordine. Si verò Episcopus, vel Presbyter Ecclesiæ Catholicæ fuerit, ad quem aliqui ex his accedunt, certū est, quòd Episcopus quidem Catholicus suam habeat dignitatem; similiter autem Presbyteri, & Diaconi habeant. Hi verò, qui ab istis veniunt, si fortè Episcopus fuerit, habeat Sacerdotij dignitatem; nisi fortè placeat Catholico Episcopo, concedere ei etiam Episcopalis nominis honorem. Si verò non placuerit, inveniat ei locum, vt sit in Parochia Episcopus, aut in Clero Presbyter: vt in ciuitate vna non videantur duo Episcopi esse, & ille omnimodis in Clero permanere videatur.] Huius Canonis priora verba habentur apud Gratianum Can. *Si qui voluerint* 8. 1. quæst. 7.

838 Causa autem, ob quam tam benignè gesserit se Concilium Nicænum cum Novatianis, noscitur ex Innocentio I. Papa Epistola 22. ad Episcopos Macedoniæ C. 5. Socrate Lib. 1. C. 7. Sozomeno Lib. 1. C. 21. Baronio anno 325. num. 141. & 142. Causa etiam, ob quam Patres Regenses dicant, Canonem Nicænum circa recipiendos Novatianos esse magis de Schismaticis, quàm Hæreticis, colligi potest ex Sancto Basilio in Canone 1. Epistolæ ad Amphilochium, & Balsamone ad Can. illum Nicænum, quia scilicet [non in fide errarent, sed haberent odio fratres.] Fortè initio fuerunt tantùm Schismatici Novatus, & Novatianus; sed posteà Hæretici tam ipsi, quàm sectatores ipsorum: vt tamen faciliùs redirent ad Ecclesiam, Nicæna Synodus temperavit rigorem, vti & posteà Africana Ecclesia cum Donatistis, vt videre est in Africano Concilio sub Bonifacio, & Cælestino C. 35. & 66.

839 Iam verò in Concilio Regensi non constat, num, dum permittit, vt non ritè consecratus Episcopus Ebredunensis foveatur, aut fruatur, (vt alij legunt) nomine Chorepiscopi, aut communione peregrina, addat secundum, vt quid magis, vel minus favorabile, quàm primum, vel tanquā idem prorsus cum primo, quasi secundum sit tantùm explicatio clarior primi. Quæcumque autem ex his intelligentijs approbetur, fundamentum I. St. Duranti Libro 2. Capite 55. n. 8. de singulari paucorum vsu, & improprietate vocis *Communio peregrina*, quia Concilium dicit, *vt aiunt*, non satis solidum est, posset enim vox illa esse vsitatissima eo tempore, & valde propriè significativa, & dici à Concilio, *vt aiunt*, eo quòd tunc temporis, & vsu Provinciæ illius, & quarundam aliarum esset recepta, etsi antiquiori tempore, & in omnibus Provincijs non percrebuisset. Sed hoc relicto.

Patet

840 Patet ex verbis sequentibus Concilij Regensis, communicationem, ad quam admissus est Antistes ille titulo siue Chorepiscopatus, siue communionis peregrinę, non fuisse nimis exiguam, etsi multa ei adempta sint de communicatione solita aliorum Episcoporum ritè ordinatorum. Prosequitur namque sic, [Primùm itaq; statuitur, vt hoc in qualibet Provincia, pręterquā in Alpina maritima, liceat; ad quam si in aliqua parte accesserit, vt malorum incitator, & quietis impatiens, damnationi, quam in se provocaverat, subiacebit. Sed et si quis eidē quidquam ex his, quæ statuta sunt, transgredienti communicaverit, à cōmunione omnium fiat alienus. Deinde vt quolibet in loco, pręterquàm in publico agat, nec quisquam ei locus decernatur, quem curiæ, & civitatis species, aut ordo nobilitat. Additur, [ne vnquam in civitatibus, nisi sub Episcoporum absentia offerre præsumat, nec ordinare vel vltimum Clericum, nec in ea quidem Ecclesia, quæ ei cuiuscumque misericordia fuerit attributa. Nec vlli Episcoporum, vel succedente ætate assumpto, in rudimētis suis huic in aliquo quasi pro ætatis reverentia cedere liceat: nec vsquam ipsi quidquā de Episcopalibus officijs vsurpare, pręterquàm in Ecclesia, quam cuiusquam misericordia fuerit indeptus: in qua ei solùm Neophytos confirmare, & ante Presbyteros offerre conceditur.] Sic Patres Regenses.

841 Rursus ex eorundem verbis antecedentibus tam in prooemio, quàm in C. 1. & 2. liquet, ipsos misericorditer egisse cum Ebredunensi Antistite, mitigasseque pœnam, quā alioqui merebatur; cuius lenitatis reddunt ibi causas. Et non nemo cogitare poterit, illam temperationem constitisse in communione peregrina sine tot, tantisque rigoribus, quot, quantosque soleret ordinariè habere communio aliorum. Vt vt sit de hac cogitatione, communio peregrina Episcopi Ebredunensis non abstulit ei omnino vsum Eucharistię, imò neque celebrationem Missæ, neque item omnia alia munia Sacerdotum, & Chorepiscoporum, sed ea tantùm, quæ erant propria Episcoporum in sua Ecclesia, & Diœcesi.

842 Quare redacti ad communionem peregrinam siue severiorem, siue mitiorem non arcebantur ab omnibus publicis sacris, neq; à participatione Eucharistiæ, vt de minùs mulctatis fatetur Albaspinæus Observatione 3. destitutus sufficienti authoritate, vt non asserat idem ipsum de severiùs punitis, seu vt distinguat duas species communionis peregrinæ, alteram rigidiorem, & prohibitam ab vsu Eucharistiæ, alteram mansuetiorem, & ab eo vsu non prohibitam. Hactenus non est inventum antiquitatis monumentum, ex quo probari possit, peregrinam aliquam communionem impedijsse sumptionem Eucharistię. Fateor quidem, communionis præfatæ pœnam in Antistite Ebredunensi fuisse blādiorem, quàm quæ est imposita in alijs textibus supra ponderatis, nam illi Antistiti relicta sunt aliqua munia Chorepiscoporum propria, & inter alia offerre ante Presbyteros Ecclesiæ, ad quam accederet. Et quoad ea, quæ relicta sunt illi Antistiti, gesserunt se liberaliter cum ipso Patres Regenses, fuitque lenior communio peregrina, quam in pœnam ei imposuerunt.

843 Ex dictis autem abundè colligitur, communionem peregrinam Episcopi Ebredunensis fuisse longè diversam à Laica, fuisseque maiorem communionem, & minorem pœnam, nam damnatis ad Laicam non erat fas celebrare, neque exercere eas functiones, quas Ebredunensis ille Pręsul exequi poterat. Sed inquit Durantus Libro 2. Capite 55. numero 8. Hæreticis, & Schismaticis Episcopis, aut Clericis, si ad fidem Catholicam venerint, peregrina communio conceditur ex Concilio Regensi: ijsdem verò Laica communio tribuitur apud S. Cyprianum Epistola 68. ad Clerum, & plebes in Hispania consistentes, de Basilide, & Martiale, Epistola 72. ad Stephanum Papam, de Concilio, Epistola 52. ad Antonianum, de Cornelio, atq; Novatiano; apud Cornelium Papam in Epistola ad Fabium Antiochenum Præsulem adducta ab Eusebio Libro 6. Capite 35. apud Innocentium Papam I. Epistola 22. ad Episcopos Macedoniæ, Capite 4. transcripto à Gratiano Canone *Ventum est* 18. 1. quæst. 1.

necnon apud Concilium Carthaginense de baptizandis hæreticis, numero 4. iuncta notatione 18. Iacobi Pamelij. Igitur communio peregrina indistincta est à Laica. Cæterùm Synodus Regensis non tractat causam Antistitis Ebredunensis tanquam hæretici, aut schismatici. Sed etsi eum hoc loco haberet, temperavit rigorem Canonum antiquorum, eique minorem pœnam, quã communionis Laicæ inflixit sequutus exemplum Concilij Nicæni erga Nouatianos. Vnde Duranti discursus nihil convincit.

844 Alterum Decretum Conciliare exprimens vocem communionis peregrinę extat in Concilio Ilerdẽsi, anno 546. Can. 16. vbi dicitur, *Si quisquam post hæc cuiuslibet Ordinis Clericus quacumque occasione de domo Ecclesiæ, vel de omni facultate quidpiam probatus fuerit abstulisse, vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegij, prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei communio animæ* (quæ vox deest in Gratiano) *concedatur.* Hæc verba, & plura alia huius Decreti exarantur à Gratiano Can. *Hæc huius placiti* 38. 12. quæst. 2. Celebratum est Concilium Ilerdense post quadraginta annos à Cõcilio Agathensi, cuius meminit in C. 3. & id circo tam ab Agathensi, quàm à Regensi vetustiori potuit addiscere vocem communionis peregrinę, vt aliqui suspicantur. Sed videtur ex Regensi, fuisse vulgò consueta in Gallia; fortè etiam in Hispania erat vulgaris.

845 Vt vt de hoc sit, Ilerdense Concilium in impositione pœnę cẽseri potest institisse vestigijs Concilij Agathensis, quod in C. 5. vt vidimus, compellat eodem communionis peregrinæ nomine pœnam, quam distringit in furti germanum scelus. Et quia ea pœna non omnino excludebat à communione Clericali, & delictum, de quo Ilerdense Concilium agit, erat valde graue, ideo nonnemo iudicabit, dictũ fuisse, *& vix quoque peregrina ei communio concedatur*, quasi maiorem pœnam, & minorem communicationem mereretur.

846 Et putari potest, communionem, quæ vix conceditur, esse tantùm in fine vitæ, sicut in eo tantùm idẽ Concilium C. 2. permittit illam veneficis, id est, extinguentibus veneno filios suos in vtero, & C. 5. relato C. *Hi, qui altario* 2. 15. 8. Clericis, *qui iterato velut canes ad vomitum reuersi fuerint*, id est, ad copulam carnalem. Sanè cum ante pœnam communionis peregrinæ sacrilegus ille Clericus dicatur damnandus anathemate prolixiori, quæ est cum quadam solemnitate, apparatuque horrifico excommunicatio, & per tempus diuturnum prolongata, prout alijs terminis declaratur in præcitato C. 5. ibi: *Maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixioris tempore ab Ecclesiæ corpore separare*: sequitur, illam pœnam distinctam fuisse à mulcta communionis Laicę (neque enim hęc privabat, vti anathema, à communicatione fidelium) sequitur etiam, communionem concessam post prolixius anathema videri esse communionem in exitu tantùm vitæ. Id quod confirmari potest ex voce *animæ* in Concil. Ilerdensi, prout à multis legitur.

847 Accedit ad hæc, quòd Concilium Valentinum Hispaniç celebratum eodẽ anno 546. quo Ilerdense, decernit C. 3. excõmunicationis pœnam in propinquos morientis Episcopi, si de rebus eius quidpiã vsurpent. Verba Concilij Valentini sunt, [Simili quoque modo parentibus, & propinquis decedentis Episcopi, si intestatus obierit, denuncietur, vt sine Metropolitani, vel Comprouincialium Sacerdotum conscientia nihil de rebus defũcti occupare pertententent, ne fortè in hereditarijs rebus etiam aliqua ad Ecclesiã pertinentia, vel permissa vsurpent: Si quis autem immemor diuini timoris, contra hæc sancita Synodica Clericus, vel Laicus venire improba mente tentaverit, & communione, & consortio priuetur Ecclesiæ, quia durum est, vt ad illam conueniat, quam spoliare nõ metuit.] Sic Valentini Patres. Quamergo pœnam excõmunicationis imponunt, censendum etiam est imponi consimili peccato à Patribus Ilerdẽsibus, ita tamen vt ad communionem peregrinam aperuerint ianuam in articulo mortis.

848 Ex alia autem parte prolixius illud anathema non videtur fuisse excommunicatio maior, tum quia durum apparet, vt Clericus ille vsque ad finem vitæ maneret sine absolutione,

ne, si anteà resipuisset, restituissetque rem ex Ecclesia ablatam: tum quia per excommunicationem maiorem prohibetur societas civilis, & politica cum excommunicato; ast cum Clerico damnato ad communionem peregrinam licebat iuxta plerosque Doctores convictus civilis, & politicus, imò alebatur ipse sumptibus Ecclesiæ.

849 Si dicas, esse id verùm de Clerico, de quo Concilium Ilerdense, postquàm admissus fuisset ad communionem peregrinam, non tamen anteà, quandiu innodatus existeret anathemate. Sed contra, quia si tantùm in exitu vitæ exsolvendus esset anathemate, restat, vt declares, quid tunc ipsi præstarerur per eam communionem, an buccella panis, vel sorbitiuncula ex bonis Ecclesiæ, priusquàm exhalaret animam? An Sacramenta Pœnitentiç, Eucharistiæ, Extremæ vnctionis? Passim Canones admittunt ad communionem Sacramentorum in fine vitæ eos, qui deliquerunt, & quos extra mortis articulum excluserant ab Eucharistia; nunquàm tamen vocant peregrinam eã communionem, ad quam admittunt siue Laicos, siue Clericos criminosos in illo articulo.

850 Enimverò voci *Anathema* non multùm insistendum est, vt ex ea moveatis ad tantam severitatem præsumendam in Concilio Ilerdensi. Sicut enim vox *Excommunicatio* sæpe sumitur pro sola remotione à suscipienda Eucharistia, vt post Gratianum ad Can. *Ad mensam* 24. §. *Euidenter*, 11. quæst. 3. notat Suarez Disp. 24. de Censuris, sect. 1. num. 6. ex C. *Nemo Episcoporum* 41. 11. quæst. 3. Cap. *De Presbyterorum* 23. 17. 4. additque Alterius Lib. 1. de Censuris Disp. 4. C. 1. §. *Hæc sententia* C. *Accedens* 10. Dist. 50. egoque addo Moguntinam Synodum sub Rabano C. 31. Sicut etiam eadem vox multoties significat solam privationem à consortio aliquorum fidelium in quibusdam functionibus, vt constat ex C. *Placuit* 10. Dist. 18. C. *Si quis* 2. Dist. 58. C. *Quorundam* 1. Dist. 34. C. *Placuit* 3. 6. quæst. 2. C. *Si quis* 12. *Si Episcopus* 13. *Si quis Episcoporum* 14. Dist. 18. Quos textus colligunt Alterius supra, §. *Sed contra opponi potest*, & Gibalinus de Censuris Disquisitione 1. quæst. 2. num. 6. Addique possunt Can. 16. Concilij Nicæni I. iuncta declaratione Zonaræ, & Balsamonis, necnon C. 9. Synodi Neocæsariensis, præterea Can. 2. Concilij Ilerdensis, in quibus Canonib⁹ nec Clerici excommunicantur simpliciter, nec deponuntur, sed iubentur abstinere à communione in nonnullis Officijs sacris. Sicut item eadem vox non rarò vsurpatur pro pœna segregationis à quorundam consortio ad præfinitum tempus, quo elapso cessaret sine interuentu absolutionis, vt observare est ad C. *In loco* 4. V. quæst. 4. C. *Episcopi* 8. 11. quæst. 3. C. *Neminem* 2. Dist. 45. ad Concilium Emeritense C. 7. ad Toletanum 11. C. 15. & ad Toletanum 12. C. 12. Quæ significationes vocis *Excommunicatio* nõ sunt strictæ, & propriæ, sed laxæ, & impropriæ, considerata excommunicatione siue maiori, siue minori, vt optimè docent Suarez, Alterius, & Gibalinus supra.

851 Ita nomen *Anathema* potest sumi in Concilio Ilerdensi non tam rigorosè, ac communiter solet, sed latè, & amplè pro separatione à Clero vel in totum, vel penes aliquam functionem. Quo sensu Canon Trullanus 82. anathematizans addentes cum Petro Cnaphæo Episcopo Antiocheno ad hymnum trisagium verba illa *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri*, subiungit, *Et si est quidem Sacerdotalis Ordinis, qui transgressus est, eum Sacerdotali dignitate priuari iubemus: sin autem Laicus, vel Monachus, segregari.* Vbi vides pœnam in Sacerdotibus anathematizatis esse exauthorationem, & depositionem à Sacerdotio, non verò excommunicationem maiorem, nedum solemnem, sed neque simplicem. Et plerisque in confesso est, anathema aliquando non significare nisi excõmunicationem maiorem simplicem, vt colligitur ex C. 12. *Engeltrudam* 3. q. 4. & ex adnotatis à Suario Disput. 8. de Censuris, sect. 2. num. 9. Alterio Lib. 1. Disp. 2. Cap. 1 §. *Verùm sententia*, Raynaudo de Monitorijs parte 2. C. 7. num. 2. Cur ergo quandoque nõ significabit aliquid minus excommunicatione maiori etiam simplici? Imò sic significare in C. illo *Engeltrudam*, conatur meritissimus nũc temporis Inquisitor in supremo Hispaniarum sacro Tribunali Doctor D. Nicolaus Rodriguez Fermosinus, vir quidem consummatæ peritiæ in vtroque

que

que Iure, ad C. *Cum non ab homine* 10. de Iudicijs, quæst. 32. num. 15. & sequentibus, pag. 233. post celebrem, primariumque Iuris Pontificij Præceptorem Salmantinum D. Ioannem de Valboa ad textum in C. *A nobis* 2. de Exceptionibus num. 93. pag 34.

852 Sed demus, in Concilio Herdensi anathema significare excommunicationem maiorem, eamque solemnem; adhuc non constat, verba illa, *Et vix quoque peregrina ei communio concedatur*, esse continuationem pœnæ anathematis, & non potiùs mitigationem. Possunt enim sic intelligi, vt post prolixiõ anathema, & ab eo absolutionẽ succedat peregrina communio, tanquã pœna quidem, sed mitior; & quia sacrilegus fur indignus erat hac indulgẽtia, & benignitate, ideo dicatur, concedendam vix fore ipsi peregrinam cõmunionem. Hactenus in omnem partẽ versavi textus superstites de communione peregrina, disputavique de eorum apicibus, quin ex eis eruere possim certò, & constanter, quidnam esset præfata communio, quibus bonis priuaret, & quorum participationem permitteret Clericis ad ipsam redactis. Materies est, in qua facilius videatur refutare explicationes aliorum, quàm exprimere propriam, cui Lectorum favor, & studium sperari queat. Producam tamen in litterarium theatrum meas suspiciones, nec enim sententiæ loco haberi volo, quod dixero.

SECTIO LIII.

Coniectura nostra de communione peregrina.

853 SCIENDVM principiò est, impositas olim fuisse Clericis in pœnitentiam peregrinationes religiosas siue perpetuas, siue ad certum tempus. Constat id ex Can. *Si quis homicidium* 41. Dist. 50. vbi dicitur, *Si quis homicidium fecerit, si Episcopus est, XV. annis pœniteat, & deponatur, cũctos quoque dies vitæ suæ peregrinãdo finiat*, &c. Affert hunc Canonem Gratianus ex Concilio Maticensi. Sed nulla Concilij sub isto nomine notitia extat. Sunt qui legant *ex Concilio Matisconensi*. Verumtamen in tribus Concilijs Matisconensibus, quibus fruimur, nihil tale reperitur. Collectio Anselmi Lib. 11. C. 34. meminit eiusdem Canonis, vt refertur in margine Decreti ex correctione Gregoriana; me latet, cui Cõcilio illum attribuat Anselmus. Cuiuscumque sit, habet in Gratiano notã *Palea*.

854 Rursus constat de ijsdem peregrinationibus ex C. 9. *Si quis Sacerdos* 30. quæst. 1. Verba Canonis sunt, *Si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat, se graue adulterium commisisse. Idcirco femina, si Laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conuersa in Monasterio Deo vsq; ad mortem seruiat. Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pœniteat, postea verò ad Monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ Deo seruiat.* Ita S. Cœlestinus Papa I. in cuius tamen Epistolis, vel Decretis non invenitur hic Canon. Cui adnecto ex Burchardo L. 6. C. 9. alium cuiusdam Concilij Turonici, *Nunciatum est nobis* (sic ibi) *quòd aliqui olim dixerunt, se fuisse Sacerdotes, & postea degradati, pro suis peccatis pœnitentiam agendo, suffragia Sanctorum per diuersa loca transeuntes quæsierunt, trucidati sunt*, &c. Adiungo etiam C. 32. *Pessimam* 23. quæst. 8. vbi de incendiario Concilium Lateranense anno 1139. sub Innocentio II. Papa, & ex hoc Cõcilio Synodus Rhemensis anno 1148. C. 15. *Pœnitentia ei detur, vt Hierosolymis, aut in Hispania in seruitio Dei per annum integrum permaneat.*

855 Communio, ad quam admittebantur Clerici sic ex pœnitẽtia peregrinantes, dicta forsan fuit peregrina, & ad eius similitudinem illa etiam, cuius participes erant Clerici aliqui mulctati ob sua scelera; sed non obligati deserere suam Ecclesiam, ac domicilium. Et quidem cum communio peregrina inflicta fuerit Clericis in pœnam, aptè videtur origo nominis revocari in communionem, quæ concedebatur illis, quando ex Iniuncta pœnitentia peregrinabantur ad loca pia; saltemque hæc derivatio magis congruit, quam cæteræ supra memoratæ, in quibus solùm habetur ratio peregrinorum

norum vtcumque: estque creditu difficile, quosvis Clericos peregrinos receptos fuisse in partibus, ad quas accedebant, communione, quę saperet pœnam, ac supplicium; sed de peregrinis ex pœnitentia, verisimile admodùm apparet. Quos habitus ipse asperior cum baculo, & pera benedictis, & litteræ suorum Episcoporum manifestabant satis, peregrinos esse ex pœnitentia. Et licet Laici etiam ex hac obirent peregrinationes; nihilominus diversa erat communio, ad quam hi, & illi admittebantur, vt ex dicendis elucescet. Nec de nomine plura: nec de sacris alijs peregrinationibus vel verbum vnũ post eruditissimos de eis libros Iacobi Gretseri, post Theophilum Raynaudũ in Heteroclitis spiritualibus Sect. 2. punct. 9 de sacrarum peregrinationum heteroclisibus, & post Laurentium Beyerlinck in Theatro magno vitæ humanæ tomo 6. V. *Peregrinatio* ex pag. 174. vsque ad 203.

856 Sed qualis erat illa communio Clericorum peregrinorum ex pœnitentia? Hoc opus, hic labor est. Respondeo, fuisse communionem, quę supponebat depositionem, & exauthorationem à gradu Clericali, quem anteà haberent, vt clarè liquet ex allatis textibus. Non debebat semper esse totalis ea depositio, & neque ipsa pœnitentia, ex qua suscipiebatur peregrinatio, debebat solemnis esse, sed sufficiebat merè publica, vt distincta à privata, & secreta: quin imò peregrinatio erat vna ex speciebus pœnitentiæ publicæ sine solemnitate, & vt talis refertur ab Hostiensi Lib. 5. Summæ, Rub. de Pœnitentijs, & remissionibus num. 55. §. *His prælibatis*, à Turrecremata, Præposito, & à Gregorio Lopez ad leg. 20. tit. 4. Part. 1. vbi ait Rex Alfonsus Sapiens, *Publica es llamada otra manera de penitencia, que se face concegeramente. E esta es, quando mandan à alguno, que vaya en romeria: E esta penitencia puede dar qualquier Clerigo Missacantano. E pueden la poner tambien à Clerigo, como à Lego.*

857 Depositionis partialis ab officio, quatenus qui in superiori erat, detruderetur ad inferiorem gradum Clericalem, occurrunt non pauca exẽpla in Conciliis, vt in Toletano I. C 4. in Bituriensi C. 5. in Nicæno I. C. 8. in Neocęsariensi C. 10. in Trullano C. 20. in Rhemensi sub Leone Papa VIII. sed dicto vulgariter IX. anno 1049. Sessione 3. vbi de Nivernensi Episcopo, in Conciliabulo Romano sub Leone VIII Antipapa, anno 964. vbi de Benedicto Papa V. cuius historia cautè legenda est apud Luitprandum Lib. 6. de rebus Imperatorum, & Regum C. 11.

858 Potuit itaque partialis esse depositio Episcopi peregrini, de quo in C. *Si quis homicidium*, ita vt dejiceretur à gradu Episcopatus. Potuit etiam partialis esse depositio Sacerdotis peregrini, de quo in C. *Si quis Sacerdos*, ita vt amisso gradu Sacerdotali, seu eius munijs contineretur in Diaconatus gradu. Quanquàm pœnitentia, non temporaria, vt triennij in C. 47. Concilij Toletanij IV. sed perpetua, & ad finem vsque vitæ reclusio in Monasterio sit probabile indicium depositionis totalis, vt colligitur ex C. *Sacerdos* 7. C. *Dictum est* 8. Dist. 81. C. *Si Euangelica* 13. Dist. 55. C. *Sicut dignum* 6. §. *Clericos*, de Homicid. volunt. vel cas. C. *Tuæ discretionis* 6. de Pœnis, C. *De lapsis* V. 16. quæst. 6. C. *In primis* 7. 2. quæst. 1. C. *Omnis ætas* 1. 12. quæst. 1. C. *Clerici, qui* 5. 23. quęst. 8. C. *Omnis vtriusque sexus* 12. de Pœnit. & remis. C. *Clerici* 4. de Excessib. Prælat. C. *Placuit, vt si quis* 2. 21. quæst. 2. Concilio Toletano VII. C. 3. Toletano VIII. C. 6. & 7. Epaunensi C. 21. Narbonensi C. 6. & ex alijs antiquis monumentis collectis à Gibalino Disquisitione 3. de Clausura Regulari, C. & §. 2. præsertim cum reclusio illa fuerit nonnunquam associata solemni pœnitentiæ, ita vt in posterum non liceret promovere reclusum ad Presbyteratum, vt constat ex C. *Si ille* 58. Distinctione 50. Plerumque tamen Clericorum ad Monasteria amandatio publicam, non solemnem, pœnitentiam adiunctam habebat, vt docet Bellarmin. Lib. 1. de Pœnitentia C. 21. V. *Tertiò pœnitentia.*

859 Prætereà vltrò fatendum est, Clerici peregrini ex pœnitentia depositionem fuisse aliquando totalẽ, ipsamque pœnitentiam fuisse publicã, non solemnem. Sic enim persuadet singularis textus in Can. *Sacerdos* 2. de Pœnitentia Dist. 6. *Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur, peccata alicui reciret, non propinquis, non extraneis,*

neis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. Vbi vox ignominiosus denotat depositionem non modo ab officio Sacerdotali, sed ab omni etiã Clericali, atque adeò depositionem totalem; exprimit item publicam pœnitentiam, quæ aliena non erat à Clericis, si depositi essent, vt patet à fortiori ex solemni pœnitentia Clericorum iam depositorum fundata in multis textibus, & agnita à plerisque Interpretib⁹ Canonici Iuris.

860 Totalis autem depositio adimebat spem restitutionis, vt compertum est ex CC. *Si lapsis* 1. *Qui semel Presbyterum* 3. *Peruenit* 9. Distin. 50. C. *Veritatis* 8. de Dolo, & contumacia, C. *Et si Clerici* 4. de Iudicijs. Secus contingebat in depositione partiali; quam voca, si mavis, suspensionem. Et neutra debebat privare susceptione Eucharistiæ extra Missæ celebrationem, si depositio erat ab vsu officij Sacerdotalis; nam si ab hoc vsu non erat, poterat depositus Episcopus Eucharistiam suscipere celebrando Missam, tanquàm Sacerdos privatus.

861 Aliquando quidem cum pœna depositionis coniungebatur pœna privationis Eucharistiæ; sed nisi hæc alia pœna clarè infligeretur, & ob grauissima crimina, neutiquã subintelligebatur. Vnde in C. 24. Apostolorum dicitur, *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus in fornicatione, aut periurio, aut furto deprehensus deponitor, non tamen à communione excluditor. Dicit enim Scriptura, bis de eodem delicto vindictam non exiges.* Sanctus Basilius in Epistola ad Amphilochium C. 3. & 32. reddit eandem rationem, additque aliam in C. 3. *Quòd* scilicet *qui sunt quidem in ordine Laico, à loco fidelium electi, rursus in eum, ex quo ceciderunt, recipiuntur. Diaconus verò semel habet, quod sufficiat, depositionis iudicium. Tanquàm ergo ei non reddendo Diaconatu, in ea sola punitione steterunt.* Videantur Zonaras, & Balsamon ad C. 24. seu 25. Apostolorum, & ad C. 3. & 32. Sancti Basilij: qui etiam notant, quod & nos, pœnæ depositionis fuisse nonnunquam ob enormia scelera associatã pœnam excommunicationis, privationisque proinde Eucharistiæ, vt in C. 29. & 30. Apostolorum, in C. 20. Concilij Iliberritani relato à Gratiano C. *Si quis Clericorum* V. Distinctione 47. in C. 8. Concilij Aurelianensis III. in Epistola 7. Felicis Papæ III. ad vniversos Episcopos V. *Vt ergo*, in C. 1. Concilij Neocæsariani (vbi legendus est Balsamon) in Epist. 14. Lib. 2. S. Gregorij Magni, cuius Epistolæ pars transcribitur à Gratiano C. 40. *Eum, qui 7.* quæst. 1. Sed communiter pœna depositionis non afferebat, vt dixi, pœnam excommunicationis, atque adeò neq; privationis Eucharistiæ, vt in Concilio Aurelianensi III. C. 7. & 8. in Aurelianensi V. C. 4. & alibi passim.

862 Atque hinc Canones adducti de Clericorum depositorum peregrinatione ex pœnitentia publica, non solemni, haudquaquã nos cogunt, vt asseramus, eos Clericos fuisse excõmunicatos, orbatosve participatione Eucharistiæ, nam de huiusmodi pœnis non fit vlla mentio in illis Canonibus. Quòd si non tantùm C. *Sacerdos* 2. de Pœnitentia Distinctione 6. sed etiam C. *Si quis homicidium* 41. Dist. 50. C. *Si quis Sacerdos* 9. 30. q. 1. & C. Concilij Turonici supra allegatum ex Burchardo libeat cui intelligere depositione totali, adhuc neque pœna excommunicationis, neque pœna privationis Eucharistiæ tenuit Clericos, de quibus in illis habetur sermo, sed sola pœna communionis Laicæ. Si autem non modò CC. secundo, tertio, & quarto, sed etiam primo loco memoratos placeat interpretari de partiali depositione, possent præfati Clerici suscipere Eucharistiam communione altiori, quàm Laica. Sic in Concilio Aurelianensi III. C. 6. 15. & 25. & in Aurelianensi IV. C. 10. suspenduntur Episcopi à Missæ celebratione per sex menses, aut per annum ob Ordinationes quasdam non ritè factas, quin tamen excommunicarentur, nec interdiceretur eis accessus ad Eucharistiam more aliorum Clericorum non sacrificantium. Sic Sanctus Basilius C. 27. Epist. ad Amphilochium, & Synodus Trullana C. 26. transcripto in C. *Presbyterum* 16. Dist. 28. censuerunt de Presbytero, *qui per ignorantiam nefarijs nuptijs implicatus est, esse quidem cathedræ participem* (id est, honoris, vt sedeat cum Presbyteris, iuxta Balsamonis commentarium) *à reliquis autem actionibus abstinere, ei enim sufficit, vt*

veniam

veniam consequatur. Vt is autem alijs benedicat, qui sua debet vulnera curare, non est consentaneum:: Nec ergo publicè, nec priuatim benedicat, nec Christi corpus alijs impertiat, nec aliquod aliud sacrum ministerium obeat, sed quòd præsideat contentus alijs, & Christo defleat, vt sibi ignorantiæ peccatum condonetur. Et in Ancyrana Synodo C. 1. relato C. *Presbyteros* 32. Distinctione 50. dicitur de Presbyteris, qui atrocitate tormentorum superati sacrificarunt Idolis, & postea contrà reluctati sunt, *Visum est, eos cathedræ quidem honoris esse participes, non licere autem ipsis offerre, nec sermonem conferre, vel omnino Sacerdotale aliquod munus obire*: similiterque de Diaconis C. 2. *alium quidem honorem habere; ipsos autem ab omni sacro ministerio cessare, & panem, vel calicem deferendi, vel prædicandi*. Videantur etiam Synodus Neocæsariensis C. 9. vbi Sacerdoti cuidam prohibetur offerre, sed conceditur, vt maneat in alijs munijs Sacerdotalibus; C. item *Studeat* 39. C. *Qui sub gradu* 31. Distin. 50. C. *Si quis Presbyter* 4. 15. quæst. 8. Concilium Cæsaraugustanum 11. Can. 1.

863 Quibus prænotatis, arduum non est, competenter ad diuinationem nostram de communione peregrina explicare duos Canones, qui de ea loquuntur. C. quidem *Contumaces* 21. Dist. 50. eam tribuit Clericis, non occluso aditu ad regressum in gradum Clericalem antiquum post peractam publicam pœnitentiam: quare depositio fuit partialis; & quàuis totalis fuisset, potuerunt participes esse Eucharistiæ digniori modo, quam Laici. Can. *Clerici* 11. 13. quæst. 2. nihil continet, quod cum nostra coniectura non aptè quadret.

864 Similiter conuenienter explicari queunt duo Decreta Conciliorum Regensis, & Ilerdensis. Prioris nempe, quatenus Armentarius depositus fuerit partialiter, & ipsi deiecto è gradu Episcopi, & relicto in statu Chorepiscopi concessa sit communio peregrina, ita vt posset participare Eucharistia, imò & sumere illam more Sacerdotali, exercereque functiones nõ tantùm Sacerdotis simplicis, sed etiam Chorepiscopi. Et vt se gesserunt Patres Regenses cum Armentario, sic ferè Ephesini cum Eustathio Metropolita olim Pamphyliæ, de quo à Comprouincialibus deposito decernunt hunc in modum, *Absque omni contradictione, & nomen retineat Episcopi, & honorem, & communionem: ea tamen lege, vt neque ordinandi ipse authoritatem habeat, neque vbi in illam Ecclesiam venerit, ex propria sacerdotis authoritate: nisi id sibi vel adiuuandi causa, vel concessionis ratione, affectu, amoreque Christiano à fratre, & Coepiscopo, si ita contigerit, liberaliter deferatur*. Ita In Act. 7. in Epist. ad Synodum Pamphyliæ.

865 Posterioris Concilij, id est, Ilerdensis Decretum non tam depositionem Clerici, quam excommunicationem innuit, & post absolutionẽ ab ea vix, ægrèque permissam admittit illum ad peregrinam communionem. Potuit ea excommunicatio esse sine depositione totali, vt in C. 58. Apostolorum, vbi legimus, *Si quis Episcopus, aut Presbyter Clerico ex inopia laboranti necessaria non suppeditauerit, à communione reijcitor:: sin perseuerat, deponitor, vt qui fratrem suum necauerit*: quæ depositionis pœna proinde significatur esse maior, scilicèt ob perpetuitatem, quã ex se afferebat, quippe adimebat spem recuperãdi gradum Clericalem deperditum; non sic excõmunicatio coniuncta etiam cum pœnitentia publica, non solemni, vt patet ex Concilio Iliberritano Can. 76. dicente, *Si quis Diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando cõmiserit, si sponte fuerit confessus, placuit, eũ, acta legitima pœnitentia, post triennium accipere communionem. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem Laicam debere*. En in casu spontaneæ confessionis restituitur Diaconus ille post triennalem pœnitentiam publicam, non solemnem, ad communionem, Christianam scilicet, & Ecclesiasticam antiquam; ast in casu detectionis ab alio, permittitur ei sola communio Laica post quinquennalem pœnitentiam.

866 Si in Decreto Concilij Ilerdensis prolixius anathema non significet excommunicationem maiorem sed depositionem, poterit cum hac cõiungi communio peregrina, & habere commodissimum sensum particula *Quoque* in eis verbis PP. Ilerdensium, *Prolixiori anathemate condemnetur, &*

vix

vix quoque peregrina ei communio conecratur. Voce autem *Anathema* significari nonnunquam solam depositionē, monet Morinus Libro 2. Exercitationum Ecclesiasticarum in 9. & aliquando solam privationem communionis Eucharistiæ, vt deducitur ex CC. 82. & 92. Trullanis, & ex 27. Chalcedonensi relato *C. Eos, qui rapiunt* 1. 36. 2. Hæc habui, quæ de communione peregrina proferrem, & relinquerem in medio, paratus amplecti cogitationem aliquā præcedentium, aut subsequentium Authorum, si in posterum noscam, aut ipsi ostenderint, consonantiorem esse sacris Canonibus: quod si fecerint, referam eis ingentes gratias.

SECTIO LIIII.

Miscellanea de benedicto pane, qui quandoque erat vicarius communionis Eucharistica.

867 AD complementum tractationis de communione populi facta à Sacerdote celebrante spectat hæc discussio. Balsamō in 2. Canonē Synodi Antiochenæ anno 341. vbi præcipiebatur, vt Eucharistiā sumerent quotquot intererant Missæ, ait, [Puto autem, ex hoc Canone esse inventam, atq; excogitatam antidori distributionem, vt necesse haberent ij etiam, qui non possunt sanctorum, & vivificorum mysteriorum esse participes, ad finem vsque mysteriorum perseverare, & ipsum è manu Sacerdotis ad sanctificationem accipere.] Concordat cum Balsamone Durandus Lib. 4. Rationalis C. 53. num. 3. inquiens, vsu receptum esse, [vt pro communione, quæ singulis diebus Dominicis dari solebat, daretur in diebus Dominicis panis benedictus, sanctæ communionis vicarius, qui & eulogia dicitur.]

868 Panis tamen benedicti vsus multò antiquior in Ecclesia saltē Latina est, & alia eius origo agnosci debet, nam Pius Papa I. qui ad Pontificiam sedem promotus est anno 167. decrevit, [vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationibus, quæ supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis, Presbyter conveniens ex partes incisas habeat in vase nitido, & convenienti, vt post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant; quæ cum benedictione priùs faciat.] Sic refertur in Codice 5. librorum Lib. 2. C. 117. in Burchardo Lib. 3. C. 27. in Ivone parte 2. C. 37. attribuuntque hoc Decretum Pio Papæ; quanquam eisdē prorsus verbis extet Canon 9 Concilij Nannetensis celebrati multa post sæcula.

869 Prætereà Melchiades Papa, qui sedere cæpit anno 311. [fecit, vt oblationes consecratæ per Ecclesias, ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum,] vt legitur in libro Pontificali: in quo etiam de Siricio Papa assumpto ad Petri cathedram anno 385. [Constituit, vt nullus Presbyter Missas celebraret, per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.] Quæ duo valde obscura loca accipiunt lucē ex Innocentij I. creati Papæ anno 402. Epist. 1. ad Decentium Eugubinum Episcopum, num. 5. [De fermento verò, quod die Dominico per Titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcircò fermentum, à nobis confectum, per Acolythos accipiunt, vt se à nostra communione, maximè illa die, non iudicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longè portanda sunt Sacramenta, nec nos per cæmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus; & Presbyteri eorum conficiendorum ius habeant, atque licentiam.] Sic Innocentius. Huiusmodi fermentati panis benedicti mentionem facit Rituale quoddam antiquum apud Baronium an. 313. n. 49 his verbis, *Quinta Dominica in Quadragesima, Sabbatho, datur fermentum in Consistorio Lateranensi.*

Ad

870 Ad hæc: in Concilio Laodiceno sub Sylvestro C. 14. iubetur, ne *Sancta instar benedictionis* (id est, eulogiarum, & panis benedicti) *in festo Paschæ in alias Parochias transmittantur*: quæ verba repetuntur à Photio in Nomocanone titulo 13. C. 16. Rursus dicitur C. 32. eiusdem Concilij Laodiceni, & exinde à Photio in Nomocanone tit. 12. C. 9. à Martino Bracarensi C. 70. relato C. *Non liceat Clericis* 67. 1. quæst. 1. *Non oportet hæreticorum benedictiones* (seu eulogias, panemq; benedictum) *accipere, quæ sunt potius maledictiones, quàm benedictiones.* Additurque in eodem Concilio Laodiceno C. 49. *Non oporter in Quadragesima panem offerri, nisi Sabbatho, & solis Dominicis.* Et de pane benedicto intelligunt Baronius supra num. 53. & Binius in notis ad vitam Melchiadis Papæ verba illa Indiculi directi à Ioanne Episcopo, vel ab Epiphanio Presbytero de Thessalonica ad Hormisdam Papam (inter cuius Epistolas habetur) vel ad quempiam alium, [Item dicendum, si hæretici non sunt, quomodò tanta Sacramenta confecerunt, vt canistra plena omnibus erogarent, ne, imminente, sicut dicebant, persequutione, communicare non possent?] Sed non video, cur accipienda non sint de Eucharistia. Etsi enim vox *Sacramenta* non sit sufficiens indicium, vt docemur ex Innocentio proximè transcripto, vbi vsurpatur latè pro signo tantùm Catholicæ vnionis, Sacerdotalibus precibus benedicto, nec enim panis fermentatus assumebatur in Ecclesia præsertim Romana, ad conficiendam Eucharistiam; & Sanctus Augustinus Lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione Cap. 26. dicit, [Non vniusmodi est sanctificatio, nam & Catechumenos secundùm quendam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositione puto sanctificari, & quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius, quàm cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est.] Verùm tamen nihil est, quod non rectè congruat in Indiculo cum Eucharistia, & cum prisco vsu deferendi eam in ædes suas privatas, maximè tempore persequutionis.

871 Georgius Codinus Cap. 17. de Officijs Constantinopolitanis describens coronationem Imperatoris inquit num. 45. [Postquàm diuinorum mysteriorum particeps effectus est, imposita rursus capiti corona, egreditur ex tabernaculo, finitaque Liturgia, & populo pane sanctificato, quod antidorum nominamus, distributo, de quo postquàm & ipse participavit, & benedictionem à Patriarcha, cæterisque præsentibus Episcopis accepit, eorumque manus deosculatus est, ascendit ad locum Catechumenorum.] Quo ex testimonio Codini clarè liquet, apud Græcos, benedictum panem fuisse impertitum ijs etiam, qui Eucharistiam susceperant. Loquitur de eo idem Codinus Capite 6. num. 28. Et de processione solemni, quæ ante distributionem fiebat cum eo delato à Diacono in disco super caput, qua de causa dicebatur *panis exaltatus*, legendus est Simeon Thessalonicensis in Libro de Templo: vt & de oratione, qua olim apud Latinos benedicebatur, videndi sunt Burchardus, atque Ivo supra.

872 Nomocanon Nestentæ concedebat, v in toto pœnitentiæ tempore, in Christi Nativitate, & Epiphania, & in tribus Paschæ diebus, vel in magna quinta feria, & magno Sabbatho, & magno Dominico, & in memoria Sanctorum Apostolorum pro communione participes pœnitentes existant sanctificationis illuminationum, & sic ieiuniũ solvant, alij quidem caseo, & ovis, mundani verò carne.] Vbi per *sanctificationem illuminationum* non baptismus, qui à Patribus apud Vicecomitem Libro 1. de eo, C. 3. vocari solet *illustratio, illuminatio, lumen*, sed cum Landtmetere Libro 2. de Vetere Clerico Monacho Cap. 93. pag. 267. intelligendus est panis benedictus.

873 De quo accipi debent Monachi rogantes ad Constantinopolitanam Synodum tempore Patriarchæ Nicolai, & Imperatoris Alexij Comneni, [An oportet, eos, qui à sancta donatione sunt prohibiti, comedere exaltatas oblationes?] Eis autem respondet Synodus, [Invenimus in Sancti Theodori Siceotæ vita (quæ legitur apud Surium 22. Aprilis) eos

fuisse prohibitos.] Nos etiam legimus in vita Sancti Albini Episcopi Andegavensis apud Surium die 1. Martij, [Cum rogaretur, vt eulogias, quas reliqui Antistites ad personam communione suspensam dirigentes benedixerant, vt & ipse signaret, ait ad Sacerdotale Concilium, etsi ad imperium vestrum ego signare compellor, dum vos causam Dei recusatis defendere, ipse potens est vindicare. Quo facto, antequàm eulogias excommunicata persona susciperet, expiravit, & priusquàm portitor perveniret, sermo Sacerdotis obtinuit: qui etiam ad B Cæsarium Arelatensem Præsulem pro eadem causa consulturus occurrit.] Legimus etiam in Sancto Gregorio Turonensi Lib. 5. Hist. Francorum Cap. 14. de Moroveo filio Chilperici Regis, à quo ob contractum incestuosum coniugium captus, & relegatus in Monasterium Cenomanicum, jussusque tonsurari, & Presbyter fieri, sed ipse aufugiens è custodia, confugiensque Turonos [operto capite, induruisque veste sæculari expetijt templum B. Martini. Nobis autem Missam celebrantibus, inquit Sanctus Gregorius, in sanctam basilicam, aperta reperiens ostia, ingressus est. Post Missas autem petijt, vt ei eulogias dare deberemus. Erat autem tunc nobiscum Ragnemodus Parisiacæ Sedis Episcopus, qui Sancto Germano successerat. Quod cum refutaremus, ipse clamare cæpit, & dicere, quòd non rectè cum à communione sine fratrũ conniventia suspenderemus. Illo autem hæc dicẽte, cum consensu fratris, qui præsens erat, contestata causa Canonica, eulogias à nobis accepit. Veritus autem sum, ne, dum vnum à cõmunione suspendebam, in multos existerem homicida. Minabatur enim, aliquos de populo nostro interficere, si communionem nostram nõ meruisset. Multas tamen pro hac causa Turonica regio sustinuit clades.]

874 Cæterùm Balsamon ad præcitatam quæstionem Monachorum ait, [Exaltati panis fragmentum non accipere, qui divinorum Sacramentorum esse participes sunt prohibiti, actu fieri videmus: existimo autem, quod mulieres, etsi prohibitæ fuerint sanctis communicare, exaltati tamen panis fragmentum accipere non vetabuntur. Nam in diversis etiam Canonibus dicit Basilius (præsertim in 34. inter alios Epistolæ ad Amphilochiũ) mulieres, quæ lapsæ sunt, & præterea Ecclesiasticę excommunicationis pœna tenentur, & à sancta quidem participatione alienari, sed ab Ecclesiastica communione, vt viros, non alienari, ne non bona de eis suspicio exoriatur, & propterea traducantur. Si itaque non datum eis fuerit in Ecclesia existentibus exaltati panis fragmentum, cognoscetur protinus malum, propter quod sancta communione dignæ non habentur. Quod non vult Sanctus.] Hactenus Balsamon.

875 Sed numquid Catechumenis daretur eulogia, seu panis benedictus? Theophilus Patriarcha Alexandrinus in Commonitorio ad Ammonem C. 7. inquit, [Quæ in Sacrificij rationem offeruntur, post ea, quę in sanctorum vsu consumuntur, Clerici dividant, & nec Catechumenus ex eis bibat, vel comedat, sed solùm Clerici, & qui cum eis sunt fideles fratres.] Sic Theophilus, quem apud Baronium anno 412. num. 44. S. Leo Papa nominat *sanctæ memoriæ*, & *Probatissimum Præsulem*; Paulus Emesenus *Magnum*, & *columnam rectæ doctrinæ*, Acta Concilij Ephesini 1. tomo 2. ex editione Theodori Peltani pag. (mihi) 361. *Sanctissimum*; Authores etiã de Vitis Patrum ex editione Heriberti Rosvveydi Lib. 4. libello 2. num. 4. *beatæ memoriæ*, libel. 3. num. 5. *sanctæ memoriæ*, Lib. 10. C. 195. *Beatissimum Patriarcham*, & S. Thomas 3. p. q. 5. art. 2. ad 3. vocat absolutè *Sanctum*. Sed etsi, (vt ex Sancti Leonis Papæ, alijsque elogijs principaliùs dignitatem, quàm personam concernentibus noscitur) Patriarchæ Theophili memoria recepta sit in Ecclesia Catholica cum honore, postquàm constitit, morientem adorasse imaginem Sancti Ioannis Chrysostomi, quem vivum, & defunctum fuerat acerrimè persequutus, in catalogo tamen Sanctorum cõsignatus non est ab eadem Ecclesia, ideoque *Sanctus* absolutè appellari nõ debet, vt inter alios advertit novissimè Rever. P. F. Petrus de Alba, & Astorga,

torga, stupendæ, & indefessæ lectionis Theologus, in Sole veritatis pro sacratissima Deipara immaculatè concepta, de qua est optimè meritº Scriptor Frãciscanus, si quis alius præsenti sæculo, & quatuor alijs antecedentibus, Veritate 294. pagina 801. & 802. Rationem, ob quam Theophilus excludat Catechumenos à participatione panis, & vini benedicti, reddit Balsamon his verbis, [quia enim altari oblata sunt, & ad divina dona ex illis partes sumptæ sunt, quomodò ijs, qui sunt imperfectiores, dabuntur cosumenda?

876 Vt autem Theophili Canon meliùs intelligatur, adiungo 5. interrogationem Monachorum ad Synodum Constantinopolitanam tempore Patriarchæ Nicolai, responsionem Synodi, & scholium Balsamonis. Interrogatio fuit, [An oportet, ea, quæ in Ecclesia offeruntur, vt oblationes, panem scilicet, & vinum, Sacerdotem indiscriminatim comedere, & an tanquã panem communem debet hæc comedere, & si multa eiusmodi collecta fuerint, quid oportet hic facere?] Respondit Synodus, [Exaltatæ quidem oblationis fragmenta nequaquam, sed in sola debent Ecclesia comedi, donec vniversa consumpserint: quæ autem ex alijs supersunt, non cum lacte, & caseo, & piscibus, sed separatim, & per se.] Pro cuius responsionis declaratione adducit Balsamon Canonẽ Theophili, notatque, in eo non definiri de fragmentis, quæ restant de sancto pane exaltato, & reliquis; nec præcipi, quomodò ijs vti oporteat; at Synodum divisisse eorum cõsumptionem in duo; siluisseq; de vino oblato: quod tamen ipsum, similiter ac panes, consumendũ voluit Theophilus; & rectè, cum sit sanctificatum, etsi non vocetur exaltatum, vt panis, quia scilicet in processione solẽni nõ elevabatur super caput, sed in calicibus deportabatur ad pectus à Sacerdotibus, vt tradit Simeõ Thessalonicensis in L. de Templo §. de Missa fidelium.

877 Redeo ad Catechumenos. Quibus distributum fuisse panem benedictum, indicat S. Augustinus in verbis supra transcriptis ex Lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione Capite 26. nõ enim videntur intelligi aptè de Catechumenorum tale, siquidem non sit cibus, quo alamur, sed ciborum condimentum; neque de lacte, & melle, non enim dabantur Catechumenis, sed recèns baptizatis siue infantibus, siue adultis, (de quibus posterioribus Cellotius L. 6. de Hierarchia, & Hierarchis Capite 25. §. 4. V. *Vna supereſt*, pag. 545. immeritò supponit contrarium, vt constat ex testimonijs antiquorum collectis à Vicecomite Libro 5. de Baptismo Capite 41. & sequentibus) neque item de communibus cibis, nam ad altare offerri non solebant. Dixi consultò *non solebant*, conscius Concilij Carthaginensis III. Can. 24. dicentis iuxta vetustos codices, & iuxta Balsamonem Canone 40. [In Sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aquæ mistum. Primitiæ verò, seu mel, & lac, quod vno die solemnissimo pro infantis mysterio solet offerri, quanvis in altari offeratur, suam tamen habet propriam benedictionem, vt à Sacramento Dominici corporis, aut sanguinis distinguantur. Nec amplius de primitijs offeratur, quàm de vvis, & frumentis.] Quæ postrema verba, & priora vsque ad *Primitiæ* exarantur à Gratiano Can. *In Sacramento* V. de Consec. Dist. 2.

878 Ex eodem Concilio Carthaginensi deduci etiam videtur distributio panis benedicti in Catechumenos, nam Can. 5. inquiunt Patres Africani, *Item placuit, vt etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal, quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.* Quibus in verbis prohibetur, vt Paschalibus diebus, id est, à Pascha te ad Pentecosten, vel saltem ad Dominicam in Albis, dentur Catechumenis eulogiæ, panisque benedictus, qui, vt supra visum est, vocabatur Sacramentum, & qui alijs diebus conferri solitus erat, vt videtur supponi à Patribus Carthaginensibus. Atque ita interpretantur eos Binius in notis ad 3. Concilium Carthaginense, Vicecomes Libro 2. de Baptismo Capite 9.

879 Nihilominus neque locus Sancti Augustini, neque Concilij III. Carthaginensis convincunt, donatos

fuisse pane benedicto Catechumenos. Non locus S. Augustini, quandoquidē commodè possit intelligi de sale, qui æquo iure, ac panis benedictus appellabatur latè Sacramentum. Nec S. Augustinus id, quod accipiūt Catechumeni, dicit simile speciebus consecratis continentibus Xpi corpus, neq; vocat cibum, sed sanctius quid, quā sunt cibi, quib⁹ alimur. Prēterquàm quòd sal Catechumenorum nominatur laxè pabulum à *Denſdedit* Papa in Epistola ad Gordianum Antistitem Hispalensem, *Scitis*, inquit, *quia quamodò sunt septem dona Spiritus sancti, ita sunt septem dona baptismi, à primo pabulo sacrati salis, & ingressus sanctæ Ecclesiæ vsque ad confirmationem Spiritus sancti per chrisma.*

880 Neque item 5. Canon Concilij Carthaginensis probat sufficienter intentum, potest namque explicari, quaten⁹ aliqui per abusum diebus Paschalibus facerent Catechumenos participes eulogiarum, panisque benedicti, cum tamen alijs diebus solum talem illis præberent. Voluerunt autem Patres Carthaginenses exterminare eum abusum, ducto exemplo, & ratione à fidelibus baptizatis, in quorum Sacramentis nulla erat mutatio tempore Paschali.

881 Et valde propendeo, vt patem abusum reprehensum à Patrib⁹ illis constitisse in communicanda Eucharistia Catechumenis per dies Paschales, sicut in Can. sequenti culpatur alius abusus dandi Eucharistiam corporibus defunctorum. Et ita in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pij Libro 7. intelligitur Canon ille 5. nam in summario Capitis 190. continentis illum Canonem legitur, [Quòd non conveniat Catechumenis, vel Pœnitentibus in Pascha, vel Pentecoste, aut Nativitate Domini ante baptismum, vel canonicam reconciliationem Sacramentum Dominici corporis dare, sed tantùm sal benedictum.] Abbreuiatio etiam Concilij Hipponensis facta in Concilio III. Carthaginensi sic reddit Canonem illum 5. *Sacramenta Catechumenis non dentur*, id est, Sacramenta corporis, & sanguinis Domini, vti in abbreviatione Canonis 25. dicitur, *In Sacramentis aliud non offeratur, quàm panis, & vinum aqua mistum.*

882 Neque opponas, Eucharistiam non potuisse esse ex opere operato proficuam Catechumenis etiā iustis, neq; eius susceptionem potuisse esse sacramentalem respectu illorū, siquidem baptismus, quo carent, sit Sacramentorum cęterorum ianua. Fateor, sed abusus aliquorum in Africa non debuit fundari in ratione conveniente; imò quia abusus erat, & destitutus æqua ratione, reprobatur à Patribus Africanis: quos hoc modo intellexit P. Henriquez Lib. 8. Cap. 41. §. 2. in Glossa lit. *G.* Præterea Innocentius III. in C. *Veniens* 3. de Presbytero non baptizato disputat non ignavè, sed quin definiat, contra tuum argumentum, [Cum enim quis (inquit Innocent.) non solùm per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur proculdubiò membrum Christi; & qui Christum habet per fidem, etiamsi baptismum non habeat, habet vtique fundamentum, præter quod aliud poni nō potest, quod est Christus Iesus: superædificare posse videtur, sicut salutifera opera, sic & quælibet Ecclesiastica Sacramenta: cum illud non sit generaliter verùm neque de novis, neque de veteribus Sacramētis, quòd baptismus sit fundamentum illorum, quoniam & Sacramentum coniugij, & Eucharistię à non baptizatis recipi potest, &c.] Hæc Innocentius dubitativè. Glossa autem ad V. *A non baptizatis*, assertivè ait, baptizatos baptismo flaminis accipere posse Sacramentum Eucharistiæ.

883 Dionysius etiam Patriarcha Alexandrinus apud Eusebium Cæsarienſem Lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ C. 8. scribens ad Sixtum Papam II. narrat, se non ausum baptizare quendam senem, qui ab hęreticis fuerat tinctus iam olim contra formam Ecclesiæ Catholicæ, atque adeò invalidè, inquitque ibi Dionysius, [Diuturnam illam communionem, qua fuerat cum fidelibus sociatus, satis habere virium ad eius animum purgandū, affirmabam. Nam qui gratiarum actiones audivisset, qui *Amen* vnà pronunciavisset, qui adstitisset mensæ, qui manus ad sanctum illud alimētum capessendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset corporis, & sanguinis Dñi nostri Iesu Xpi particeps, eius baptisma non audebam de integro

gro renovare; sed bono animo esse iubebam, & solida, ac constanti fide, conscientiaque pura, synceraque ad sanctorum mysteriorum perceptionem accedere. Iste tamen lamentis, & mœrore se conficere non destitit, ad mensam accedere præ metu exhorruit, & vix oratus precib⁹ interesse sustinuit.]

884 Ex Theologis Marsilius Inguen in 4. quæstione 6. articulo 3. Conclusione 1. ponit casum, [quo quis adultus libenter baptizaretur in fide Christi, sed non potest ex defectu aquę, vel ex infidelium prohibitione; cui Sacerdos conferat Eucharistiam, quia non prohibetur.] Quibus ex verbis infert Suarez Disputatione 62. tomi 3. in 3. partem Sectione 3. Vers. *Vnica*, sensum Marsilij fuisse, in casu necessitatis posse à Catechumenis suscipi Eucharistiam, proindeque tunc sumendam sacramentaliter, & spiritualiter, alioqui non possent absque gravi peccato eam accipere. En non fuit tam alienum ab hominū mente, quod faciebāt Africani illi, impertiendo Eucharistiam Catechumenis ob solemnitatem Paschalem.

885 Quanquàm meritò prohibitum sit à Patribus Carthaginēsibus, aut Hipponensibus: adversaturque doctrinæ S. Augustini, vnius ex eis Patribus Conciliaribus, Tractatu 11. & 96. in Ioannem, Lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione Capite 20. Lib. 2. Cap. 26. alijsquoque locis collectis à nostro Hieronymo Torrensi Libro 3. Confessionis Augustinianę Cap. 6. §. 7. ex quibus constat, Sancti Doctoris tempore commune fuisse in Africa non dare Eucharistiam Catechumenis, imò neque coram illis explicare mysteria, quæ continet; & neque expositam fuisse illorum oculis, testatur ex communi vsu Ecclesiæ sua ætate Sanctus Basilius C. 27. Lib. de Spiritu sancto. Videantur Tabiena in Summa V. *Communicare*, §. 5. Sotus in 4. Dist. 12. quæst. 1. articulo 3. ad 2. argum. & Distinct. 39 quæst. vnica, articulo 2. V. *Vnde verbum*, vbi dicit, Glossam præcitatam explodendam esse tanquā erroneam, Suarez supra, Henriquez supra in lit. & in Glos. lit. *F.* atque *G.* cum quibus cæteri Theologi moderni subscripti à me D. 14. de Euch n. 67. docent, Catechumenos non esse capaces recipiendi sacramentaliter, sed tātùm materialiter Eucharistiam, neque item esse habiles sumendi eam cum fructu ex opere operato.

886 Concludo itaque, non constare ex S. Augustino, neq; ex Concil. Carthaginensi de dispensato Catechumenis pane benedicto. Negantque huius distributionē factam illis fuisse Albaspinæus Observ. 35. libri 2. & in notis ad C. 5. Concilij 3. Carthag. Cellotius supra, pag. 546. sed moti argumētis, quæ facilia sunt solutu. Cellotius ait, eulogię sunt oblationes: offerre autem nemini vnquam licuit, cui cōmunicare Eucharistiæ non licuit. Rursus, eulogiæ distribuuntur, expletis mysterijs, in eos, qui & interfuerunt, & cōmunicare Eucharistię debuerunt. Prior tamen ratio enervatur ex ijs, quæ Albaspinæus in Observ. 36. tradit de minutis Catechumenorum Sacramentis, qualia erant sal, lac, mel benedicta, desumebantur quippe ex fidelium baptizatorum oblationibus, vt præberentur Catechumenis; sicq; colligitur ex suprà adducto C. 24. Concil. Carthag. 3. Et vt fideliū Sacramenta stricta, & propria parabantur ex eorundem oblationibus iuxta illud S. Cypriani L. de Opere, & eleemos. *Locuples, & dives es? Et Dominicum celebrare te credis, quæ corbonā omnino non respicis, quæ in Dominicum sive Sacrificio venis, quæ partē de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* iuxta illud etiā S. Aug. Serm. 213. de Temp. *Oblationes, quæ in altario consecrentur, offerre, erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicet*: ita etiam lata, & impropria Catechumenorum Sacramenta videntur desumpta ex oblationibus ipsorummet fidelium. Quid? quòd communio cum oblatione (de qua tanquàm delinquentium pœna, etsi minori, quā communio sine oblatione, fit sæpe mentio in Concilijs) erat ex sententia aliquorū cum Albaspinęo in Obs. 6. L. 1 admissio ad societatem vitæ, & sacrorum, ad donaq; offerenda, quę in alios distribuerentur iam consecrata in altari, quin de illis participaturus esset, qui obtulerat. Quare non est certum, obtulisse eos solos, quibus concessa erat participatio Eucharistiæ. Et si verò Catechumeni non obtulerint, vt qui ante oblationem dimitterentur è templo, vnde probatur,

non datas ipsis eulogias post absoluta Sacra, quemadmodùm mittebantur ad fideles absentes? Quo exẽplo enervatur secunda ratio Cellotij, constat enim, eulogias distributas non ijs solis, qui prẽsentes erant Sacrificio.

887 Eisdem ferè rationibus vtitur Albaspinæus, & addit, si pœnitentibus quarti gradus, seu consistentibus ad Sacra sine oblatione, & sine Eucharistiæ participatione, denegabatur gratia panis benedicti, multo magis Catechumenis. Rursus, Catechumeni non aggregabantur in communionem fidelium. [Nam quæ societas fideli cum prophano? At si ex eodem pane benedicto sumpsissent, vtrisque, fidelibus scilicet, & Catechumenis, æqua pars fuisset communionis, non enim aliter, aut alio iure communicabant cũ absentibus, aut alio modo defunctos in participationem corporis Christi, & societatis fidelium revocabant, quàm eulogijs, & oblationibus, & eiusdem rei communione, & participatione: ex eadem enim re mystica, & consecrata sumere, eadem ũm est perfecta societas & fraternitas.] Sic Illustrissimus Antistes Aurelianensis. Sed responderi potest, cõtraponendo his verbis alia eiusdem in Observatione 36. sequenti, vbi de sale, lacte, & melle Catechumenorum, & si quæ fuerunt alia minuta ipsorum Sacramenta, inquit, [Catechumenorum communio, quanuis imperfecta, & dimidiata, erat sustentãda ex pabulo scilicet, & Sacramento, quod aliquid cum fidelium Sacramentis commune haberet, & ex quo verum Christi corpus quodammodo degustasset. Si enim ex alia re, de qua non mãducassent, cõfecta fuissent eorum mysteria, nulla, ne quidem imperfecta, inter eos fuisset communio: sed cum ex oblationibus singuli fideles nonnihil sumerent, (Eucharistia enim, & panis benedictus ex eis conficiebatur) ex eadem re vtrique capere, & communicare censebantur, cum ex eisdem oblationibus eorum Sacramenta, quanuis omnino dissimilia, consecrarentur.] Quæ posteriora verba Albaspinæi vim priorum extenuant. Illud autẽ de pœnitentibus quarti gradus, qui *fistasis*, id est, consistentia dicebatur, tam ambiguum est, quàm quod de Catechumenis inquirimus.

888 De quibus communis persuasio est, participes fuisse factos benedicti panis. Ita Vvaldensis de Sacramentalibus tit. 24. C. 167. Durantus Lib. 2. C. 58. num. 3; Suarez tom. 4. in 3. partem Disp 12. sect. 2. num. 8. Henriquez Libro 1. de Sacramentis C. 20. §. 4. & ex Iacobo Gretsero Laurentius Beyerlinck in Theatro magno vitæ humanæ V. seu tit. *Amuletum*, §. *Panis benedictus*, pag. 406, & 407. tomi 1. vbi asserit, pane benedicto, vtpote Sacramentali quodam, remissa fuisse ex opere operato venialia peccata Catechumenorum: quod nec Suario supra, nec mihi placet, quia illi non erãt capaces huius effectus ex opere operato Sacramentalium Ecclesiæ, vt nec effectuum ex opere operato Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum, baptismo non suscepto, vt supra tradidi, & quia nec in baptizatis remissio venialium fit ex opere operato per Sacramẽtalia, vt dixi Disp. & num. 10. rursusque Disp. 27. num. 82. Omitto alios Authores concordes cum prælaudatis, relinquoque in medio opinionem ipsorum, & contrariam pauciorum, de quibus suprà.

SECTIO LV.

Rursùm de pane benedicto.

889 DISTRIBVTIO panis benedicti tam apud Græcos, quã apud Latinos fiebat, peracto Missę Sacrificio. In Actis Concilij Florentini, relato ingressu Ioseph Patriarchę Constantinopolitani in Ferrariã, additur, [Die verò Dominico manè iussu Patriarchæ celebrata est Missa per quindecim ferè Sacerdotes in eius Palatio, adstantibus ordine Præsulibus, & Crucesignatis, atque Cantoribus; Vrbis quoque Marchio adfuit, eiusque nobiles Curiales: adstabant autem omnes reverenter. Absoluto autem Sacro, omnes per manus Patriarchæ sumpserunt panem benedictum.] Codinus C. 6. num. 28. inquit, [Postquàm prædicti hymni finem acceperunt, omnes Cantores, & Lectores multos annos Imperatori apprecantur, quando Ecclesiam

eleſiam ingreditur, adorationis de cauſa, & vt antidorum ſumat,] nempe finita Liturgia. Videantur Simeon in Lib. de Templo, §. de Miſſa fidelium, & Nicolaus in Lib. de Expoſitione Liturgiæ C. 53. ambo Græci, & Archiepiſcopi Theſſalonicenſes.

890 Notetur que, antidorum apud Græcos fuiſſe defectum ex pane, qui aſſumebatur ad conſecrationem, vna enim pars deſerviebat ad conficiẽdam Euchariſtiam, & alia ſolemnibus precibus benedicta diſtribuebatur poſt Sacrum inter præſentes, illoſque maximè, qui de Euchariſtia non participarant. Et quia ſolebant in Eccleſia comedere fruſta panis benedicti. ideò Canon 49. Concilij Laodiceni prohiber, in Quadrageſima panem benedictum offerri, niſi in Sabbatho, & Dominica, nam neq; Dominicæ (vti nec apud Latinos) neque Sabbatha (præter Sanctum) erant in Quadrageſima dies ieiuniorum apud Græcos; at ſi alijs diebꝰ ad horam Miſſæ comederetur panis benedictus, violaretur ieiunium, vt pote quod de more Græcorum deberet protrahi vſque ad noctem, quin liceret edere anteà. Ita interpretatur Binius Canonem illum in notis ad Concilium Laodicenum. Tametſi valde probabiliter Canon ille explicari valeat de non facienda oblatione panis ad conficiendum Sacrificium, & Euchariſtiam in Quadrageſima, exceptis Sabbathis, & Dominicis. Quę explicatio conveniens eſt Canoni 52. Trullano dicenti, *In omnibus Quadrageſimæ ieiunij diebus, præterquàm Sabbatho, & Dominica, & ſancto Annunciationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium*: eſt etiam conveniens Iſidori Mercatoris, & Gentiani Herveti verſionibus Canonis Laodiceni, non enim habent *panem benedictum*, vt verſio Dionyſij Exigui, ſed *panem* ſolummodò, vt in textu Græco, vbi verbum *proſpherō*, cui reſpondet Latinum *offero*, ſignificat ſacrificare, & in hac ſignificatione ſæpe vſurpatur à PP. Græcis.

891 Notetur rurſus, ſolitùm mitti à Græcis panem benedictum ad abſentes, poſt finem Liturgiæ. Vnde in Canone 14. Concilij Laodicenſis prohibetur fidelibus, vt in feſto Paſchæ tranſmittant eulogias ad alias Parochias, nam tempore illo debebant ſumere Euchariſtiam, vt interpretantur Binius ibi, & Lantdmeter L. 2. de Vetere Clerico Monacho C. 40. pag. 79. Sed poteſt aliter declarari prefatus Canon, quatenus ſcilicet vetet, ne Sancta, aut ſanctæ oblationes, id eſt, Euchariſtia transferatur in feſto Paſchæ ad alias Parochias, cauſa, ſeu inſtar, & ad vicē eulogiarum, quæ alijs diebus ſolebant mitti. Vetet, inquam, vel quia fideles aliarum Parochiarum, vbicumque exiſterent, & haberent copiam communionis Euchariſticæ, tenebantur ad illam, vel quia Patribus apud Laodiceam congregatis diſplicuit, quòd Euchariſtia vice eulogiarum invicem miſsitaretur huc, & illuc, in ſolemni etiã, & læto feſto Paſchatis, provt nonnulli eius Provinciæ introducere cæperant, cum antea ibi eſſet inſuetum. Etſi alibi miſſitatio Euchariſtiæ ordinarijs etiã diebus fuerit vſitata, vt videre eſt in Prato ſpirituali C. 29. & vt colligitur ex neſcio cuiuſdam Athanaſij Conſtantinopolitani Epiſt. 1. ad Epiſcopos, vbi, referente Vvalterio de triplici Cœna Chriſti Cap. 55. Cœnæ 3. ait adhibens modum miſsitationi illius, *Nemini ſine probatione, aut pro munere Euchariſtia detur, niſi permiſſu, aut conſenſu patris ſpiritualis.*

892 Nec prætermittenda ſunt verba Balſamonis in ſcholio ad Canonem Laodicenum prefatum, [Fit hoc hodie à Latinis in feſto Paſchæ, diſtribuunt enim Laicis azyma, poſtquã ſanctificata fuerint, perinde ac cõmunia. Hoc etiam olim fiebat à noſtris, vt eſt veriſimile, in ſanctis miniſterijs. Canon ergo hoc prohibet, & ſtatuit, non eſſe huc, & illuc transferenda Sancta, perinde ac cõmunia, & vulgata.] Sic Balſamon ſęculo Chriſtiano duodecimo, falſus, aut fallax, tanquam Schiſmaticus, & infenſus Romanæ Eccleſię, in eo, quod tradit de ea, nam neque illo ſæculo, neque antecedentibus Latini diſtribuerunt Laicis Euchariſtiam, velut ſi eſſet panis vulgaris. Accipiebant Laici iam tunc in Paſchate Euchariſtiam ex præcepto, vel ex conſuetudine, ſi Concilium Lateranenſe ſub Innocentio Papa III celebratum nondum erat, cum Balſamon ſcripſit ſcholium iſtud; minimè vero ſumebant eam tanquam panem ordinarium. Et quod ſpectabat ad Canonem Laodicenum, erat, ſi Latini tranſmittebant in Paſchate

Eucha-

Eucharistiam ad absentes; de quo neutiquàm constat: casu autem quo transmiserint, fuit quidem discernendo valdè ipsam non modò à pane prophano, sed etiam à fermentato benedicto, quę quandoque mittebant ad absentes.

893 Benedicebatur quippe diebus Dominicis, & festis post Missam, vt deducitur ex Decreto Pij Papę I. vel Concilij Nannetensis supra, traditurq; ab Honorio in Gemma animę Cap. 67. Libri 1. de antiquo ritu Missæ his verbis, [Statutum est, vt panis post Missam benediceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur; hoc & eulogia dicebatur. Sed quia hoc in Quadragesima fieri non licuit, oratione super populum dici Ecclesia instituit, vt per hanc particeps communionis sit.] Quæ verba leguntur etiam apud Durandum Lib. 4. Rationalis Cap. 53. num. 3. faventque non parùm interpretationi, quam ad C. 49. Laodicenum retulimus supra ex Binio.

894 Synodus Matisconensis C. 50. apud Burchardum Lib. 5. C. 32. decrevit, [vt in omnibus diebus Dominicis, aliisque festivitatibus oblatio ab omnibus, qui ad Missam convenerint, vtriusque sexus offeratur in Ecclesia, singuli singulas oblationes offerentes. Finita Missa, à Presbytero oblationes accipiant.] Sic Synodus Matisconensis, seu potiùs Matisconensis celebrata anno 588. sub Pelagio Papa II. estque secunda huius nominis, sed in cuius C. 4. non leguntur postrema verba loquentia, vt indico, de oblationibus iam benedictis accipiendis à Laicis de manibus Presbyterorum, nam editum Concilium sic habet, [Decrevimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quàm vini, vt per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel cæteris iustè offerentibus promereantur esse consortes.]

895 Hoc in Concilio [Vrsicinus Cadurcensis Episcopus excõmunicatus fuit pro eo, quòd Gundebaldũ excepisse publicè confessus est, accepto eiusmodi placito, vt pœnitentiam tribus annis ageret, neque capillum, neque barbam raderet; vino & carnibus abstinere, Missas celebrare, Clericos ordinare, Ecclesias, chrisma benedicere non præsumeret, eulogias dare penitus non auderet: vtilitas tamen Ecclesiæ per eius ordinationem, sicut solita erat, omnino exerceretur.] Ita refert S. Gregorius Turonensis Lib. 8. Hist. Francorum Cap. 20. Excommunicatio Vrsicini non videtur fuisse plena, & integra, cum ille non fuerit privatus gubernatione, & iurisdictione erga suam Ecclesiam, vt patet ex postremis verbis Sancti Gregorij. Sed eis omissis, & antecedentibus valde notabilibus, quę ad prȩsens institutum non faciunt, illa sola, *eulogias dare penitus non auderet*, huius loci sunt.

896 Quæ quidem possunt intelligi, quatenus prohibeatur Vrsicinus lagire honorifica dona, & xenia, etiam prophana, nam horum reciproca datio, & acceptio vetita est per excõmunicationem, cuius quandam speciẽ retulit pœna inflicta Vrsicino. Nam primò ipsi etiam cibi vulgares, & communi in mensa appositi, aut apponendi quæ visque munuscula pijs viris data dicebantur non rarò eulogiæ, & benedictiones, provt noscitur ex Addamano in vita Sancti Columbæ Abbatis, S. Gregorio Turonensi in vita S. Nicetij, S. Gregorio Magno Lib. 2. Dialogorum Capite 31 Authore incerto in Vita S. Frontonij Abbatis Cap. 9. apud Lib. 1. de Vitis PP. in editione Rosvveydi, ex Capite 29. *Non semel*, §. *Pro talibus* 18. quæst. 2. C. *De eulogijs* 8. Dist. 18. Eodemque nomine compellabantur eleemosynę, & collationes, vt apud Paulum 2. ad Cor. 9. iuxta textum Græcũ, & apud S. Gregorium Turonensem, & S. Aldhelmum, quorum loca adnotavit Cerda in Adversarijs sacris C. 41. num. 20. C. 74. num. 6. Vnde explicat ipse ibi illud S. Bernardi in Epistola 11. ad Carthusienses, & Guigonem Priorem, *Verebar, sanctam, quam in Domino haberis, importunis scriptitationibus infestare quietem :: nostraque ingerere auribus, seeretis penitus occupatis supernis eulogijs.* Deinde quòd per excommunicationem interdicta sit mutua communicatio munusculorum, etiam prophanorum, notum est omnibus, quos non latet excommunicationis conditio. Vnus pro multis legatur Gibalinus Disq. 7. de Censuris, q. 9. propos. 1. num. 5.

897 Possunt etiam intelligi verba superiora S. Gregorij Turonensis,

sis, quatenꝰ Vrsicinus prohibeatur impertiri panem à se solemniter benedictum, nam excommunicatis (qualis ferè erat Vrsicinus) non licet benedicere solemniter panem, neque publicè distribuere illum in Ecclesia iuxta generalem doctrinam in Gibalino suprà, quæst. 5. Conclus. 4. propositionis 4. in Antonio Marsilio sect. 3. Hydragiologiæ Cap. 1. quippe ea benedictio, & distributio sit Officium diuinum, actusque Ordinis Sacerdotalis, vt enim dicitur C. *Perlectis* 1. §. *Ad Presbyterum*, Distinct. 25. *Ad Presbyterum pertinet Sacramentum corporis, & sanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere dona Dei.* Meritò igitur in Concilio Laodiceno C. 32. iubetur, ne hæreticorum eulogiæ, benedictionesque accipiantur, nimirùm quia hæretici sunt excommunicati, & sicut ipsis non licet dare, ita neque alijs fas est accipere: & quia eulogiæ sunt testimonium eiusdem fidei, & mutuę dilectionis, communionisque Christianę Hinc crebrę missitationes, & largitiones panis benedicti vsitatę à Patribꝰ antiquis, siue ille benediceretur in templo, & post Missam, siue extra. Legantur S. Paulinus Epist. 1. ad Severum, 41. ad S. Augustinum, 45. ad Alypium, 46. ad Romanianum, S. Augustinus Epist. 34. ad S. Paulinum, Ioannes Moschus in Prato spirituali Cap. 42. S. Gregorius Magnus Lib. 2. Dialogorum Cap. 8. S. Gregorius Turonensis Lib. 6. Historię Francorum C. 5. Monachus Sangallensis de gestis Caroli Magni Lib. 1. Cap. 13. Flodoardus in Hist. Rhemensi Lib. 4. C. 2. & 11. Author vitæ S. Siviardi Abbatis Anisolensis apud Surium die 1. Martij, Constantius Presbyter in Sācti Germani vita L. 2. C. 14 apud Surium 31. Iulij. Videantur etiam in Marculfo Monacho Lib. 1. C. 42. vsque ad 45. formulæ, quibus olim per litteras mittebantur amicis eulogiæ in Resurrectione, & in Nativitate Domini.

898 Eisdem ferè de causis fas non est, hæreticorum, excommunicatorumque etiam Catholicorum accipere oblationes sacras, prout compertum est ex S. Clemente Romano L. 3. Constit. Apost. C. 8. Lib. 4. C. 5. 6. & 7. (in Turriani editione, qua soleo vti) Concilio Iliberritano C. 28. Concilio Nicæno I. Lib. 3. C. 27. collectionis Alphonsi Pisani, Concilio Carthaginēsi IV. C. 93. & 94. relatis C. *Oblationes* 2. C. *Eorum, qui* 8. Dist. 90. Innocentio III. C. *Sacris* 38. de Sent. excommunicationis, Ivone Carnotensi in Epist. 81. vbi inquit ad rem nostram, [Talium donationes, vel concessiones vitandæ sunt:: ne simplicium ex hoc infirmetur conscientia, cum talibus conjecturis existimant, bonis eorum malè facta placere, vel quæ priùs abhorrebant, mala non esse.] Sic Ivo. Nec plura nos de repulsa oblationum excommunicati. Consulat Lector Alterium Lib. 1. de Excommunicatione Disp. 12. C. 4. & Disp. 11. de Suspensione C. 2. Raynaudum parte 2. de Monitorijs Eccles. C. 2. n. 22. C. 5. n. 28. & de Heteroclitis spiritualibꝰ circa Deum, Christum, ac Cœlites sect. 2. part. 3 Gibalinum suprà Conclus. 5. Albaspinæum ad C. illum 28. Iliberritanum, & Lib. 1. Observatione 5 Ferdinandum de Mēdoza Lib. 2. pro confirmando Concilio Iliberritano C. 55.

899 Atque vt ego de benedicto pane finiam sermonem, observo primò, moris fuisse apud Græcos in fine mensę vulgaris adducere Imperatori Constantinopolitano panagiam, vt narrat Codinus C. 7. de Officijs Constantinop. num. 32. & 33. Erat autem panagia fragmentum panis benedicti, cuius sub panagiæ nomine origo traditur latè à Iacobo Gretsero L. 3. Commentariorum in Codinum C. 2. ad nn. 32. & 33. C. 6. ex pag. 230. cui doctissimo viro Gretsero in duobus libris de benedictionibus multum debet miscella hæc nostra tractatio.

900 Observo secundò, Sanctum Augustinum in Lib. de catechizandis rudibus C. 26. habere hæc verba, quæ de pane benedicto intelliguntur à nonnullis, *Interrogandus est, an hæc credat, atque obseruare desideret? Quod cum responderit solemniter, vtique signandus est, & Ecclesiæ more tractandus. De Sacramento sanè, quod accepit, cum ei benè commendatum fuerit, signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari: nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodùm habetur in vsu quolibet.* Sic ibi Sanctus Doctor. Sed Durantus Lib 2. Cap. 58. num 6. existimat, locum hunc pertinere ad Eucharistiæ Sacramentum.

Non

Non assentior, nam S. Augustinus in toto eo libro instruit Diaconum Carthaginensem *Deo gratias* in officio Catechistæ erga Catechumenos audientes, minimè verò erga Neophytos, seu recèns baptizatos: licet autem his mox post lavacrum sacrum daretur olim Eucharistia, non tamen illis ante, vt dixi in Sectione superiori, supponiturque vt quid firmum, & constans in interrogatione 1. ad Thimotheum Patriarchã Alexandrinum: ea fuit, [Si puellus Catechumenus, vtpote annorum septem, vel homo etiam perfectus, dum fieret oblatio, opportunè adfuerit, eiusq; nescius, particeps factus sit, quid debet de eo fieri?] Respõsio verò Thimothei, [Debet illuminari; à Deo enim vocatus est.] Explicat autem Balsamon interrogationem, & responsionem his verbis, [Interrogatus est is Patet, an si puellus, vel etiam vir perfectus in ordine Catechumenorum collocatus, & sanctum baptismum nondum assecutus, opportunè adfuerit, & Sacramentorum particeps factus fuerit, ignorans, se non debere participare, antequàm sit baptizatus, non tamen ea improbè contemnens; quid debet fieri? Et respondit, eum baptizari debere. Quia enim non malitiosè ad sanctorum donorum communionem accessit, & opportunitate vsus est, ab aliquo non prohibitus, fortè ignorantib⁹, qui aderant, fidelibus, & ipso etiam, qui communionem impertijt, cum esse Catechumenum, videtur à Deo esse vocatus.] Hactenus Balsamon.

901 Quare mihi videtur S. Augustinus agere de sale benedicto, qui post crucis in fronte Catechumeni signationem immittebatur ori ipsius, & quem S. Doctor vocat latè Sacramẽtum pro Sacramentali. Concordabit mecum, qui expenderit verba illa, *vtique signandus est*, & contulerit cum eis aliis eiusdem S. Doctoris Lib. 1. Confessionum Cap. 11. loquentis de se vt Catechumeno, *Signabar iam signo crucis, & condiebar eius sale.* Quo testimonio contentus parco aliis collectis à Iosepho Vicecomite Libro 2. de antiquis baptismi ritibus Capitibus 40. 41. & 42.

902 Observo tertiò, benedicti panis elargitiones, & missitationes inter fideles fuisse symbolum vnitatis, & vnanimitatis fidelium inter se. Quam vt Christus Dominus denotaret, instituit etiam in pane Eucharistiã; *quemadmodùm* enim *grana multa in vnũ collecta, & commolita, & commista panem vnum efficiunt: sic in Christo, qui est panis Cœlestis, vnum sciamus esse corpus, cui cõiunctus sit noster numerus, & adunatus*, vt in Epistola 63. ad Cæcilium ait Sanctus Cyprianus; qui rursus in Epist. 76. ad Magnum repetit idem ipsum de pane, & addit de vino, in quo itidem instituta est à Christo Eucharistia, *Quando sanguinem suum vinum appellat, de botris, atque acinis plurimis expressum, atque in vnum coactum, gregem item nostrum significat, commistione adunatæ multitudinis copulatum.* Consonant alij Patres, vt S. Chrysostomus Homilia 24. in C. 10. ad Cor. 1. S. Augustinus in Psalmum 147. Epistola 59. ad Paulinum, Tractatu 26. in Ioannem, de Sacramentis fidelium Feria 2. Paschæ apud Gratianum de Consecratione Dist. 2. C. *Quia passus est* 36. de quo C. moneo obiter, vt expendatur pro non suscepta à Catechumenis Eucharistia. Raynaudus in insigni Opere de Christo Deohomine Lib. & sect. 3. C. 1. sapienter, eleganterque probat, panem esse symbolum Christi, nexusque, quo Verbum coniunctum est humanitati, & inde num. 294. ac seqq. putat, veteres ad Christum intentos inuitasse se se ad vnionem, & charitatem, cum sibi invicem mittebant panem.

SECTIO LVI.

Exponuntur quidam textus de Missa in communi. Vbi de prima Missa celebrata ab Apostolis.

903 DECLARAVIMVS Canones, qui de ritibus à principio Missæ vsq; ad consumptionem tractant; & quia incidenter in sect. 46. attigimus eos, qui de ritibus vsque ad finem Missæ faciunt mentionem, ideò nunc ab illis supersedemus; vt & à quodam Canone Toletano circa hymnum *Trium puerorum* post Missam, quia de ipso sermonem habuimus in n. 32. Manuum lotio, & gratiarum actio mentalis post hymnos, & orationes nullo

nullo in Canone memorantur. Et quoad manuum lotionem videantur dicta ad n. 608: quoad gratiarum verò actionem mentalem nihil in præcedentibus diximus, quia neque in Rubricis Missalis præscribitur. Expedit tamen, vt saltem per horæ quadrantem Sacerdos agat mentaliter Deo gratias ob maximum, immensumque beneficium acceptum, quin satis apud se habeat recitasse vocaliter orationes, quę post consumptionem, & inter exuendum se sacris vestibus dirigũtur ab Ecclesia eundem in finem. Qui de perfectione spirituali scribunt, suadent id multis rationibus, exempliisque petitis ex veteri, novoque Testamento; & ex his etiam ad idem adhortantur, qui commentaria moralia in Biblia sacra expoliunt. Consulat eos Lector; nobis sufficit, si advertamus, indecens esse, diverti statim ad negotia sæcularia; vixque excusabitur à peccato veniali ob pravum exemplum, & ob indicium minoris reuerentię erga Sacramentum susceptũ; eritq; peccatum eò maius, quò occupationes externæ succedentes fuerint minus graves, minusque dignæ personaSacerdotis. Lege-sis Paulum Mariam Quartum patte 2. in Rubricas Missalis, tit. 11. dub. 2. tit. 12. dub. 3.

904 Restat, vt nonnullos Canones de Missa in communi edisseramus. Inter quos occurrit primò C. *Iacobus* 47. de Consecratione Distin. 1. vbi dicitur, *Iacobus frater Domini secundùm carnem, cui primùm credita est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilius Cæsariensis Episcopus, cuius claritas per totum orbem circumfulsit, in scripturis addiderunt nobis Missæ celebrationem.* Gratianꝰ citat hunc Canonem ordine quidem 32. & nomine Generalis, Oecumenicæque Synodi VI. Constantinopolitanæque 3. quæ contra Monothelitas celebrata est anno 680. sub Agathone Papa, & constantino IV. Imperatore, cognominato Pogonato. Sed certè non est nisi Synodi Trullanę, habitę in Palatio Constantinopolitano dicto Trullo, ad annum 692 tempore Sergij Papæ, & Iustiniani II. Imperatoris.

905 Decreta 102. huius Synodi Canonica non sunt, neque Ecclesiasticam habent authoritatem: quod advertendum est pro multis alijs locis, in quibus ab eodem Gratiano allegantur, vt C. *Placuit* 4. C. *Habeo* 6. C. *Quoniam sancta* 7. Dist. 16. C *Quoniam in* 13. Dist. 31. C. *Siquis eorum* 7. Distin. 32. C. *Præcipimus* 26. Dist. 93. C. 6. *Siquis Episcopus* 37. quæst. 1. C. *Didicimus* 6. de Consecratione Distinct. 2. Et licet Adrianus I. Papa referatur ab eodem Gratiano C. *Sextam* 5. Dist. 16. C. *Sextam* 29. de Consecratione Distin. 3. approbare Canones Trullanos, attribuẽdo eos Synodo VI. proculdubiò deceptus est Gratianus adscribens Adriano Papæ quæ hìc non vt propria, sed vt aliena verba, eaque Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani recitavit, vti constat ex Synodo VII. Generali, Nicænaque 2. Actione 2. Rursus licet Innocẽtius Papa III. C. *A multis* 9. de Ætate, & qualitate ordinandorum alleget nomine Synodi VI. Canonem Trullanum sextum, temperavit se opinioni vulgi, habentis Trullanam Synodum pro VI. Generali, nec quia præcisè meminit eius Canonis, contulit ipsi authoritatem Ecclesiasticam; sicut neque Gregorius II. & Adrianus I. Pontifices Summi, Synodusque Nicæna II. Canoni 82. Trullano de imaginibus sacris pingendis, quia eo vsi sunt adversus repudiantes pium illarum vsum, cum enim hi hæretici agnoscerent tanquam generalem, & legitimam eam Synodum, in qua confectus fuit Canon præfatus, voluerunt confodere ipsos suis proprijs telis, longè tamen distarunt, vt approbarent, quæ ibi præmittuntur de non pingendo Christo instar agni. Si cui cũ Bellarmino Lib. 1. de Concilijs C. 7. placeat, Canones Trullanos, etsi ex se nullam authoritatẽ primò habuerint, sed posteà fuisse partim approbatos; instituti mei non est, immorari amplius in hoc puncto. Videantur Canus Libro 5. de Locis Cap. vltimo in responsione ad 6. argumentum, Baronius anno 892. & prælaudatus Bellarminus L. 2. de Romano Pontifice C. 18. in 2. argumento, Possevinus in Apparatu sacro V. *Trullanum Concilium.*

906 Nec tantùm non sunt approbati omnes Canones Trullani, sed potiùs multi sunt reprobati, vt C. 2. relatus C. *Placuit* 4. Dist. 16. suscipiens, & conformans 85. Canones Apostolorum, cum tamen Gelasius Papa C. *Sancta* 3 Dist. 15. appellet apocryphum librum Canonum Apostolorum;

con-

concordatque Isidorus C. *Canones* 1. Distin. 16. & quinquaginta solùm eximuntur à numero apocryphorum in C. *Clementis* 3. Dist. 16. septuaginta verò, aut sexaginta in C. *Sexaginta* 2. eadem Dist. nisi cum Polycarpo legendum sit quinquaginta; & quanuis sic non legatur, continebuntur septuaginta, aut sexaginta sub quinquaginta, ita vt vno Canone plures sententiæ comprehendantur. Idem Canon 2. Trullanus laudat pro Africa Concilium, aut Decretum, tempore S. Cypriani, de rebaptizandis hæreticis; sed Ecclesia Romana, & reliquæ illud refutarunt. Canon 3. non loquitur, vt decet, de Ecclesiæ Romanę lege non ordinandi bigamos. Canon 13. contra vsum Romanę Ecclesię, imò & Orientalis contestatum à Sancto Hieronymo, decernit, vt Presbyteri, Clericique alij inferiores non separentur ab vxoribus ante sacros Ordines susceptis. Canon 36. assignat paria priuilegia Constantinopolitano Patriarchę, ac Romano Pontifici: Can. 55. dat leges Romanæ Ecclesiæ non ieiunandi in Sabbathis Quadragesimę præter sanctum, damnatque contrariam eius cõsuetudinem: Canon 67. prohibet esculentum animalis sanguine conditum, & instructum, quasi præceptum Actorum 15. perpetuum esset, & non temporarium. His, & similibus alijs ineptijs scatent Canones Trullani, quos vt confirmarent Sergius I. Ioannes VII. Constantinusque I. Romani Pontifices nulla arte, neque vi adduci potuerunt, vt legenti Baronium supra fiet planum. Brevis hæc notitia de Canonibus illis conveniens visa est, ne quis Decretista, neque item quis Theologus nimiùm deferant Canoni *Iacobus*, videntes, citari eum à Gratiano sub nomine Synodi VI. & à S. Thoma 3. p. q. 83. art. 4. adduci in argumento *Sed contra*, vt probet convenientem ordinationem eorum, quæ in Missa dicuntur.

907 Iam verò editiones aliquæ S. Thomæ silent voces *in scripturis*, & *nobis*, quæ apud Gratianum extant; & aliæ, omissis eisdem vocibus, habent *ediderunt*, vbi *addiderunt* Gratianus. Qui affert hunc Canonem, vt doceat, à quibus tradita sit Missarum celebratio, id est, ordo celebrãdæ Missę, prout continentis alia præter verba consecrationis: quæ quidem à Christo Domino sunt primùm dicta, sunt que Instituta, vt deservirent in Sacrificio incruento sui corporis, & sanguinis. Nihilominus si ad Canonem 32. Trullanum, & ad textum Græcum recurramus, inveniemus, Trullanos PP. non id intendisse, quod Gratianus. Vt enim confutarent Armenios, qui in calice Sacrificij aquam non adhibebant, aiunt de Sancto Ioanne Chrysostomo, [Suæ Ecclesiæ, vbi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum peragi Sacrificium oportet, ex pretioso Christi nostri Redemptoris latere ex sanguine, & aqua contemperationem ostendens, quę in totius mundi vivificationem effusa est & peccatorum redemptionem.] Sic ex Liturgia S. Ioannis Chrysostomi refellunt Armenos Trullani Patres. Et posteà subijciunt, [In omni etiam Ecclesia, vbi spiritualia lumina refulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Iacobus Xpi Domini nostri secundùm carnem frater, cui Hierosolymitanę Ecclesię thronus primũ est creditus, & Basilius Cæsarienſium Ecclesiæ Archiepiscopus, cuius gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito Sacrificio, ita consecrandum in divina Missa ex aqua, & vino sacrum calicem ediderunt, &c.] Quibus in verbis non eò respexerunt Trullani Patres, vt S. Iacobo tribuerent celebrationem primę Missę, neque vt affirmarent, fuisse primũ, qui tradiderit scriptis ordinem celebrandi; sed solummodò aiunt, commendasse scriptis: quòd stare potest cum celebratione, & scriptione Missę facta anteà ab alio Apostolo.

908 Nihilominùs multi attendẽres Trullano Canoni ex fide Gratiani dictitant, S. Iacobum celebrasse primam Missam in Ecclesia Christiana, aut post Christum Dominum: quo in sensu nunc vtar nomine *primæ Missæ*. S. Antoninus 1. p. Historiali tit. 6. C. 8. testatur, [dici, quòd primus inter Apostolos Missam celebravit B. Iacobus; cui propter excellentiam famæ sanctitatis ipsi Apostoli hunc ei honorem fecerunt. Vel primus intelligitur celebrasse cum solemnitate, scilicet Pontificali.] Quod secundum placet nostro Cornelio à Lapide in procœmio ad Epistolam Catholicam eiusdem S. Iacobi,

bi, Francisco Torreblancæ Libro 2. Iuris Spiritualis Practicabilium Cap. 8. num. 32. Potestque vnum, aut alterum confirmari ex Sancto Ignatio, qui in Epistolis ad Heronem, & Trallianos ait, Sanctum Stephanum fuisse Diaconum Sancti Iacobi, exhibuisseque illi purum, & inculpatum ministerium, scilicet in Sacrificio. Item ex Sancto Epiphanio hæresi 79. vbi Sanctum Iacobum vocat *mysteriorum, ac Sacrificij ducem*, vt referunt Sainctes Capite 7. præfationis in Liturgias, & Genebrardus Capite 7. in eam, quæ est Sancti Dionysij, & Libro 2. Chronographię anno Christi 54. Quorum Authorum secundus adscribit Egesippo apud Eusebium Lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 22. quòd *Iacobus frater Domini ab Apostolis primus fuerit constitutus Episcopus, & Liturgus.* Ac sanè cū prima Missa celebrata sit Hierosolymis, vbi Sanctus Iacobus erat Episcopus, & Ordinarius, iure officij prima celebratio spectabat ad ipsum, vt argumentatur Antonius de Molina in Instructione Sacerdotum Tractatu 3. C. 1. pag. 267

909 Imbecillia sunt hæc. Nam quòd Sanctus Stephanus Diaconus fuerit Sancti Iacobi, & quòd ei in Missa ministrarit, probat quidem, sacrificatum ab eo fuisse, sed non quòd ante omnes alios Apostolos simplici ritu, vel solemni, Nec potuit Sanctus Stephanus interuire in Missa Pontificali, siquidem priùs est occisus, quàm Sanctus Iacobus creatus fuerit Pontifex Hierosolymitanus, vt ex Beda in Chronico notat Cornelius. Verba Sancti Epiphanij, & Egesippi non reddunturfideliter. Primus, inquit, recensis duodecim Apostolis, *Hi omnes electi sunt Apostoli, sacrificantes per terram Euangelium vnà cum Paulo, ac Barnaba, ac reliquis, & mysteriorum duces Iacobo fratre Domini, & primo Episcopo Hierosolymorum.* Vocat itaque Sanctus Epiphanius non solùm Sanctum Iacobum, sed alios etiam Apostolos *duces mysteriorum.* Secundus favet multò minus, cum eius verba sint, *Iacobus frater Domini:: Ecclesiæ administrationem vnà cū cæteris Apostolis suscepit.* Ratio, quæ adducitur, evanescit, si notetur, Sanctum Iacobum fuisse ordinatum Hierosolymorum Episcopum à Sanctis Petro, Iacobo maiori, & Ioanne die vigesima septima mensis Decembris iuxta Venerabilis Bedæ Martyrologium, anno Christi 34. Baronium eodem anno, num. 291. Incredibile autem est, Apostolos post Ascensionem Christi in Cœlos, & post aduentum Spiritus sancti distulisse sacrificare ad eam vsque diem. Et vt antea non sacrificarint, tunc quidem inter celebrandum consecrarunt in Episcopum Sanctum Iacobum minorem; quare non erit is, qui primus, & principaliter Liturgiam peregerit. Et præsente Sancto Petro, capite totius Ecclesiæ, adstanteque Hierosolymis plenario Concilio Apostolorum, debitum non fuit Sancto Iacobo minori, vt posset sui etiam consecrationem Episcopalem celebraret ibi præ Sancto Petro, aut præ alio Apostolo, quem per vices designare vellet Concilium.

910 Præterea non Sanctum Iacobum, sed Sanctum Petrum apicem Apostolorum celebrasse Hierosolymis primam Missam, disertè asserunt Demochares Libro 2. de diuino Missæ Sacrificio Capite 5. Iacobus Faber pro sacrosancto Missæ Sacrificio pagina 50. & 51. Gauantus in Rubricas Missalis parte 1. pagina 3. & 4. Augustinus de Herrera Lib. 1. de Origine rituum Missæ Capite 16. numero 9. Ioannes Antonius Pallota Libro 1. de Missa Capite 2. Iosephus Vicecomes Volumine 2. Obseruationum Ecclesiasticarum Libro 1. de Missę ritibus Capite 15. Videtur eiusdem opinionis fuisse Durandus Libro 4. Rationalis Capite 1. numero 3. & 4. inquiens, [Apostoli hanc Missam adauxerunt, dicentes in Missa non solùm verba præmissa (id est, consecratoria, quæ Christus) verùm etiam Dominicam orationem superaddentes. Vnde Beatus Petrus sic Missam primus dicitur celebrasse in partibus Orientalibus, vbi post Domini Passionem quatuor annis cathedram tenuit Sacerdotalem.] Sic ibi; quanquàm in numero 7. post eadem ferè verba, quæ supra transcripsimus ex Sancto Antonino, addat, [Et sic Petrus postmodùm primus Missam in Antiochia celebravit, & Marcus in Alexandria.] Allegari solet Vvaldensis titulo 4. de Sacramentalibus Capite 28. quate-

nus dixerit, [Sanctum Petrum instituisse primo vnà cum Apostolis ordinem Missæ, vel orationum, quibus Deo oblata Sacrificia consecrantur; sed S. Iacobum minorem, tanquàm loci Episcopũ, promulgasse, & docuisse:] quo conciliat Sanctum Isidorum Libro 1. de Officijs Capite 15. cum Canone *Iacobus* 47. de Consecratione Distinctione 1. Sed Vvaldensis adiecit ibi, Sanctum Iacobum [facto primum exposuisse.] Qua additione atribuit exequutionem primę Missę Sancto Iacobo, licet Sanctus Petrus confecerit, formulam, ex qua ille celebraturus esset.

911 Hinc minus aptè citatur à non paucis Sanctus Isidorus; quod enim Sanctus Petrus primitus instituerit ordinem Missę, non satis est, vt inferatur fuisse, qui primam celebraverit. Idem iudicium ferendum est de allegationibus aliorum Patrum, vt S. Clementis in Epistola 2. ad Iacobum, seu potiꝰ Simeonem fratrem Domini, vbi ait, *Quoniam sicut à B. Petro Apostolo accepimus, omnium Apostolorum patre, qui claues regni Cœlestis accepit, qualiter tenere debemus de Sacramentis, quæ geruntur in sanctis, te ex ordine nos decet instruere.* In his enim verbis, & in similibus Leonis Papæ VIII. sed vulgò dicti IX. ex Epistola 1. ad Michaelem Patriarcham Cõstantinopolitanum C. 5. Sancti Thomæ 3. parte quæst. 78. art. 2. ad 4. Vvalafridi Strabonis Lib. de Ecclesiasticis rebus Cap. 22. non aliud dicitur, quàm à Sancto Petro traditam Ecclesiæ Romanę formam, regulamque celebrandi. Id quod diversum valde est à prima Sancti Petri sacrificatione Hierosolymis, vt & quod cum Simeone Græco asseverat Turrianus in Dogmaticis characteribus L. 3. de Missa Romæ composita à Sancto Petro, quam posteà in publicam lucẽ edidit Guilielmus Lindanus Episcopus Gandavensis, notisque suis defensavit, & ornavit, estque non parùm ũmilis vsitatæ nunc temporis.

912 Sed licet ex authoritate antiquorum non satis probetur prima Sancti Petri celebratio, non magis exinde firmatur prima Sancti Iacobi; & aliunde vt argumentatur Democharες, [Ex eo quòd omnium Apostolorum princeps fuerit Sanctus Petrus, nullus debuit ei præferri in hoc tam sancto munere: & rursus quòd Ecclesię caput, ei potiùs, quàm cęteris Ecclesię Sacramentũ, Sacrificiumque Missæ perficere conveniebat.]

913 Si opponatur, Sanctum Petrum primò esse operatum rei diuinæ apud Antiochiam, vt videntur dicere Alcuinus Libro de Officijs diuinis Capite 40. de Celebratione Missæ, Remigius Antisiodorensis initio Libri de Celebratione Missę, Hugo de Sancto Victore Libro 2. de Sacramentis fidei parte 8. Capite 14. & quoddam fragmentum antiquum de ritibus Missæ apud Vvolfangum Lazium, cuius meminit Vicecomes supra C. 16. Promptum est respondere, Alcuinum redditum de verbo ad verbum ab alijs, accipiendum esse non de prima Missa comparativè ad Sanctum Petrum, sed ad vrbem Antiochenã, nec enim credibile est, ad annum vsque 39. Christi, primumque iuxta chronologiam Baronij à Sancto Petro fundatæ Ecclesiæ Antiochenæ, non operatum ipsum esse rei divinæ; vel intelligi Alcuinum posse de prima Missa cum formula diuersa ab ea, quam frequentarat Hierosolymis, ita vt posteà prosequutus sit incæptam Antiochiæ. Priori sensu Volaterranus Libro 11. Geographiæ, Petrus Canisius Libro 5. de B. Virgine Cap. 23. Ferreolus Locrius Lib. 3. Mariæ Augustæ Capite 2. Hippolitus Marracius in Apostolis Marianis C. 2. & in Pontificibus Marianis C. 1. scripserunt, sacrificatum primò ab Apostolorum Principe Antaradi in Syria anno Christi 44.

914 P. Raynaudus in Tractatione de prima Missa, & prærogativis Christianæ Pentecostes Sectione, & Capite 2. propendet magis in celebrationem primam à Sancto Petro, quàm à Sancto Iacobo, simulque proponit vt probabile, omnes Apostolos vnà cum Sancto Petro vt principaliori celebrante peregisse Sacrificium primum, non secus ac solent Neopresbyteri cum Episcopo ordinante. Alius dicet, non solos Apostolos, sed etiam cæteros, qui ex discipulorum numero creati essent Sacerdotes, concurrisse ad consecra-

tionem,

tionem, nam vt Capite 5. censet P. Raynaudus, primo Sacro interfuerunt centum, & viginti, de quibus Actor. Cap. 1. Vers. 15. & Cap. 2. Vers. 1. cumque omnes illi divino cibo communicarint, vt ibidem statuit idem Author, æquum videri potest, eos, qui Sacerdotio præfulgebant, communicasse sacrificando. Alius cogitabit, tum Apostolos, tum discipulos, qui Sacerdotes erant, consecrasse diversas materias eodem tempore, nam ordinata ab vno Apostolo auspicatio, quam tunc desiderandam ait Raynaudus Capite 2. non debet in hoc negotio multùm desiderari. Vel alius dicet, vnum post alium successivè sacrificasse eodē mane citra temporis angustias, quippe formula celebrandi fuerit brevissima, vtpote continens solam orationem Dominicam, & verba consecrationis, vt tradit Sanctus Gregorius Magnus Lib. 7. Epistola 63. Et hoc pacto nec altarium, neque vestium sacrarum pluralitas curam ingeret; à qua tamen circa vestes sacras non manet liber Raynaudus, siquidem eas fuisse adhibitas in primo Sacrificio, persuadeat sibi ad C. 3. cum antea ad 1. de altari probando oblitus non fuisset.

915 Mihi videtur, abstinendum esse prudenti cuique ab asseverāda secunda, vel tertia ex propositis cogitationibus, vti circa primam suam probabilem abstinuit Raynaudus, nam nō agitur de eo, quod potuit fieri absq; implicantia contradictionis, sed quod factum sit; & cum id noscendum fuisset vel ex sacris litteris, vel ex Patribus antiquis, vt certò, aut opinativè affirmaretur, abest ad eos tres mentis discursus lux Oraculorum divinorum, & documentum veterum Patrum.

916 Atque hinc, eisdemque de causis concludo, deesse sufficiens fundamentum, vt asseratur, Sanctum Iacobum fuisse, qui principaliter celebravit primum Sacrum Hierosolymis, nam Canon Trullanus, qui multos duxit in hanc persuasionem, nō id expressit. Et quanuis vt redditur à Gratiano, quidpiam præseferat, tamen (de quo dolet Durantus Lib. 2. Cap. 3. n. 6.) versio illa corrupta est, & depravata, textuique Græco discors, quod etiam notatur in editione iussu Gregorij 13. Pontificis Maximi. Rursus quanuis Can. Trullanus expressisset illud, versioque Gratiani legitima foret, tantæ non sunt authoritatis Canones Trullani, vt eis debeat præstari fides. Est quidem verosimilius mihi, Sanctum Petrum Hierosolymis auspicatum esse primam Missam. Sed neque id fidenter affirmo, potuit enim loco cedere Sancto Iacobo, aut alij Apostolo in sacro illo munere obeundo. Et hæc pro illustrando Canone *Iacobus*.

SECTIO LVII.

Plura de Missa prima.

917 QVÆ ad ipsam spectant, discussit adeo exquisitè, & diligenter Pater Raynaudus in præcitata Tractatione, vt vix quidpiam reliquerit, in quo elucere possis posteriorum labor, & industria. Nihilominus ingenuè, & publicè fatens per quem profecero, attingam breviter puncta, quæ ille diffusè, ea enim faciunt ad pleniorem illustrationem Canonis *Iacobus*, & ad nostri Tractatus de divino Sacrificio Missæ perfectionem: addemusque paucula, quæ obseruavimus.

918 Disquiritur itaque primò, quandonam celebrata est prima Missa ab Apostolis? Respondeo primò, supponi ab omnibus, Apostolos non consecrasse in triduo mortis Christi; imò à nonnullis defendi, non potuisse tunc consecrare. Sic Quartus in Appendice de Sacrificio Missæ, quæstione 1. puncto 7. asserens animosè quod Cardinalis de Lugo Disputatione 6. de Eucharistia, Sectione 8. num. 201. Disp. 19. Sectione 6. ex numero 85. Garcia in Summa morali de Excellentijs Sacerdotij Tractatu 3. Difficult. 1. dubio 4. puncto 1. ausi non sunt post hinc, & inde exagitatam quæstionem. In qua quia nec Garcia, nec Quartus quidpiā addunt scriptis ab Eminentissimo Cardinali, & ego in Disputatione 3. num. 38. & 39. curavi his satisfacere, quin habeam parergon aliquod, ideo tollo manum de tabula, allegans prosententia ibi adstructa Emmanuelem Matcarenhas Tractatu 4. de Sacramentis

Disput. 10. Cap. 5. num. 580. Raynaudum sect. 1. Cap. 2. pag. 19. Nec fauet Vazquez assertioni contrariæ, etsi ex quadam illius sententia desumi posse non leue argumentum, Raynaudus admoneat.

919 Respondeo secundò, esse incertum, primam Missam fuisse ab Apostolis celebratam eo ipso die, quo Spiritus sanctus super ipsos descendit, paulò ante aduentum illius, etsi affirment Democharis de Missę Sacrificio, Cap. 4. Iacobus Faber pro sancto Missæ Sacrificio pagina 51. Iosephus Vicecomes Volumine 2. Obseruationum Ecclesiasticarum Lib. 1. Cap. 15. & 16. Pamelius in Liturgicis tomo 1. pagina 34. Genebrardus in Liturgiam Sancti Dionysij Cap. 7. Ludouicus Richeom^a in Emblematis sacris de Eucharistia, in 8. de panibus primitiarum num. 10. & 11. Raynaudus sect. 1. Cap. 3. & 4. ac sequentibus; ex cuius fide allego Richeomum. Addit Christianum Adrichomium in Theatro terræ sanctæ numero 26. de Tribu Leui, pag. (mihi) 65. Sed Adrichomius tantùm ait, [Apostolos mox post acceptum Spiritũ S. Missæ, seu Liturgiæ celebrasse Sacrificium, atq; fideles tunc temporis quotidie corpori, & sanguini Domini communicasse.] Quod aliud est ab scopo Raynaudi, vt ipse declarat sect. 2. Cap. 6. pag. 333. estque ferè certum, quod scribit Adrichomius, nam post narrationem de baptizatis die ipsa, qua aduenit Spiritus sanctus, subiungitur C. 2. Actor. V. 42. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Vbi pro *fractione panis* ponit *Eucharistiæ* Syriaca versio, & de vsu Eucharistiæ interpretantur communiter Patres, & Expositores Biblici verba illa. Ex Modernis vnum tantùm Expositorem nominabo, P. Ioannem Antonium Velazquez, omni nostro elogio maiorem, L. 3. de Eucharistiæ augustissimo Mysterio, dissertatione 4. adnot. 1. num. 3. Quare vix dubitari potest de incæpto eo vsu mox post diem Pentecostes, nam ipsomet die post descensum solemnem diuini Spiritus non suppetijt tempus ad celebrationem, in qua fieret communicatio fractionis panis, vt loco postremùm citato aduertit ipsemet Raynaudus. Et fortè aliqui alij ex præ-laudatis Authoribus non aliud significarunt, aut intenderunt, quàm quod Adrichomius.

920 Pergamus ad Patres Ecclesiæ. Et in primis Sanctus Thomas in Opusculo 57. Lectione 5. declarans mentem Vrbani IV. Papæ in instituēda festiuitate Eucharistiæ feria quinta post Octauam Pentecostes (de qua institutione constat ex Clementina vnica de Reliquijs, & veneratione Sanctorum) inquit, [Vt qui per totum anni circulum hoc Sacramento vtimur ad salutem, eius institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus sanctus corda discipulorum edocuit ad plenè cognoscenda huius mysteria Sacramenti. Nam & in eodem tempore cæpit hoc Sacramentum à fidelibus frequentari.] Hæc Sanctus Thomas, quibus in Officio Ecclesiastico feriæ 6. infra Octauam Corporis Christi vtitur Ecclesia Romana, Nocturno 2. Lectione 5. Sed quæ non dicunt, cęptam frequentari Eucharistiam proximè ad aduentum Spiritus sancti; percipiunturque satis idoneè, si proximè post.

921 Isychius Libro 2. in Leuiticum Cap. 9. ait, [Tunc Christus Sacrificium suum innotescere cæpit, ex quo Spiritus aduenies Parthos, & Medos, & Elamitas, & omnium gentium primitias ad Apostolorum Cœnaculi superiora collegit.] Quæ verba transtulit ad Glossam Ordinariam Strabus Capite 9. Leuitici, Vers. 2. Intelliguntur tamen commodè de prouulgatione, notitiaque maiori Sacrificij Eucharistici ex tempore accepti ab Apostolis Spiritus sancti, & conversionis Parthorum, Medorum, &c. Idem Isychius inferiùs inquit, *Sine dubio agentibus eis sanctum mysterium, & Dominicam cœnam celebrantibus, aduenit Spiritus.* Qui locus videtur esse satis clarus. At si subsequentia verba attentè legantur, nullatenus favet, prosequitur enim Isychius, [Quod etsi non planiùs expositum habemus, multa quippe studio brevitatis Scriptura diuina prætermisit, quæ fas est ex alijs colligere. Erat enim dies, qui appellatur Dominicus, in quo oportebat modis omnib^a, agere Apostolos mystica sacra. Nam & nos illorum sequentes traditionem, Dominicam diem diuinis conuentibus

uentibus sequestramus. Invenimus autem & Christum similiter post resurrectionem à mortuis per mysticę cœnę, & panis fractionem manifestatum. Quod apertè quidem Lucas, planiùs tamen etiam Ioannes Evangelista tradit.] Mutuavit ab Isychio hæc etiam verba Strabus supra V. 6. Ex quibus patet, non solo die Dominico, quo Spiritus sanctus descendit, sed & alijs antecedentibus Apostolos sacrificasse iudicio Isychij.

922 Venerabilis Beda in Homilia de Pentecoste fatur ad hunc modum, [Sed & hoc, quod in veneratione acceptæ legis omnib⁹ annis Sacrificium Domino die Pentecostes offerri iussum est, in nostra quoque festivitate spiritualiter agi ex acceptæ gratię tempore nunquàm desijt. Novũ quippe in ea Sacrificium offert Ecclesia, cum Sabbatho incipientis sanctæ Pentecostes novum adoptionis populum per baptismum Domino consecrat, ritu verè decentissimo, sicut & supra monuimus; vt non solũ populis Christianis veteris facti memoria innovetur, sed & in veram renatorum sobolẽ nova Paracleti à Patre missio celebretur. Novum in ea in Sacrificium Domino ipsi quoque Apostoli, mox, accepto dono Spiritus Sancti, obtulerunt, cũ evangelizantes his, qui convenerant, plurimos converterũt ad fidem, & hos fonte baptismatis renatos, ac Spiritus gratia sanctificatos, vivas vtique novi testamenti primitias ad communionem Dominici altaris obtulerunt.] Hucvsq; Venerabilis Beda, qui in his verbis, non proximè antè, sed post Spiritus sancti missionem refert frequentationem Sacrificij Eucharistici, & participationis de eo à fidelibus.

923 Sic etiam Paschasius Rathbertus Lib. de Corp. & sanguine Domini C. 21. dicens, [Ex quo renouati sunt sancti Apostoli per adventum S. Spiritus de Cœlis, & inebriati musto charitatis; ex eo sanè credimus, hunc calicem in Ecclesia consecratum, quoniam ille Spiritus veritatis, in quo renovati sunt ex vetustate, induxerat eos in omnem veritatem, & confirmaverat in plenitudinem doctrinæ. Profectò vbi iam sicuti à Christo, ita sanè ab eis, & deinceps in novitate Spiritus sancti consecratur.] Hæc ibi Paschasius; quanquàm In C. 10. dicat, [Quo haustu (Eucharistici calicis) illi ebrij erant hora dici tertia, super quos se idem Spiritus sanctus pleniùs diffuderat.] Iuxta Paschasium igitur non modò post aduentum Spiritus sancti, sed etiam ante est celebratum Sacrificium ab Apostolis.

924 S. Chrysostomus tomo 5. Græco-Latino ex editione Frontonis Ducæi Sermone 36. de Sancta Pentecoste pag. 550. ita effatur, [Vt ambigeret nemo, & quęreret, quid tandem In Cœlos ascendens Christus egisset, nũ Patri nos reconciliasset, num propiciũ ipsum reddidisset? vt nobis ostenderet, se naturæ illum nostræ placatum reddidisse, confestim nobis reconciliationis illius dona misit. Cum enim vniti sunt, & reconciliati inter se inimici, post reconciliationem statim sequuntur invitationes, convivia, & munera.] Verumtamen hæc verba neque respiciunt ad convivium Eucharisticũ, sed ad vulgare inter homines reconciliatos; neq; si respiciant ad illud aliud, significant ampliùs, quàm post demissionem Spiritus sancti successisse illud aliud. Attendatur verbis sequentibus, vt sensus S. Doctoris pateſcat, [Misimus ergo nos fidem (inquit Chrysostomus) & inde Spiritus dona recepimus, misimus obedientiam, & iustitiã recepimus. Atque vt intelligatis, reconciliationis Dei donum esse, quòd Spiritus sanctus est datus, ex Scripturis id vobis persuadere conabor, &c.] Nec S. Chrysostomus cum in recapitulatione totius Sermonis ait pagina 559 [Ostendimus adesse Spiritum sanctum ex remissione peccatorum, ex responsione facta Pastori, ex sapientiæ, scientiæque sermone, ex ordinationibus, ex mystico Sacrificio,] respexit ad Sacrificium factum ab Apostolis in Pentecoste, sed à Flaviano Episcopo, die illo, quo S. Doctor concionabatur, dixerat enim pag. 553. [Nisi esset Spiritus sanctus, Pastores, & Doctores in Ecclesia non essent, nam & isti per Spiritum fiunt, sicut & Paulus dicit, In quo vos Spiritus sanctus posuit Pastores, & Episcopos. Vides hoc quoque per Spiritum fieri? Nisi esset Spiritus sanctus in hoc communi Patre, ac Doctore, cũ paulò ante sacrum hoc in tribunal ascendit, ac vobis omnibus pacem dedit,

eique simul omnes acclamastis, Et cũ spiritu tuo: idcircò non cum ascendit tantùm, neque cum vos affatur, neque cum pro vobis orat, ac illi voce acclamatis, sed cũ huic sacrę mensę assistit, cum tremendum Sacrificium est oblaturus (nam quid dicam, norunt qui sunt mysterijs initiati) non priùs attingit proposita, quàm vobis ipse gratiam fuerit precatus à Domino, vosque illi acclamaveritis, Et cum spiritu tuo: quare spõsione vobismet ipsis in memoriam revocatis, nihil eum præstare, qui adest, neque naturæ humanæ rectè facta esse proposita dona, sed præsentem Spiritus gratiam, & ad omnia advolantem mysticum illud perficere Sacrificium.]

925 Sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitan⁹ in Theoria rerum Ecclesiasticarum accedens ad declarãda consecrationis verba scribit, [Ipse dixit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Ipse, & Apostolis iussit, & per illos vniversæ Ecclesiæ hoc facere. Hoc (enim ait) facite in meam commemorationem. Non sanè id facere iussit, nisi vim inducturus fuisset, vt id facere liceret. Et quæ est deprecatio (meliùs redditur ex textu Græco, & quæ est potestas, aut vis?) Spiritus sanctus, virtus, quæ ex alto Apostolos armavit, vt eis à Domino dictum fuerat, Sedete in vrbe Ierusalem, donec induti fitis virtute ex alto. Hoc opus est eius ingressus. Non enim semel egressus, in posterum dereliquit nos, sed est nobiscum, & erit in perpetuum; & in ævum hoc per manum Sacerdotum, & linguam mysteria conficit. Ac non sanctum Spiritum dumtaxat misit Dominus noster, vt maneat nobiscum, sed & ipse pollicitus est, se mansurum nobiscum vsq; ad consummationem sęculi. At Paracletus incõspicuus adest, quia ipse corpus non gestavit: Dominus verò conspicitur, & tangi se patitur per tremenda, & sacra mysteria, vt qui nostram naturam acceperit, eamque gestet in sæcula.] Tantùm S. Germanus, descriptus à Nicolao Cabasila in Expositione Liturgię C. 28. sensusque eorum videtur esse, per Spiritus sancti virtutem communicatam die Pentecostes instrui Sacerdotes ad sacrificandum. Sed hinc vt summùm deducitur, fuisse eo ex die iuxta Sanctum Germanum instructos Apostolos ad idem ipsum. Præcitatus Cabasilas C. 37. ageus de vsu Græcorum inijciendi calici consecrato aquam calidã, paulò ante consumptionem, revocat eum vsum in significationem descensus Spiritus sancti sub ignis specie ad Ecclesiam, [Descendit enim tunc, vniuersa Incarnationis Dominicæ peracta œconomia; nunc autem oblato Sacrificio, & consummatis donis, versatur cum ijs, qui dignè fuerunt eorum participes.] Cæterùm ad huiusmodi significationem satis est, quòd proximè post adventum Spiritus sancti sacrificarint Apostoli.

926 En perpendimus Patres, qui adducuntur pro prima Apostolorũ Missa propè descensum diuini Spiritus, & vt visum est, vel docent, factam fuisse paulò post, vel iam anteà, ex dieq; Resurrectionis Dominicæ solitos Apostolos operari rei diuinæ: nulluſque Patrũ clarè asseverat prius illud; ideòque respondimus, esse incertum. Cum enim Scripturæ sacræ hìc sileant omnino; & Patres non exprimant, sequitur, esse absolutè incertum, nam rationes, quas miro ingenio, & eruditione prosequitur Raynaudus ex Sectionis 1. C. 5. vsque ad 19. congruitatem tantùm quandam continent, vt ipse fatetur C. 4. ad finem, & ad pleraſq; sufficit, si proximè post diem Pentecostes Sacrificiũ Christianum percrebuerit. Ostendunt quidem, potuisse fieri, & ex competẽtibus finibus, vt prima Missa auspicata sit ab Apostolis, instante descensu diuini Spiritus, sed quod factum sit, non convincunt.

927 Imò in contrarium suppetunt rationes etiam non incongruę. Vna est, quòd non oportebat Apostolos diuina hostia litare, & de ea participare, antequàm accepissent Spiritum sanctum. Sic Christus non permisit, se post Resurrectionem tangi à Magdalena ante acceptum Spiritum sanctum, vt notat S. Cyrillus Alexandrinus L. 12. in Ioannem ad Cap. 22. V. 17. his verbis, [Cum nondum missus esset nobis sanctus Spiritus, nondum enim ad Patrem ascenderat, idcirco Mariam abigit, vt quæ nondum Spiritum accepisset, dicens, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, id est, nondum sanctum Spiritum dimisi ad vos.

Inde

Inde sanctæ Ecclesiæ exemplum sumpserunt. Quippè à sacra mensa etiam arcemus eos, qui Deitatem quidem eius agnoscunt, & fidem iam professi sunt, ideſt, Catechumenos; sed nondũ tamen sancto Spiritu ditati sunt; nec enim in ijs, qui nondum baptizati sunt, inhabitat. Postquàm autem sancti Spiritus facti fuerint participes; tunc Seruatorem nostrum Christum tangere, nihil prohibet. Quapropter ijs, qui eulogiæ mysticæ fieri volunt participes, diuinorum mysteriorum Ministri inclamant, Sancta sanctis, dicentes, sanctorũ participationem decere eos, qui sanctificati sunt in Spiritu.] Hactenꝰ S. Cyrillus, qui & tradit, non contingendum Christum sacramentatum nisi post susceptum Spiritum sanctum, & pulchrè confirmat morem antiquum Ecclesiæ non conferendi Catechumenis Eucharistiam, de quo iam nos in num. 885.

928 Altera ratio est, quia cum ante aduentum Spiritus sancti non esset promulgata religio Christiana, non expediebat, vt Sacrificium incruentum, propriumque eius perageretur ab Apostolis, quippe religio, & Sacrificium habeant inter se nexum. Hanc rationem attingit Raynaudus sect. 1. C. 3. pag. 26. & copiosè exornat in toto C. 7. Vt autem accommodata est ad inferendam celebrationem Sacrificij Eucharistici in Pentecoste, & quemadmodùm priori loco affertur à Raynaudo, vt suadeat, non fuisse sacrificatum ab Apostolis mox post Resurrectionẽ Xpi; sic alius potest vti ea, vt probet, ne vel breuissimo quidem tempore ante Spiritus sancti descensum Apostolos applicuisse animos, & manus Eucharistico Sacrificio, valet enim æquè ad id posterius, ac ad illud priꝰ suadendum, vel nihil valet ad prius.

929 Tertia ratio confici potest expendẽdo verba Actor. C. 1. V. 14 C. 2. V. 42. Nam in primo loco dicitur de Apostolis ante Pentecosten, *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius.* In secundò autem dicitur de baptizatis, postquàm aduenit Spiritus sanctus, *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* In primo fit mentio de sola oratione. In secundo numerantur verbum Dei, Eucharistia, & oratio, nam per communicationem fractionis panis intelligi cõmunionem Eucharistiæ, quam præcesserat consecratio sacrificativa corporis, & sanguinis Dominici, iam supra notatum est ex communi Patrum, & Interpretum calculo. Silentium autem de Eucharistia in primo loco indicium est de non vsu eius ante Pentecosten: & è contra memoria de ipsa immediatè post diem Pentecostes est signum de ea illico cæpta frequentari à fidelibus.

930 Atque hinc respondeo tertiò ad quæstionem, esse incertam primæ Missæ celebrationem mox post Resurrectionem Christi, aut diebus aliquot ante Pentecosten. Asserunt tam anticipatum Initium Sacrificij ab Apostolis Lorinus in Acta C. 1. V. 14. Herrera Lib. 1. de Origine, & progressu rituum Missę C. 16. putantque, eiusdem esse mentis S. Proclum Archiepiscopũ Constantinopolitanum in fragmẽto de traditione diuinæ Liturgiæ, cuius Patris antiqui verba dedi iam in numero 556.

931 Sed si ea paulò attentiùs cõsiderentur, constabit primò, S. Proclũ non loqui de Apostolis ante Ascensionem Christi, ait enim, *Postquàm Seruator noster in Cœlum assumptus est, Apostoli, priusquàm per orbẽ terrarum dispergerentur, conspirantibus animis ad toto die orandum conuertebantur.* Constabit secundò, neque etiam loqui de ijsdem Apostolis ante Pentecosten, nam inquit, *Enimverò tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus eos, qui recèns illuminati erant, ijs, quæ ad gratiam consequendam faciebant, assuefaciẽtes, quæque ante donum gratiæ omittenda, docentes, cum ipsi essent vmbra gratiæ, piè informarũt.* Hęc S. Proclus, quę certè nõ accidere sit ante Pentecosten, sed post. Vnde verba immediatè subsequuta, & quę præbuerunt ansam ad attribuendam eam mentẽ S. Proclo, scilicet, *Per has igitur preces Spiritus sancti aduentum expectabant, vt qui diuina præsentia propositum in Sacrificiũ panem, & vinum, aquæ permistum, ipsum illud corpus, & sanguinem Seruatoris nostri Iesu Christi efficiat*, ista, inquam, verba non sunt intelligenda de aduentu visibili Spiritus sancti in Pentecoste, sed de inuisibili ad transubstantiationem efficiendam panis in corpus, & vini in sanguinem Christi, mediantibus verbis consecratorijs prolatis à Sacerdotibus:

quem

quem adventum postulabant Apostoli suis precibus, quando se accingebant ad consecrandum; & in omnibus Liturgijs Græcis preces huiusmodi habentur, vt modico labore, & vno oculorũ iactu conspicere est apud Arcudium L. 3. Concordiæ Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis C. 27. & apud Cardinalẽ de Lugo Disput. 11. de Euch. sect. 1. quanquam habeantur, & dicantur post verba Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei.* Vnde Simeon, & Nicolaus Præsules Thessalonicenses, Marcus Ephesinus, Hieremias Constãtinopolitanus, Gabriel Philadelphiensis decepti existimarunt, non fieri consecrationem, quoadvsque verbis Xpti adiungatur invocatio de adventu Spiritus sancti. Errorem eorum Græcorum fusè, & sapienter profligant prænominati Authores, ostenduntq;, fuisse perperam arreptum ex invocatione illa in Liturgijs post posita verbis Christi.

932 Et Arcudius sanè, cum ad finem C. 29. adiunxisset S. Proclum numero Patrum, qui videntur favere Græcis illis recentioribꝰ, postea in calce C. 36. intelligens eum in sensu, in quo nos, explicat sic ipsum, [S. Proclus Constantinopolitanus Patriarcha non ait differè, per preces fieri corpus Christi, sed per preces expectari Spiritus sancti adventum, vt sua divina præsentia illud efficiat; efficiat, inquam, per verba Christi, vt de invocatione diximus. Hoc fieri supplicat Sacerdos, neque enim fas est, illotis, quod aiunt, manibus, tantum mysterium aggredi. Itaque per preces commodissimè possumus intelligere eas, quæ verba Xpti præcedunt. Quod his rationibus probatur. Primò, quia S. Proclus has preces dicit, fuisse prolixas:: Sed preces illæ Græcorum, etiam secundùm Græcos, nõ sunt prolixæ, sed valde paucæ:: Deinde quia ibidem S. Proclus veram inculcat formam, & de Sanctis Apostolis, & antiquissimis Patriarchis:: dicit, eos in memoria semper habuisse verbum illud Domini, *Hoc est corpus meum, & Hoc facite in meam commemorationem.* Non igitur alijs precibus, præter quàm verbis Christi intelligebat fieri corpus Christi.] Hucvsque Arcudius. Quare non benè allegatur S. Proclus.

933 Citatur etiam Isychius Lib. 2. in Leviticum Cap 9. inquiens; [Illud autem nunc necessariè addimꝰ, sancti Spiritꝰ in Pentecosten provenisse descensionem, cum in vnum congregati essent Apostoli, omniaq; secundùm legem Ecclesiæ agerent, significare cõsideravit Legislator, rectè præcedere Sacerdotis Sacrificia, ac deinde subinferri populi præcepit. Oportet enim Ecclesiæ doctrinam à Sacrificio Vnigeniti inchoare, vt introducantur docentes, quid nobis Passio Dominica profecerit, aut contulerit, atque ita subinferatur sermo pœnitentiæ, quem omnes vtique, vt homines, necessarium habemus.] Et inferiùs, [Hæc sine dubio diebus Pentecostes maximè agebant discipuli Domini, propter quod in vnum tunc collecti erant, quod manifestat S. Lucas dicens, *Et dum complerẽtur dies Pentecostes, erant omnes simul vnanimiter.* Quid autem erant collecti agere, nisi ea modis omnibus, quæ dicta sunt? Nam etsi palàm non prædicabant, & propterea intus erant, in superioribus sedentes, necdum verba dissemināntes, siue palàm loquentes, quia de ostio tabernaculi testimonij nondum erãt iussi egredi, vsque dum de excelso induerentur Spiritus virtute: verumtamen in semetipsis quia hæc agebant, manifestum est; & quęcumque decent Ecclesiam meditari nõ cessabant, vt ipsum videlicet in semetipsis haberent Christum, qui est caput Ecclesiæ:: Siue autem concionari, id est, populum exhortari, siue Prophetas interpretari, & Cleros sociare, Ecclesiastica dispensationis, & ordinis fuit.] Hactenus Isychius transcriptus ab Strabo Fuldẽsi in Glossa Ordinaria ad C. 9. Leviticī V. 15. & abs dubio allegatur rectè, etsi enim non declaret, Apostolos inchoasse sacrificare ex die Resurrectionis Dominicæ, tamen aperte tradit, incæpisse ante diem Pentecostes.

934 Vlteriùs ex Beda in C. 1. Actor. & ex communi Ecclesiasticorum testatur Augustinus de Herrera, Apostolos proximè post Christi Ascensionem litasse. At Beda ad C. 1. Actor. nec vnum verbum profert de hac re. Citatur à Raynaudo sect. 1. C. 4. pag. 35. ad C. 2. Actor. pro sua opinione de celebrata Missa in die Pentecostes. Sed nec ibi quidpiam reperio. Affert quidem

dem Pamelius sub titulo de hoc puncto pag. 37. quædam verba Bedæ ad Cap. 2. Actor. sed vt ex die Dominico, quem suo consecravit adventu Spiritus sancti, inferatur, Pascha debere incidere in diem etiam Dominicum; quod Beda suis his intendit verbis, [Non à Domini Passione, sed sicut Beatus Augustinus exponit, ab eius Resurrectione dies quinquagesimus, quo Spiritus sanctus missus est, computatur: qui redeunte signi veteris exemplo, ipse sibi manifestissimè diem Dominicum suo consecravit adventu. Quò etiam temporis articulo verum Pascha die Dominico monstravit esse celebrandum.] Et hæc de V. Beda. Porrò illud de cōmuni Ecclesiasticorum ab Herrera asseveratum latet me, cum non nisi paucos Ecclesiasticos legere licuerit, qui rem hanc pertractent.

935 Vnus est Amadeus Franciscanus raptu 8. suæ Apocalypsis ex editione R. P. F. Petri de Alba tomo 1. Bibliothecæ Virginalis pag. 708. inquiens, [Maria in Cœnaculo existens cum Apostolis, & discipulis perseuerabat in fractione panis benedicti; Dominum Christum filium suum ipsa etiam in humanitate cernebat oculo mentis suæ, & alij solùm credebant, sicut viatores credunt, & tantò firmiùs quantò illud multis miraculis ratificatum iam vidissent. Et post adventum Spiritus sancti Maria nunquàm in habitaculo suo sine hoc Sacramento manebat; & ita filium suum, quoties desiderabat, videre poterat, & videbat.] In prioribus verbis, si conferantur cum posterioribus, videtur loqui Amadeus de Eucharistiæ communione frequentata à Virgine Matre ante adventum Spiritus sancti. Sed si ad alia paulò antecedentia reflectamus oculos, similis vero est, non loqui nisi post eum advēnum, dixerat enim Amadeus, [Maria verò cum omnibus illis perseverabat in oratione, & omnes confortabat, atque corroborabat, vt se diligenter ad Spiritus sancti susceptionem præpararent; quem decima die ab Ascensione filij sui omnes susceperunt.]

936 Insuper nonnulli allegant in communi Ecclesiasticos Patres, qui apud Maldonatum C. 26. Matthei V. 29. & apud Turrianum in posteriori Tractatu de Euch. C. 3. interpretentur de Eucharistia verba illa Christi, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*, loco citato Matthæi; cui similia habent Lucas C. 22. V. 16. Marcus Cap. 14. V. 25. Vt autem ea interpretatio specie probabilitatis non careat, referenda videtur ad participatum à Christo poculum Eucharisticum post Resurrectionem suam semel, aut iterùm, sacrificantibus Apostolis in eius præsentia, antequàm ascenderet in Cœlum. Sed tamen nullus est Ecclesiæ Pater siue apud Maldonatum, siue apud Turrianum, qui subiūctæ considerationi adfaveat. Etsi enim aliqui explicent ea verba vt dicta post cœnam Eucharistiæ, & per *regnum Patris*, aut *Dei* intelligant spatium quadraginta dierum à Resurrectione vsque ad Ascensionem Christi; nihilominus non interpretantur de poculo Eucharistico, sed de communi verba illa, *Cum illud bibam vobiscum nouum*, eo quòd sæpe Christus post Resurrectionem ederit, & biberit cum Apostolis. Hic est sensus Patrum, de quibus Maldonatus: alij autem, de quibus Turrianus, non aliud aiunt, quàm intelligendum esse Christum de Paschate mystico sui corporis, cum dixit, *Desiderio desideraui, hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar*, Lucæ C. 22. V. 15.

937 Non nego, Isychium L. 2. in Leviticum C. 8. significare, sacrificatum fuisse à Christo coram Apostolis sæpè post Resurrectionem, nam ad verba illa Cap. 8. Levitici V. 33. & 34. *Septem enim diebus finitur consecratio, sicut in præsentiarum factum est, vt ritus Sacrificij compleretur*, subnectit hæc, [Quia non semel eos consecravit sanguine, & panibus, sic enim cognovimus in præcedentibus peractam consecrationem, seu consūmationem. His similia & Lucas tradit, ait enim de Domino, & discipulis, *Quibus & præsentauit semetipsum post mortem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, & conuescens præcepit, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.* Cernis, quomodò cōsecrabat, siue perficiebat eos, apparens eis, & docens de regno Dei, & conv escens?] Sic ibi Isychius: quem in his verbis insinuare quod dixi, non nego, sed simul aio, deesse fundamentum in litteris

litteris sacris ad asserendam consecrationem Eucharistiæ à Christo factā post Resurrectionem, præterquā apud Emmauntinum Castellum, quando recubuit ad mensam cum Cleopha, & socio, *accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*, Lucæ Cap. 24. V. 30. tunc enim Christum consecrasse, persuasio est multorum Patrum, atque Interpretum, & Cornelij ibi cum ipsis. Nec tunc Cleophas, sociusque consecrarunt vnà cum Christo; neque siue ijdem, siue alij ex discipulis, aut Apostolis in alia occasione ante Ascensionem Christi, quia Evangelia, & Acta Apostolorum nullum præbēt indicium de consecratione, ad quam Christus redivivus, alijque convenerint.

938 Quapropter iterùm repeto, esse incertam primæ Missæ celebrationem ab Apostolis ex die Resurrectionis Christi, aut paulò post, quia in Scriptura divina caret præsidio, & ab authoritate Patrum vix habet vnū, aut alterum suffragium. Rationes verò, quæ mente agitari possunt, congruentiam tantùm quandam continebant, & ad aliquas iam cogitatas respōdit abundè Raynaudus sect. 1. Cap. 3. pag. 29. possuntque è contra per discursum apparari aliæ non minùs congruentes, ne primæ Missæ ab Apostolis celebratio adeò in antecessùm designetur, & nos iam nonnullas attulimus proximè ante responsionem tertiam.

939 Quarta, & vltima ad quæstionem responsio sit, videri nobis esse similius vero, Apostolos non sacrificasse nisi proximè post adventum divini Spiritus, cum de perseverantia *in communicatione fractionis panis* fit mentio Actor. 2. V. 42. dictumque fuerat in V. 41. *Qui ergo receperunt sermonem eius* (nempe Petri) *baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa* (videlicet Pentecostes) *animæ circiter tria millia*. Maior apud nos verisimilitudo inchoatæ tunc, & non anteà ab Apostolis Liturgiæ fundatur in silentio Scripturæ sacræ ad illud vsque tempus, & cum sit res, vt aiunt, facti, hoc non præsumitur, nisi probetur, *leg. In bello 12. §. facti 2. ff. de Captiuis, & de postliminio*, necnon sexcentis alijs apud axiomatarios Iuris. Quanquàm autem sæpè, Scriptura Sacra tacente, authoritas Patrum Ecclesiæ valeat multùm ad probationem facti; ast in re hac Patres plerique aut exprimunt, aut supponunt quod nos; aut saltem pauciſsimi sunt, qui contrarium innuant, vt ex prolixa crisi in hac Sect. ad eorum verba satis, superque compertum est.

SECTIO LVIII.

Reliqua de Missa prima.

940 DISQVIRITVR secundò, quinam præsentes fuerint primæ Missæ, & de Sacrificio participaverint? Si prima Missa celebrata sit paulò ante adventum Spiritus sancti, adfuerunt non solùm Apostoli, sed etiam alij, qui conficiebant numerum centum viginti, nam Spiritus sanctus descendit, cum iuxta C. 2. Act. V. 1. *essent pariter in eodem loco omnes*, qui iuxta C. 1. V. 15. *erat turba hominum simul, ferè centum viginti.* Si verò tempus primæ Missæ fuerit alio die post Spiritus S. adventū, non est necesse, adfuisse omnes illos centum viginti; & potuerunt adesse plures alij tū ex quingentis fratribus, à quibus post Resurrectionem visus est Christus, vt asseverat S. Paulus 1. ad Cor. 15. V. 6. tum ex circiter tribus millibus, qui baptizati sunt die Pentecostes, vt S. Lucas narrat C. 2. Actor. V. 41. Et licet post relationem de hoc baptizatorum numero, & die illa addat S. Lucas V. 42. fuisse *perseuerantes in communicatione fractionis panis*; nihilominus opus non est, vt omnes ad vnum adstiterint; satis est ad illorum verborum veritatē, si multi ex eis fuerint tunc præsentes, & deinceps diebus alijs Sacrificij iterati.

941 Qui autem primæ celebrationi, & sequentibus interfuerunt, abs dubio de Sacrificio participarunt, sic enim tulit primæva Ecclesiæ vsus, vt suppono; quidquid sit, an vsui accesserit præceptum, necne? Et nominatim in recèns baptizatis commendatur assiduitas frequentandæ communionis Eucharisticæ, vt patet ex præcitato V. 42. posteàque V. 46. scribitur vniversim de primitivis fidelib⁹. *Quotidie quoque perseuerantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem,*

sumebant

sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis : in quibus verbis loco *panis* vertit Syrus *munus benedictum*, & ibi per *panē* intelligi communiter Eucharistiam, testatur S. Antoninus p. 1. Historiali titulo 6. Cap. 2. §. 1. de ipsaque exponunt Vvalafridus, Cardin. Humbertus, Ionas Aurelianensis adducti à Pamelio in Liturgicis Latinorum tomo 1. pagina 37. & 38. Consentiunt ex modernis Baronius, Gagneius, Mōtanus, Salmeron, Cornelius, Sanctius memorati à Raynaudo Sect. 1. Cap. 4. pag. 38. Quare scripsit nuper Alfonsus Vazquez Discursu 1. de tribus Missis Cap. 3. num. 9. Lorinum absque ratione dubitasse de ea intelligentia, refertque illum vnicè. Sed Lorinus (qui nedum dubitavit, vt Alanus L. de Euch. Cap. 41. sed etiam consultò dissensit) non fuit solus, nam & Lyra, Carthusianus, Caietanus, Ferus, Mariana, Salazarius, Lintrensis, alijque post S. Chrysostomum, Oecumenium, Euthymiū, Theophylactum, Bedam adnotatos à Lintrensi, & à Salazario in Praxi frequentiæ communionis sacræ Cap. 3. fol. 14. interpretati sunt de pane vsuali, atque communi; & Glossa Interlinealis, Hugo de S. Charo, Gordonus, alijque de vtrolibet. Ecquis autē credat, tot, tantosque Interpretes absque ratione loquutos? Lectusque Lorinus satis sibi defensioni erit; imò & opinio magna, quam meritò obtinuit apud omnes sacrarum litterarum peritos, sufficiet, ne fides adhibeatur dicenti citra probationem, ambiguum fuisse sine ratione Lorinum in puncto, quem studiosè examinavit. Posteriora igitur Actorum verba non sic à me adducuntur pro communione quotidiana primitiuorum fidelium, vt non agnoscam, & fatear, Patres multos, & Interpretes, componentesque lucidiorem phalangem in æstimatione Salazarij, & motos ratione admodùm probabili intelligere aliter illa.

942 Inter fideles autem participes cibi Cœlestis in prima Sacrificij oblatione facta ab Apostolis nemo prudens, & pius non recensebit Deiparam Virginem, quæ cum Apostolis adfuit die Pentecostes in eodem loco, vt deducitur ex Cap. 2. Actor. V. 1. collatò cum Cap. 1. V. 14. estque Catholicorum communis existimatio, quam contra Theodorum Bezam carpentem ipsos, quòd B. Virginem pingāt in medio Apostolorum, cum Spiritus sanctus descendit, tuetur eruditè Molanus L. 4. de Imaginibus C. 15.

943 Porrò Raynaudus sect. 2. C. 5. pag. 328. infert, Deiparam communicasse proximè ante adventū Spiritus sancti (quo tempore celebrationem primæ Missæ designat) quia de B. Virgine proximè post eum adventum Cap. 2. V. 42. scribitur, perseverasse in fractione panis. Verumtamen verba V. 42. debent accipi de Neophytis, & nō de illis omnibus, de quibus in V. 1. C. 2. & in V. 14. Capitis 1. nam ex eorum numero principales erant Apostoli; & in V. 42. Cap. 2. Apostoli ipsi non dicuntur *perseuerantes*, sed alij *in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Adhæc: perseverantia sumi potest in eo V. 42. relativè ad tempus sequens, quin sic debeat sumi ad tempus præteritum, vt patet ex eodem adverbio *perseuerantes* Vers. 14. C. 1.

944 Antonius de Molina Tractatu 3. de Institutione Sacerdotū Cap. 1. pag. 267. ait, Deiparam Virginem tunc primò accepisse Eucharistiam, cum primò inter Apostolos Sanctus Iacobus minor celebravit. Quod posterius iam supra est discussum; & prius aliud non erit verum, si in postrema Cœna Christi communicavit sanctissima Mater, vt censent Aloysi⁹ Novarinus in Agno Eucharistico n. 458. Gaspar Ruiz in quæstionib⁹ selectis super 3. partem, quæst. 66. art. 2. dub. 1. V. *Secundò probatur*, pag. 535. Ioannes Sylveira tomo 3. in Evangelia Libro 5. Cap. 25. quæst. 19. num. 134. alijque à me relati Disp. 2. num. 26. quorum dux fuit Cardinalis Marcus Vigerius Frāciscanus in Decachordo Christiano Chorda 7. Cap. 26. qui pijssimus vir obijt Romæ anno 1516.

945 Ast ego in num. 28. Disp. illius 2. satis significavi, quàm incerta sit ea communio. Landrmeter etiam Libro 2. de Vetere Clerico Monacho Cap. 98. pag. 289. inquit, non interfuisse Matrem vltimæ Cœnę filij, in qua Apostoli inaugurati sunt Sacerdotes, ne vel remota ansa daretur hæresibus, quæ posteà prodierunt. Pepuzianorum, Encraticarum, Collyridianorum,

norum, Gnosticorum, creandi fœminas Sacrificulas. Ex Authoribus tamen, qui Beatam Virginem Eucharistia tunc pastam dicunt, nonnulli, non in Cœnaculo cum Christo, & Apostolis, sed in cõclavi, aut gynæceo separato, cum pijs alijs mulieribus socijs suis, & sectatricibus nati commoratam tunc fuisse meditantur, ibique, delata è Cœnaculo Eucharistia iussu filij, refectam, simulque plas alias comites. E contra verò Salmeron tomo 12. Tractatu 11. pag. 76. putat, adstitisse in Triclinio, vt spectatrices divinorũm mysteriorũ, sed non vt convivas: quorum primum exprimitur itidem à Vigerio supra, C. 11. & secundum à Raynaudo in Diptychis Marianis parte 1. punct. 9. num. 6. parte 2. punct. 4. numero 11. qui in priori loco citat Henricum Institorem Tract. de quatuor erroribus contra veritatem Euchar. parte 1. Sermone 10. docetque cum ipso, nec B. Virginem accepisse Eucharistiam in vltima Cœna, neque huic præsentem fuisse, etsi cum Metaphraste in Oratione de Vita, & dormitione Deiparæ probabile sit, adfuisse in eadem domo, & peregisse Cœnam legalem cum socijs fœminis in penetrali aliqua aula. Henricus Institor laudatus à Raynaudo scribebat ad annum 1499. vt notò in Auberti Miræi Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis Cap. 490. Sed cum Henrici opus non viderim, nõ possum iudicare, num impugnet Marcum Vigerium, qui Decachordum dedicavit Iulio II. tenenti Pontificatum maximum ab anno 1503. vsque ad 1513. an anteriorem alium Authorem, qui eiusdem mentis cum Vigerio fuerit?

946 Ex quo autem die ad primam Apostolorum Missam B. Virgo Eucharistiam accepit, assiduè deinceps frequentavit vsque ad vitæ finem. Aloysius Novarinus in Agno Eucharistico num. 459. & Antonius de Escobar Volumine 3. in Evangelia Sanctorum Sect. 2. Panegyrico Morali, Observ. 1. numero 23. pag. 108. transcribunt hæc de B. Virgine ex Anonymo quodam in Metaphraste, [Ad divina mysteria quotidie accedebat, filij corpus, quod priùs in vtero gestaverat, sæpe visceribus inferebat.] Huius testimonij conscium se etiam ostendit Alfonsus de Andrade in Duce virtutis, & Imitatione Deiparæ, 3. parte Lib. 9. C. 24. pag. 448. Ego in Oratione Metaphrastis de Vita, & dormitione S. Mariæ apud Lipomanum, & Surium die 15. Augusti non invenio nisi verba, quæ sequuntur, [Domum læti sunt reversi (Apostoli post Christi Ascensionem) simul quidè agentes in superiori Cœnaculo, sicut constitutum fuerat, & Paracleti expectantes adventum. Erant autem in oratione vnanimiter perseverantes, sicut etiam Lucas Evangelista narrat, cum enim nominatim Christi enumerasset discipulos, deinde subiungit, Et hi omnes perseverabant vnanimiter in oratione, & precatione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & cum fratribus eius. Semper enim ipsa quoque cum eis conversabatur, à rebus pulcherrimis, & honestissimis nunquam omnino desistens.] His in verbis nec Metaphrastes, nec Anonymus habent quidpiam de Eucharistia; num alibi habeant? ignoro.

947 Scribunt tamen multa, & pulchra de frequenti Deiparæ accessu ad sacram mensam Albertus Magnus in Mariali de Laudibus Virginis, super Missus est Cap. 68. & 73. S. Antoninus 4. parte Summæ titulo 15. C. 16. §. 2. Pelbartus de Temesivar in Pomerio Sermonum de B. Virgine Lib. 7. p. 1. articulo 2. Cap. 3. Alexander Alensis, Dionysiusque Carthusianus apud Salazarium in Praxi communionis sacræ C. 3. fol. 23. Sotus apud Alexium à Salò in arte piè amandi, & colendi Deiparam pag. 215. tomi 1. Bibliothecæ Virginalis editæ à R. P. F. Petro de Alba, Canisius Lib. 1. de Maria Deipara Virgine Cap. 9. V. *Etsi verò*, Lib. 5. C. 1. V. *Acmulta*, Suarez tomo 2. in 3. partem Disp. 18. sect. 3. V. *Alterum ergo*, Henriquez Lib. vltimo de fine hominis Cap. 10. §. 8. Raynaudus in Diptychis Marianis parte 2. punct. 4. num. 11. Ioannes de Carthagena in Homilijs Catholicis Lib. 8. Homilia 1. pag. 4. Christophorus de Vega iam adductus à me in Disput. 2. n. 27. alijque recentiores. Et ex antiquis Amadeus raptu 8. suæ Apocalypsis tradit non pauca tum de quotidiana communione, tum de Viatico, quod instante morte suscepit Sanctissima Virgo.

948 Disquiritur tertiò, vbinam celebrata sit prima Missa ab Apostolis?

stolis? Respondeo, in Hierosolymitano Cœnaculo, vbi Christus instituerat, & peregerat Sacrificium incruentum sui corporis, & sanguinis. Nam Spiritus sanctus advenit super Apostolos in Cœnaculo existentes, vt noscitur ex C. 2. Actor. Vers. 1. collato cum Cap. 1. Vers. 13. & de ijs, qui illo die baptizati sunt, dicitur C. 2. Vers. 42. perseverasse *in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationib⁹*, apud idem scilicet Cœnaculum, provt intelligunt communiter Patres, & Interpretes, sicut & quòd Cœnaculum illud fuerit indistinctum ab eo, in quo Christus postremam Cœnam confecit.

949 Vnde ob institutum ibi, & peractum Sacrificium à Christo, & ob primam Apostolorum Missam ibi celebratam vocatur Cœnaculum illud à Sancto Damasceno in Oratione 2. de Assumptione Deiparæ, *Arx Ecclesiarum, materque omnium orbis Ecclesiarum*; ab Alexandro Monacho in Oratione de laudibus Sancti Barnabæ adducta à Metaphraste 11. Iunij, *magna, & sanctissima Sion, omnium Ecclesiarum maxima.* Eisdemque de causis ibi Sanctus Iacobus minor consecratus est Hierosolymorum Episcopus, vt ait Nicephorus Lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. 30. qui etiam tradit Lib. 2. Cap. 3. Sanctũ Stephanum ibi, & sex alios ordinatos esse Diaconos, vt & in domo, cuius pars erat Cœnaculum illud, vixisse ordinariè, & obijsse Deiparam Virginem; consentiuntque Sanctus Damascenus supra, & alij citati à Christophoro de Castro in Historia Deiparæ C. 20. n. 6.

950 Erat verò ea domus Mariæ matris Ioannis cognomẽto Marci, vt colligit ex Cap. 12. Actor. Vers. 12. probatque idem Christophorus; & Authoribus ab ipso allatis addo Luciũ Flavium Dextrum in Chronico, anno Christi 34. Iulianum Petri in Adversarijs num. 313. & sequentibus, Helecam Episcopum Cæsaraugustanum in Additionibus ad Marcũ Maximum pag. 225. ex editione Roder. Cari. Sed non desunt, qui eius domus alios dominos agnoscant. Referuntur à Rayn. S. 2 C. 1. pag. 281. & 282. Vvalterio de triplici Cœna Christi Cap. 7. Cœnæ 1. Salmerone tomo 9. Tractatu 3. pagina 18. Lorino, & Cornelio ad Caput 1. Actor. Vers. 13. Baronio anno Christi 34. num. 21. & 22.

951 Proximior ad Sacrificium locus est mensa, seu altare, supra quod fuisse celebratam primam Missam, dubitari vix potest ab homine pio, & cordato. Videatur Raynaudus sect. 2. Cap. 1. pag. 286. De ornatu vestium sacrarum, apparatuque reliquo, vsitato ad ad hunc vsque diem ex Ecclesiæ primordijs, nihil prudenter statui potest; etsi enim Apostoli ipsi eum sæpe adhibuerint, at non constat, adhibuisse semper, multòque minus in primo Sacro. Et dum modò dicatur, Apostolos gessisse se perquàm decenter, provt temp⁹, & occasio ferebat, nihil aliud cum fundamento dici potest. Legantur scripta à nobis Disput. 17. num. 183. & à Raynaudo sect. 2. C. 3.

952 Disquiritur quartò, qua ex formula fecerint primum Sacrum Apostoli? Respondeo cum Sancto Gregorio Magno Libro 7. Epistola 63. *morem Apostolorum fuisse, vt ad ipsam solummodò orationem* (Dominicam) *oblationis hostiam consecrarent*: quam orationem vltra verba consecrationis, siue post hæc, siue ante recitaretur (nec enim exprimit S. Gregorius, etsi magis innuat secundum) Apostoli edocti sunt à Christo dicere quotidie in corporis sui, & sanguinis Sacrificio, vt tradit Sanctus Hieronymus Libro 3. adversus Pelagianos. Si autem is fuit Apostolorum mos, quem ex authoritate Sancti Gregorij declaravi, colligitur facilè, habuisse initium in prima Missa.

953 Negandum tamen non est, Apostolos posteà, cum per tempus, & occupationes licebat, cumque deerant Gẽtilium, & Tyrannorum insidiæ, solitos sacrificare ex longioribus formulis, quas ipsi, aut eorum discipuli, & auditores nobis scriptas reliquerũt, vt Sanctus Petrus eam, qua vsus est Romæ, & de qua inquit noster Turrianus Libro 3. de Dogmaticis characteribus verbi Dei, folio 158. [Petrus Romæ Missam composuit, quæ est omnium brevissima. In causa fuit (vt apud quẽdam Simeonem Græcum Authorem notatum reperi) quòd longam moram in templo facere non esset tunc tutum

propter Christianæ gentis hostes, quibus illa vrbs Babylon magna maximè abundabat. Hæc quoque extat Græcè scripta, quæ tota est Latinè translata, quæ vsque in hodiernum diem in Ecclesijs Catholicis Occidentis solemni ritu celebratur.] Sic ille. Et hanc Liturgiam valde conformem receptæ nunc in Ecclesia Romana, breuioremque alijs Græcis antiquis, edidit in lucem Guilielmus Lindanus, etsi non sit constantis authoritatis apud omnes: quam vt concedatur vsurpatam fuisse à Sancto Petro, demptis non paucis, quę à posterioribus esse addita, innotescet legenti eam, nego tamen cum Turriano, & Raynaudo sect. 2. Cap. 4. pag. 123. contra Lindanum, iamab initio Sanctum Petrum ex eius formula celebrasse; nō enim sacrificavit à principio nisi ex regula, quam memoriæ prodidit S. Gregorius Magnus.

954 Vnde cum Sanctus Isidorus Libro 1. de Officijs diuinis Cap. 15. inquit, *Ordo Missæ, vel orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primùm à Sancto Petro est institutus*, non debet intelligi de instituto, & auspicato Hierosolymis à Sancto Petro, addit enim continuò Sanctus Isidorus, *cuius celebrationem vno, eodemque modò vniuersus peragit orbis*: hæc autem verba non quadrant in formulam brevissimam, quam Sanctus Petrus, & Apostoli alij initio vsurparunt. Et circa eadē S. Isid. verba adverto, non ita esse accipienda, vt voluerit Sanctus Doctor dicere, fieri in tota Ecclesia ordinem Missæ vno, eodemque modo quoad omnia, nec enim ignotæ erant magno Hispaniarum Doctori tot diversæ Liturgiæ, quot suo tempore, apud varias regiones vigebant; sed respexit ad compositionem multarum precum, & orationum, quæ in cunctis Liturgijs vltra consecratoria verba dicebantur.

955 Similiter Vigilius, cum nondum esset legitimus Papa, scribens ad Eleutherium Episcopum Bracarensem, Epistola 1. Cap. 5. *Ordinem precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festiuitate significamus habere diuisum; sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties verò Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festiuitas, singula Capitula diebus apta subiungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus; cætera verò ordine consueto prosequimur. Quapropter & ipsius Canonicæ precis textum direximus subter adiectum, quem (Deo propitio) ex Apostolica traditione suscepimus.* Similiter, inquam, intelligendus est Vigilius de traditione Apostolica penes ordinem Missæ seruatum Romæ à Sancto Petro.

956 Eodem modo accipienda sunt verba hæc adducta ab Herrera Lib. 1. de Origine, & progressu rituum Missæ Cap. 6. num. 1. sub nomine Innocentij Papæ III. in Concilio Lateranensi, vbi à me non sunt reperta, quāquàm meminerim, esse à me alibi lecta, *Ecclesia semper integra fide custodiuit id, quod ab Apostolis accepit, qui ei regulam Officiorum Ecclesiasticorum tradiderunt, & à beatissimis Sanctis Petro, & Paulo, qui Romæ qui escunt, ipsa modum Sacrificij celebrandi accepit, qui huc vsque inuiolabiliter sit conseruatus.* Loquitur nimirùm Pontifex (quisquis ille fuerit) de celebrandi ritu obseruato Romæ à Sancto Petro. Facit etiam mentionem de ritu, quem ibidem tenuit Sanctus Paulus.

957 Et huic etiam Apostolo tribuit scriptionem Liturgię Sauflayus in Lib. de Scriptoribus mysticis Galliæ laudatus à Raynaudo sect. 2. Capite 4. pag. 307. motusque est ex verbis Sancti Augustini Epistol. 59. ad Paulinum quæst. 5. Sancti Prosperi Lib. 1. de Vocatione Gentium Cap. 4. editionis antiquæ, & 12. noviorum, Anselmi, seu potiùs Hervæi in 1. ad Timotheum 2. V. 1. Gennadij Libro de Ecclesiasticis dogmatibus Capite 30. Transcripsi in num. 221. partem verborum Sancti Augustini. Cui insistens Gennadius dixit, *Obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia vniformiter celebrantur, vt legē credendi lex statuat supplicandi.* Hæc verba Gennadij, siue illa Sancti Augustini habita sunt præ oculis à Sancto Isidoro, cum scripsit ea, quæ à nobis expensa sunt supra; atque vt Sanctus Isidorus vocat *ordinem Missæ*, sic etiam Anselmus, seu potiùs Hervæus, nam

ad

ad illa Pauli, *Obsecro igitur, primùm omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones*, &c. inquit, *vel ordo Missæ in his verbis ostenditur*, &c. Ita ille. Et ego etiam agnosco eundem ordinem in verbis Sancti Pauli; sed neque in ipsis, neque in Sancti Augustini, aliorumque sequacium expositionibus invenio fundamentum, vt affirmem, scriptam fuisse à Sancto Paulo Liturgiam, commendavit enim tantummodo seriem orationum, quæ inter sacrificandum incæperant vsui esse in Ecclesia.

958 Contra responsionem nostram ad quartam quæstionem oppones primò Innocentium 3. scribentem in proœmio ad libros de sacro altaris Mysterio, [Primus B. Petrus Apostolus Missam Antiochiæ dicitur celebrasse, in qua tres tantùm orationes initio nascentis Ecclesiæ dicebantur. Cætera verò diversis temporibus, & à diversis personis leguntur adiecta, provt Christianæ Religionis cultu crescente, visa sunt decentiùs convenire.] Non igitur sola oratio Dominica adiungebatur verbis consecratorijs, quando primò celebrabant Apostoli. Occurro oblectioni notans, Innocentium 3. hausisse illud de tribus orationibus ex Alcuino, aut Remigio Antisiodorensi citatis iam in num. 913. Cum autem Valdensis tomo de Sacramentalibus, titulo 4. C. 28. num. 3. adduxisset verba Remigij, subdit, [Vnde verò processit hæc fabula quòd B. Petrus, & Apostoli has tres tantùm orationes cecinerunt in Missa? Quis dicet? Nisi fortè quia post Missam Petri subiunxit ibi historia de illis tribus orationibus, non tamen quòd ipse Petrus sic dicitur celebrasse deinceps, sed quia initio fidei sic celebratum est, quod postmodum per Petrum, & Iacobum potuit reformari.] Hæc Valdensis, quanquam eius scopus non idem sit cum intento à me. Quare vel neganda est fides narrationi illi de tribus orationibus, vel dicendum, non fuisse adhibitas ad Missas primas, sed ad alias processu temporis, siue ex quo Sanctus Petrus sacrificavit in Antiochena Civitate, siue paulò antea, siue paulò post. Tres illæ orationes, quę proferebantur initio fidei, *incipiebant* iuxta Alcuinum, & Remigium *ab eo loco, vbi dicitur, Hanc igitur oblationem.* Ast ista oratio ab Alcuino ipso inferiùs in Cap. 40. seu de Celebratione Missæ tribuitur Gelasio Papæ, & ex verbis, *diesque nostros* vsque ad *per Christum Dominum nostrum, Amen*, vel vsque ad *numerari*, adscribitur Sancto Gregorio Magno tam ab ipso Alcuino, quam à cæteris alijs. Nec desunt, qui priora verba attribuant Sancto Leoni Magno, vt Radulphus Decanus Tungrensis de Canonum observantia, propositione 23. Et licet tam priora, quàm posteriora legantur in Liturgia Sancti Petri publicata à Lindano, id vnum est ex indicijs auctæ illius Liturgiæ à posterioribus, si admittatur, legitimam esse. Non declarant Alcuinus, & Remigius, quænam aliæ ex sequentibus orationibus componant numerum illum ternarium. Gavantus in Rubricas Missalis parte 1. titulo 8. pagina 20. cum Lindano explicat Innocentium 3. de orationibus, quę appellantur Collecta, Secreta, & Postcommunio. Sed est vltronea explicatio; & abs dubio Innocentius Pontifex fatus est in eodem sensu, quo Alcuinus, & Remigius.

959 Obijcies deinde Sanctum Proclum Constantinopolitanum, qui in libello de traditione divinæ Liturgiæ ait, Apostolos, *cum multam consolationem in mystico illo Dominici corporis Sacrificio positam inuenissent, fusissimè, & longa oratione Liturgiam decantasse.* Fateor, Sanctum Proclum contrarium esse Sancto Gregorio Magno; sed vt huic fidem adhibeam, potior est ratio. Aliqui conantur fœderare vtrumque Patrem, vel quatenus Sanctus Proclus habeat sermonem de Missis celebratis ab Apostolis, non initio, vt Sanctus Gregorius, sed post aliquot annos; vel quatenus S. Proclus loquatur de oratione mentali antecedente, & subsequente Liturgiam, & Sanctus Gregorius de vocali, deque ipsa Liturgia. Sic Sanctus Carpus non auspicabatur sacros mysteriorum ritus, nisi præmissis orationibus præparatorijs, vt refert S. Dionysius Areopagita in Epistola 8. ad Demophilum Monachum §. 8. Sed prima conciliatio non congruit cum S. Procli verbis, agit enim de Apostolis, *priusquã per orbem terrarum dispergerẽtur.* Nec magis congruit secunda, vt patet ex verbis in obiectione transcriptis, &

ex antecedentibus, in quibus reddit rationem breviatæ à Sancto Basilio Liturgiæ, quæ valde longa fuerat in vsu apud Apostolos, successoresque eorũ, inquit enim sic, *Posteà verò S. Basilius Magnus, cum hominum Liturgiæ prolixitatem fastidientium oscitantiam, & propensionem perspiceret (non quòd longam, & prolixam eam esse arbitraretur, sed vt tam audientium, quàm vnà orantium commodo consuleret, eorumque socordiam ex longioris temporis mora promanantem castigaret, penitusque tolleret) redactam in compendium Ecclesiæ recitandam exhibuit.* Hactenus S. Proclus, qui ad finem libelli repetit idem ipsum.

SECTIO LIX.

Adnotatio de Hispanorum Missa ex tempore Apostolorum.

Et Coronis Disputationis.

960 IN colloquio familiari cum amico pio, & erudito incidit sermo de fragmento quodam Luitprandi Subdiaconi Toletani, & posteà Episcopi Cremonensis, vbi origo Missæ primitus in Hispania celebratæ exponitur. Contendebat amicus, debere illud despectui esse, nam Author delusus, aut deludens homonymia duorum Iacoborum Apostolorum affinxit maiori, & Patrono Hispaniæ, dictoque filio Zebedæi, quæ cõpetebant minori, & Hierosolymorum Episcopo, dictoque filio Alphæi. Ego verò suscepi defendandum fragmentum illud, vt saltem non reputaretur omnino improbabile. Cuius causę præsidia, quia pendent ex Sectionibus proximis, & quia his ipsis lucem addent, spectantque ad primævas Missas, ideò decrevi communicare Lectori.

961 Igitur fragmentum illud conservatum inter Adversaria Luitprandi facta publici iuris primò à multiscio viro Thoma Tamaio de Vargas anno 1635. & deinde ab inclyto Equite, & supremo Senatore Laurentio Ramirez de Prado anno 1640. hæc habet numero 163. ex editione Thomæ, & 187. ex editione Laurentij, [Sanctus Iacobus Missam, quam coram cæteris Apostolis constituerat Petrus, cæterique comprobaverant, (& post litteris mandavit Sanctus Clemens, & ob id dicitur vulgò Missa S. Clementis) Hispanis Episcopis tradidit, & vsi sunt illa priùs in Hispania, quàm in alijs Occidentis partibus: posteà illam in scriptis attulerunt etiam Sancti septem discipuli Sancti Iacobi, S. Torquatus, & Socij, & per Bæticam Meridionalem (vbi nullum reliquerat Episcopum) promulgant, vt testantur Iulianus, & Felix Toletani Pontifices libris de eare editis, in confirmationem Missæ Sancti Isidori: quos ego legi, & aliquando evolvi, cum essem in Fuldensi Bibliotheca, à Carolo Magno cæpta, multisque libris valde referta, Bibliothecarius.] Sic ibi Luitprandus, qui anno 946. functus est legatione nomine Berengarij Imperatoris Latini ad Constantinum Imperatorem Græcum.

962 In Adversarijs etiam Iuliani Petri Archipresbyteri Toletani S. Iustæ editis ab eodem Laurentio anno 1628. idem ferè traditur n. 122. his verbis, [Sanctus Iacobus & communem Missam, & solemnem in Hispania celebravit: solemnis est, quam ex Concilio Sancti Petri, & duodecim Apostolorum (desiderantur aliqua verba) quæ incipit apud Clementem C. 12. Lib. 8. Constitutionum Apostolicarum (desunt etiam alia verba.) Finit autem, *Et Diaconus dicit, Ite in pace.* Hanc SS. PP. adauxerunt, scilicet Eugenius, Melantius, Olympius, Audentius, Petrus, Leander, Isidorus, Iulianus, Fructuosus; quæ nunc Muzarabum dicitur. N. 123. Hæc dicebatur à Iacobo, & successoribus in solemnibus festis, consecrationibus Episcoporum: ac brevissima tantùm alijs diebus.] Ita Iulianus Petri, qui vivebat anno 1135.

963 Et tam ipse, quàm Luitprandus videbantur nostro illi amico transtulisse ad Sanctum Iacobum maiorem, quæ de minore legerant, aut inaudierant, nam ab hoc fuisse scriptis traditam Liturgiam, quam Authore S. Petro, & cæteris Apostolis suffragato-

ribus

ribus acceptum, constat ex antiquis Scriptoribus allegatis in Sectionibus præcedentibus. Sic ijdem Luitprandus, & Iulianus affingunt S. Iacobo maiori Epistolam Catholicã, quæ est S. Iacobi minoris, vt compertum est ex Patribus, necnon ex Concilio Tridentino Sess. 14. in doctrina de Sacramento extremæ vnctionis C. 1. Vbi Authorem eius Epistolæ vocat *Domini fratrem*, quæ nomenclatura non maiori, sed minori cõpetit Iacobo. Sic rursus idem Iulianus in Chronico num. 16. dicit, Sancto Iacobo maiori seruisse vt Diaconum S. Stephanum Protomartyrem, cum Sanctus Ignatius Martyr, etsi in Epistola 5. ad Trallianos tantùm dicat, Sanctum Stephanum vt Diaconum *exhibuisse puram, & inculpatum ministerium B. Iacobo*; ast in Epistola 10. ad Heronem exprimit, *ministrasse Iacobo, & Presbyteris, qui erant Hierosolymis*; in quibus verbis manifestè loquitur de S. Iacobo minori, & Episcopo Hierosolymitano.

964. Nihilominus non est prorsus improbabile, quod de Missa à S. Iacobo maiori tradita Hispanis scribunt Luitprandus, & Iulianus. Imò Melchior Inchofer è nostra Societate vir non vulgaris doctrinæ in Coniectatione de Epistola B. Mariæ Virginis ad Messanenses C. 2. pag. 14. indecisum relinquit, num Liturgia, quæ nomine S. Iacobi minoris circumfertur, sit ipsius, vel potiùs maioris? & in Mantissa ad Operis argumentum n. 6. scribit, [Cuius Iacobi sit hæc Liturgia, dubitatur. Plerique Iacobo fratri Domini, & Hierosolymorum Episcopo adscribunt.] Sed ipse videtur propendere in id, vt adscribenda sit Iacobo maiori, nã ad finem numeri ait, [Iacobi Liturgia, de qua agimus, multum posteà accepit à Melantio, & Asturio Toletanis Præsulibus, & nouissimè à Sancto Isidoro, nisi etiam ab alijs.] Sic ille. Cæterùm ego non id intendo, vt Liturgia, quæ appellatur Sancti Iacobi minoris, restituenda sit maiori (quod plus est, quàm quod dicitur à Luitprãdo, & Iuliano) sed tantùm mihi in animo est, ab improbabilitatis notã vendicare narrationem horum duorum Authorum de Liturgia tradita Hispanis per Sanctum Iacobum nostrum Apostolum, & Patronum.

965 Franciscus Bivarius Cisterciensis, vir meritò habendus inter primos, qui hoc sæculo claruerunt notitia Antiquitatis Ecclesiasticæ, fidem præbet Iuliano, ex quo refert in Cõmentario ad Flavium Lucium Dextrum anno Christi 37. pag. 57. [Missam, seu Liturgiam, quæ olim recitari consuevit in Hispania, & nunc in Missali Muzarabum extat, compositã fuisse in sua origine à Sancto Iacobo, auctam verò à Melantio, & Asturio Toletanis Præsulibus, & nouissimè à Sancto Isidoro. Quare ob tanti Authoris reverentiam multæ in Canone dicuntur à Sacerdote orationes in memoriã Sancti Iacobi, cum tamen ibi nulla de alio Apostolo mentio fiat.]

966 Idem Bivarius post Prudentium Sandobalium Antistitem Tudensem affert fragmentum quoddam Epistolæ Sancti Athanasij Episcopi Cęsaraugustani 1. vbi testatur Sanctus Athanasius de S. Petro Bracarensi Præsule 1. [Hic vir Apostolicus, acceptis à Sancto Iacobo Institutionibus Apostolicis, Evangelio, & ordine Missæ, ac celebratione Sacramentorum, venit Btacaram,] &c

967 Insuper vnus ex libris montis Ilipulitani Granatensis exaratis in æreis, seu plumbeis tabulis, repertisque anno 1595. præfert hunc titulum, *De Missa Apostolorum, cum suo Cæremoniali*; plerique autem illorum librorum dicuntur compositi à Sãcto Iacobo maiori. Ita idem Bivarius; alluditque noster Augustinus de Herrera Lib. 1. de Origine, & progressu rituum Missæ, C. 11. num. 7. Sed quia de eorum librorum authoritate expectatur censura Apostolicæ Sedis, idcirco nos nec probamus, nec reprobamus. Et nunc omittimus, recensere Scriptores alios Hispanos, qui post editos Luitprandum & Iulianum transcripserunt sine discussione, quæ illi narrarunt de Liturgia S. Iacobi maioris, non enim augebunt fidem apud eos, quibus ipsi Luitprandus, & Iulianus non probentur.

968 Enimverò vt Sancto Iacobo maiori tribuatur Liturgia aliqua, magnum adest fundamentum in Constitutionibus Apostolicis S. Clementis Papæ I. Libro 8. Cap. 12. ex editione Turriani, ibi enim Missa tota, quæ fidelium vocatur, proponitur sub persona Sancti Iacobi hunc in modum, *Dico*

ego Iacobus frater Ioannis Zebedæi, vt statim edicat Diaconus: Ne quis ex Catechumenis, ne quis ex audientibus, ne quis ex infidelibus, ne quis ex hæreticis; qui primam precationem fecistis, exite, &c. Prosequitur autem Missa vsque ad C. 15. in cuius fine habetur, *Et Diaconus dicat, Ite in pace. Hæc de mystico cultu nos Apostoli vobis Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis constituimus.*

969 Porrò quæ continentur in quatuor illis Capitibus sunt admodũ similia Liturgiæ Muzarabicæ, atque etiam Romanæ; solentque ea appellari Liturgia S. Clementis. Vnde Sanctus Proclus in libello de traditione diuinæ Liturgiæ aiebat, *Permulti quidem, & alij ex eorum numero, qui SS. Apostolis successerunt, Pastores, & Doctores Ecclesiæ, pietate insignes, mysticæ Liturgiæ expositionem in scriptis relictam Ecclesiæ tradiderunt. Inter hos verò facilè primum locum obtinet B. ille Clemens, qui Apostolorum Principis discipulus, & eiusdem successor ab ipsis SS. Apostolis declaratus fuit; & D. Iacobus, is cui Ecclesiæ Hierosolymitanæ administratio sorte obuenit, eiusque primus Episcopus à summo, & maximo Pontifice Christo Deo nostro constitutus est*, &c. Tantùm Præsul Constantinopolitanus.

970 Nec minùs dilucidè Nicolaus Antistes Methonensis in Tract. ad eos, qui hæsitant, aiuntque, consecratum panem, & vinum non esse corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, [Ita offerimus (inquit) panẽ perfectum, vivum, siue corpus Christi, quod perfectum etiam post Passionem permansit, & integrum (nec enim os eius contritum est) & à diuina vita inseparabile; planè quale ipse primus noster, ac magnificus Pontifex, & Sacrificus, victimaque suis ipsius discipulis tradidit: ijque denuò, qui ab initio suis ipsi oculis Verbum intuiti sunt, eique ministrarunt, Catholicæ Ecclesiæ ab extremis ad extremos vsq; orbis terrarum limites tradiderunt: omnes quidem Hierosolymitanæ; vbi & B. Iacobus, primi, magnique Pontificis frater, ac successor, mysticam, incruentamque Liturgiam exposuit. Petrus autem, & Paulus Antiochensi; Paulus verò peculiariter orbi vniuerso; Marcus Alexandrinæ, Ioannes, & Andreas Asiæ, & Europæ: omnesque vniuersæ Ecclesiæ, vbicumque sit, per eam, quam Sanctus Clemens conscripsit Liturgiam, tradiderunt.] Hucvsque Episcopus Methonensis.

971 Sed silenda non sunt, quæ de eadem Liturgia Sancti Clementis obseruat Bellarminus in Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, [De Liturgia (ait) Sancti Clementis idem ferè dicendum occurrit, quod de Liturgia S. Iacobi, eam verè Clementis esse, sed à posterioribus auctam. Credibile autem est, Clementem nõ ex proprio iudicio, sed ex ritu, quem obseruari viderat à S. Petro, Liturgiam composuisse; quemadmodùm & ipse Sanctus Petrus nihil aliud faciebat in offerendo Sacrificio Eucharistico, nisi quod ipse Dominus fieri iussit.] Sic Bellarminus; qui Liturgiam S. Clementis refert ad S. Petrum tãquam ad magistrum, à quo didicerit, & acceperit formulam commissam à se scriptis; & ipse S. Clemens eandem formulam attribuit Sancto Iacobo maiori: quod ita intelligendum est, vt etiam Sanctus Iacobus maior attenderit Sancto Petro tanquàm approbanti, & confirmanti. Quanvis autem in Constitutionibus Sancti Clementis multa sint, quæ videntur addita, corrupta, & depravata, vt monent Bellarminus, & alij; ast quæ ad Liturgiam attinent, non possunt dignè de hoc vitio notari, & habent commendationes antiquas S. Procli, Nicolai Methonensis, vt monstratum est, & Cardinalis Bessarionis in Libro de Sacramento Eucharistiæ.

972 Non igitur damnandi sunt Luitprandus, & Iulianus de afficta Liturgia Sancto Iacobo maiori, quę esset minoris; nec despicienda sunt reliqua, quæ dicunt, sed potiùs audienda vt probabilia. In quorum confirmationem adijcio, referri ab Ambrosio de Morales Lib. 12. Chronici generalis Hispaniarum C. 19. lectum à se idem ipsum, quod ex Luitprando nos attulimus, in antiquissimo Codice Conciliorum adducto ex Monasterio S. Æmiliani Cucullati ad Bibliothecam Monasterij S. Laurentij in Scoriali. Cuius testimonij fidedigni, datique ad an. 1577. ante editionem Aduersariorum Luitprandi, meminerunt V. P. Gaspar Sanchez Tract. 3. de Prædicatione S. Iacobi in Hispania Cap. 11. num. 3. Petrus Ribadeneyra de SS. Extravagantibus

bus 15. Maij in vita S. Torquati, & sociorum, Herrera Lib. 1. de Origine, & progressu rituum Missæ C. 13. num. 11.

973 Erit, qui obijciat Epistolam Gregorij Papæ VII. ad Alfonsũ & Sanctium Reges Hispaniæ, alterum Legionis, alterum Castellæ, transcriptam à Baronio an. 1074. quo missa est; vbi Gregorius ait, *Cum B. Apostolus Paulus Hispaniam sè adijsse significet; ac posteà septem Episcopos ab Vrbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos à Petro, & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructa Idololatriâ Christianitatem fundauerunt, religionem plantauerunt, ordinem, & Officium in diuinis cultibus agendis ostenderunt; & sanguine suo Ecclesias dedicauere, vestra diligẽtia non ignoret; quantam concordiam cum Romanâ Vrbe Hispania in religione, & ordine diuini Officij habuisset, satis patet.* Sed certè hæc authoritas non obest, nam septem illi Episcopi, de quibus Gregorius Papa, fuerunt S. Torquatus, & Socij, conversi primùm in Hispania à Sancto Iacobo, & edocti rès Christianas, vt perdoctè adstruit Gaspar Sãchez suprà, C. 6. & Tract. 2. C. 9. Quare cum posteà Romæ ordinati sunt Episcopi à Sancto Petro, & remissi in Hispaniam, rectè potuerunt vti ea Liturgia, quam viderant in vsu fuisse S Iacobo, & quæ cum commendata ipsis à Sancto Petro in Vrbe esset omnino, vel ferè eadem; licet quo tempore scribebat illam Epistolam Gregorius Papa, adiecta, aut detracta putaret in Officio sacro Gothico, seu Muzarabico aliqua, quę sibi minus placerent, aut quæ retineri vellet; ideoque procurabat, sacrificari in Hispania ex formula tunc Romæ consueta, recitarique horas Canonicas iuxta regulas ibidem obseruatas. Quid tandem obtinuerit Gregorius, nouit, qui legerit Rodericum Ximenium Lib. 6. de rebus Hispaniæ Cap. 26. Marianam Lib. 9. C. 18. Alvarum Gomezium de rebus gestis Francisci Ximenij Lib. 2. ad finem.

974 Attamen Baronius anno 1080. num. 72. fisus Epistolæ alij eiusdem Gregorij ad Alfonsum VI. Regem dicit, corrigendos esse Scriptores Hispaniarum in historia de Officij Gothici comprobatione miraculosa, quæ Toleti accidit, manente Missali Muzarabico illæso in medijs flammis, & Romano etiam evolante ex eis indemni. Sed vltra constantem traditionem de eo miraculo, & de duello solemni Ioannis Roderici à Matiençó, vel Matança; Ordonijq; Inachi, quorum primus evasit victor, cum suscepisset defensandas partes Officij Muzarabici; vltra celeberrimum etiam adagium Hispanicum inde exortum, & ad nos vsque derivatum; *Alla van leyes, do quieren Reyes*, id est, *Quò volunt Reges, vadunt leges*; habemus testem oculatum Iulianum Petri, qui in Chronico sub annum 1086. num. 600. ait, se præsentem fuisse; additque, cum conuenissent Muzarabes in æde Toletana S. Iustę, vt eligerent legatum, qui Romam adiret, & certiorem redderet Põtificem de tota re, descendisse columbam, & sedisse super caput nobilis cuiusdam Muzarabis, in quem proinde suffragia omnium conspirarunt, cognominatusq; est in posterum Columbanus; seu *Palomeque* lingua vernacula. Rescivit ex eo Pontifex, quæ gesta erant, habuitque ratum, vt in sex Ecclesijs Toletanis retineretur Officiũ Muzarabicum, [Idque hoc etiam tempore statis anni diebus, ijs in templis facitari videmus: prætereà in templo maximo sacellum extat, vbi ex Gothica precandi ratione, Francisci Ximenij Cardinalis impensis, ne tantæ rei memoriam vetustas obrueret, Sacerdotes constituti Sacris dant operam,] vt testatur Mariana Toleti scribens. Quare non est omnino ablegatum illud Officium, vt aiebat suprà Baronius.

975 Post præfatam ratihabitionem Gregorij VII. non successit approbatio Alexandri Papæ II. vt inquit Didacus Daza in Prologomeno primo Commentationis ad Epistolam S. Iacobi Apostoli, §. 3. nam Alexander II. antecessit proximè in Pontificatu Gregorium VII. & anno 1064. approbatum est ab Alexandro in Concilio Mantuano Officium Muzarabicum, prout ex Mariana Lib. 9. Cap. 5. tradit Baronius eo anno, num. 32. & Mariana ex Ambrosio de Morales Lib. 12. Cap. 19 Et anteà Ioannes Papa X. cum Synodo corã se congregata Romæ laudavit idem Officium, vt ex eodem Ambrosio supra, & Lib. 15. Cap. 47. referunt Mariana Lib. 7. C. 20. Baronius anno 918. num. 1. & 2. Visum tamen est Ioanni,

[vt

E vt Romano ritu sacratiora illa potissimùm verba, quibus ipsum diuinit⁹ institutum Sacrificiū incruentum perficitur, proferrentur; quæ, aliquibus additis, vel mutatis, ita in dicto Missali scripta essent, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et *Hic est calix noui Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*] Sic Baronius. Et nunc quidem Toleti in Capella Cardinalis, Archiepiscopique Francisci Ximenij, & Salmanticæ in Capella Doctoris Talaberę proferuntur à Sacellanis Muzarabibus consecratoria verba, quibus vtitur Ecclesia Romana; sed fortè non fuerat iam olim introductū, nam Eugenius Robles in Vita Ximenij Cap. 27. inquit, [Quanvis verum sit, potuisse Sacerdotes Muzarabes sese addicere verbis, quæ apud Evangelistas habentur, & cum ijs consecrare, quia sunt propria Officij Gothici verba, quanvis aliqua ex parte ab ijs, quibus vtitur Ecclesia Romana, differant, tamen ad idem recidunt; eundemque sensum habent. Verùm hodierna die adtexitur margini Missalis charta agglutinata, in qua verba Officij Romani, quibus nunc Muzarabes semper vti solent, continentur.] Sic Roblesius.

976 Et hæc de Officio Muzarabico ex occasione Epistolæ Gregorij Papę VII. Dumque audis vocari illud Gothicum, & Isidorianum, ne putes, regnantibus Gothis in Hispania, iamque ex Arianismo ad fidem Catholicam reductis fuisse de novo compositum à S. Isidoro Archiepiscopo Hispalensi. Nam is Sanctissimus Doctor ex iniuncto sibi munere à Concilio Toletano IV. anno 633. correxit solummodò, & reformavit antiquum, quod ab initio Christianæ religionis fuerat in vsu apud Hispanos, licet decursu temporum adauctum in multis à Præsulib⁹ Ecclesiarum pro vniuscuiusque pio affectu. Quæ fuit causa magnæ varietatis in ritibus verborum, & actionum. Et huic malo obviare curatum est in Cōcilio IV. Toletano, in cuius Can. 2. ex Garsiæ Loaysæ editione (qua soleo vti) dicunt Patres, *Post rectæ fidei confessionem, quæ in sancta Ecclesia Dei prædicatur, placuit, vt omnes Sacerdotes, qui Catholicæ fidei vnitate complectimur, nihil vltra diuersum, aut dissonum in Ecclesiasticis Sacramentis agamus; ne quælibet nostra diuersitas apud ignotos, seu carnales schismatis errorem videatur ostendere, & multis existat in scandalum varietas Ecclesiarum. Vnus igitur ordo orandi, atque psallendi nobis per omnem Hispaniam, atque Galliam, (vel Gallæciam) conseruetur, vnus modus in Missarum solemnitatibus, vnus in Vespertinis, Matutinisque Officijs: nec diuersa sit vltra in nobis Ecclesiastica consuetudo, qui in vna fide continemur, & regno; hoc enim & antiqui Canones decreuerunt, vt vnaquæque Prouincia & psallendi, & ministrādi parem consuetudinem contineat.* Hactenus Toletani Patres.

977 Quos imitati sunt alij congregati ibidem anno 675. vt videre est in Concilij Toletani XI. Canone 3. relato C. *De ijs, qui* 13. Dist. 12. Et ante illud Concilium Toletanum IV. decreverant Patres Gerundenses anno 517. *vt quomodò in Ecclesia Metropolitana fuerit, ita, in Dei nomine, in omni Tarraconensi Prouincia, tam ipsius Missæ ordo, quàm psallendi, vel ministrandi consuetudo seruetur.* Ita in Concilio Gerundensi C. 1. relato C. *Institutio* 31. de Cons. Dist. 2. Similiter statuerant PP. Bracarenses an. 561. *vt vnus, atque idem psallendi ordo in Matutinis, vel Vespertinis Officijs teneatur, & non diuersæ, ac priuatæ, neque Monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtæ.* Sic in Concilio Bracarensi I. C. 1. relato C. *Placuit* 14. Dist. 12. Obseruandumque est ex C. 4. eiusdem Concilij, Profuturum Antistitem Bracarensem accepisse ab Apostolica Sede ordinem celebrandæ Missæ, nā ibi iubetur obseruari ordo ille missus ad Profuturum, qui Bracarensem Ecclesiam rexerat ante Authertum, Iulianum, Eleutherium, & Lucretium præsidem eius Concilij, vt ex Iuliano Petri in Chronico à num. 269. vsque ad 282. infertur.

978 Sicut autem Officium Ecclesiasticum Hispaniæ vocatum est Isidorianum ob correctionem præstitā à S. Isidoro, ita Officium Romanæ Ecclesiæ dictum aliquando est Franciscanorum, quia Haymo Minister Generalis ipsorum emendavit illud ex commissione Summi Pontificis, vt post Radulphum Decanum Tungrensem in L. de Canonum obseruantia, propos. 22. ad finem, & post Iacobum Panelitanum in adnotatione prævia ad Micrologum de

Eccle-

Ecclesiasticis observationibus notat Lucas Vvadingus in Annalibus Minorum anno Christi 1244. num. 2.

979 Huc nos deduxit defensio Luitprandi, & Iuliani in ijs, quæ tradunt de Liturgiæ Hispanæ origine ex magisterio Sancti Iacobi Apostoli, Patroniq; nostri. Si ei attribuant alia, quibus antiquitas, & ratio refragentur, nō adeò desipimus, vt velimus, proscriptis ipsorum quasi pro aris, & focis pugnare, arrogareque illis velut Canonicam authoritatem. Tametsi quòd adscribant S. Iacobo maiori Epistolam Canonicam, non levi sit præditum probabilitate, vt eruditissimè ostendunt Didacus Daza Prologomeno 1. in Epist. S. Iacobi, Thomas Tamayus de Vargas in Apologia pro Dextro, in Commentario ad eundem, & in notis ad Luitprādum, Franciscus Bivarius, & Rodericus Carus in Commentarijs ad Dextrum, & ad Marcum Maximum cū additionibus Helecæ, Laurentius Ramirez de Prado in observatione ad Epist. Liciniani Episcopi Carthaginis Spartariæ pag. 531. Operum Luitprandi, Gaspar Sanchez Tract. 3. de Prædicatione S. Iacobi in Hispania C. 12. Ioannes Eusebius Nieremberg Lib. 11. de Origine Scripturæ sacræ Cap. 16. 17. & 18.

980 Qui se expediunt ab obiectione desumpta ex Concilio Tridētino, tum quia S. Iacobus maior, dictus etiam fuit *Frater Domini*, vt supponit S. Ioannes Chrysostomus Homilia 5. in C. 1. Matthæi, & colligitur ex Matthæo Cap. 12. V. 47. Marco 3. V. 32. Luca 8. V. 19. adiunctis S. Hieronymo, & Beda apud Nierembergium C. illo 18. fuisseque in Hispania sic vulgò dictum, asseverat Iulianus Petri n. 15. Chronici: etsi S. Paulus ad Galatas 1. V. 19. minorem vocet eo agnomine tanquàm vsitatiori erga illum Hierosolymis, & inter Apostolos; tum quia Tridentinum Concilium ibi obiter rātùm, & ex transcursu Iacobum Apostolum, Authorem illius Epistolę, appellat *Domini Fratrem*, cum ad institutum Cōcilij nihil, aut parùm pertineat, esset, necne Domini Frater Iacobus Apostolus, qui illam Epistolam Canonicam scripsit; stat enim æquè, ex Scriptura sacra esse testimonium à Concilio adductum (id quod necesse erat ad firmū suæ definitionis fundamentum) siuē fuerit, siue non fuerit Frater Dominī Author præfatæ Epistolæ. Et quando Concilium dedita opera in Sess. 4. declaravit Authores Scripturę sacrę, non aliud dixit, quàm Iacobum Apostolum scripsisse vnam Epistolam.

981 Rursus illud aliud de Diaconatu S. Stephani, ministerioque exhibito in Sacris S. Iacobo maiori fateor arreptum fuisse à Iuliano ex Epistolis S. Ignatij Martyris, allegat enim eam, quæ est ad Trallianos: quæ, vt & alia ad Heronem, intelligitur communiter de S. Iacobo minori; quanquàm fundamentum ex Episcopatu huius apud Hierosolymam, vbi S. Stephanus Diaconatum exercuit, non videatur satis solidum, nam S. Sthephanus lapidatus est, & Martyrio coronatus anno Christi 34. die 26. Decembris; & die sequenti, vt dicebam n. 909. ex Bedæ Martyrologio (cui consonat Martyrologium Rabani) ordinatus est, seu consecratus Episcopus Hierosolymitanus S. Iacobus minor, præponente illum sedi Hierosolymitanę S. Petro totius Orbis Magistro, provt loquitur S. Ioannes Chrysostomus Homilia 87. in Ioannē, & vt inquit S. Anacletus Papa in Epist. 2. ad Episcopos Italiæ, relatus à Gratiano C. *Porrò* 2. Dist. 66. *à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis est ordinatus, successoribus videlicet suis dantibus formam, vt non minus, quàm à tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, vllatenus Episcopus ordinetur, & communi voto Ordinatio celebretur.* Similiter Clemens Alexandrinus apud Eusebium Cæsariensem Lib. 2. Hist. Eccles. Cap. 1. ait, *Petrum, Iacobum, & Ioannem post Salvatoris ad Cœlos ascensum, cum essent à Domino summum dignitatis gradum adepti, nō de gloria, & honore contendisse inter se, sed vno consensu Iacobum Iustum Hierosolymorum Episcopum designasse.* Et hæc designatio narratur etiam ab Eusebio ibidē post necem Sancti Stephani. Quare Episcopatus S. Iacobi minoris in Vrbe Hierosolymitana non potuit esse causa, vt S. Stephanus ministraret ei præ alijs Apostolis, siquidem deputatio, & institutio S. Iacobi minoris in Episcopum proprium Ecclesiæ illius facta sit, mortuo iam S. Stephano.

982 Sed etsi argumentum ex Episcopatu Hierosolymitano Sancti Iacobi

Iacobi minoris non fit conuincens; etsi item à S. Ignatio non exprimatur, cuius ex duobus Iacobis, maiorisne, vel minoris, fuerit Diaconus S. Stephanus, malim cum communi Ecclesiasticorũ intelligere S. Ignatium de S. Iacobo minori. Nam huius designationem solemnem in Episcopatum Hierosolymitanũ potuit præcedere priuata, ita vt ex nutu cæterorum Apostolorum soleret S. Iacobus minor tanquam Ordinarius loci peragere Hierosolymis Sacra, ijsque tunc inseruierit S. Stephanus tanquam Diaconus. Et quidem ante illam designationem solemnem S. Iacobus minor vnà cum reliquis Apostolis ordinatus erat Episcopus à Christo immediatè, quando is post Resurrectionem dixit Ioannis 20. V. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, vt citatis alijs docent Henriquez L. 10. C. 3. §. 2. Cornelius ad C. 2. Actor. V. 3. pag. 73. vel ab Spiritu sancto in Pentecoste, vt citatis etiam alijs censet Franciscus Turrianus in annotationibus ad C. 12. L. 6. Constitutionum Apostolicarum S. Clementis, & L. 1. de Hierarch. Ordinat. Minist. C. 2. Verumtamen successit designatio illa solemnis, non qua S. Iacobo minori sit collata potestas Ordinis Episcopalis, vt aduertit Suarez tomo 2. in 3. p. D. 5. sect. 4. V. *Altera verò*, sed qua sit eius speciali curę commissa Ecclesia Hierosolymitana, ita vt ille esset proprius ipsius Episcopus, cũ antea non fuisset ordinatus Episcopus, nisi in genere totius orbis, vti & cæteri Apostoli, prout notat Cornelius ad C. & V. 1. Epistolæ S. Iacobi, pag. 10. Cum designatione autem illa solemni sunt adiunctæ, iuxta S. Anacletum supra, cæremoniæ etiam solemnes Ordinationis (quas consecrationem vsitatiori vocabulo dici monet Baronius anno 34. n. 291.) vt essent in exemplum reliquorum, qui de nouo ordinandi erant, quanquam ipsi & S. Apostoli sine consortio aliorum plerumque Episcopos creauerint per solam manus impositionem, vt obseruat Franciscus Biuarius in Commentario ad Dextrum anno Christi 34. pag. 41.

983 Qui attenderit ad hæc, quæ dixi, non inferet ex Ordinatione, aut consecratione memorata (vt fecerunt nonnulli) S. Iacobum, qui appellatus est frater Domini, & Iustus, & qui ordinatus est à tribus Apostolis in Episcopum Hierosolymitanum, fuisse distinctum à S. Apostolo Iacobo dicto Alphæi, & minori, ad distinctionem S. Apostoli Iacobi Zebedæi, & maioris, Patris in fide Christiana, Patronique Hispaniarum. Nam distinctio trium Iacoborum neutiquam placere debet post scripta accuratè contra eam à Baronio supra, & anno 44. num. 36. & 37. Ioanne Molano L. 4. de Historia SS. Imaginũ C. 28. à Suario suprà, Cornelio in proœmio ad Epist. S. Iacobi pag. 5. alijsque passim. Et sancti Iacobi dicti fratris Domini, Iustique Ordinatio in Episcopum Hierosolymitanum facta modo superiùs declarato rectè componitur cum eo, quòd ille fuerit vnus ex duodecim Apostolis, vocatusque Iacobus Alphæi, & minor.

984 Tempus iam est, vt ad exitum perducamus Disputationem hanc longissimam de Missæ ritibus: qui cum tot, tantique sint, tamque diuinis, ac Cœlestibus mysterijs grauidi, nihil mirum, si tam diffusum traxerimus orationis filum, etiamsi eos tantùm ritus attigerimus, qui aut postulabant Theologiæ Scholasticæ, Moralisque considerationem, aut è Iure Canonico lucẽ aliquam accipere poterant. Ac sanè cum in eis tam multa scienda à Sacerdotibus contemplor, corrigendam censeo paræmiã illam vulgarem vernaculæ nostræ linguæ Castellanæ, solitam proferri de Sacerdote imperito, *Nosabe de la Missa la media*; cui adagio colludit illud Latinum, *Ne nescit quidem oleũ*, aut illud aliud, *Ne tria quidem Stesichori nescit*; & cuius vestigium quoddam reperio in Epistola, seu libello Orthodoxorum Episcoporum Orientalium cõtra Anthimum, Severum, alioſq; Acephalos oblato Agapeto Papæ, & relato in Actione 1. Concilij Constantinopolitani sub eodem Agapeto, & Mẽna, Actione 1. pag. 685. editionis Binianę parte priori tomi secundi Conciliorum, ibi enim de Zoara Episcopo, socio Anthimi dicitur ad denotandam eius extremam inscitiam, *Ignorat omnem sacrum ordinem, & Missam.* Sed vel dimidiam Missam scire, non parum est, si origo rituum, & significationes, quas ex Ecclesię institutione continent, cognoscãtur. Ad id autem quã non inutilis sit nostra hæc Disp. aliorum iudicio remittimus.

DISPV

DISPVTATIO XXIX.

DE

PRAEVENIENDIS, SVPPLENDISque defectibus, qui circa Missæ celebrationem contingere valent.

1 QVA DE RE AGIT S. THOmas 3. p. q. 83. art. 6. scribit q; in Corpore, Respondeo dicendum, quòd periculis, seu defectibus circa hoc Sacramentum contingentibus dupliciter potest occurri, vno modo, præveniendo, ne scilicet periculum accidat. Alio modo, subsequendo, vt scilicet id, quod accidit, emendetur vel adhibendo remedium, vel saltem per pœnitentiam eius, qui negligenter egit circa hoc Sacramentum. *Sic in Corpore; posteaque docet, qui occurrendum sit septem defectibus; de quibus nos singillatim tractabimus cum Angelico Magistro, simulque explanabimus verba Missalis Romani titulo de Defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus, nam plerumque sunt desumpta ex doctrina S. Thomæ, etsi nonnunquam addatur aliquid, & quandoque adimatur, aut subticeatur.*

SECTIO I.

Quid faciendum sit, quando Sacerdos, qui incæpit, nequit perficere Missam?

2 RESPONDET S. Thomas ad 1. *Si Sacerdos morte, aut infirmitate graui occupetur ante consecrationem corporis, & sanguinis Domini, nõ oporter, vt per alium suppleatur. Si verò incæpta consecratione, hoc acciderit, puta, consecrato corpore ante consecrationem sanguinis, vel etiam consecrato vtroque, debet Missæ celebritas per alium expleri.* In priori parte significat S. Thomas, non esse conveniens, neque licitum substituere alium Sacerdotem, qui prosequatur Missam, si, qui incepit, moriatur ante consecrationem, vel graui infirmitate impediatur. Consonant Rubricæ Missalis titulo de Defectibus, §. 10. num. 3. vbi dicitur, *Si Sacerdos ante consecrationem grauiter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa.*

3 Et meritò ita præscriptum est,

est, quia, cum nondum sit substantialiter, imò nec propriè inchoatum Sacrificium, nulla causa apparet, ob quam liceat, conveniatvè, vt alter Sacerdos celebret Missam, quam ipse non perficiat tam substantialiter, quàm accidentaliter, seu quæ omnino integra nō sit. Confirmatur, si Sacerdos post sumptionem vtriusque speciei nequeat absoluere reliqua accidentalia Missæ, fas nō est, vt alius absolvat, quia illa sunt accidentalia, & Sacrificium iam est propriè, ac substantialiter completum. Ergo similiter in nostro casu, in quo quæ præcesserunt, sunt accidentalia, & Sacrificium non est inceptum substantialiter, ac propriè.

4 Inquies, absurdum videri, vt post inchoatum Canonem, cuius verbis materia disponitur, redditurq; habilior ad transubstantiationem, non absolvatur Missa; foreq; vt ordinariè sequatur scandalum in populo, qui videat Missam non perfici. Respondeo, transubstantiationem fieri in instanti sine vlla prævia dispositione physica in materia. Hinc non tantùm inchoato Canone, sed etiam *semiprolata forma corporis, si obeat Sacerdos, non est necesse, vt Missa per alium suppleatur, quia non est facta consecratio*, provt admonemur in Rubricis Missalis suprà. Parvi momenti est quod objicitur de scandalo, nam huic occurri potest sine infamia Sacerdotis non potentis prosequi Missam, si instruatur populus de non necessaria, imò & non licita absolutione Missæ eo in casu ab alio Sacerdote: quanquam consultum erit, vt in proximiori Missa, quæ celebretur, offeratur, & consecretur eadem materia panis, & vini, quæ oblata fuerat à priori Sacerdote.

5 Traditæ doctrinę contrarius est Emmanuel Sà V. *Missa*, num. 38 inquiens [Si Sacerdos non possit Missā absolvere, siquidem nondum cōsecrauerat, perfici potest per alium ieiunū.] Non dicit, debere, sed posse. Asserunt-que idemipsum, allegato Archidiacono, Sylvester V. *Eucharistia* 2. quæst. 8. num 12. Bartholomæus Fumus in Armilla aurea V. *Missa*, num. 11. (imò hic ait, esse securius, si Sacerdos est ieiunus) Angelus de Clavasio in Summa Angelica V. *Eucharistia* 3. num. 1. V. *Missa*, num. 26. Henriquez L. 8 C. 50. §. 3. L. 9. C. 40. §. 4. dummodò Canon sit inceptus: consentitque Layman L. & Tract. 5. C. 7. num. 2. Fagundez autem in 1. præceptum Ecclesiæ L. 3. C. 18. ex num. 20. censet, non debere, sed posse alium, nullo impedimento irretitum, absolvere Missam, quæ ante Canonem relicta sit imperfecta; si verò post Canonem, posse, & debere, etiam quando sit ieiunus, aut suspensus, aut interdictus, aut excommunicatus, aut irregularis, casu quo ex Missa ab ipso non perfecta sequeretur scandalum. At C. 19. num. 2. nulla facta mentione scā dali, videtur adhærere Alberto Magno (cuius verba adduxi D. præcedenti, n. 217.) Sylvestro, Fumo, & Angelo, qui ob reverentiam Canonis existimant, teneri alium Sacerdotem ad continuationem, quin omnino exprimant, num onus præfatum incumbat Sacerdoti habenti etiam aliquod ex impedimentis Cononicis iam indicatis. Mascarenhas tamen Tract. & Disp. 5. C. 13. num. 426. declarat, non consurgere eam obligationem nisi in Sacerdote habili, & idoneo ad celebrandum. Horum Doctorum, & aliorum apud ipsos rationes manent sufficienter enodatæ; eritque operæpretium relegere Sectiones 14. & 15. anterioris Disp.

6 Deinde in posteriori parte docet sanctus Thomas, si Sacerdos post consecrationem vtriusque speciei, vel etiam solius speciei panis nequeat prosequi Missam, debere huius celebritatem expleri per alium. Quod probat ex C. 16. *Nihil contrà* 7. quæst. 1. desumpto ex Concilio Tolerano 7. C. 2. cuius verba dedi n. 150. Disp. proximæ. Et in Rubricis Missalis suprà legitur, *Si post consecrationem corporis tantùm, ante consecrationem sanguinis, vel vtroque consecrato, id accidat, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, vbi ille desijt.*

7 Cuius doctrinæ ea est ratio, ne Sacrificium, quod essentialiter est inchoatum, maneat mutilum, & imperfectum essentialiter, vel substantialiter, secus ac petit tanti Sacrificij dignitas, & maiestas, quam tenetur ex officio procurare quiuis Sacerdos, qui moraliter potsit, etiamsi ipse non fuerit causa, vt Sacrificium relinqueretur incompletum. Et hic est communis sensus Doctorum agnoscentium obligationem grauem in alio Sacerdote ad perficiendum Sacrificium. Sed Ludo-

vicus de S. Ioanne apud Dianam parte 9. Tract. 6. Resol. 18. Villalobus tomo 1. Tract. 8. Diff. 32. num. 15. Pellizarius in Manuali Regularium Tractatu 5. C. 9. sect. 1. n. 15. post Azorē tom. 1. L. 10. C. 33. q. 1. nō dānet improbabilitatis insinuatā à Soto in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. V. *Perplexior*, contrariū cogitationem de defectu gravis obligationis, quando abesset populus causam offensionis accepturus. Nos, à censuris abstinentes, monemus, vt recolantur quæ Disputatione 3. & 4. diximus de obligatione non concrandi vnam speciem sine alia, & non dividendi consecrationem ab vtriusque speciei sumptione. Licet verò in Cap. Illo *Nihil contrà* habeatur, *Sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exequi cœpti Officij*, nihilominus cætera illius Cap. obligationem indicant; & libertas explicabitur satis cōgruè de alterutro, nempe de Episcopo, vel Presbytero, non de vtroque simul; nisi To *liberum* significet idem, ac esse sub potestate, & facultate; cuius exequendæ obligatio innuitur non obscurè in toto contextu Capitis.

8 Ac sanè tanta est præfata obligatio, vt si non adsit Sacerdos ieiunus, nec facilis sit inventu, teneatur Sacerdos prandsus, aut potus, qui præsens sit, perficere Missam. Sic expressè traditur in Rubricis Missalis suprà; animirùm de causa, quòd essentialis, aut substantialis perfectio Sacrificij sit maioris momenti, arctioriquè iure, nempe divino, præscripta, quàm celebratio eiusdem Sacrificij à Sacerdote non ieiuno contrà ius Ecclesiasticum, quod aliàs extat, & quod diuinō est minus potens.

9 Hanc ob causam Sacerdos non ieiunus debet post consecrationem non desistere à prosequenda Missa, si facta iam consecratione aduertat, se non esse ieiunum, vt dicam in Sectione 3. Et ob eandem causam si desit Sacerdos, qui non celebrarit illo die, aut qui non sit excommunicatus, vel suspensus ab officio, vel irregularis, necesse erit Sacerdoti, qui iam celebravit, aut qui sit excommunicatus, vel suspensus, vel irregularis, absoluere Sacrificium, quod alius post consecrationem reliquit inchoatum substantialiter; etiamsi nullum instaret scandalum ex non absolutione Sacrificij. Ita Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 10. quæstione 3. num. 42. & 43. Thomas Tamburinus Lib. 2. Cap. 8. §. 1. ex numero 10. cum multis alijs prioribus, & posterioribus. Discordant Sà suprà, Henriquez Lib. 9. Cap. 40. §. 1. & quidam alij. Sed ratio à nobis breviter proposita est valde efficax. Nec ad licitum supplementum debet attēdi evitationi scandali, vt addidit ex Azore Victorellus ad Sà, nā etsi illud non timeatur, vrget nostra ratio.

10 Quod plus est, tenetur Missam perficere Sacerdos conscius peccati lethiferi non confessi, sed procurata contritione in defectu Confessarij, si desit alius liber ab hoc impedimento, nam etsi oriatur ex divino præcepto obligatio præmittendæ confessionis ante celebrationem, quando Sacerdos est conscius criminis mortalis non confessi, tamen obligatio Sacrificij perficiendi maior est, vtpote orta ex divino præcepto arctiori. Nec nimis durum, aut incommodum est, vt complendi Sacrificij gratia obligetur Sacerdos ad contritionem. Ita contra Sotum in 4. Distinctione 13. quæstione 2. articulo 6. V. *Perplexior*, Toletum L. 2. Instructionis Sacerdotum Cap. 9. num. 1. Azorem tomo 1. Lib. 10. Cap. 23. quæst. 1. tenent Coninch 3. parte, quæst. 83. art. 6. n. 270. Franciscus de Lugo supra, num. 41. Tamburinus numero 2. post Suarium Disputatione 85. Sectione 1. V. *Rursus*. Non tamen negant Sotus, & sequaces in præfato Sacerdote conscio mortalis peccati eam obligationem, si facilè possit cum divina gratia conari in contritionem; aut quanvis nō facilè, si alioqui timor esset magni scandali ob non completum ab ipso Sacrificium, maximè in periculo corruptionis specierum sanguinis.

11 Porrò Henriquez Lib. 9. Cap. 40. §. 3. Bonacina Disp. 4. quæst. vltimā, punct. 10. num. 22. Mascarenhas Tract. & Disp. 5. Cap. 13. n. 430. in ea sunt opinione, vt si Sacerdos obeat post sumptionem hostiæ, non teneatur alter perficere Missam, sed possit in alia integrè celebranda sumere relictum sanguinem. Nam essentia Sacrificij iam est perfecta tam respectu Sacerdotis obeuntis post hostiæ sumptionē,

quàm respectu eorum, pro quibus Sacrificium est oblatum, siquidem per posteriorem sumptionem calicis Sacerdos, qui obijt, non comparaturus esset maiorem gratiam, quàm per priorem hostiæ; & siquidem sufficiat vnius speciei sumptio, ne Sacrificium maneat essentialiter imperfectum. Sed contrà cum Aversa quæst. 11. sectione 16. V. *Quare*, Paulo Maria Quarti parte 3. tit. 10. num. 3. sect. 1. dub. 3. V. *Colligitur quartò*, Francisco de Lugo Lib. 5. Cap. 10. quæst. 3. num. 47. Diana parte 10. Tract. 12. Resol. 15. Dicastillo Tract. 5. Disput. 4. dub. 16. num. 309. Bartholomæo ab Angelo, & cum alijs apud ipsos, quia sumptio vtriusque speciei pertinet saltem ad substantiam, seu integritatem substantialem Sacrificij, & ad huius consummationē, vrgetque præceptum sumendi id, quod in Sacrificio est oblatum, quoties sumi potest vel ab offerente, vel ab alio supplente eius vices, gerenteque se instar vnius, eiusdemque Ministri cum priori. Quare in hoc casu, vt & in alijs, substitutus Sacerdos explere debet Missam ab eo loco, vbi desijt, qui mortuus est, aut morbo est impeditus, quominus progrederetur.

12 Nec probo, quod ait Henriquez de Sacerdote amplexante nostram sententiam [Si malit perficere eam Missam, non licet ei sumere solū sanguinem relictum, & perficere Missam cum sequentibus orationibus, nam sic celebrans, quanvis suppleat vicem alterius deficientis, debet sumere vtramque speciem, vt patet in alijs casibus. Quidam eo casu, si haberi possit vinum, putant, præceptum esse, vt qui in Sacrificio sumit, consecret vtramque speciem propter mysterium significationis. At satis est, vt primo deficiente post vnam speciem consecratam alter Missam perfecturus consecret alteram, & sumat vtramque, vt dictum est, quia vterque se habet vt vnus Minister partialiter concurrens ad vnum Sacrificium.] Sic Henriquez, quem ob hæc verba allegat Dicastillus pro sua, & nostra opinione; sed parùm fideliter, vt & Diana satis indistinctè. Non, inquam, probo, quod ille ait, quia si ob substituti munus, quod exercet alter Sacerdos, potest consecrare vnam solam speciem, cur etiam non poterit sumere vnam solam restantem præconsecratam, quin denuò consecret altero? Ea alia opinio de consecranda vtraque specie defenditur à Nigro apud Dianam; & an meritò tribuatur Angelico Doctori? constabit in progressu Disputationis, vt & eius reijciēdæ ratio.

SECTIO II.

Animadversiones nonnullæ circa defectum declaratum.

13 PRIMO notandum est, si semiprolata forma sanguinis deficiat Sacerdos, non esse eam perficiendam ab alio Sacerdote, sed totam, & integram proferendam, incipiendo ab eo loco, *Simili modo postquàm cœnatum est.* Sic in Rubricis Missalis suprà. Et in antiquis Pij V. Pontificis Maximi addebatur, *Si semiprolata forma corporis, obijt Sacerdos ::: tunc alter similiter prosequatur Missam, & super eandem hostiam ::: repetat integram formam ab eo loco, Qui pridie, quàm pateretur.* Sed in novis Clementis VIII. & Vrbani VIII. desunt hæc verba; & potiùs dicitur, non esse necesse, vt Missa per alium Sacerdotem expleatur, quod concedit Mascarenhas suprà, num. 427. addens tamen, posse expleri: quod mihi non placuit anteà. Ideò verò pronuncianda est tota, & integra sanguinis forma, quia pars prolata à Sacerdote, qui obijt, & pars, quę proferretur ab altero, non constituerent vnam formam, nec facerent vnum sensum.

14 Secundò, si Sacerdos, qui decessit, protulit ea verba, *Hic est enim calix sanguinis mei*, relictis cæteris, quæ non sunt de essentia formæ iuxta communem, & nostram sententiam traditam ab Innocentio Papa Lib. 4. de Mysterijs Missæ Cap. 7. & 17. à Guillelmo Parisiensi (siue sit celebris ille Alvernus, & Episcopus, siue Religiosus quidam Ordinis Prædicatorij, vt mihi magis persuadeo) de Sacramento Eucharistiæ Cap. 11. Cæsario Heisterba-

terbachcensi Lib. 9. Miraculorum illustrium, & Historiarum memorabilium Cap. 1. Alberto Magono Tract. 3. de Sacrificio Missæ Cap. 12. num. 2. Dist. 6. de Euchar. Tract. 2. Cap. & num. 3. alijsque suo loco relatis, non esse necesse, neque expediens iuxta Dicastillum Disp. 4. dub. 15. num. 310. resumere formam à principio. Quod dictum apud eos intelligo, quibus nostra sententia esset quasi certa moraliter. Si probabile esset quod de Vvalsyngha mo Carmelita testatur Thomas Vvaldensis Cap. 29. de Sacramentis scilicet censuisse consecrationem fieri ad solam prolationem pronominis demonstrativi, *Hic, Hoc*, aut quod ipse Vvaldensis, dum iunior esset, existimavit, & in provecta ætate vult omissum, sed non abiectum, & de quo dubius fuit Aureolus in 4. Distinct. 8. quæst. 2. nempè conversionem Eucharisticam fieri pronunciato verbo *Est*; quid inde inferatur, nemo non videt. Verumtamen debet omnino supponi contrarium, & vt esset probabile (de quo alij iudicent) est valde incertum moraliter.

15 Tertiò, si constet de consecratione hostiæ, & calicis à Sacerdote, qui defecit, non verò vbi desierit, ante sumptionem, æquum esse, vt alter Sacerdos perficiens Missam incipiat à verbis, *Vnde & memores, &c.* quia sic evitabitur periculum omittendi ritus tam graues, quàm sunt, qui ex illis verbis sequuntur.

16 Quartò, si dubium sit de consecratione hostiæ, par esse, vt supplens vices deficientis Sacerdotis inchoet ex Canone; rursus si certum sit de consecratione hostiæ, dubium autem de calicis consecratione, esse æquum, vt incipiat ex verbis, *Simili modo, &c.*

17 Quintò, licere per Rubricas Missalis, quando Sacerdos obijt semi prolata forma sanguinis, vt alter proferat integram formam super alium calicem præparatum, & postea sumat hostiam primi Sacerdotis, sanguinemque à se consecratum, ac deinde calicem relictum semiconsecratum.

18 Sextò, si dubitetur de consecratione hostiæ, tutius esse penes antiquas Pij V. Rubricas, si supplens consecret aliam hostiam, post cuius, & calicis sumptionem accipiat ore eam, de qua dubitatur, num sit consecrata? Sed hæc animadversio prætermittitur in novis Rubricis Clementis VIII. atque Vrbani VIII. Ideoque forsan erit non minus tutum, consecrare absolutè novam hostiam, & sub conditione priorem, sumereque vtramque ante calicem. Et fortè erit æquè tutum, non consecrare absolutè novam hostiam, sed tantùm priorem sub conditione concepta in animo, vel etiam expressa in verbis, quòd non sit consecrata à Sacerdote, qui defecit. Hoc enim sufficit ad evitandum periculum, ne Sacrificium, inchoatum à primo Sacerdote, maneat imperfectum. Si autem sufficit, quidni satis tutè omittetur consecratio absoluta novæ hostiæ? Imò quidni debeat omitti? Siquidem evitato præfato periculo, videtur deesse titulus, vt adhibeatur nova materia consecrationis, & peragatur absolutè consecratio vtriusque speciei, ac sumptio, (in quibus essentia, & substantialis integritas Sacrificij consistit) quin Missa à capite inchoetur. Ita Dicastillus suprà num. 311. & 312. si ex principijs, & doctrina generali ab intrinseco decernendum sit in hac re, & non potiùs ex authoritate Doctorum, quorum plerique; cum S. Thoma non omnino clarè in 4. Dist. 8. q. 2. art. 4. quæstiunc. 1. ad 2. Sancto Antonino parte 3. Summæ titulo 13. Cap. 6. §. 3. Sylvestro V. *Eucharistia* 2. q. 8. n. 12. Scoto in 4. Distin. 8. quæst. 2. n. 10. aiunt, adhibendam esse novam hostiam, consecrandamque absolutè. Plerique, inquam, non omnes, nam Franciscus de Lugo L. 5. Cap. 10. q. 3. num. 49. Diana parte 9. Tractatu 6. Resolut. 18. parte 10. Tractatu, & Resolutione 12. cum Serra, Ludovico à Sancto Ioanne, Villalobo, & Præposito, Quartus parte 3. titulo 10. num. 3. sectione 1. dubio 4. V. *Colligitur primò*, sunt contenti, si prior tantùm hostia consecretur sub conditione.

19 Septimò, si prolata forma consecrationis panis Sacerdos obeat, debet alter succedens proferre tantùm formam consecrationis vini, quin repetat eam aliam, vt constat ex dictis; quanquam ex Doctoribus priscis Innocentius Papa Libro 4. de Myste-

rijs Missæ Cap. 22. tractet satis perplexè hunc casum, dum scribit, *Porrò cum inter Theologos de tempore consecrationis sit diuersa sententia, quibusdam dicentibus, quòd cum totum est dictum, totum est factū: alijs autem dicentibus, quòd panis ante mutatur in corpus, & postea vinum mutatur in sanguinem. Plerique tutiùs procedentes affirmant, quòd alius Sacerdos consecrationem repetere debet, atque perficere. Quoniam, vt tradit authoritas, non dicitur iteratum, quod nescitur ante esse factum. Verùm ne vlla fiat iteratio, vel diuisio Sacramenti, nec aliquis scrupulus erroris, vel dubitationis remaneat, consultius, & tutius iudicatur, vt illa oblatio studiosissimè recondatur, & super aliam totum Officium celebretur*; ideſt, prior hostia, super quam certò prolata sunt consecratoria verba, reservetur, & super aliam hostiam Missa à capite inchoetur per alium Sacerdotem, vt explicant, & approbant Guillelmus Parisiensis Cap. 13. de Eucharistiæ Sacramento, Ioannes de Friburgo in Summa Confessorum quæst. 59. Rubricellæ de Euchar. Et sanctus Thomas proximè citatus non reprobando ait, *Consultius est secundùm Innocentium III. vt illa hostia iam consecrata seorsum posita, super aliam deinceps totum Officium iteretur.* Nihilominus non placet nobis consiliū illud, quando super priorem hostiam certò sunt dicta verba consecratoria cū intentione conuenienti, quia alioqui inchoatum Sacrificium manebit imperfectum substantialiter, & alter Sacerdos non perficiet illud, sed conficiet tam substantialiter, quàm accidentaliter aliud diversum. Processit cōsilium Innoc. ex probabilitate, quam vt Doct. priavrus agnovit in opinatione de expectātib⁹ se mutuò formis consecratorijs, vt operentur. Ast eam cogitationem, quæ fuit Petri Cantoris Parisiensis, adversari fidei Catholicæ, pronunciant nunc temporis plures. Videatur n. 11. Disp. 4.

20 Octauò, si Episcopus in Pontificalibus celebrans moriatur, & non adsit alius Episcopus, qui commodè queat perficere Missam, spectat ad simplicem Sacerdotem explere eam simplici, & ordinario modo. Ita Henriquez Lib. 9. Cap. 40. §. 2. quia Pontificalia non sunt de essentia, aut substantia Sacrificij, sed tantùm de solemnitate; quæ desideranda est multò minus, quàm integritas substantialis, aut perfectio essentialis in Sacrificio. Debet autem præ Episcopo inieiuno simplex Sacerdos ieiunus finire Missam in proximo casu, vt benè admonet Dicastillus Tractatu 4. Disputatione 9. Dubio 17. num. 380. nam minoris momenti est continuare Missam sine cæremonijs Pontificalium, quàm sine ieiunio. Et quando Episcopus deficeret in Missa, in qua simul cum Sacerdote tunc noviter ordinato protulisset verba consecratoria super panem, & vinum, videtur Averſæ quæstione 10. sectione 2. V. *Sic ergo*, præferendus Neomystes alij antiquo Sacerdoti, nam ex concelebratione comparavit specialem titulum, & ius, vt præferatur in perficienda ea Missa, cuius consecrationi vnà cum Episcopo præbuit operam.

21 Nonò, si non adsit, neque reperiatur alter Sacerdos, qui Missam absoluat, notandum est, dici à Sà V. *Missa*, numero 38. aut perficiendam esse alio die, aut sumendum ab alio in alia Missa Sacramentum. De cuius dicti priori parte egi latè in Sectione 13. dedique meam censuram circa illud. Nunc conuenienter ad posteriorem dico, species consecratas vini reseruandas esse in sacro Tabernaculo, vt die sequenti sumantur ab alio Sacerdote post sumptionem specierum sacrarum panis, & vini, quas ip se consecrarit in Missa à se celebrata. Species autem consecratæ panis relictæ ex Sacrificio diei præcedentis, & recondendæ etiam in Tabernaculo, poterunt sumi vel ab ipso Sacerdote, vel tradi sumendæ à Laico, qui ad communicandum accedat.

22 Quòd si periculum esset, ne species vini corrumperentur, aut aliàs manerent expositæ notabili irreverentiæ, possent, vt cum Serra, & Ludouico à Sancto Ioanne censet Diana parte 9. Tract. 6. Resol. 18. imò & deberent sumi à Laico in defectu Sacerdotis, vt iudico cum Francisco de Lugo Lib. 4. Cap. & quæst. 7. num. 65. Lib. 5. Cap. 10. quæst. 3. num. 38. dixique Disp. 14. de Euchar. num. 108. contra Sotum in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 6. V. *Circa hoc*, quia præceptum Ecclesiasticum prohibens ob reverentiam Sacramenti, ne Laicus sumat

spe-

ſpecies vini, deſinit obligare, quoties futurum eſt, vt ex non ſumptione ſequatur irreverentia potiùs, quàm reuerentia; obligarque religio erga Sacramentum, vt eius irreverentia omnimodis evitetur, nec cavetur commodè, inijciendo ſpecies conſecratas vini in piſcinam, quando adeſt fidelis, qui decenter valeat ebibere Illas. Quæ ratio ſimiliter probat, debere in prætato caſu Laicum inieiunum ſumere ſpecies ſive panis, ſive vini, ſi deſit non tantùm Sacerdos omnis, ſed etiam alter Laicus ieiunus: quippe ſi non deſit, anteponendus eſt Laicus ieiunus inieiuno, vtpotè magis habilis ad decentiorem illarum ſumptionem.

23 Vltimò notandum eſt ex D. 13. num. 32. ad quem Sacerdotem pertineat applicatio fructus Sacrificij, an ad incipientem, an ad perficientem in eius defectu? Averſa quæſt. 11. ſect. 16, Verſ. poſtremo ait, conveniens eſſe, vt poſterior conformet ſuam intentionem cum ea, quam habuit prior. Diſſentitur Qartus parte 3. tit. 10. n. 3. ſect. 1. dub. 2. in fine, quando poſterior aut non indiget fructu Sacrificij, aut non eſt obligatus applicare eum fructum in bonum alicuius perſonæ. Addit Averſa, P. Suarium loqui perplexè de prævalitura applicatione, ſi intentiones prioris, & poſterioris Sacerdotis non ſint conformes. Sed certè Eximius Doctor ſatis clare, & explicitè decidit, prævalituram poſterioris, vt retuli in eo n. 32.

SECTIO III.

Quid faciendum ſit, quando Sacerdos, qui incæpit Miſſam, recordatur ſe eſſe cum aliquo obice, quo aliàs impediretur à Miſſæ incæptione?

24 RESPONDET S. Thomas ad 2. *Vbi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud, quod habet minus de periculo. Maximè autem periculoſum circa hoc Sacramentum eſt, quod eſt contra perfectionem huius Sacramenti, quia hoc eſt immane ſacrilegium. Minus autem eſt illud, quod pertinet ad qualitatem ſumentis. Et ideò ſi Sacerdos poſt conſecrationem incæptam recordetur, ſe aliquid comediſſe, vel bibiſſe, nihilominus debet perficere Sacrificium, & ſumere Sacramentum. Similiter ſi recordetur, ſe peccatum aliquod commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi; & ſic non indignè, ſed fructuosè ſumere Sacramentum. Et eadem ratio eſt, ſi meminerit, ſe excommunicationi cuicumque ſubiacere, debet enim aſſumere propoſitum humiliter abſolutionem petendi; & ſic per inuiſibilem Pontificem Ieſum Chriſtum abſolutionem conſequetur, quantùm ad hunc actum, quòd peragat diuina myſteria. Si verò ante conſecrationem, alicuius prædictorum ſit memor, tutius reputarem, maximè in caſu manducationis, & excommunicationis, quòd Miſſam incæptam deſereret, niſi graue ſcandalum timeretur.* Hæc ſanctus Thomas, cui conformes ſunt Rubricæ Miſſalis §. 8. num. 4. & 5. niſi quòd caſum de ieiunij defectu non attingunt; & quod in duobus alijs, ſi deprehendantur ante conſecrationem, debere Miſſam incæptam deſeri, atque adeò non tantùm eſſe tutius, exprimũt Rubricæ.

25 Et meritò quidem in tribus præfatis caſibus, de quorum primo eadem eſt ratio, ac de ſecundo, & tertio, nimirùm quòd, remoto periculo ſcandali, aut infamiæ, nulla eſt ratio, ob quam fas ſit cum obice aliquo ex tribus illis, ante conſecrationem animaduerſo proſequi Miſſam, maiorque eſt obligatio non celebrandi cum obice aliquo ex tribus illis, quã non relinquẽdi Miſſam inchoatam, ſi ad conſecrationem non eſt perventum; tametſi ſit ad Canonem. Nam ſi vel vnius tantùm ſpeciei facta eſt conſecratio, minin è licebit, deſiſtere omnino à Miſſa, vt cẽſeo cum Sancto Thoma, & Rubricis, conſequenter addicta in ſect. 1. quantumvis ex deſiſtentia nullum timeretur ſcandalum, aut infamia. Quòd ſi quis malitiosè incæpiſſet Miſſam non ieiunus, aut conſcius peccati lethalis non confeſsi, aut excommunicatus, aut ſuſpenſus, aut interdictus, aut irregularis, diſcurrendum eſt eodem modo; vt etiam, ſi quis in ipſa Miſſæ celebratione perpetret peccatum lethale.

26 Ex dictis infero primò, Sacerdotem in altari exiſtentem, ſi recordetur culpæ mortalis, non confeſſæ, &

ante consecrationem teneri confiteri, si absque scandalo, aut nota commodè possit, vel si non sit in eius facultate recursus ad Confessarium, teneri deserere Missam, si item possit absque scandalo, aut nota. Et ratio est, quia præceptum præmittendæ confessionis ante consecrationem, atque sumptionem specierum consecratarum obligat conscium peccati lethalis non confessi, quoties adest copia Confessarij, & non vrget necessitas consecrationis, atque sumptionis. Atqui in proposito casu supponitur adesse Cõfessarius, aut adiri, vocari vè facilè posse, cui iam præsenti confiteatur Sacerdos sine scandalo adstantium, & dedecore sui, nullaque vrget necessitas procedendi ad cõsecrationem, ac sumptionem absque interposita confessione. Ergo Sacerdos tenebitur interponere eam, & posteà prosequi Missam; vel si non possit habere Confessarium, tenebitur deserere omnino Missam, si inde nec scandalum, neque nota vlla sequetur.

27 Inquies, non esse decens, vt inceptum Sacrificium interrumpatur. Sed contra, quia magis est è decentia Sacrificij, ne consecratio, & sumptio fiat absque præmissa confessione; preceptumque de hac fortius est, quàm præceptum de Missa non interrumpenda ante consecrationem. In huius confirmationem doctrinæ vtile est exemplum de ieiunij ante consecrationem præcepto, quod etsi sit merè Ecclesiasticum, proindeque non tam strictum, quàm est diuinum de confessione ante consecrationem, nihilominus si quis Sacerdos post inchoatam Missam recordetur ante consecrationem, se non esse ieiunum, tenetur ommittere omnino Missam, vbi nec scandalum, nec infamia timeatur, vt docent multi, qui nobiscum non conveniunt in hac illatione.

28 Dices rursus, Sacerdos communicaturus non celebrando, aut Laicus positus iam in ordine cum alijs in loco communionis, si recordetur alicuius gravis peccati, de quo non est confessus, haudquaquam tenetur inde recedere, & relinquere Eucharistiæ susceptionem, aut differre, donec præmittatur confessio, quantumvis posset absque scandalo, & absque infamiæ periculo. Ergo similiter, &c. Nego Antecedens. Et pro recessu à gradu altaris in hoc casu potest in exemplum adduci, quod ait Christus apud Matthæum C. 5. V. 23. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Sed hoc omisso, ratio inficiãdi Antecedentis est, quia tunc omitteretur ante communionem confessio absque iusta causa excusante ab adimpletione præcepti. Nec enim est iusta causa, ne imperfecta relinquatur actio sacra communicandi, quæ quodammodò est inchoata; siquidem maioris momenti sit adimpletio præcepti de confessione, quàm perfectio eius actionis, etiam quando ad communionem consecrata est formula, aut è Tabernaculo extracta est pyxis. Insuper si iusta foret causa, non modò licitum esset, sed etiam obligatorium in eo casu sacram suscipere communionem, quippe eatenus foret iusta, quatenus non susceptio redoleret quidpiam indecentiæ, ac irreverentiæ contra Eucharistię maiestatem; debet autem vitari quodcũque vestigium inobseruantiæ erga tantum Sacramentum, præsertim quando commodè potest. Ast Authores aduersi aut expressè negant, aut non declarant, dari talem obligationem.

29 Inquies iterùm, ex nostra sententia aperiri viam scrupulosis, vt sæpe recedãt ab altari ob exortum scrupulum de oblito peccato aliquo in confessione. Respondeo, fieri rarò posse discessum sine periculo scandali, aut infamiæ apud præsentes, vel apud eos, in quorum notitiam veniet; ac propterea ordinariè cessat obligatio recedendi; & cum scrupulosis potest laxiùs agi, possuntque à Confessario moneri, ne recedant, præsertim si manifestè, & omnino certò non constet de peccato oblito in confessione.

30 Infero secundò, seu declaro magis quod supra involutè dixi, si reminiscentia peccati accidat post cõsecrationem vel vnius tantùm speciei, illicitum esse, relinquere omnino Missam; & quanquam nullum immineret periculum scandali, aut notæ, posset-que commodè Sacerdos confiteri, interrumpendo Missam, & accersito Confessario, vel illo adito, non teneri ad id,

sed

sed solummodò ad contritionem cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Ita colligitur ex Sancto Thoma supra, & ex Missalis Rubricis supra, num. 4. quarum hæc sunt verba, *Si in ipsa celebratione Missæ* (id est, post consecrationem, vt declaratur num. 5.) *Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi.* Vbi vides, nullam de obligatione confessionis fieri mentionem. Ita etiam tradunt conceptis verbis plures Doctores apud Bonacinam Disp. 4. q. 6. puncto 1. num. 15. & apud Dicastillum Tractatu 4. Disp. 9. dubio 6. num. 79. & 80.

31 Sed refragatur Bonacina, quia in hoc casu non adest necessitas prætermittendæ confessionis, cum Sacerdos commodè possit, & sine scándalo ad se Confessarium accersere: nec interrumpatur Missę Sacrificium, cum aliquid fiat, quod dirigitur, & ordinatur ad ipsum Missæ Sacrificium dignè conficiendum. Addunt alij, nullam esse causam continuandi absque interruptione aliqua brevi Sacrificium, si detur legitimum impedimentum, quo possit Sacerdos exsolvere se breviter, vel accersito Confessario, vel recedendo ab altari, vt adeat Confessarium. Nihilominus persistendum est in illatione præfixa, quia Ecclesia, & Doctores sic interpretantur præceptum præmittendæ confessionis, vt post consecrationem non obliget ad interponendam confessionem, qua discontinuentur substantiales partes Sacrificij. Cæterùm quia alij Doctores sic interpretantur, vt obliget, facilè admittam, posse licitè discontinuari, nec enim elucet aperta indecentia in discontinuatione Sacrificij, vel interruptione quoad partes etiam substantiales; & in nonnullis alijs casibus est licita, non interveniente etiam tanti ponderis causa, quanti est confessio, vt quando expectatur aliquandiu Minister responsurus, qui ab altari discessit.

32 His in illationibus, & in principio vnde derivantur, abstinui à longa Authorum patrocinantium recensione, continent enim puncta ab omnibus ferè Theologis Moralibus antiquis, & modernis pertractata, & cuivis facillimum est, pro parte probabili, cui adhæreat, multos proferre, Quam ob causam servabo eandem parsimoniam in Sectione sequenti. Sed antequàm ad eam transeam, adverto, contrariam sententiam nostræ propositæ initio Sectionis esse valde probabilem ab authoritate plurium, qui docent, vt præcisè ob reverentiam Sacrificij, independenter ab scandalo adstantium, & ab infamia Sacerdotis, fas est prosequi Missam deductam vltra consecrationem, etiam si Sacerdos tunc recordetur, se esse in peccato mortali, dummodò de eo conteratur: ita etiam fas esse, Missam quomodolibet incæptam continuare, procurata contritione, quin necesse sit accersere Confessarium, aut digredi ab altari ad eum quærendum, aut omnino omittere Sacrum, quia non comparebit Confessarius.

33 Doctores illos refert Quartus parte 2. tit. 3. sect. 2. dub. 3. parte 3. titulo 8. sect. 1. dub. 4. adhæretque eis, vt & Tamburinus Cap. 1. de Communione, §. 6. num. 34. & 35. Cap. 2. §. 8. num. 33. Lib. 2. de Missa, Cap. 8. §. 2. num. vnico. Sed is Author non excusat ab obligatione confessionis, [si Sacerdos posset (vt in Missa solemni, dum fit concio, vel cantatur Gloria) breviter cum suo Diacono v. g. qui esset Sacerdos Confessarius, confiteri, quia tunc cessat excusatio ducta vel ab infamia, vel ab irreverentia.] Etsi verò idem Author loquatur initio numeri illius 34. de Sacerdote etiam, dum induit sacras vestes; sed ex contextu, & ex Lugo, quem Disp. 14. de Eucharistia S. 5. num. 113. allegat in sui favorem, liquet, habere sermonem, quando Sacerdos non potest absque nota se exuere, nam si potest, tenetur, vt cum Scoto in 4. Dist. 9. q. vnica, n. 3. docet Gavantus parte 3. in Rub. Missalis, tit. 8. V. *Quid autem*, cum nondùm sit incæpta sacra actio, ex cuius reverentia moventur illi Authores ad sententiam oppositam ei, quę est Cardinalis de Lugo, & nostra.

34 Imò Eminentissimus vir purpura, & litteris videtur consentire cum Bonacina relato à nobis in n. 31. inquit enim, [Non est ergo recurrẽdum ad Missam iam incæptam; si enim Missa iam incæpta, ante consecrationẽ posset discedere Sacerdos ad confitendum, deberet id facere; si posteà tẽ post consecrationem accersere Sacerdotẽ, cui-

cui cõfiteretur, deberet id facere; quia verò neutrum potest vix vnquàm fieri absque nota, non obligatur.]

35 Ex illis Authoribus, qui à Quarro laudantur pro sua opinione, S. Bonaventura in 4. Dist. 13. dub. 1. non videtur loqui de Missa quomodolibet inchoata, sed post Canonem, ait enim Seraphicus Doctor, *Si occurrat aliquis casus in Missa, vel mortale peccatum, de quo non fuit contritus, in tali statu potest occurrere, quòd si habet Sacerdotis copiam, debet confiteri, si habet aptitudinem horæ ante Canonis inchoationem. Si non, dixerunt aliqui, quòd si adest populus, sufficit cõtritio cum proposito confitendi, quia scandalizaret populum, si dimitteret: si autem non timeret scandalum, consulunt dimittere, maximè cum nihil cogat. Verumtamen credẽdum est, quòd sine peccato potest, quod inchoatum est perficere, si propositum confitendi habet, & sic cum contritione totum suppletur: nec video ibi contemptum.* Hactenus Sanctus Bonaventura, sentiens, Sacerdotẽ obligatum esse ad confessionem, si ante Canonem potest ea in altari fieri. Et eiusdem est mentis Coninch quæst. 83. artic. 6. num. 272. inquiens, [Credo, esse omnino necessarium desistere à Sacrificio, si id possit fieri sine scandalo, aut sui diffamatione, si nondum inchoarit Canonem. Quòd si Canon est incæptus, quia tunc satis indecens est, relinquere Sacrificium, videtur tali casu posse ipsum perficere.] Consonat Sylvester V. Eucharistia 2. quæstione 7. num. 9

36 Ex illis etiam Authoribus, qui citantur pro adversa opinione, nõ omnes eodem modo loquuntur de tribus impedimentis peccati mortalis, excommunicationis, & fracti ieiunij; ipseque D. Thomas non sine emphasi dixit, tutiùs, esse, maximè concurrente secundo, aut tertio impedimento omittere Missam ante consecrationẽ; significat quippe inprimis, non esse præceptum, sed consilium, deinde concurrente primo impedimento tam esse tutum prosequi, quàm deserere Missã. In Rubricis autem Missalis dicitur, debere deseri Missam, concurrẽte primo, aut secundo impedimento; & quia de tertio non fit ibi expressa prorsus mentio, ideo discurri potest, vt significabam in num. 215. Disputationis confinis, nempe si perventum sit ad Canonem, & occurrat memoria de susceptocibo, aut potu, licere Sacerdoti siue procedere in Missa, siue desistere abea, etsi non liceret progredi in casu memoriæ vel peccati mortalis, vel excommunicationis, quando nullum timeretur scandalum, aut diffamatio ex desistentia à Sacro, aut ex interruptione in eo.

37 Et hæc speculativè; nam practicè vix contingere potest, vt non timendum sit vnum è duob⁹ illis, si Sacerdos confiteatur v. g. in altari peccatum suum. Nam nisi operaretur rei diuinæ in secreto Sacello, assisteretque solummodò alter, qui esset Confessarius, aut nisi in Missa solemni posset Sacerdoti, & Confessario exercenti munus Diaconi confiteri suum peccatum, quin alij interessentes notarent (quæ circumstantiæ rarò coincident) sunt penè inexcogitabiles alij casus liberi abscandalo, aut ab infamia. Ne autem Sacerdos in has angustias, & perplexitates deveniat, suadet Sanctus Bonaventura supra in fine dubij primi, *vt se ante diligenter præparet, & in Missa non cogitet de se, sed magis de Sacramento.*

SECTIO IIII.

Quæstiones selectæ circa secundum defectum præfatum.

38 INTERROGABIS primò, an Sacerdos ritè confessus, si ante cõsecrationem meminerit peccati alicuius lethalis, cuius in confessione inculpabiliter fuit oblitus, teneatur confiteri illud, priusquàm prosequatur Missam, si confiteri possit absq; scandalo, & nota? Respondeo, teneri, quia præceptum de confessione ante consecrationem, & sumptionem obligat ad confessionem omnium peccatorum lethalium, & non præcisè ad confessionem vtcumque. Isque est sensus, & consuetudo fidelium, non audentiũ ad Eucharistiam accedere, quin de nouo confiteantur peccata occurrentia noviter memoriæ post reliquorum cõfessionem legitimam, & integram omnino formaliter.

Si

39 Si obijciat quis primò, præceptum confessionis annuæ non obligat ad iteratam confessionem ob peccatum memoriæ de novo occurrens, cuius obliti fumus in priori cõfessione. Ergo idem dicendum erit de præcepto confes. ante celebrationem.

40 Secundo, Concilium Tridentinum Sess. 13. Canone 11. inquit, *Ne tantum Sacramentum* (videlicet Eucharistię) *indignè, atque adeò in mortem, & condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos cõscientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem.* Quibus in verbis Concilium exigit confessionem ante sumptionem Eucharistiæ, ne sumptio fiat indignè. Ergo ille, cui indirectè remissum est in confessione peccatum, non tenetur ante sumptionem confiteri ipsum posteà, si memoriæ occurrat, siquidem absque nova confessione consequetur finem à Concilio intentum: qui est ad Eucharistiæ sumptionem accessus non indignus, id est, accessus mundus à peccato.

41 Ad primum occurro, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam. Ratio discriminis est, quia præceptum annuæ confessionis obligat solummodò ad confessionem semel in anno, vt constat ex Can. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentijs, & remissionibus, & ex Concilio Tridentino Sess. 14. Cap. 5. cui proinde præcepto satisfit per vnam confessionem formaliter integram, etiamsi materialiter integra non sit ob inculpatã oblivionem alicuius peccati. Ast præceptum confessionis ante Eucharistiæ sumptionem obligat ad confessionem simpliciter omnium peccatorum, quorum conscientia habetur ante sumptionem, & non præcisè obligat ad vnã confessionem: alioqui qui animo sumendi Eucharistiam confiteretur, & ante sumptionem committeret novũ peccatum, nõ teneretur confiteri iterùm, si adhuc vellet sumere Eucharistiam; sicut qui in anno est confessus, non obligatur intra eum annum ad cõfessionem peccati, quod intra eundem annum noviter perpetrarit. Quapropter præcepto confessionis ante Eucharistiæ sumptionem non satisfit nisi per confessionem etiam materialiter integram. Ob eandem discriminis rationem, qui confessus est pro Iubilęo, aut Indulgentia lucranda, & communicauit, non tenetur confiteri iterùm, si, antequàm cætera opera prescripta expleat, veniat in memoriam peccatum aliquod, quod inculpabiliter fuit omissum in confessione.

42 Secunda obiectio nimiùm probat, siquidem etiam probet, non dari sub mortalis peccati pœna obligationem confessionis ante Eucharistiæ sumptionem, si homo se contritum existimet, iam enim eo ipso nõ sumet indignè, seu cum peccato gravi, vtpote quod remissum sit per contritionem. Id autem etsi assertum sit ab Abbate C. *De homine* de Celebratione Missarum, Alberto Magno de Euch. Dist. 6. Tract. 4. Cap. 3. num. 2. Paludano in 4. Dist. 17. quæst. 2. artic. 5. num. 17. Caietano in Commentario non correcto ad art. 4. q. 80. 3. partis, & in Summa V. *Communio*, num. 2. & in 1. ad Corinth. 11. & in Tract. Responsionum ad articulos Parisiensium artic. 6. Bartholomæo Fumo in Summa aurea armilla, V. *Communio*, n. 1. Roffensi apud Pallavicinum infrà, Richardo, & Adriano apud Leandrum parte 2. de Sacram. Tract. & Disp. 7. quæst. 10. affirmari iam post Concilium Tridentinum non posse sine censura erroris, pronunciant Antonius Cordubensis Libro 1. Quæstionarij quæstione 16. Sixtus Senensis Libro 6. Bibliothecæ sanctæ, annotatione 261. Alfonsus de Castro Libr. 6. adversus hæreses V. *Eucharistia* in errore 10. Alfonsus Salmeron T. 39 à pag. 410. tomi 9. in Evangelia, & ante Tridentinum Ambrosius Catharinus L. 5. Annotationum in Commentaria Caietani pag. mihi 422. scripsit, [Annotavi etiam vt rem periculosam nimis, quòd Caietanus conatus sit defendere, non esse præceptum, hominem conscium sibi peccati mortalis confiteri illud, etiam suscepturum Sacramentum, & habentem copiam Confessoris.] Et cum proposuisset fundamẽta Caietani, subiungit pag. 423. [Hęc ille in summa; quę, vt certè agnoscas, nisi tenearis Doctoris amore, quã inania sint, & nihil cogentia, adverte.] &c. Melchior etiam Canus Relectione 5. de Pœnitentia fol. mihi 162. §.

Denique

Denique in C. ait, [Ac re vera non existimo, huiusmodi Caietani sententiam inter opiniones probabiles esse reponendam. Sed qua tamen nota inuri à Theologis possit, alij Doctores iudicabunt. Nam Caietano tantum Schola debet, homini alioqui de Republica Christiana maximè merito, vt quod fieri per pietatem licet, parcere ei iure optimo, summisque rationibus debeamus.] Hactenus Canus.

43 Sed post Concilium Tridentinum debere damnari assertionem de non necessaria ante Eucharistiæ susceptionem confessione in homine etiam contrito; nec licere dicere, non fuisse ante Concilium Tridentinum necessariam ex præcepto graviter obligante confessionem, habent sibi persuasum plerique. Nam Tridentinum tradit Sess. 13. C. 7. *Communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationē necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Vbi & Concilium meminit anterioris præcepti declarati ex Ecclesiastica cōsuetudine de probatione per cōfessionem, & reuocat obligationem illius præcepti in antiquissimum tempus, id enim sonat Ecclesiastica consuetudo indefinitè prolata. Vnde considerandum est, an rectè dixerit Petrus de Soto in Instit. Sacerd. Lect. 10. §. *Quod verò*, Concil. [non iudicasse, contrarium esse erroneum, aut hæreticum.] Sed his omissis: de quib⁹ legatur Card. Pal. p. 1. Hist. Concil. Trid. L. 10. C. 2.

44 Respondeo absolutè ad secundam obiectionem, Concilium nō designare finem præcepti secundùm se; præcepti, inquam, de confessione, lati primùm siue à Christo Domino, siue à Paulo Apostolo (quorum prius mihi magis arridet) sed designare finem sui statuti, ac declarationis, proposito præcepto præmittendę integræ etiam materialiter confessionis ante Eucharistiæ sumptionem, quo de præcepto egerat in C. 7. eiusdem Sessionis, comprobaratque illud ex verbis Apostoli, & ex declaratione Ecclesiasticæ consuetudinis. Quo quidē præcepto supposito, accedens ad communionem sine confessione omnium peccatorum, quorū est iam conscius, accederet eo ipso indignè ob peccatum, quod de novo cōmitteret non subijciendo confessioni illud aliud noviter occurrens memoriæ, & præteritum inculpabiliter in antecedenti confessione.

45 Replicabis, si peccatum illud est iam indirectè remissum per antecedentem confessionem, & homo existit in statu gratiæ, quisnam finis præcepti obligantis ad confessionem de illo ante communionem? Respondeo, eundem esse, qui fuit præcepti de confessione, etiamsi homini videatur se esse contritum, & proinde se esse in statu gratiæ. Legatur Cardinalis de Lugo D. 14. de Eucharistia sect. 4. numero 66. quo loci multiplicem finem breviter, & eleganter proponit.

46 Ex dictis consectarium est, eum, qui ante vnam celebrationē, aut communionem oblitus est peccati lethalis perpetrati, quod ideo prætermisit in confessione præmissa, non satisfacere, si confiteatur tempore, quo præceptum affirmativum confessionis obligat per se semel in anno; sed teneri ante alteram celebrationem, aut cōmunionem confiteri illud. Et si eum ab hoc onere exemerint nonnulli apud Petrum Cornejum 3. p. q 80. art. 4. D. vnica, dub. & q. 3. probabiliterq; iudicio ipsius. Sed censuram vel de probabilitate exemptionis expungi iussit in illo Appendicula ad Expurgatorium editum an. 1640. pro Catholicis Hispaniarum Regnis lit. *P.* Classe 2. Videantur Caspensis T. 22. D. 9. S. 2. n. 25 Arriaga Disp. 46. S. 3. Subs. 2. n. 25. Diana p. 5. T. 14. Res. 5. p. 9. T. 3; Res. 4. & 26. p. 11. T. 8. R. 40. Leander infra q. 21. & 52. Sed monendus est Lector, tum vt doctrinam huius Consectarij discernat à doctrina sequentis proximè, tum vt in alijs fautoribus impugnatę nunc exemptionis referendis ex fide horum gerat se cautè, nam quidam ab eis memorati non loquuntur in sensu, quem modò reieci, vt nec iudicium S. Inquisitionis extenditur ad omnia, ad quæ ipsi enarrant.

47 Secundum Consectarium sit, si Sacerdos, de quo processit Interrogatio prima, celebret absq; præmissa confessione ob vrgentem necessitatem, & ob Confessarij inopiam, teneri confiteri

confiteri quàm primùm post Missam, etiamsi dein non sit aliam peracturus. Cum enim sacrificaverit absque confessione peccati, quod ante debuisset subijcere confessioni, nisi eum excusassent quę dixi, comprehenditur Tridentini Concilij præcepto Sess. 13. C. 7. vbi iubetur confiteri quàmprimùm Sacerdos, qui absque prævia confessione litaverit in casu necessitatis vrgentis, & in defectu Confessarij.

48 Oppositum Consectario nostro placuit Pasqualigo in Doctrina Morali sacra Disp. 116. sect. 5. contra Præpositum, & Aversam; placuit etiã Petro Cornejo supra; aitque perdoct⁹ Leander Tract. & Disp. 7. quæst. 52. citans Dianam parte 5. Tract. 14. Res. 5. deletum illud fuisse ex Cornejo ab Expurgatorio Hispano. Sed certè non est obliteratum nisi quod retuli in primo Cõsectario, vt patebit legenti Cornejum, & Expurgatorium, non enim præcipitur expungi nisi quæstio 3. in qua continetur quod anteà adnotavi; & quęstio 2. in qua est sermo de puncto huius secundi Consectarij, manet illęsa; nec Diana loquitur nisi de puncto primi Consectarij. De quotamen agens Leander, quæst. 21. allegat Cornejum pro sua, & nostra sententia. At Expurgatorium delet in Cornejo censuram de probabilitate cõtrariæ, necnon quę pro ea scripsit Cornejus sub quorundã nomine.

49 Interrogabis secundò, an Sacerdos, de quo in proximo quæsito, si non possit confiteri peccatum mortale, cuius iam recordatur, teneatur saltem elicere perfectã de illo contritionem ante consecrationem, & sumptionem Eucharistię? Dico primò, non teneri, si in confessione doluit de peccatis ex motivo vniversali, aut etiã ex particulari complectente illud peccatum, cuius posteà meminit. Nam eo ipso quòd sic doluerit, obtinuit omnium peccatorum remissionem per validam, & fructuosam confessionem. Ergo quo tempore fas est non præmittere celebrationi Missæ confessionem peccati illius, non tenebitur ad eliciendam contritionem siue perfectam, siue imperfectam de illo, non enim apparet fundamentum vllum in Concilijs, aut Patribus, aut consuetudine Ecclesię, vt desideretur ante celebrationem, aut communionem dolor aliquis de peccatis, qui non sit necessarius ad eorum remissionem.

50 Dico secundò, teneri, si non doluit vno modo ex duobus dictis, quia eo ipso in confessione non est remissum illud peccatum, neque alia, quippe nullum peccatum lethale condonetur à Deo siue directè, siue indirectè, nisi detur in homine dolor aliquis ex præfatis, aut dilectio eiusdem Dei super omnia, si peccatum remittatur extra Sacramentum. Ergo cum accessus ad Eucharistiam illicitus per se sit in statu peccati mortalis, inerit obligatio Sacerdoti illi ad eliciendam contritionem perfectam, aut Dei super omnia dilectionem, qua deleantur peccata, proindeque ad Eucharistiam accedat in statu gratiæ. Nec sufficiet contritio imperfecta, seu attritio in Sacerdote illo; vti suppono, non sufficere in alio, qui nullatenus esset confessus peccata gravantia conscientiam, est enim eadem vtrobique ratio.

51 Interrogabis tertiò, num in casu secundę assertionis circa immediatam quæstionem, & in alijs, in quibus à Sacerdote elici debet contritio, queat hæc licitè differri vsque ad consecrationem, vel si memoria peccati suboriatur post consecrationem, possit licitè differri contritio vsque ad sumptionem? Ioannes de Lugo Disput. 14. sect. 6. num. 134. respondet, posse sine peccato mortali differri, quia gratiæ status, ratione cuius adquirendi elici tunc debet contritio, requiritur ex præcepto graviter obligante, non quidem exercentem quaslibet actiones etiam Ordinis sacri, sed conficientem, aut recipientem Sacramentum. Ergo defectus gratię, atque adeò contrionis in alijs Missæ partibus præter confectionem, aut receptionem Eucharistiæ, erit citra peccatum lethale. Nõ tamen negat Eminentissimus Cardinalis, fore citra veniale, siquidem sanctitas totius actionis Missæ exigat, vt Sacerdos curet, conteri quàmprimùm, si absque indecenti aliqua interruptione commodè possit.

52 Assentiuntur Leander Tractatu, & Disp. 7. quæst. 20. Dicastillus Tract. 4. Disput. 9. dub. 1. num. 27. Citantur etiam Caietanus tom. 2. Opusculorum in 10. de vsu spiritualium,

lium, Thomásque Sanchez tanquàm clariùs loquens tomo 2. Consiliorum Moralium Lib. 7. Cap. 2. dub. 12. Et hanc esse sententiam communem, credit Leander. Sed de sententia in scriptis gauderem scire, quo nixus fundamento id credat, cum nec ipse alleget alios Authores, quàm Lugum, ac Dicastillum, & ex prioris fide Caietanum, atque Sanchez; neque prior viderit casum in terminis disputatum, vt ibidem ait, neque Caietanus, neque Sanchez faveant; sed potiùs contradicat expressè Caietanus, cum enim scripsisset V. *His præmissis*, eum, qui exerceret in peccato mortali actus sanctos, id est, iustos quoscumque, non consecratos tamen, non peccare mortaliter *per se loquendo*; addit sequenti V. [Dixi autem, per se loquendo, quoniam etiam orare in peccato mortali est peccatum mortale peraccidens, vt patet in celebrante Missam in peccato mortali.] En iuxta Caietanum peccat mortaliter Sacerdos, qui in peccato mortali dicit orationes Missę ante consecrationem, & sumptionem. Sanchez verò num. 2. post relatam sententiam, quæ docet, reos non esse culpæ gravis Clericos, si in peccato lethali cantent è Choro orationes, subnectit, [Favet Caietanus Opusculorum tom. 2. in 10. de vsu Spiritualium, vbi dicit, Sacerdotem, qui in peccato mortali dicit orationes in Missa non peccare per se mortaliter, sed per accidens ratione Missæ. Hanc etiã tenet Ludovicus Lopez Instruct. Conscientiæ 1. p. Cap. 10. Et hæc sententia est probabilior.] Nec plura ibi Sanchez. Vbinam igitur clariùs favet?

53 Nos cum Francisco de Lugo Lib. 4. Cap. 6. quæst. 7. num. 60. censemus, delinquere graviter Sacerdotem illum, si pergat recitando notabilem partem Missæ ante consecrationem, aut sumptionem, dummodò cõmodè queat elicere contritionem. Et prima ratio est, quia *si quis in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absq; contritione celebret, grauiter peccat.* Sic Rubricæ Missalis §. 8. num. 3. At Sacerdos non tantùm celebrat, dum consecrat, aut consumit, sed etiam dum in Missa agit alia, quæ præeunt consecrationem, aut sumptionẽ. Ergo, &c.

54 Secunda, si quis conscius peccati lethalis non confessi, & habens copiam Confessoris ante incæptionem Missæ differret confessionem vsque ad tempus concionis post Evangelium, aut vsque ad primum *Memento*, quo tẽpore posset commodè confiteri, peccaret mortaliter, eo quòd partim celebraret absque prævia confessione. Ergo similiter in nostro casu, in quo subrogatur contritio in locum confessionis. Consequentia recta videtur; & Antecedens negari facilè non posse.

55 Tertia, quia alioqui Sacerdos, qui ante consecrationem, aut sumptionem sciens, & volens admitteret inhonestam delectationem morosã v.g. dum perageret reliquas Missę partes, non committeret peccatum sacrilegij. Id autem, ni fallor, est contra communem fidelium persuasionem.

56 Quarta, ad hominem contra Thomam Tamburinum nobis dissentientem Cap. 1. de Communione, §. 7. num. 57. quia ipse Lib. 2. de Missa C. 3. num. 9. & 10. censet, peccare mortaliter Sacerdotem, qui voluntariæ distractus recitat Canonem, vtpote in quo, circumscriptis etiam verbis consecrationis, contineantur ea, quæ maximè ad Sacrificium, provt Ecclesia ordinavit, pertinent. Ergo similiter reus erit novæ mortalis culpæ Sacerdos, qui in statu peccati dicat antecedentia in Canone, & subsequentia ad consecrationis formam. Non enim minor est irreverentia hoc secundum, quã illud primum.

57 Quinta, sanctitas totius Missæ, totaque functio Sacerdotis celebrantis postulat, ne in statu peccati mortalis obeatur, vt vltrò fatetur Cardinalis de Lugo. Cur igitur non postulabit graviter? Cum tota Missa sit actio valde sacra, & videatur magna irreverentia exercere vel aliquam eius considerabilem partem in statu peccati lethalis; quicquid sit de alijs actionibus Ordinis sacri.

58 Ex quo patet ad argumentum Cardinalis de Lugo. Negamus enim, requiri solummodò sanctitatem in actione conficiendi, aut recipiendi Sacramenti Eucharistici. Et quanquàm per se requireretur solummodò; at ob maximè probabile periculum, cui se exponeret, non eliciendi contritionẽ qui sciens, & volens prorogaret eius elicientiam

elicientiam paulò ante punctum consecrationis, aut sumptionis, non excusarem illum à peccato mortali; vt neque Laicum, qui carens copia Confessoris, & vrgente necessitate communicaturus esset inconfessus de peccato conscientiam gravante, si potens anteà conari in contritionem, differret in tempus accedendi ad altare, aut suscipiendi inore formulam consecratam. In quo vltimo convenit nobiscum Thomas Tamburinus supra, numero illo 56. applaudente Francisco de Lugo supra, num. 60.

59 Objicies adhuc, non est peccatum mortale, si Cõfessarius conscius culpæ gravis audiat confessionem sine contritione, differendo hanc ad tempus paulò anterius absolutione, vt multi probabiliter putant apud Dianã parte 12. in Tractatu de Consecratione Episcopi, Resolutione 41. & alibi suorum Operum. Ergo idem dicendum est de Sacerdote in nostro casu. Nego Antecedens cum non pauciorib⁹ Authoribus, & nominatim cum Suario tomo 4. in 3. partem Disputatione 28. sect. 1. numero 3. cum V. P. Ludovico de la Puente tomo 4. Perfectionis Christianæ Tractatu 5. Cap. 3. ante §. 1. pagina 443. quem Doctorem præclarissimum tam litteris, quàm opinione sanctitatis allegant Franciscus de Lugo supra, & Quartus parte 3. tit. 8. sect. 3. dub. 5. pro sententia, cui in hac quæstione subscripsimus, & cui Quartus refragatur; sed Ludovicus de la Puente non loquitur expressè nisi de puncto, pro quo ipsum adduximus. Deinde, permisso Antecedente, inficiamur Consequentiam, nam Sacerdos celebrans agit rem sacram; audiens autem confessionem non tam agit, quàm passivè se habet, quoadvsque proferat absolutionis verba, vt peritè notavit Eminentissimus Cardinalis de Lugo Disput. 8. de Sacramentis Sectione 9. num. 159. Vnde sicut ipse in num. 158. invenit discrimen inter Sacerdotem audientem confessionis, & incipientem abluere infantem, aut vngere infirmum, nondumque in eodem instanti pronunciantem formam Sacramenti; vt secundus Sacerdos debeat esse in statu gratiæ, quia tunc etiam exercet verè, & propriè actionem Sacramentalem, non sic primus: ita nos exhibemus sufficientem disparitatis rationem inter Sacerdotem excipientem auribus confessionem, & agentem reliqua Missę prętèr consecrationem, atque sumptionem. Adest etiam aliud discrimen, nam celebratio Missæ est vna sacra actio moraliter continuata; ideoque status gratiæ requisitus in celebrante ad vnam partem Missæ censẽdus est etiam requiri ad aliam. Ast quę fiunt in Sacramento pœnitentiæ, non componunt, ex sui institutione ad instar iudicij, vnam actionem sacram moraliter continuatam, potest enim impendi absolutio præsenti pœnitenti, etiamsi vno, vel pluribus diebus antea sit audita confessio à Sacerdote, qui nunc absolvat, & qui distulerit absolutionẽ vel propter longitudinem confessionis, vel iustis alijs de causis. Quo de casu legendus est Suarez tomo 4. in 3. p. D. 22. sect. 6. num. 7.

SECTIO V.

Quæstiones aliæ selectæ expediuntur.

60 INTERROGABIS quartò, an contingere possit casus, in quo Sacerdos confessus, & non contritus de peccato lethali, cuius est conscius, immunis sit à novo peccato lethali, etiam si consecret, aut consumat consecratas species? Respondet ingeniorum Phœnix P. Gabriel Vazquez tom. 3. in 3. partem Disputatione 207. Cap. 1. num. 2. [Si quis in altari recordaretur alicuius peccati commissi post confessionem, cuius illuc vsque nullam neque in vniversum habuisset contritionem, quia fortassis nunquam putavit esse mortale, tunc autem iam videt, aut vehementer dubitat esse mortale, ita posset temporis angustijs arctari, alijsque necessarijs ipsius Sacrificij distrahi (quanquã rarò id accidere potest) vt nisi ab eo cessaret, nullo modo ad perfectam contritionem excitari posset: ac proinde tunc ad Sacramentum, in peccato illo mortali accedere, ad novum peccatum mortale ipsi non imputaretur; quia hoc præceptum non obligat cum tanto dispendio, vt debeat homo corã toto populo à Sacrificio cum nota sui honoris cessare, potiùs quàm ad Sacra-

tum cũ illo peccato accedere. Quemadmodùm etiam si quis sciret, se in mortali esse, & tamen necessarium esset ita subito ministrare baptismum parvulo propter instans periculum mortis, vt ad dolorem perfectum peccati se ipsum movere non posset, excusaretur ab irreverentia Sacramenti propter instans periculum parvuli, & vt obligationi charitatis satisfaceret.] Hæc Vazquez.

61 Quæ sibi probabilia videri, ait Eminentissimus Cardinalis de Lugo Disputatione 14. de Eucharistia, sect. 1. num. 3. [Consequenterque idem à fortiori videri dicendum, quãdo in subita hæreticorum, vel paganorum irruptione periculum esset gravissimæ irreverentiæ Eucharistiæ inferendæ, & Catholicus in peccato existens non posset præ temporis angustijs disponere se per contritionem, aut occultare Sacramentum; tunc enim propter eiusdem Sacramenti reverentiam, sicut posset ex omnium sententia non ieiunus, sic etiam videtur, quòd posset in peccato existens Eucharistiam sumere ad vitandam eius irreverentiam. Nec ex his colligi potest, quòd possit etiam Sacerdos ad vitandam infamiam celebrare in statu peccati, cuius anteà, (scilicet ante Missam) recordatur; nã tunc potest moraliter disponere se cum divina gratia, & elicere dolorem perfectum de peccato, vel certè in Missæ discursu id præstare potest; casus enim supra positi rarissimè possunt contingere.] Ita Eminentissimus Cardinalis de Lugo.

62 Et quod dicit, colligi non posse, observatum etiam fuerat à Vazquez supra numero 2. his verbis, [Notandum est primùm, neminem ab hoc peccato excusari posse, dum accedit ad hoc Sacramentum in mortali, quòd ipsi difficile sit ad gratiam se præparare per solam contritionem, quando copiam Confessoris non habet, vt per confessionem ad Sacramentum se præparet :: Nam cum nulli desit auxilium Dei sufficiens, vt ipsum dignè pœniteat suorum peccatorum, quãdo hoc illi in mentem venit :: non est, cur homo, quantumvis in peccatis obduratus, difficultatem præparationis ad hoc Sacramentum prætendat, vt accedens in peccato ad hoc Sacramentum à novo peccato excusetur. Hoc autem dico etiam de eo, cui ex præcepto incumbit, coram populo celebrare; nam antequàm ad altare accedat, rectè potest ad tantum Sacramentum animam suam per veram contritionis pœnitentiam præparare.] Hactenus Vazquez.

63 Cum quo in tota doctrina concordant è Societate nostra Gaspar Hurtadus Disputatione 8. de Eucharistia Difficultate 1. Ioannes Martinon tomo 4. Disput. 35 sect. 1. numero 4. Mascarenhas Tractatu 4. Disput. 5. Cap. 3. numero 231. & 232. Thomas Tambur. C. 1. de Communione §. 10. num. 72. & 73. Busembaum in Medulla Theologiæ Moralis Lib. 6. Tract. 3. Cap. & dubio 2. articulo 1. pag. (mihi) 675. Pellizarius in Manuali Regularium Tractatu 5. Cap. 3. sect. 2. num. 103. Extra Societatem verò Ludovicus Caspensis Tractatu 22. Disput. 9. sect. 1. num. 3. Hieronymus Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Difficultate 5. dubio 1. puncto 1. num 5. (non benè allegato Suario Disput. 66. sect. 1. V. *Sed obijcies*, vbi docere contrarium, est conspicuum) Thomas Hurtadus 2. parte Resolutionum Moralium Tractatu 11. Cap. & Resol. 9. num. 329. (malè citato Ochagavia, cuius mens indicabitur infra) Leander Tractatu, & Disputatione 7. quæstione 2. Pasqualigus in Doctrina Morali sacra Disput. 112. sect. 1. num. 2. Marcus Vidal in Arca vitali, Inquisitione vnica de Ministro Sacramentorum num. 84. & sequentibus, Quartus parte 3. titulo 8. sect. 2. dub. 5.

64 Vltra quos Diana parte 5. Tractatu 13. Resol. 74. ait, [Licet ego contrariam sententiam tenuerim parte, & Tractatu 4. Resolut. 98. adhuc tamen existimo, suprà dictorum Doctorum opinionem etiam probabilẽ esse, & valde olim miratus sum quendam sacræ Theologiæ Professorem, virum doctum, hoc noluisse admittere; sed aliqui ita firmiter adhærent opinioni, quæ illis placet, vt omnes alias anathematizent, & detestentur & in eas censurando delyrent.] Ita sapientissimus Diana; cuius verbis quominus annectam alia Guilielmi OcKam Inceptoris Nominalium, non possum me continere, nam cacoethes, seu potiùs

prurigo

prurigo censurandi modo illo non est morbus nostra primùm ætate exortus. Iam in sua illum sic execrabatur OcKã Tractatu de Sacramento altaris Capite 36. [Vnde est aliquorum Modernorum detestanda præsumptio, qui se supra se extollentes, cupientes soli vocari Rabbi, omnem opinionem à suis dogmatibus dissentientem agitati inuidia damnantes, quia per rationem nequeunt improbare, tanquam periculosam, & hæreticam caninis latratibus lacerant incessanter.] Huevsque Incæptor Nominalium.

65 Redeo ad lineam, advertens, displicere Dicastillo Tractatu 4. Disput. 9. dub. 1. num. 6. opinionem propositam, sed quin de improbabilitate censuret, quanvis fateatur, posse tolerabiliùs admitti, [Quando communicaturi ruditas, aut incapacitas talis sit, aut tanta, vt in tali tempore nõ possit conari, & se disponere, nec possit sine gravi nota omittere communionem:] scripseratq; anteà in principio eiusdem numeri, extra controuersiam esse casum, quem de subita hæreticorum, vel paganorum irruptione attulit Cardinalis de Lugo, & ex ipso Augustinus Bernal Disput. 42. de Eucharistia, sect. 1. num. 2. Auersa quæst. 8. sect. 5. Ver. *Secundò*, multique alij. Sed certè si ille casus extra controversiam est, nescio, cur Dicastillus adeò tergiversetur in nostro casu, si tanta sit angustia temporis, vt non suppetat spatium moraliter sufficiens ad excitandum se in contritionẽ, attenta vehementia passionis, aut inveterata peccandi consuetudine; vt, inquam, non suppetat, nisi cesserur à celebratione per notabile tempus cum scandalo populi, aut sui nominis nota, provt contingeret, si proximè immediatè ante proferenda consecrationis verba super hostiam, aut calicem obveniret memoria peccati, & tunc post dicta verba *Accipite, & manducate ex hoc omnes*, aut *Accipite, & bibite ex hoc omnes*, demoraretur ad conandum in contritionem.

66 Præterea ipse Dicastillus Tractatu 1. Disput. 3. dubio 10. num. 199. concedit, [Si quis sit in periculo, ne sine baptismo, aut confessione moriatur, nisi statim baptizetur, aut audiatur, non peccare Sacerdotem sic audientem, si, quantumvis conscius peccati mortalis, non possit tunc se excitare, nisi differendo administrationem Sacramenti: imò teneri tunc cõferre Sacramentum, quia propter necessitatem cessat omnis irreverentia erga illud.] Sic Dicastillus. Eodemque modo discurrunt Vazquez, ConincK, Layman, Gaspar Hurtadus, Meratius, Præpositus, Diana, quos citant, & sequuntur Franciscus de Lugo Lib. 1. de Sacramentis Capite 2. quæst. 5. numero 37. Mascharenhas Tractatu 1. Disput. 3. Cap. 4. num. 152. Arriaga tomo 7. Disput. 20. sect. 1. Subs. 3. numero 16. Bassęus in Floribus Theologiæ practicæ Ver. *Sacramentum* 3. num. 7. Ysambertus 3. parte quæst. 64. Disputatione 4. artic. 7. Ioannes de Lugo Disput. 8. de Sacramentis sect. 9. num. 151. Bernal Disput. 42. de Eucharistia sect. 1. num. 2. & retrò Disput. 17. de Sacramentis sect. 6. §. 2. numero 118. existimans id ipsum de Sacramento etiam Extremæ vnctionis ob probabilitatem opinionis asserentis cõferre primam gratiam ei, cui habenti solam attritionem, sed existimatam contritionem administratur. Consentiunt etiam Innocentius, & Paludanus ipsum allegans in 4. Distinct. 9. quæst. 2. numero 18. Raynerius de Eucharistia Cap. 19. qui dicunt, Sacerdotem peccatorem dispensantem in necessitate Eucharistiam morienti excusari à peccato, quod aliàs incurreret iuxta illos. Et quoad Sacramentum baptismi expresè Sanctus Thomas 3. parte quæst. 64. art. 6. ad 3. confertoque agmine Thomistæ. Iam rogo Dicastillum, si in casu baptismi, aut absolutionis impendendæ moribundo contingere potest, vt Minister ne queat, nisi difficillimè, ob brevitatem temporis excitare se ad contritionem, quidni idem evenire queat in nostro casu de consecratione, aut sumptione Eucharistię.

67 Vlteriùs idem Dicastillus cum Ochagavia T. 2. de Euch. effectib. q. 8. p. 4. advertit, [posse faciliùs, & strictiùs contingere in Seculari; qui, si possit differre communionem, debet differre, & conari ad contritionem; quod si adhuc non posset sine gravi nota, potiùs debet Eucharistiam recipere.] Quæ sunt eius verba in Tract. 4. D. 9. dub. 1. n. 6. At non apparet maior facilitas huius eventus in Sæculari, ne-

que maior instantia, potest namque & Sacerdos esse homo deperditæ vitæ, & qui nisi aliquandiu expendat motiva conferentia ad contritionem de inveterato peccato, nequeat prorumpere in illam; cum tamen tunc à consideratione motivorum distrahat animum solita observari series in actione celebrandi, instentque proferenda consecrationis verba præsertim super calicem, dictis iam illis alijs, *Accipite, & bibite ex eo omnes*, quo tempore sistere aliquantulùm, est Sacerdotibus insuetum. Quapropter immeritò Dicastillus, & Ochagavia, quod vt contingibile admittunt in Sæculari, negant contingibile esse in Sacerdote celebrante.

68 Opponet quis cum Francisco de Lugo Lib. 4. Cap. 6. q. 3. n. 17. quodlibet temporale damnum subeundum est potiùs, quàm indignè Sacramẽtum Eucharistiæ recipiendum. Ergo cum præcisè timetur à Sacerdote propria infamia, illicitum erit, dum se agnoscit non contritum, progredi ad consecrationem; etsi post consecrationem vnius speciei licitum, & debitum erit progredi ad consecrationem alterius, & ad sumptionem vtriusque, quia tunc præceptum non consecrandi alteram speciem, & non sumendi vtramquè in peccato mortali cedit præcepto non relinquendi Sacrificium imperfectum; etsi etiam ob evitandum scandalum activum inducens alios ad peccandũ erit licitum progredi similiter. Sed respondetur, negando Antecedens in circumstatis nostri casus.

69 Ac sanè ipse Franciscus de Lugo L. 1. de Sacram. C. 6. q. 9. fatetur, fas esse administrare Sacramentum peccatori occulto petenti publicè, ne ex denegatione Sacramenti infametur; & in q. 6. tradit, fas etiam esse administrare peccatori publico, si illud petat, non in contemptum religionis, sed ob alium finem sub interminatione infamiæ inferendæ Ministro, nisi administret. Si igitur necesse non est, perpeti potiùs quodvis detrimentum temporale, aut permittere in alio, quàm administrare Sacramẽtum homini indigno, cur necesse erit, vt homo indignus potiùs subeat tale detrimentum, quàm vt recipiat Sacramentum? Non video discrimen. Est tamen cavendum semper, ne Id extendatur ad tempus, in quo Sacerdos nondum inchoarit Sacrum.

70 Sed adhuc vrgebit quis cum Arriaga tomo 7. Disp. 10. sect. 4. Subs. 1. ex num. 60. D. 45. sect. & n. 1. suscipere Eucharistiam in statu peccati mortalis importat intrinsecam irreverentiam, proindeque non corrigibilem per alias extrinsecas circumstantias. Dico, susceptionẽ Eucharistiæ in mortali peccato non videri ex natura rei ita intrinsecè malã, vt non possit ex aliquo bono fine excusari à novo peccato, sicut de administratione baptismi, & pœnitentiæ à Sacerdote conscio peccati mortalis non potente tam citò se disponere ad contritionem, quàm opus est, ne infans moriatur sine baptismo, & adultus sine pœnitentia, ipsemet Arriaga docet Disput. 20. sect. 1. Subs. 3. num. 16. Quo in exemplo debilitatur quod Disput. 10. & 45. ait Arriaga, vt excusationem a nobis assignatam recuset: si eo casu, inquit, sciret Sacerdos se quæri ad necem, deberet (nisi laboraret invincibili ignorantia suę obligationis) habere contritionem, cõmitteretque novum peccatum mortale, si absque illa decederet. Vt enim respondurus est Arriaga, si hinc arguatur contra excusationem à nova culpa in Sacerdote peccatore, qui contritionem non eliciens absolvat moribundum, ita & ego respondere potero. Omisso autem longiori examine circa eventum quęsiti ad necem Sacerdotis, cui actus contritionis esset possibilis physicè, sed impossibilis moraliter (de quo eventu legatur Cardinalis Lugus Disputatione 8. de Pœnitentia sect. 1.) exhibeo breviter discrimen, nam cum non superesset aliud tempus Sacerdoti illi ad agendam pœnitentiam, nihil mirum, si imputaretur ipsi ad culpam omissio actus contritionis. Cæterùm in nostro casu non valet hæc ratio; & Deus cum Sacerdote gerit se benigniter, non imputando ipsi ad culpam omissionem contritionis in eis circumstantijs.

71 Quarum angustias non potuit non agnoscere Arriaga, vt qui perspicacissimi sit ingenij, & ideò in num. 61. Disp. 16. rogatus, [Quid si postquàm Sacerdos adhibuisset totum suum conatum, non eliciuisset actum contritionis, deberetne recedere ab altari, & Sacrificiũ relinquere imperfectum?

fectum? videtur enim omnino certum, posse contingere, vt aliquis tandem agnoscat, se non posse huiusmodi contritionem elicere; siue illam re vera non elicuerit, siue quòd ex errore putet, se illam non habere.] Respondet, [Si re ipsa ille faciat quidquid potest, habiturum omnino cõtritionem. Quòd si tamen ex ignorantia iudicet, se illam nõ habere, saltem habebit attritionem; quæ sufficit eo casu ad gratiam. Quod si tandem putet, se neque hanc habere posse (quod tamen vix debet admitti) poterit tunc, ne Sacrificium illud maneat inchoatum, cõmunicare, quia inter duo illa, quæ non videntur medium admittere, minus malum est accipere Sacramentum sine ea dispositione, quàm relinquere inchoatum Sacrificium.] Hactenus Arriaga, qui in his postremis verbis propitius est nobis. Et in antecedentibus non benè intelligimus, quo pacto attritio possit esse ad primam gratiam per Eucharistię Sacramentum dispositio, quando existimatur attritio.

72 Iam omnibus accuratè perpensis, resolutio Vazquij, graviumque aliorum Doctorum valde probabilis videtur. Sed adverterim cũ Aversa q. 8. S. 5. V. *Secundò*, cum Arriaga supra n. 60. teneri Sacerdotem conari in actũ contritionis post sumptas ore species Sacramentales, differendo aliquandiu deglutitionem, aut transmissionem ex ore in stomachum, si absq; nota possit; & plerumque poterit; est enim ritus, quiescere aliquã tulùm in meditatione Sanctissimi Sacramenti post sumptam ore hostiam, & calicem; idque tempus satis forsan erit ad excitandum se in cõtritionem. Et hæc animadversio extẽdenda est ad Laicum, qui cum minori notę periculo potest facere moram, antequam deglutiat Sacramentum. Nec plura circa Interrogationem quartam. Quòd si Vazquij, & quorundam aliorũ Societatis ad eã responsio attentè consideretur, patescet, quàm calumniosè apud vulgus, editis etiam carminibus lingua vernacula, feratur à nonnullis, Scriptores Societatis docere absolutè, licitam esse communionem in peccato mortali: quàm etiam fraudulenter attribuatur eis solis, quodà tot, tamq; insignibus Doctoribus extra Societatem traditur.

73 Interrogabis quintò, an in casu illo de subita invasione hæreticorum, aut paganorum fas esset Catholico conscio criminis mortiferi, potentiq; non admodùm difficulter conari in cõtritionem, consumere Sacramentum Eucharistiæ è sacro Tabernaculo extractum, ne deveniat in infidelium manus, & quasi recondere illud intra stomachum, nõ secus ac si servaret in arca, vel in foramine petrę, aut parietis? Quo quidem modo si servaret, non teneretur ad eliciendam contritionem, etsi facilè posset. Quare videtur, nec obligari, si priori alio modo quasi custodiat intra suum pectus. Respondeo, teneri, quia priori illo modo ita servatur Sacramentum Eucharistiæ, vt simul suscipiatur, & edatur tanquàm panis Cœlestis ab homine nascente tum excellẽtiam diuinissimi istius cibi, tum statum suum in peccato, tum opportunitatem ad contritionem de ipso. Vnde perspicua est disparitas ad alterum modũ seruandi Sacramẽtum Eucharistię in arca, vel in foramine petrę, aut parietis. Cui exemplo nimium detulit quidam memoratus à Diana p. 11. T. 6. Res. 2. & à Th. Hurtado p. 2. Res. Moral. T. 11. C. & Res. 9. Et licet ego apud me habeam Apologiam M. S. quam pro sua cogitatione misit ad aliquos Modernus ille Hispano-Bęticus, & in qua satagit occurrere obiectionibus, quibus fuerat impetitus à nescio quo alio, nolo terere tempus in longiori impugnatione.

74 Interrogabis sextò, cum in Concil. Trid. Sess. 13. C. 7. præcipiatur, *Si necessitate vrgente, Sacerdos absque præuia confessione* mortalis peccati, cuius sibi conscius fuerit, *celebraverit, quàm primùm confiteatur*, interrogabis, inquam, an hoc præcepto teneatur, qui perficit Sacrificium alterius Sacerdotis deficientis post consecrationem, si inconfessus perficiat sumẽdo species cõsecratas? Respondeo, teneri, quia verè partialiter celebrat conficiens vnam quasi personam, & Sacrificij Ministrũ cum Sacerdote alio, & non communicat more Laico, sed Sacerdotali.

75 Dices, Concilium loqui de celebratione, quæ communi, & ordinario modo solet fieri. Contra, quia par videtur esse vtrobique ratio; & Concilium imposuisse præceptum non modò ob confectionem, sed etiam ob con-

sumptionem Eucharistiæ à Sacerdote tanquàm à Ministro publico Ecclesiæ peragente actionem sacram ritu solēni.

76 Hinc inferes, Sacerdotem celebrantem in die Paraſceves absque prævia confessione subiacere eidem obligationi. Inquies, si eo die occurrat festum Annunciationis, non tenentur fideles assistere consumptioni hostiæ præconsecratæ die præcedenti, quia eiusmodi cōsumptio cum ritibus, quibus fit, non est propriè Sacrificium, nec Missa, neque illud Officium est rigorosa celebratio Missæ, licet latè dicatur celebratio in Missali. Ergo sicut tunc præceptum audiendi Missam non obligat fideles, quando concurrit dies festus, ita neque Sacerdotem obligabit præceptum confitendi quàm primùm, quando absque prævia confessione cōsumit. Non arguerem improbabilitatis eum, qui ob hoc argumentum dissentiretur nobis in illatione, vt nec ob alia, etsi minus vrgentia, arguunt Cardinalis de Lugo Disp. 14. de Eucharistia, sect. 7. num. 139. Dicastillus Tractatu 4. Disput. & dubio 9. num. 157. Diana parte 10. Tract. 12. Resolut. 16. Leander Tract. & Disp. 7. quæst. 49. Et ad casum Interrogationis posset prœberi discrimen peritum exinde, quod nemo asseret, fideles non adstringendos in die festo ad assistendum Missæ, quæ illo modo consummaretur, ac compleretur; si non adesset copia alterius Missæ, & quæ imperfecta est relicta perficeretur ab altero Sacerdote sine notabili mora. Nihilominus ex laxiori interpretatione præcepti contenti in Antecedenti exhibita ab Authoribus, quā quæ solet præberi præcepto contento in Consequenti, potest negari Consequentia.

77 Interrogabis septimò, an Sacerdos, qui nec necessitate coactus, nec Confessore carens audet conscius peccati mortalis celebrare sine prævia confessione, teneatur confiteri quàm primùm, finita Missa, siue inter celebrandum pœnituerit ipsum de peccato, & de prætermissa confessione, siue non pœnituerit? Respondeo, non teneri, quia Concilium non loquitur nisi de eo Sacerdote, qui, cum vrgeat necessitas, & Confessarius non suppetat, celebrat peccati lethiferi conscius sine præmissa confessione. Quare vti quia Concilium non loquitur nisi de Sacerdote celebrante, extendendum non est à nobis præceptum illius ad Laicos, neque ad Sacerdotes more Laico communicantes absque prævia confessione in casu necessitatis, & defectu Confessoris, sic eiusdem Concilij præceptum ampliandum non est ad Sacerdotem celebrantem extra vrgētem necessitatem, & inopiam Confessarij, quin præmiserit confessionem, etsi maior sit malitia ita celebrantis, quàm illius, qui Sacrū faceret non contritus, nec confessus de peccato conscientiam gravante in casu necessitatis vrgentis, & qui posteà deberet confiteri quàm primùm.

78 Colligo ex eadem decidendi ratione cum Suario, Vazquio, Coninckio, Cardinali de Lugo, & Bonacina apud Franciscum de Lugo ipsis consentientem Lib. 4. Cap. 6. quæst. 8. num. 68. esse immunem ab obligatione confitendi quàm primùm eum Sacerdotem, qui post peractam Missam recordatur noxę lethalis non confessę.

79 Rursus colligo, cum Cardinali de Lugo Disput. 14. sect. 7. numero 150. & 151. compluribusque aliis, obnoxium è contra esse præfatæ obligationi tum qui recordatus culpæ gravis oblitæ inculpabiliter in confessione, pressusque iam necessitate celebrandi, & carens copia Confessoris accedit ad altare facturus Sacrum, tum qui nullatenus anteà confessus intuitu Missæ, & conscius criminis mortalis celebrat non contritus culpabiliter, sed excusatus à præmittenda confessione ob vrgentem necessitatem in defectu Confessarij, quia tam in vno, quàm in altero concurrunt, quæ Concilium exprimit pro suo præcepto; quanquàm posterior celebret ex mera malitia sine contritione. Cæterùm si nesciret, necessitatem vrgere, aut ad eam non animadverteret, dubitari posset cum Dicastillo supra, num. 156. num eo casu teneretur confiteri quàm primùm? Siquidem necessitas haberet se tunc merè comitanter.

80 Interrogabis octavò, vtrùm qui inter celebrandum meminit culpæ lethalis non confessæ, aut qui eam tunc committit, debeat posteà confiteri quā primùm? Respondeo, non debere, nam non omittit prævia toti celebrationi confessionem, de qua vt sic prævia videtur

detur sermo esse in Tridentina Synodo. Et ita cum Vazquio, Præpositio, Cardinali de Lugo, Diana, Ioanne Sanctio, Sylvio, Sayro, Aversa, Moisesio videtur Leandro Tract. & D. 7. quæst. 5. Dicastillo suprà num. 152. Pasqualigo in Doctrina Morali sacra Disput. 116. sect. 4. Franciscoque de Lugo supra, num. 69. æquè probabile, ac oppositum. Confirmatur ex Rubricis §. 8. vbi cum dictum esset num. 2. & 3. *Si quis habens copiam Confessoris celebret in peccato mortali, grauiter peccat. Si quis autem in casu necessitatis non habens copiã Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, grauiter peccat; secus si conteratur: debet tamen, cum primùm poterit, confiteri*, subiungitur in num. 4. *Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi.* En quàm primùm confitendi obligatio imposita ei, qui in casu necessitatis nõ habens copiam Confessoris inchoat Sacrum, non extenditur ad eum, qui in ipso Sacro, vti alter ante Sacrum, agnoscit se reum lethalis culpæ; sed posteriori huic iniungitur obligatio proposiri de confessione, & satisfactione suo tempore, idest, quando iterùm celebraturus est, vel quando in Paschate, articulove mortis vrgeat confessionis præceptum. Qui plura de hoc casu velit, adeat Eminentissimum Lugum D. 14. sect. 7. ànum. 140. vsque ad 148. inclusivè.

81 Multa hic poterant addi tum circa præceptum Concilij Tridentini de confessione Sacramẽtali peccati mortalis gravantis conscientiam faciendi quàm primùm à Sacerdote, qui necessitate vrgente celebrat absq; prævia ea confessione, tum circa præceptum divinum positivum de ea ipsa prævia confessione. Sed fusior sermo de vtroque præcepto reservatur à nobis in Tractatum de Sacramento pœnitentiæ, vbi propriam sedem habet. Sed in præsentiarum non omittam adnotare, etsi præceptum divinum positivum de confessione prævia non obliget nisi Sacerdotem conscium peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, nihilominus optimum esse consilium, vt Sacerdos, si commodè possit ob præsentiam Confessarij, & ob circumstantias alias, non accedat vnquã ad celebrãdũ, quin præmiserit confessionẽ siue de peccatis venialibus commissis post vltimam Missam, sive de antiquis iam confessis tam mortalibus, quàm venialibus, siue de eorum aliquo. Nam huiusmodi confessio (quam reconciliationem solemus vocare) vna est ex melioribus dispositionibus, & præparationibus ad Sacrum peragẽdum admodùm devotè, fructuosè, atque dignè pro humana fragilitate.

82 Nostra in Societate Regulæ Sacerdotum num. 3. monent ipsos, *Ita vivere studeant, vt quotidie meritò celebrare possint: ad idque conducet (quanuis ex Constitutione, octauo vt minimùm quoque die confiteri teneantur) sæpiùs in hebdomada confiteri.* Ad quotidianam igitur celebrationem dignè exequendam iuxta morem Societatis à singulis Sacerdotibus (nisi legitima excusatio ægritudinis, aliave similis subsit) magnoperè confert quotidiana confessio. Sed ex vi Regularum non tenentur Sacerdotes nostri confiteri nisi octavo quoque die vt minimùm, etsi crebriùs, imò & vnoquoque die litent. Atque ita expressit S. P. N. Ignatius in Examine generali Cap. 4. §. 25. inquiens, *Si Sacerdos est, confitebitur vt minimùm octauo quoque die, & crebriùs Missæ Sacrificium offeret.* Sic prudentissimè Sanctissimus N. Legislator, nec enim expediebat, vt cõmunitati Sacerdotum imponeretur onus frequẽtioris cõfessionis ex vi regularum. Quare laudandi sunt, qui è Nostris vnoquoque die confitentur (vt multi faciunt) optandumque per se, vt ab omnibus idem fiat; sed non reprehẽdendi, qui octauo quoque die vt minimùm; & scrupuloso alicui non expediet nisi hebdomadaria confessio.

SECTIO VI.

Quid faciendum sit, quando in hostia, vel in calice deprehenditur aliquid nocivum?

83 RESPONDET S. Thomas ad 3. *Si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit Sacer-*

cerdos *esse immissum, debet effundi, & abluto calice, denuò aliud vinum poni consecrandum. Si verò aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal cautè capi, & diligenter lauari, & comburi, & ablutio cum cineribus in Sacrarium mitti. Si verò venenum ibi* Sacerdos *deprehenderit esse immissum, nullo modo debet sumere, nec alij dare, ne talis vita vertatur in mortem; sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquijs conseruari. Et ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuò resumere à consecratione sanguinis, & Sacrificium perficere.* Sic Doctor Angelicus.

84 Ex cuius doctrina Rubricæ Missalis §. 10. à n. 5. vsque ad 7. inclusivè præscribunt in hunc modum, *Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, proijciat vinum in locum decentem (subtus altare* dicebant Rubricæ antiquæ Pij V.) *& aliud ponat in calice, misceat parum aquæ, offerat, vt suprà, & prosequatur Missam: si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid eiusmodi, & fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, & lauet cum vino, finita Missa comburet, & combustio, ac lotio huiusmodi in Sacrarium proijciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec vllum periculum timeat, sumat cum sanguine. Si aliquod venenosum ceciderit in calicem, vel quod prouocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuò consecrandum: & finita Missa, sanguis repositus, in panno lineo, vel stuppa tandiu seruetur, donec species vinifuerint desiccatæ, & tunc stuppa comburatur, & combustio in Sacrarium proijciatur. Si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, & sumat modo, quo dictum est, & illa seruetur in Tabernaculo, loco separato, donec species corrumpantur, & corruptæ deinde mittantur In Sacrarium.* In Rubricis Pij V. addebatur, *& animal captum occidatur, & comburatur, vt suprà dictum est.* Post has S. Thomæ, & Rubricarum annotationes restant pauca, quæ à nobis adijcientur.

85 P. Sà V. *Missa*, num. 34. ait, [Hostia ab animali comesta, si potest extrahi, seruetur, donec corrumpatur; animal verò comburatur; & in piscinam cineres mittantur.] Didicit id P. Sà à Paludano, qui In 4. Dist. 9. q. 1. art. 3. num. 27. scribit, [Si mus capi potest, exenterari debet, & mus quidem debet comburi, & cinis in piscinam proijci. Pars autem hostiæ, si eam homo sumere horreret, debet in Tabernaculo reverenter reponi, & tãdiu ibi dimitti, quousque naturaliter consumatur. Ipsa autem nequaquam debet in piscinam proijci, sicut quidam Sacerdos fecit de mica reperta in calice post consecrationem.] Sic Paludanus, quem transcripserunt nonnulli alij antiqui Sũmistæ. Sed illud de extractione hostiæ è mure exenterato, vt monet P. Suarez Disput. 85. sect. 1. V. *Sexto*, [Non sine causa prætermissum est in Missali, quia nec, moraliter loquendo, fieri potest, nam cum dentibus priùs conteratur, & alijs humoribus misceatur, quomodò poterit discerni, aut extrahi? nec videtur pertinere ad decentiam Sacramenti; sed maiorem quandam indecentiam præseferre videtur.] Ita Eximius Doctor.

86 Quare si animal haberi possit, non oportet curare de eo aperiendo, sed comburendo, & de proijciendis cineribus in sacram piscinam, vt in antiquis Rubricis Pij V. §. de defectu panis præscribebatur hunc in modum, *Si animal capi potest, occidatur, & comburatur, & cineres ejiciantur in Sacrarium, & sub altari.* Atque ita faciendum supponitur in verbis supra relatis ex ijsdem Rubricis Pij V. Sed in novis Clementis VIII. & Vrbani VIII. non tam clarè exprimitur; & de captione animalis nihil dicitur, vel quia non est satagendum de ea, siquidem Sacramentum iam nõ possit recuperari, vel quia consultius visum est, non descendere ad hæc minutiora, sed remittere ea iudicio Theologorum, vt videtur Quarto parte 3. titulo 10. numero 5. dubio 2.

87 Vbi etiam advertit, si musca ceciderit in calicem post consecrationem, debere Sacerdotem capere eam, antequàm avolet, & exequi quod ait S. Thomas suprà. Si verò iam ex altari avolet intincta specieb⁹ vini, quin impediri potuerit à Sacerdote, non esse conveniens iniicere manus ad eam in aere capiendam, non enim fieret sine indecentia aliqua, nec sine adstantium risu, aut turbatione. Estque multò minus curandum de musca, quæ tetigerit species panis, vtpote ex quibus nihil

ei

ei adhærere soleat. Non silebo hic quod narratur à Monacho Sigebergensi in vita S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis Lib. 2. Cap. 14. apud Surium 4. Decembris. Celebrabat Missam S. Antistes, partem hostiæ in calicem miserat, residuum digitis tenebat. [Interim oratione longiùs protracta, imago Dæmoniorum, musca videlicet spurcissima, vitu quoque nauseam generans, impetu super Dominicum corpus ruit, ereptamque morsu particulam cum maximo dolore Sacerdotis avolans exportavit.] Sed facta oratione à S. Archiepiscopo, [omnis impuritatis amica, quasi violenter impulsa præcipiti volatu redijt, murmure suo, & sibilo quodammodò vim, quam patiebatur, aperiens, illudque quod raptu nefandissimo fragmentum sustulerat, in oculis Sacerdotis parenæ restituit; indeque velut avolatura levans, seorsum super altare ruit exanimis, dignam tanti flagitij pœnam luens ::: Ad Clericũ deinde S. Anno conversus, qui sibi proximus assistebat, innuit, vt incendio musca consumeretur: ipse verò sanctã communionem magna cum securitate suscipiens, sancti Spiritus gaudio comitante, ministerium illud debito fine terminavit.]

88 Iam in casu quo mus, vel animal aliud tempore Missæ rapiat, vel devoret hostiam consecratam, si aliquid ex ea remaneat, satis illud erit à Sacerdote sumptum ad perficiendum Sacrificium. Si verò nihil remaneat, consecranda erit alia hostia, vt ex seqq. innotescet. In fine autem Disputationis dicemus plura de raptu, vel comestione specierum panis à bruto.

89 Circa aliũ casum de musca inficiente liquorem calicis satis declarãt Rubricæ, & S. Thomas quid faciẽdum sit à Sacerdote ante consecrationem, sed post hãc, si nauseã moveat Sacerdoti, dicunt, extrahendam esse muscam, &c. Si non inducat nauseam, nec vllum periculum timeatur, non esse extrahẽdam, sed simul cum liquore consecrato sumendam ob reverentiam Sacramenti. Belethus Cap. 121. de divinis Officijs scripsit, oportere, vt fiat absolutè quod sub conditione tantùm defectus nauseę, & periculi dixerunt Rubricæ. Sed illud Belethi est nimius rigor. Et quod supponunt Rubricæ de liquore consecrato sumendo, si iam sit extracta musca, intelligendum est, nisi alicui ob delicatum stomachum, & vehementem imaginationem liquor infectus à musca, aut aranea, etiam non venenata, provocaturus esset vomitũ, numerus enim 5. Rubricarum explicatur sic aptè ex num. 6. vt notat Quartus suprà, dub. 1. Quare qui horreret sumere eum liquorem, poterit vti remedio præscripto in casu liquoris venenati, vel reservet eum alium, vt à Sacerdote aliquo valentioris stomachi sumatur in Missa, quam posteà celebret.

90 Porrò in casu liquoris venenati P. Azor Lib. 10. Cap. 33. quæst. 3. inquit, S. Thomam affirmare, cæteros verò negare, consecrandum esse aliud vinum, si in iam cõsecrati speciebus deprehendatur venenum, quod impediat, quominus sumatur. Sed non ita est, quod de cæteris dicitur, imò vix invenitur vnus antiquus Author, qui neget; & ex modernis negare poterunt illi pauci, quorum memini in n. 10. Sed quod Sanctus Thomas, Rubricæque affimant, est maximè verum, ne Sacrificium maneat imperperfectum ob non consumptas species vini. Num verò tunc non solùm vinum, sed etiam alia hostia consecrari debeat? tractabitur infrà.

SECTIO VII.

Dubitationes nonnullæ circa tertium defectum explanatum sedantur.

91 DVBITABIT quis primò, quidnam deberet facere Sacerdos, si post consecratam hostiam animadverteret, venenatum esse vinum in calice appositum, nec posset vllo modo aliud inveniri? Deberetne tunc, saltem consecrare vinum venenatum, vt satisfaciat præcepto diuino de consecratione vtriusque speciei, licet, non teneatur, nec liceat possit in eis circumstantijs satisfacere diuino præcepto de sumptione vtriusque? Videtur enim primo adspectu debere satisfacere vni præcepto, si vtri-

trique minimè debet, nec potest.

92 Nihilominus respondeo, non debere, nec posse licitè consecrare vinum venenatum, tum quia consecratio eiusmodi esset contra reverentiam Sacramento debitam, tum, & vrgentiùs, quia cum non debeat, nec licitè possit sumere talis vini species consecratas, idem putandum est de cõsecratione, quatenus tunc indebita sit, & illicita, nam consecratio ordinatur ad sumptionem. Ergo quoties hæc fuerit indebita, atque illicita, erit & illa. Quapropter tunc gerat se Sacerdos eodem modo, ac si post cõsecrationem hostiæ non posset reperiri vinum, nam habere vinum non nisi venenatum, est idem moraliter, ac physicè carere vino. Cuius quando post hostiæ consecrationem deprehenditur defectus, *procedendum erit, & Missa absoluenda, ita tamen vt prætermittantur verba, & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Quòd si expectando aliquandiu haberi possit* vinum, *expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum.* Ita in Rubricis §. 4. n. 8.

93 Sed quid si ad manum esset Sacerdoti antidotum, quo applicato, venenum non esset nocitum, teneretur ne tunc sub inducia applicandi antidoti consecrare venenatum vinũ? Dicastillus Tract. 5. Disp. 1. dub. 13. num. 265. existimat, non teneri consecrare, nec sumere, quia non videtur obligari ad exponendum se illi periculo sub fiducia remedij. Quod dictum vult, salvo meliori iudicio, nec enim is casus tractatur in terminis ab Authoribus.

94 Ego quidem censerem, teneri ad consecrationem, & sumptionem, si ratio prætacta suprà de indecẽtia, & irreverentia contra Sacramentum non sit se sola sufficiens, ne venenatum vinum queat licitè consecrari; si item nullum probabile timeatur periculum ex sumptione venenatarum specierum ob fiduciam applicandi antidoti, quia periculum improbabile, & tantummodò apparens, quodque re apse nullum est, non sufficit, ne debeat consecrari, & sumi vtraque species. Et confirmatur ex Rubricis suprà num. 5. vbi monetur Sacerdos sumere cum sanguine muscam, aut aliquid eiusmodi, si non fuerit ei nausea, *nec vllum periculum timeat.* Verumtamen etsi non timeretur periculum certum, & evidens, sed tantùm probabile, censerem è contra, non teneri ob rationem Dicastilli: ac posse licitè consecrare, & sumere, nisi contra facultatem licitam consecrationis vrgeat ratio prænotata suprà de irreverentia adversus Sacramentum. Nam sæpè licet exponere se periculo probabili vitæ; & hìc maximè ob sartam, tectamque servandam perfectionem Sacrificij consecrando, ac sumendo vtramque speciem.

95 Sed quid rursus, si post consecratam hostiam noscatur, eam esse veneno infectam, necesse ne erit Sacerdoti, procedere ad vini non infecti consecrationem? Iudico cum Dicastillo suprà num. 267. necesse fore, quia quanquam sumptio hostiæ tunc sit indebita, & illicita, proindeque tunc adimplendum ex toto non sit præceptum de sumptione vtriusque speciei, at potest ex parte adimpleri sumendo vinũ, & aliunde vrget præceptum consecrandi vtramque speciem; quod præceptũ maioris est momenti respectu Sacerdotis celebrantis, quàm illud aliud de vtriusque speciei sumptione, & de non consecrando, nisi possibilis sit, aut licita vtriusque sumptio speciei, siquidem Sacrificij essentia aut vnicè, aut principaliter consistat in vtriusque speciei consecratione.

96 Hæc resolutio intelligẽda est, si nullo modo haberi possit alia hostia expers veneni, nam si possit, debet ea aliâ consecrari, argumento desumpto ex Rubricis §. 3. n. 7. adnotantibus, *Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, vt vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri, tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo, Qui pridie, quàm pateretur, facta eius priùs oblatione, vt suprà, ne* scilicet *Sacramentum remaneat imperfectum*, ob non sumptionẽ ambarum specierum, prout dictum fuerat in fine numeri proximè antecedentis. Vnde Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 2. quæst. 4. num. 52. eventibus, de quibus in num. 7. Rubricarum, adiungit hunc de hostia consecrata, quæ deprehendatur venenata.

97 Dubitabit quis secundò, an Sacerdos advertens iam, aut admonitus, infectas fuisse veneno species à se sumptas, possit licitè evomere eas? Respõdeo, posse. Ita Tabiena V. *Missa*, num.

num. 32. Henriquez Lib. 9. Cap. 37. §. 4. citans Astensem, Bonacina de Sacramentis Disput. 4. quæst. vltima, punct. 10. num. 11. allegans Bartholomæum ab Angelo, Dicastillus Tract. 5. Disput. 4. dub. 15. num. 303. Thomas Tamburinus Lib. 2. de Missa, C. & §. 8. num. 5. & Lib. de Communione Cap. 3. §. 4. num. 5. Gavantus in Rub. Missalis parte 3. tit. 10. num. 14. Quartus num. 6. dub. 3. Ioannes de Lapide in Resolutorio dubiorum occurrentium circa celebrationem Missarum Cap. 7. art. & dub. 6. Et ratio est, quia cum tanto incommodo, quale est periculum vitæ, non obligatur Sacerdos retinere species veneno perfusas, sicut non tenetur, imò nec licitè potest sumere primò, ne sit sui homicida, & ne in mortem vertatur Sacramẽtum vitæ. De speciebus autem evomitis quid faciendum sit, constabit inferiùs.

98 Avertat Deus, vt vitę Cœlestis pabulò, & potui extrema nefarij alicuius hominis malitia immisceat venenum! Sed infandum hoc sacrilegium olim non semel contigit. Et omisso veneno posito à Theodorici Regis filia in calice præparato ad communionem matris, quo hausto protinus mortua est, vt narrat S. Gregorius Turonẽsis Lib. 3. Hist. Francorum Cap. 31. & quia mater, ac filia erant secta Arianæ, addit S. Gregorius, *Quid contra hæc miseri hæretici respondebunt, vt in sancta eorũ loco habeat inimicus? Nos verò Trinitatem in vna æqualitate pariter, & Omnipotentia confitentes, etiamsi mortiferum bibamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti veri, atque incorruptibilis Dei, nihil nobis nocebit.* In quibus verbis examinãdis non est cur immorer. Memorabile est quod apud Baronium anno 1055. n. 28. tradit Lambertus Schafnaburgensis de Victore Papa 2. [Huic Subdiaconus toxicum in calicem misit; quẽ cum ipse post cõsecrationem levare vellet, nec posset: à Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur; statimque intoxicator à Dæmone arripitur. Ita igitur causa manifestata, Dominus Papa calicem cum sanguine Domini cuidam altari iussit includi, & pro reliquijs in perpetuum conservari. Deinde iterùm cum populo tandiu ad orationem prosternitur, quoúsque Subdiaconus à Dæmonibus liberaretur.] De Victore etiam Papa III. obijsse ex veneno iniecto in calicẽ, dum sacrificaret, scribunt multi, vt Martinus Polonus, Conradus Lichtenavius Abbas Vrspergensis; & prævaluisse saltem suspicionem veneni, fatẽtur Platina, ac Nauclerus. De Henrico VII. Imperatore sunt similiter, qui asserant, extinctum esse veneno exhibito in Eucharistia à Bernardo de Monte Politiano; alij sparsum de eo rumorem contestantur; quanvis alij omnino negent, vt Bzovius anno 1313. & Antonius Senensis in Chronico, anno eodẽ. Legatur Raynaudus in Hoplotheca cõtra ictum calumniæ Sect. Serie, & C. 2. pag. 171.

99 Prętereà non semel accidit, vt in species consecratas vini ceciderit aliquod animal venenatum, vt aranea aliquantò grandis; & quanvis tunc per se deberent non sumi species cum aranea, imò neque solæ, si veneno essent iam infectæ ex contactu araneæ, tamẽ non defuerunt qui religiosa quadam simplicitate, vel speciali instinctu divino ausi sunt ebibere eas simul cum aranea. Vldarricus in Vita S. Conradi Episcopi Constantiensis refert mirabilem hunc casum, [Paschalis lætitiæ dies advenit, in qua sanctus vir Conradus Episcopus agnum, cuius sanguine tum intentionis nostrę superliminare, tum postes cordis purgantur, & animæ, inter Missarum actionem Deo Patri obtulit. Accepto ergo corporis Dominici Sacramento, venit ad sanguinis eius participationem. Calix ex more discooperitur: aranea vitæ liquori illapsa cernitur. Animal mortis exitium homini exteriori minatur. Quid fecit Minister Cœlestis convivij? Summa accinctus fide, nihil in hac re mortale, nihil ducit exitiale, avidiùs cõsumit, & quod Sacramenti, & quod exterminij fuit, non immemor antiqui serpentis venenum antidoto Passionis Dominicæ evacuatum. Cerneres ministerij huius cooperatores pallescere, imminẽs Antistiti, vt suspicantur, necis periculum circumstantibus innuere. Ab omnibus in commune tristatur, ac timetur, dies gaudij in mœrorem vertitur. Tamen peracta communionis distributione, vltra omnem spem, ad mensam artus ieiunijs attenuatos refecturus accedit;

cedit; sed non gustando cibum, aliquãdiù sedit. Percontantur secretiùs, quid esset acturus? Expecto, inquit, hospitem in proximo venientem. Et reclinato super mensam capite, exitum araneæ aperto præbet ore, quæ nec mori in homine Dei, nec mortem potuit inferre. Tunc quanta convivarum exultatio, quanta de viri constantia suboritur admiratio!

100 Nec minus mirabile est exemplum, quod sequitur: [Canonicus quidam Regularis cum in præsentia B. Vvalleni abbatis celebraret, aranea in calice circa *Agnus Dei* cecidit, & metum, horroremque celebrãti incussit. Vvallenus autem hoc viso, fusa oratione, & data benedictione, imperavit, vt araneam cum sacro libamine in nomine Domini sumere non dubitaret. Ille verò Patris præcepto devotè obtemperans, cum magna constantia, magnaq; fide totum sumens, nullam sospitatis iacturam, vel nauseę provocationem sensit. Sedentibus post refectionem in claustro Fratribus, Canonicus ille digitum suum confricabat, & tumor turgens in digito apparebat. Nec mora, aranea, rupta cute, viua egreditur, & cunctis miraculum obstupentibus, & mirantibus, iubente Priore, flammis comburenda traditur.] Sic ex Chrysostomo Henriquez in Fasciculo SS. Ordinis Cisterciensis Lib. 2. Dist. 26. C. 58. transcribit Benedictus Gononus L. 2. Hist. Eucharisticæ C. 83.

101 Idem Gononus Cap. 152. ex eodem Chrysostomo Henriquez Lib. 1. Dist. 29. in vita B. Vvillelmi Abbatis Villariensis Cap. 6. narrat stupendum aliud exẽplum his verbis, [Cum B. Vvillelmus alia quadã die celebrationi devotissimè intentus existeret, ex immunditia tecti subitò aranea in eius sacro Christi sanguine referto calice lapsa est, non immeritò horrorem, & nauseam in sumente generans. Pater autem Sanctus araneæ malitiam non veritus, sed confidens perfectè in Domino, vnà cum sanguine ipsam sumpsit, & sibi incorporavit. De qua non solùm membrorum destitutio, sed & ipsius etiam mortis alteratio imminere potuisset, nisi Deus ad maiora servum suum custodisset. Et verè sicut eius fides invicta, & constantia valida fuit, ita divinæ misericordiæ stillicidia, & supernæ benignitatis fluenta profusiùs sensit. Nam cum istud factum abeius memoria esset elapsum, circa anni circulum, quo id acciderat, cœpit quædam pustula in vno digitorum eius apparere, in quo etiam quendam pruritum sensit, & quasi corrodentem humorem. Leniter igitur hoc tacto, pustula frangitur, & non sanies, vt sperabatur, sed aranea, quam iam pridem S. Pater sumpserat, erupit integra, & quasi nunquam tacta de digito exivit Abbatis.]

SECTIO VIII.

Quid faciendum sit, quando deprehenditur inter celebrandũ defectus aliquis materiæ requisitæ ad consecrationem?

102 RESPONDET S. Thomas ad 4. *Si Sacerdos ante consecrationem sanguinis, & post consecrationem corporis percipiat, aut vinum, aut aquam non esse in calice, debet statim apponere, & consecrare. Si verò post consecrationis verba perceperit, quòd aqua desit, debet nihilominus procedere, quia impositio aquæ nõ est de necessitate Sacramenti. Debet tamen puniri ille, ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam consecrato misceri, quia sequeretur pro aliqua parte corruptio Sacramenti ::: Si verò percipiat post verba consecrationis, quòd vinum non fuerit positum in calicem, siquidem hoc percipiat ante sumptionem corporis, debet, deposita aqua, si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & resumere à verbis consecrationis sanguinis. Si verò hoc perceperit post sumptionem corporis, aliam hostiam apponere debet iterùm consecrãdam simul cum sanguine. Quod ideo dico, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non seruaretur debitus ordo consecrandi; & sicut dicitur in prædicto C. Toletani Concilij, perfecta videri non possunt Sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur. Si verò ineiperet à consecratione sanguinis, & repeteret omnia verba consequentia, non competeret, nisi adesset hostia consecrata, cum in illis verbis occurrant quædam dicenda, & fienda non solùm*

circa

circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Et debet in fine sumere hostiam consecratam, & sanguinem, non obstante etiam si prius sumpserit aquam, quæ erat in calice, quia præceptum de perfectione Sacramenti, maioris est ponderis, quàm præceptum, quòd hoc Sacramentum à ieiunis sumatur. Huc vsque Angelicus Doctor.

103 Consonant maiori ex parte Rubricæ §. 4. in cuius numero 2. dicitur, cum post consecrationem corporis advertitur, *aut vinum, aut aquam, aut vtrumq; non esse in calice, debere statim apponi vinum cum aqua, & facta oblatione, saltem mente concepta, consecrare, incipiendo ab illis verbis, Simili modo*, &c. Et in num. 7. dicitur, *Si celebrans, ante consecrationem calicis, aduertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id aduertat post cõsecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* Sic ibi; & subticetur ea alia ratio S. Thomæ, ne liceat admiscere aquam vino iam consecrato, quia alioqui sequeretur pro aliqua parte corruptio Sacramenti.

104 Quam rationem non esse magni momenti, ait Suarez Disp. 81. sect. 1. V. *Prima regula*, [nam potiùs aqua corrumpetur ab speciebus Sacramẽtalibus, sicut corrumpitur à vino:] quod si ibi existeret, in se converteret guttam vnam, aut alteram aquæ infusam, vt tradit ipse S. Tho. q. 77. art. 8. in Corp. Quare deficiente substantia vini, vti facta consecratione deficit, accidentia vini corrumpent accidẽtia aquę in guttis aquę permistis, & in earũ guttarum materia producetur substantialis forma vini, manentibus incorruptis antiquis speciebus vini, proindeque & sub eis manente Christi sanguine, quoad eas etiam partes, ad quas est diffusa vna, aut altera aquæ gutta. Si vinum careat activitate ad convertendam in se aquam quantumcumque modicam, vt plures existimant, perspicuum est, nullam fore deperditionem Sacramenti ob aquæ permistionem cum speciebus vini, nisi ex permistione resultaret substantia aliqua, quę nec esset vinum, neque aqua. Vt hæc intelligantur, reuisenda sunt quæ scripsimus Disput. 7. de Eucharistia ex num. 68.

105 Rogabis primò, cur si defectus aquæ deprehendatur proximè ante consecrationem sanguinis, debeat apponi aqua, & fieri statim consecratio calicis? Videtur enim defuturum tempus, vt aqua conuertatur in vinum. Si enim non satis temporis est, facta mistione post oblationem panis in Missa: vnde Martinus de Ledesma prima parte 4. quæst. 15. art. 8. inquit, [Deberent omnes Sacerdotes componere calicem in initio Missæ, sicut fit in Ordine Prædicatorum, vt sit tempus, quo natura possit agere, quia natura nõ potest agere in instanti.] & Tabiensis Verb. *Eucharistia*, §. 23. similiter ait, [Melius esse præparare calicem in principio Missæ:] atque ita debere fieri, asseverat Sylvester V. *Eucharistia* 1. q. 3. num. 4. §. *Quantùm verò*: à fortiori sequitur, si infusio fiat proximè ad cõsecrationem, non fore satis temporis ad conversionem aquę in vinum; quæ conversio prærequiritur ad eam alterã in sanguinẽ vi verborum cõsecrationis

106 Respondeo, conversionem aquæ in sanguinẽ non dependere à præconversione eius in vinum, cui admiscetur, etsi enim aqua non transierit in vinum, transit simul cum hoc in sanguinem, vt probaui latè in D. 4. de Euch. sect. 3. Et vltra modernos ibi citatos favet Pasqualigus in Doct. Mor. sacra, q. 91. S. 7. allegans Alensem p. 4. q. 10. memb. 4. art. 1. §. 5. Duran. in Ration. L. 4. C. 30. n. 26. Sed certè Alensis stat pro contraria sententia, vt & Cæsarius Cisterciensis Lib. 9. Miracul. illust. & Hist. memorabil. C. 24. S. Antoninus p. 3. Hist. tit. 19. C. 1. §. 9. Iacobus de Vitriaco feria 5. in Cœna Dñi in Themate sumpto de Epistola 1 ad Cor. 11. Gerson 2. p. Operum in Comp. Theol. de Sacram. Euch. tit. de materia Sacramenti huius, Albertus Magn. de Euch. Dist. 3. T. 2. C. 3. n. 5. & in 4. Dist. 12. art. 10. Durando autem in loco citato à Pasqualigo nihil ad rem habet; sed in C. 42. ex n. 10. ibique vix aliud dicit, quàm quod Innocentius III. in C. *Cum Marthæ* 6. de Celeb. Mis. §. *Quæsiuisti*.

107 Quare idem ferendum est iudicium de Durando, ac de Innocentio III. de quo existimo tenuisse nostrã sententiam. Ex Ioanne etiam Andrea L. 3. Clementinarum refert hæc verba Garetius in Consensu de Veritate corporis Christi in Eucharistia, Centenario 14. ad annum 1341 [Aqua cum

vino transubstantiatur in sanguinem Christi.] Alfonsus Rex cognomento Sapiens leg. 52. tit. 4. Part. 1. inquit, [Panis mutatur verè in corpus Domini nostri Iesu Christi, necnon vinum, & aqua in eius sanguinem per Dei potentiam, & per verba sancta, quæ profert Presbyter, & quæ protulit Dominus noster Iesus Christus.] Sic nostræ Hispaniæ Legislator adiutus præstantissimorum iuris vtriusque Consultorum opera in componendis Partitis, Azonisque inter alios, vt refert P. Suarez L. 7. de Legibus, C. 19. n. 7.

108 Nostram etiam sententiam tradit Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus Respons. 2. C. 4. de vsu Sacramentorum dicens, [Panis fit corpus Xpti, & vinum, & aqua sanguis Christi superventu Spiritus sancti ea transmutantis supra hominum rationē, & cogitationem. Propositionis panis, inquam, & vinum, & aqua, invocato, & superveniente Spiritu sancto, supra omnem naturę rationem, & cogitationem transmutantur in corpus, & sanguinem Christi; nec duo iam sunt, sed vnum, & idem.] Quæ verba mutuatus est Hieremias ex S. Damasceno L. 4. de Fide C. 14. Consonat Gregorius Hieromonachus in responsione ad Epistolam Marci Ephesij apud Binium p. 1. tomi 4. Conciliorum pag. 719. vbi ait, [Panis, & vinum cum aqua transmutantur in corpus, & sanguinem Christi.] Quibus Græcis adiungendus est S. Proclus Patriarcha Constantinopolitanus adductus num. 556. Disputationis conterminæ.

109 Vlteriùs S. Hildegardis in Epistol. ad Prælatos Moguntinenses inquit, *In virtute altissimi Dei oblatio panis cum vino, & aqua in carnem, & sanguinem Saluatoris, quam de Maria Virgine assumpsit, transubstantiatur; quemadmodū lignum in ardentem carbonem per ardorem ignis mutatur.* Rursus in Epist. ad Vvernerum de Kirchein, *Virtus Dei oblationem panis, & vini, & aquæ super altare ad verba Sacerdotis diuinitatem inuocantis in veram carnem, & verum sanguinem Christi transfert.*

110 Amalarius etiam in Præfat. 2. ad libros de diuinis Officijs scribit, [Quæ aguntur in celebr. Missæ in Sacramēto Dominicæ Passionis aguntur, vt ipse præcepit ::: Idcirco Presbyter immolans panem, & vinum, & aquam in Sacramento est Christi: Panis, vinū, & aqua in Sacramento carnis Christi, & eius sanguis.] Sic Amalarius, quem non fuisse eum, qui Fortunatus cognominatur, & Episcopatum Trevirensem tenuit, sed fuisse ætate supparem, & Diaconum, nō verò Episcopum Metēsem, prout malè sic vocat Honorius Augustodunensis C. 3. de Eccles. Scrip. & solùm Monachum Sigebertus Gemblacensis C. 87. de Scrip. Eccles. vbi Attularij nomen corrigendū est in Amalarij, adnotavit N. Iacobus Sirmondus ad Opuscul. Ennodij de Cerei benedict. & post ipsum Aubertus Miræus in Scholio ad Honorij Cap. 3. Raynaudus, & alij. Quanquā nos persuasionem communē sequuti appellaverimus sæpè Authorē de Eccles. Off. Amalarium Fortunatū. Quisquis verò ille fuerit, cōmendatur insigni hoc elogio à Bernone C. 7. libelli de quibusdam rebus ad Miss. spectantibus, [Amalarius divinorum Offic. indagator solertissimus, cuius dicta Catholicorum virorum sentētijs fulgent communita.

111 Has habui authoritates, quas adderem pro antiqua mea opinione de conversione aquæ vnà cum vino in sanguinem Xpi, etiam quando priùs non fuerit conversa in vinum, si in hoc converti naturaliter possit aliquando. Et videtur quidem, brevitatem temporis obstare, ne in hoc cōvertatur, quoties iuxta præscriptum Rubric. proximè ante consecrationem, vel sumptionem calicis miscenda est, si advertat Sacerdos, deesse eam in calice. Itidem cū Christus Dns consecravit in nocte cœnæ, defuit tempus ad conversionem naturalem aquæ in vinum; nā statim post mistionem consecravit, vt referunt S. Clemens L. 8. Const. Apost. C. 12. S. Iacobus, S. Marcus, & S. Basilio in suis Liturg. quorū primus ait, *Similiter & calicē postquàm miscuit ex vino, & aqua, & sanctificauit, dedit eisdem, dicens, Bibite ex eo omnes, Hic est sanguis meus*, &c. Secundus, *Similiter postquàm cœnauit, accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua, & aspiciens in Cœlum, ac ostendens, tibi Deo, & Patri gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu sancto, dedit nobis discipulis suis*, &c. Tertius, *Similiter & calicem, postquàm cœnauit, accipiens, factaq; vini, & aquæ cōmistione, suspiciens in Cœlū*

ad

ad te Patrem suum, Deumque nostrum, & Deum vniuersorum, gratias egit, benedixit, sanctificauit, impleuit Spiritu sancto, & tradidit sanctis, & beatis discipulis suis, & Apostolis dicens, Bibite ex eo omnes, Hic est enim sanguis meus, &c. Quartus, *Similiter & calicem de genimine vitis, accipiens, miscens, gratias agens, benedicens, sanctificans, dedit sanctis suis discipulis, & Apostolis, dicens*, &c.

112 Ex quibus testimonijs satis constat, Christum proximè ante consecrationem fecisse mistionem; & tam brevi spatio non potuit naturaliter fieri conversio aquæ in vinum, cum tamen tunc aquę substantia non permāserit in calice, sed simul cum substantiā vini fuerit transubstantiata in sanguinē Christi. Nec est verisimile, hunc auspicatum esse consecrationem, quin totum in calice contentum, & ex industria, atque à consilio appositum ab ipso, transubstantiaretur in suum sanguinem. Vnde consequenter iudico in casu, de quo Rubricæ, transire immediatè vnà cum vino substantiam aquæ in substantiam sanguinis Christi.

113 Quod autem aiebant supra Ledesma, Tabiena, & Sylvester, non est gratè audiendum, tum quia Ecclesiæ Romanæ vsus vniversalis, & antiquissimus debet non posthaberi vsui privato vnius, aut alterius Religiosæ familiæ, tum quia vt aqua convertatur in sanguinem Christi, non opus est, vt priùs sit conversa in vinum; tum quia etsi opus esset, intercedit satis temporis ab Offertorio vsque ad consecrationem.

114 Rogabis secundò, an si casus, de quo Rubricæ, contingat ad primam Missam de Nativitate Domini, possit Sacerdos celebrare iteratò? Respondeo, posse vtique in mea sentētia, quia cum aqua sit conversa in sanguinem Christi, Sacerdos manebit ieiunus, non secus ac si sumpsisset calicem, in quem aqua fuisset immissa ex tempore Offertorij. Consentiunt nobiscum Vazquez Disput. 178. Cap. 3. num. 26. Mascarenhas Tract. 4. Disp. 2. Cap. 7. num. 75. Bonacina Disput. 4 quæst. 2. punct. 4. num. 9. & quidam alij, etiamsi sentiant, aquam non conuerti in sanguinem, nisi priùs fuerit in vinum transmutata. Sed consequenti Biel apud Vazquium supra, Suarez Disp. 45. sect. 4. Vers. *Argumenta*, Filliucius Tract 4. num. 92. negant, licitum tunc esse celebrare secundò, vt probavi in numero 46. Disput. 22. nisi Sacerdos aggrediatur iterationem Missæ ex fiducia probabilitatis sententiæ nostrę.

115 Rogabis tertiò, cur, vt adimpleatur præceptum Ecclesiæ de mistione aquæ, non apponatur hæc in calice, quando post consecrationem sanguinis notatur defectus aquæ? Nam licet non sit de necessitate Sacramenti, non apparet, cur tunc non sit de necessitate præcepti? Respondeo, non extare præceptum de infusione aquæ nisi ante consecrationē sanguinis. Transgressores eius præcepti habent statutā pœnam in Cap. *Litteras* 14. de Celebratione Missarum, & in C. *Cum omne crimen* 7. de Consecratione Distinct. 2.

SECTIO IX.

Prosequitur declaratio pertinentium ad quartum defectum.

116 IN reliquis, quę dicit Sanct. Thomas, concordant prorsus Rubricæ antiquæ Pij V. Sed novæ Clementis VIII. & Vrbani VIII. addunt num. 4. *Si Missa celebretur in loco publico, vbi plures adsint, ad euitandum scandalum, poterit Sacerdos apponere vinum cum aqua* (quin apponat aliam hostiam iterùm consecrandam) *& facta oblatione: consecrare, ac statim sumere, & prosequi cætera*, scilicet in casu, quo post sumptionem corporis, vel aquæ advertat, vinum nō fuisse positum, sed aquā.

117 Dominicus Sotus in 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 6. Vers. *Quòd si arguas* docuit id ipsum, quod novæ Rubricæ, inquiens, [Licet vbi homo privatim coram vno, vel duobus celebrat, consultius sit, S. Thomæ opinionem seruare; tamen vbi in publico, & præsertim coram aliquo Magnate celebraretur, ad evitandum scandalum, & turbationem populi, fortè non esset absurdum, vt Sacerdos secretò fingens lotionem sumere, vinum tunc infunderet, & cōsecraret, & sumeret; nam scandalum excusaret, præsertim cum iam fuerint facta signa super hostiam, licet non legitimè super calicem.] Soti vestigia

præsserunt Emmanuel Sà verbo *Missa*, num. 31 Lessius 3. p. quæst. 83. art. 2. & seqq. num. 69. Henriquez Libro 9. Cap. 37. §. 3. Azor tom. 1. Libro 10. C. 33. quæst. 5. in fine; scripseratque paulò antea, [Re vera S. Thomas nihil in hac parte distinguit, sed generatim loquitur, nam putat, iuris esse diuini, vt Sacrificium vtriusque speciei consecratione conster, & simul etiam credit, panem priùs consecratum ad aliud Sacrificium pertinere.] Tenent etiam eandem viam Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 10. quæst. 1. num. 13. Ludouicus Lopez in Institutorio Conscientiæ p. 2 Cap. 79. circa finem, Bartholomæus à Medina in Summario de Sacram. Euch. Diff. 42. Conclus. 2. V. *Notato tamen*, Granadus Controv. 6. de Euch. Tract. 14. Disp. 16. num. 6. Nuñus Cabezudo 3. parte quæst. 83. art. 6. pag. 987. Ioannes de Cruce quæst. 5. de Sacrificio Missæ dub. & Conclus. 1. Ægidius Trulench. L. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 23. n. 4. Pasqualigus in Doctrina Morali sacra Disput. 111. sect. 5. num. 17. Sylvius 3. p. quæst. 80. art. 8. casu 2.

118 At Durandus Lib. 4. Rationalis C. 41 n. 49. Scotus in 4. Dist. 8. q. 3 Angelus verbo *Missa*, §. 16. Navarrus in Enchiridio C. 25. n. 91. Gabriel Biel Lect. 10. in Canonem Missæ lit. *E.* cum Hostiensi, Richardus de Mediavilla in 4. Dist. 11. art. 2. q. 6. Gaspar Hurtadº D. 4. Diff. 13. Caspensis T. 23. D. 3. S. 7. n. 101. Martinonus D. 40. S. 8. n. 98 Becanus C. 25. de Sacram. p. 2. q. 8. n. 1. Iacobus de Graffis in Decis. aureis L. 2. C. 46. n. 5. Author Speculi Cons. T. 3. C. 14. §. 3. Stephanus Bauny tomo 1. Theolog. Moral. Tract. 6. q. 20. Quartº p. & tit. 3. S. & dub. 2. V. *Colligitur primò*, tit. 4. dub. 13. V. *Secundò, si*, Mascarenhas T. & D. 5. C. 14. n. 438. Castro Palao T. 22. D. vnica, pũct. 11. n. 7. Remigius Noydens in Praxi Curatorum, & Confessorum T. 5. Cap. 4. §. 8. n. 3. Tannerus tom. 4. D. 5. q. 10. dub. 7. n. 116. cum Missali Frisingensi, Bonacina D. 4. q. vltima punct. 10 n. 5. Rosella verb. *Euch.* 3. n. 43. Emmanuel Rodriguez, Villalobus, Moure, Aversa apud Franciscum de Lugo supra, Antoninus Diana p. 2. T. 14. Res. 70. Bartholom. ab Angelo apud Bonacinam, Suarez D. 85. S. 1. V. *Sed circa*, Vazquez ad art. 6 q. 83. Coninck ibidem n. 277. Layman L. & T. 5. C. 7. circa finem, Fagundez in 1. Eccles. præceptum L. 3. C. 19. n. 11. Filliucius T. & C. 5. n. 161. Regin. L. 29. C. 9. S. vltima, n. 213. Dicastil. T. 5. D. 4. dub. 15. n. 289. Scortia L. 4. de Sacrif Mis. C. 28. n. 1. Toletus L. 2. C. 9. aliique innumeri tam exteri, quã domestici Societatis tradunt, etiamsi non sequeretur scandalum, nõ opus esse consecrare novam hostiam; idq; probabile putat S. Thomas in 4. Dist. 11. in Expositione litteræ, approbarique à S. Bernardo in Epist. 69. ad Guidonem videtur Scortię. Sed S. Abbas loquitur in alio casu diuerso aliquantisper, scilicet quando defectus vini cognoscitur ante sumptionem specierum panis.

119 Adduci solet Innocentius III. in C. *Pastoralis* 1. de Sacramentis nõ iterandis, vbi loquens de Sacramentis Ordinis, & Confirmationis, quorum in administratione fuerat omissum aliquid accidentale, seu non requisitum necessitate Sacramenti, ait, *In talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendũ, quod incautè fuerat prætermissum.* Ergo similiter in celebratione Sacrificij. Cũ ergo in nostro casu sola cõsecratio sanguinis fuerit incautè prętermissa obnõ animadversum vini defectum, sola illa erit cautè supplenda, quin iteretur cõsecratio, aliaque hostia denuò consecretur. Sed nõ egemus coniecturis circa Innocentij mentem, attigit enim casum in terminis L. 4. de Mysterijs Missæ C. 24. dicens, *Quid ergo faciendum est Sacerdoti, qui post consecrationem vinum comperiat prætermissum. Dicunt aliqui, quòd vinum apponere debet, & super illud solummodò consecrationem repetere. Alij, quòd apposito vino panem consecratum, sicut in die Parasceue, debet immittere, sicque sumere Sacrificium. Ego verò semper in dubijs, quod tutius est, iudico præferendum.* Et videtur quidem præferre vt tutius, quòd apponatur vinum, & super illud solũmodò consecratio repetatur.

120 Atque idem ipsum suadetur à S. Hildegardi in Epist. ad Prælatos Moguntinenses, ait enim ibi, *Si per negligentiam vinum, & aqua defuerint, vel sola aqua ibi fuerit, in verbis prædictis corpus Domini sit in se habens sanguinem. In calice autem sanguis, qui in Passione sua effusus est, non fit, quia vinum, & aqua defuerunt, vel sola aqua ibi fuit. Vnde denuò eadem verba, & signa repetenda sunt, quia*

Sacrificium

Sacrificium vini, & aquæ neglectum fuit; & statim ex aqua, & vino sanguis non aridus, sed integer, & fluens fit, corpore tamen ita permanente, vt in verbis antedictis factum est; sed sanguine, qui priùs defuit, & gaudio redemptionis, qua homo liberatus est, adornatur. Hactenus S. Hildegardis. Sed video, posse responderi, neque eam, neque Innocentium III. loqui expressè in casu, de quo S. Thomas, nempe, quando post sumptionem corporis animadvertatur defectus vini in calice; possuntque intelligi sufficienter in solo casu noti defectus ante sumptionem corporis. Et in vno, vel altero casu loquitur ambiguè S. Petrus Cœlestinus Opusculo 8. parte 4. Sect. 2. Capite 6. inquiens, *Si post verba consecrationis perpendat Sacerdos, quòd aqua, vel vinum, vel vtrumq; omissum fuerit, quia apud quosdam dubium est, vtrum confectio in vna specie possit fieri sine altera, licet plures non dubitent, quod bene fiat, ponat hostiam illam in loco honesto, & in fine Missæ sumatur à Ministro, præmissa confessione: ministret de nouo panem, & vinum, & aquam, & reincipiat, Hanc igitur oblationem, vsque in finem.* Quibus in verbis S. Petrus Cœlestinus maiorem rationem, quàm vellemus, habuit cogitationis Petri Cantoris Paris. cuius meminimus in n. 19.

121 Pergamus ad rationes. Quarum prima sit, consecrare iterùm hostiam, posteàq; calicem, & vtrumq; sumere, est facere integrum Sacrificiũ, & relinquere imperfectum illud, quod priùs est inceptum, nequit enim hoc constituere vnum Sacrificium cum eo alio omnino integro, sicut consecratio vtriusque speciei, & sumptio vnius facta ab vno Sacerdote nequit componere vnum Sacrificium cum consecratione, & sumptione vtriusque speciei facta ab alio Sacerdote, qui simul sumat inconsumptam speciem à priori Sacerdote relinquente imperfectum Sacrificium. Atqui datur obligatio strictissima, ne Sacrificium substantialiter inchoatum relinquatur imperfectũ. Ergo & ne in præsenti casu consecrentur de novo hostia, & vinum, sumanturq; eorum species, sed vt solũ modò consecretur vinũ, & eius suscipiãtur species.

122 Secunda, quando vnus Sacerdos supplet substantialem defectum commissum in Sacrificio alterius, non debet iterare ea, quæ validè, & ritè acta sunt ab altero. Igitur neq; quando ipse qui comisit, supplet.

123 Tertia, etsi defectus circa Sacrificij substãtialia supplendi sint, quãdo animadvertuntur, non tamen defectus circa accidentalia. Ergo cum in nostro casu solus vini defectus fuerit substantialis, seu sola eius nõ consecratio, & reliqui fuerint accidentales, oportebit supplere defectum vini, omissamque eius consecrationem, & non alios defectus.

124 Objicies primò authoritatem Rub. Missalis. Occurrit Suarez V. *Ad 1. confirmationem* dicens, *Illa, quæ in Missali proponuntur sub tit. de Defectibus, solùm esse instructiones quasdã doctrinales, non verò speciales constitutiones inducentes nouam obligationem; sunt autem illæ instructiones datæ iuxta probabilem doctrinam; non tamẽ magis obligant, quàm res ipsæ, vel doctrina, in qua fundantur.* Ita etiã Vazquez, Fagundez, Scottia, Dicastillus, Coninck, Martinon, & alij; testaturque Vazquez, plerosque non sequi in praxi Rubricas illas, qua parte novæ hostiæ consecrationem approbant. Addo, Clementem VIII. moderationem aliquam eis adhibuisse in hoc etiam puncto.

125 Objicies secundò rationem S. Thomæ his verbis declaratam à Dominico Soto, [Vel sufficeret tunc sãguinem consecrare, & illicò sumere, prætermissis signis, & verbis, quæ fiũt à consecratione calicis vsque ad sumptionem; & hoc non, quia cum in illis tam fiat mentio sanguinis, quã corporis, sequitur, vt quæ illuc vsque facta fuerant, nõ fuerint legitima, atq; adeò sint iterùm repetenda. Si autem repetantur omnia, tũc, quia hostia nulla est, pari ratione nõ fient legitimè, quia fieri debent simul super corpus, & sanguinẽ, vt verè dicatur, Panem sanctũ vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ, & Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, &c.]

126 Respondebitur, concedendo priorem partem, non secus ac si ante sumptionem corporis adverteat Sacerdos defectum vini, consecrare licet illud, respondendo à verbis, *Simili modo*, & non à priori oblatione, neque à Canone (quicquid aliter opinatus sit Paludanus in 4. Dist. 11. quæst. 1. art. 2

dissentientibus S. Thoma, & Rubricis) etsi in oblatione, & in Canone præcesserit mentio, & denotatio vini, non quidem legitima re ipsa, sed tantùm ex intentione Sacerdotis; cuius intentionis merito verba, & signa præcedentia censentur relata ad vinum de novo appositum; nec repetenda sunt, quia eorum defectus non est substantialis, sed accidentalis, & quia alioqui iterarentur verba, & signa dicta, atque facta validè supra speciem panis.

127 Non secus item, ac si hostia consecrata dilabatur in calicem ante fractionem, & tota madefiat speciebus vini, fas est omittere signa, quæ supra eam solent fieri ante sumptionē, nec opus est supplere illa, & fractionē, consecrando hostiam aliam, quia vt docet S. Thomas ad 6. *Fractio hostiæ consecratæ, & quòd vna sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admistio aquæ significat populum; & ideo horum prætermissio non facit imperfectionem Sacrificij, vt propter hoc sit necesse, aliquid reiterare circa celebrationem huius Sacramenti.* Et in Rubricis §. ac num. 10. dicitur, *Si propter frigus, vel negligentiam hostia cōsecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum; sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias, & signa consueta cum residua parte hostiæ, quæ non est madefacta sanguine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eā; sed omnia dicat, omittendo signa, & sumat pariter corpus, & sanguinem, signans se cum calice, dicens, Corpus, & sanguis Dñi nostri,* &c.

128 Replicabis, si in nostro casu dicantur sola verba consecrationis sanguinis, non servatur debitus ordo consecrandi; ait autem Cōcilium Toletanum, *perfecta videri non possunt Sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur.* Respondebitur, servari quoad substantialia ordinem consecrandi, de quo loquitur Toletanum Concilium; licet non seruetur quoad accidentalia.

129 Vrgebis, substantialis ordo petit, quòd sanguis consecretur ante hostiam consumptam, tum quia si post consecretur, non pertinebit ad idē Sacrificium, tum quia nisi vtraque species simul existat, non subsistet, quod est de huius Sacrificij essentia, vt scilicèt corpus, & sanguis Christi, quantùm est ex vi verborum, ponatur sub diversis speciebus separatim instar hostiæ occisæ.

130 Respondebitur, substantialem ordinem non petere, quod intenditur, alioqui Christus defecisset in illo ordine, cùm in vltima cœna sacrificavit, siquidem consecrarit calicem post manducationem specierum panis. Qua propter calicis consecratio, & sūptio subsequens ad consecrationem, & sumptionem hostiæ constituere potest optimè vnum, idemque Sacrificium; nec necesse est ad Sacrificij essentiam, vt vtraque species cōsecrata simul existat aliquando, etsi enim vna existat post aliam, salvatur tota repræsentatio, Christi Domini patientis, & tota destructio victimæ.

131 Sententiam hactenus rationibus fultam, & vendicatam ab obiectionibus censeo valde probabilem, & amplexandam in praxi, vbi timeretur scàndalum, perturbatiove adstantium ex consecratione alterius hostiæ; vixque continget, vt quando Missa celebretur coram populo, non possit timeri prudenter. Nihilominùs casu quo timor ille desit, eo quòd celebretur præsēte solùm Ministro, pauciſve alijs, opinionem oppositam iudico probabilem, & tutam, ob authoritatem præsertim Rubricarum, quas probabiliter, & tutò quisque sequetur, vt observant Coninck supra num. 279. ac Tamburinus Lib. 2. de Missa Cap. 8. §. 4. n. 3. Est etiam magni momenti authoritas S. Thomæ, quem in eadem opinione subsequuti sunt Paludanus, Sylvester, Tabiena, Victoria, Petrus de Ledesma, & quidam alij; estque eiusdem mentis Guilielmus Parisiensis Cap. 13. de Eucharistia.

SECTIO X.

Annexa quædam difficultas vincitur.

132 SVBORITVR quæstio, an si celebrans adverterit post sūptionem sanguinis, esse corruptam hostiam, aut non esse triticeā, quam sumpsit, teneatur consecrare de novo, & sumere non solùm panis speciem, sed etiam vini? Rubricæ §. 3. num.

n.6. dicunt, *Apponi debere rursus nouum panem, & vinum cum aqua; & facta priùs oblatione, vt supra*, nempe, saltē mente concepta, *Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, Qui pridie, ac statim sumat vtrumque, & prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & vt debitus ordo seruetur.* P. Suarez supra V. *Atq; ex his* fatetur, probabile esse, quòd nō debeat tunc consecrari nisi solus panis; sed addit, [Quanuis in hoc casu libētiùs vterer remedio consecrandi iterū vtramque speciem, si commodè possem, quia ille ordo consecrationis vtriusque speciei (scilicet, vt species vini consecretur post speciem panis) semper mihi videtur magni momenti; & aliunde non potest, quod ad scandalū pertinet, vel adstantium notitiam, magis vno modo vitari, quàm alio.] Ita etiam Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 10. quæst. 1. n. 14. & Gavantus ad n. illum 6. Rubricarum.

133 Sed certè consecrationum vtriusque speciei ordo ille non requiritur ad essentiam, substantiamque Sacrificij, vt diximus Disput. 4. num. 26. adhærentes Suario Disput. 75. sect. 6. V. *Sed quæret*, qui citat Angelum, & Paludanum, & vt cum Gaspare Hurtado, Ioanne Præpositо, & Dicastillo existimant Diana parte 10. Tractatu 12. Resolutione 13. Aversa quęst. 11. sect. 16. V. *Estque planè*, cum Scoto Ioannes Baptista Scortia Libro 4. de Sacrificio Missæ C. 11. num. 24. Fagundez Lib. 3. in 1. præceptum Ecclesię C. 5. num. 19. Martinonus Disput. 40. sect. 8. numero 100. Quartus parte 3. tit. 3. sect. 2. dub. 2. ideoque cum eis censeo, esse valde probabile, & tutum, non consecrare tunc aliud vinum. Et huc faciunt rationes pro casu vicino allatæ. Sed nō nego, probabile etiam esse, atque tutum, quod dicunt Rubricæ.

134 In quibus non ponitur exceptio, *nisi timeretur scandalum*, quia sermo erat de defectu panis supplendo, & scandalum timeri non debet potiùs ex novi vini, quàm ex novæ hostiæ cōsecratione in isto casu, si celebretur publicè, nam magis facilè habebitur ad manum vinum aliud, quàm alia hostia, quippe illud, & non hæc soleat reseruari in Credentia; imò illud communiter sit in promptu ad purificationem calicis, & ablutionem digitorum.

135 Porrò autem ob evitandum scandalum omitti posset non tantùm novi vini, sed & novæ hostiæ consecratio in casu dubij propositi; sicut omitti potest ratione evitandi scandali consecratio novi vini, casu, quo Sacerdos aquam pro vino consecrarit, ac sumpserit. Vnde Azor Lib. 10. C. 33. quæst. 6. rogatus, [Quid fiet, si cum Sacerdos viderit, non fuisse infusum in calicem vinum, nihil vini in templo reperiatur, ita vt si sit denuò vinum consecrādum, mitti aliquis debeat per mediam plebem ad vinum aliunde deferendum?] Respondet, [Tunc tēporis vini consecrationem commodè fieri non posse absq; notabili plebis offensione; ac proinde parum, aut nihil est incommodi, si tunc Sacrificium imperfectum sine vini consecratione maneat, nam arctioris est vinculi ius naturale vitandi scandalum, quàm divinum scriptum, aut positivum.] Consonāt Scortia Lib. 4. Cap. 28. num. 1. cum Sylvestro, Tabiena, & Rosella, & cum Maiore, Adrianoque referente Alensem Leander Tract. 7. Disp. 5. quæst. 24. Diana parte 10. Tract. 12. Resolut. 14. Benedictus Remigius in Praxi Tractatu 5. Capite 4. §. 8. numero 3. Marchinus de Sacramento Ordinis Tract. 3. parte 2. C. 1 num. 16. Thomas Tamburinus Lib. 2. Cap. 8. §. 7. num. 5. Mascarenhas Tract. 5. D. 1. C. 7. num. 51. & 52. Disp. 5. Cap. 14. n. 438. Gavantus in Rub. Missalis p. 3. tit. 4. num. 8. lit. *V.* Michael de Palatio in 4. Dist. 8. Disput. 5. pag. 264. & 265. alijque Doctores memorati num. 241. Disp. proximæ.

136 Neque obstat dicere ex Vazquio Disp. 223. Cap. 3. num. 19. Ludovico Caspensi Tract. 23. Disp. 1. sect. 2. num. 33. Francisco de Lugo L. 5. Cap. 10. quæst. 1. num. 10. Aversa quæst. 11. sect. 16. V. *Sextò*, Cornejo 3. p. q. 74. Tract. 4. art. 1. & 2. Disp. 1. dub. 2. num. 1. & 2. Quarto parte, & tit. 3. sect. 2. dub. 1. V. *Dico tertiò*, non esse violandum præceptum aliquod etiam humanum, multòque minùs divinum (quale est perficiendi essentialiter Sacrificij) ob vitandum scandalū passivum; & oriri non posse verum scāndalum, iustamque offensionem ex eo, quòd Sacerdos requirat vinum ad rectè perficiendum Sacrificium. Contrà namque

namque est ex Rubricis §. & num. 4. rursus §. 10. num. 9. vbi attentiò evitandi scandali passivi in materia Sacrificij (vt de alijs materijs nunc taceam) commendatur; & meritò, nam scandalum est contra naturæ ius, quod magis obligat, quàm ius diuinum positivum de non relinquendo Sacrificio imperfecto essentialiter, aut substantialiter, postquàm inchoatum sit, ac proinde citra intentionem formalem, & directã de eius imperfectione sequuta. Si quid difficultatis residuum est in obiectione, curabimus exantlare commodo loco, antequàm huic Disputationi finem imponamus.

137 Neque item obstat, dici In Rubricis §. 4. num. 8. expectandum esse aliquandiù post consecrationem vnius speciei, si ita haberi possit altera, cuius defectus est deprehensus. Non inquam, obstat, quia Rubricæ intelligendæ sunt, quando non sequeretur scandalum ex expectatione, per duas videlicet horas, vt interpretatur Henriquez Lib. 9. Cap. 37. §. 2. hoc quippe intervallum nõ sufficeret penes ipsum, vt actio sacrificandi non esset moraliter vna. Ideoque in §. 3. opinatur Idem ipsum, quod Authores prælaudati, si scandalum vrgeat; & ordinariè vrgebit, celebrato publicè Sacrificio, & interrupto per duas horas, quousque afferatur vinum. Supponamus namq; diem esse festum, neque restare aliud Sacrum. Tenebiturne populus expectare per duas horas? Esset quidè valdè offensivum, & molestissimum onus.

SECTIO XI.

Corollaria quædam circa quartum defectum explanatum.

138 INFERO primò ex dictis, Sacerdotem, qui ex malitia omisit consecrationem hostiæ, si post sumptionem sanguinis pœniteat ipsum cõmissi defectus, non teneri cõsecrare aliud vinum post consecrationẽ hostiæ, debitam fieri, ne Sacrificium remaneat imperfectum. Suppono, hostiam posse consecrari, quin ab adstantibus animadvertatur, & quin eis præbeatur occasio scandali.

139 Sed quæres, an si Sacerdos malitiosè, vel inadvertenter omiserit vtriusque speciei consecrationem, & vnius sumptionem executus iam sit, obligetur, si tunc pœniteat, vel advertat, consecrare aliam? Respondeo, nõ obligari, quia in hoc casu non præcessit Sacrificium imperfectum, sed fictũ, cuius perficiendi nõ extat præceptum. Imò in hoc casu sumptio vnius speciei illicitam per se faciet consecrationem, & sumptionem vtriusque, vel alterius consecratæ. Ita Suarez Disp. 85. sect. 1. V. *Secundò etiam*; subditque peritè, [Iudicandum aliter est de tempore ante sumptionem, quando nondum fractum est ieiunium, nam tunc, si fortasse ex defectu intentionis, vel formę neutram speciem consecravit, tenebitur secretè iterare, & consecrare, antequàm sumat, & quàmprimùm possit; non ex vi præcepti perficiendi Sacrificium substantialiter inchoatum, quia hoc re vera nondum obligat; sed ex vi præcepti non fingendi aliquid falsum in hoc ministerio, & consequenter non perseverandi in inchoata fictione, nec sumendi potum, & cibum per modum Sacramenti, quod verum Sacramentũ non est, nec dandi alijs occasionem adorandi merum panem, & vinum.] Hucvsque Doctor Eximius.

140 Et ob eandem rationem, si quis ex malitia, vel inadvertentia apposuisset panem hordeaceum, & acetũ ad Sacrificium, pœniteretque, vel adverteret ante consecrationem, nõ posset licitè proferre verba cõsecrationis, nec prosequi Missam, etsi scandalum sequeretur ob relictã omnino Missam, quia nec panem, nec vinum inveniendi spes vlla esset, vel ob interruptam tandiu, quandiu invenirentur citra spatiũ necessarium, vt actio sacrificandi esset moraliter vna. Est quidem maioris põderis non simulare Sacrificium, quàm non exhibere ansam scandalo. De qua strictissima obligatione non simulandi Sacrificium redibit sermo in hac Disputatione.

141 Rogas, an saltem finire posset licitè Missam ob vitandum scandalum Sacerdos ille, quem post sumptionem panis pœniteret de omissa vtriusque

vtriusque speciei consecratione? Respondeo, non posse, quia in sumptione calicis vrget ratio adducta ex Suario. Cæterùm si post sumptionem etiam calicis adveniret pœnitentia, vel advertentia, videri posset, fas esse, impediẽdi scandali causa, peragere cętera Missæ, saltem a *Postcommunione*. Etsi enim daretur simulatio, at non in substantialibus Sacrificij; neque præstaretur occasio vllius idololatriæ. Et quidẽ Nuñus 3. parte quæst. 83. art. 6. pag. 988. asserit licere; & Sacerdotem non teneri ad manifestandam veritatem, etsi fideles præsentes audituri non essent in die festo aliud Sacrum verum. Quartus etiam p. & tit. 3. sect. 2. dub. 4. in fine ait, posse Sacerdotem obvitandum scãdalum exequi reliqua Missæ vsque ad finem, omissis, quantùm fieri possit, verbis significantibus sumptionem Sacramenti. Cogitent viri docti, & pij, an probabiliter, necne, id dicatur?

142 Infero secundò ex prædictis, quando sanguis ita effunditur, vt nihil in calice remaneat, quod sumi valeat, aut nihil extra calicem supersit, quod absorberi, lingive queat, tunc dari quidem obligationem consecrandi aliud vinum, sumendique eius species, ne Sacrificium remaneat substantialiter imperfectum ob defectum sumendi sanguinis; sed tamen non dari obligationem consecrandi aliam hostiam, siue sanguis sit effusus ante, siue post consumptam hostiam iam anteà consecratam. Posterior hæc pars illationis non eget probatione nova; & prior illa traditur in Rubricis §. 10. n. 13. his verbis, *Si contingat, totum sanguinem post consecrationem effundi, siquidem aliquid, vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo sanguine fiat, vt dictum est. Si verò nihil omnino remansit, ponat iterùm vinum, & aquam, & consecret ab eo loco, Simili modo postquàm cœnatum est, facta priùs tamen calicis oblatione, vt suprà.*

143 Imò ex istis verbis confirmatur prior illationis pars, nam de consecratione novæ hostiæ non fit vlla mentio, siue altera non sit, siue sit consumpta ante effusionem sanguinis, & ante consecrationem alterius vini. Et hinc egregiè roboratur opinio de prætermittẽda consecratione novę hostię, quando post sumptionem corporis deprehenditur defectus vini, & per huius consecrationem supplendus est.

144 Aclanè neque in vno, neque in altero casu inversus est ordo consecrationum, vt consideranti patebit. Quare nullus intervenit defect⁹, ad quem supplendum necesse sit consecrare novam hostiam. Et licet in eo alio casu de animadversa post sumptionem sãguinis inepta materia adhibita ad cõsecrationem corporis alteratus sit ordo præfatus; att non minus est inversus, quando materiæ ad corporis consecrationem inhabilitas notatur ante sumptionem sanguinis; & tamen neque tunc debet suppleri defectus ille consecrando de novo sub speciebus panis, & vini, sed sub solis panis speciebus. Rursus licet in eventu, quo post corporis sumptionem deprehenditur defuisse in calice vinum, variatus sit ordo rituum, qui fiunt in Canone circa corpus, & sanguinem, nihilominus huiusmodi mutatio datur, quando deprehenditur idẽ ipsum ante corporis sumptionem, & quãdo post sanguinis sumptionem noscitur, materiam adductam ad consecrationem corporis non fuisse validam, nec ideò illi ritus Canonis debent repeti.

145 Inquies, quando ante sumptum sanguinem innotescit appositio materiæ ineptæ ad consecrationẽ corporis, suppletur per posteriorem sumptionem sanguinis defectus, qui contigit in inversione ordinis consecrationum; sed quando innotescit post sumptum sanguinem, nihil restat, per quod suppleatur, ideoque debet novus panis, & vinum cum aqua apponi, & consecrari. Sed contra, quia per te, quando innotescit post sumptum corpus defectus vini in calice, non est inuersus ordo consecrationum; & tamen vis debere reparari prædictum defectum consecrando non modò sub speciebus vini, sed etiam panis, & sumendo illas post has. Quapropter nihil, quod convincat, deducitur ex ordine siue consecrationum, siue rituum Canonis, siue sumptionum.

146 Et nunc audi, quid censeat Odo Episcopus Parisiẽsis circa casum deprehensi defectus vini siue ante, siue post sumptionẽm corporis, [Si negligentia evenerit (inquit ille) vt perfecto Canone, & peracta consecratione, nec vinum, nec aqua reperiatur

in

in calice, debet statim infundi vtrumque, & Sacerdos reiterabit consecrationem ab illo loco Canonis, *Simili modo postquàm cœnatum est*, vsque ad finem, ita tamen, vt duas illas cruces omittat, quas singulariter fecit super panem. Quòd si de simplici vino, vel de aqua sine vino fiat consecratio, vinum reputatur pro Sacramento, sed aqua non reputatur, & ideo ista negligẽtia de aquâ posita sine vino maior est, & maiori pœnitentia emendanda.] Sic Præsul Parisiensis in Synodicis Constitutionibus, tit. de communibus prçceptis Synodalibus, num. 22. Vixit autem Odo ad annum 1175. antecessitque ætate S. Thomam.

147 Cuius Magister Albertus Magnus in Compẽdio Theologicę veritatis Lib. 6. Cap. 19. habet eadem ferè verbi, ac Antistes ille, quanquam posteà addat, [vel melius dici potest, quòd aliam hostiam sumat, & Canonẽ à principio incipiat.]Sed in L. de Eucharistia Dist. 6. Tract. 4. Cap 2. num. 15. scribit, [Si deficit Sacerdos, quãdo iam corpus consecratum est, & non calix, vel etiam si vsque in finem Missæ de præparando calicem cum vino oblitus fuerit, vel aliqua de causa neglexit, iam ab antiquo consilium est Doctorũ, quòd hostia corporis si sumpta non est, in Corporalibus mundè reponatur, & calix ritè prçparetur, & ab illo loco, *Simili modo postquàm cœnatum est*, Canon super calicem peragatur, quia tunc nõ iteratur, eo quòd nihil anteriorum dictum est super calicem; & tunc in fine Missæ corpus, & sanguis accipiantur.]

148 Infero tertiò, non esse consecrandam aliam hostiam, sed solũmodò vinum, casu, quo siue ante, siue post sumptionem corporis noscatur, mistum esse venenum cum speciebus vini consecrati. Sic contra Paludanum in 4. Dist. 11. quæst. & art. 1. Concluſ. 5. num. 13. Sylvestrum V. *Eucharistia* 2. quæst. 9. num. 13. §. *Secundum*, Victoriam in Summa num. 101. de Euch. Didacum de Tapia quæst. 10. de Euch. art. 4. reliqui Theologi communiter cum Soto Dist. 13. quæst. 2. art. 6. V. *Quòd si arguas*, Suario Disp. 85. sect. 1. V. *Secunda regula*, Becano Cap. 25. de Sacramentis parte 2. quæst. 8. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Libro 3. Cap. 20. num. 2. Michaele Palatio in 4. Dist. 8. Disput. 5. V. *Ex istis*, pagina 267. Sà V. *Missa*, n. 33. Tannero tomo 4. D. 5. quæst. 10. dub. 7. n. 118. quorum primus ait, [Vbi erat venenum, erat legitima consecratio; quare verba, & cruces non erant repetenda, quia legitimè fuerãt facta, vbi verò est mera aqua, nunquam fuit sanguis cum corpore.] Sed fortè Paludanus, & sequaces ideo voluerunt consecrandam aliam hostiam in casu veneni animadversi post sumptionem corporis, quia alioqui nova consecratio vini non spectaret ad idem Sacrificium. Vnde Paludanus, & qui eadem ratione vtuntur in casu meræ aquæ, debuerunt sic discurrere in casu veneni, si consequẽtiæ tenorem servare voluerunt. Quidquid de hoc sit, S. Thomas ad 3. & Rubricæ §. 10. numero 6. ac 7. ne verbum quidem vnum habent de consecratione alterius hostiæ in casu specierum vini infectarum veneno, neque de consecratione alterius vini in casu specierũ panis similiter infectarum.

SECTIO XII.

Alia Corollaria.

149 INFERO quartò, *Si hostia cõsecrata dispareat vel casu aliquo, vt vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri, tunc alteram consecrandam, ab eo loco incipiendo, Qui pridiè, quàm pateretur, facta eius priùs oblatione*, saltem mentali, quin opus sit consecrare aliud vinum, etiam si post cõsecrationem calicis disparuerit hostia, quia Sacrificio essentiale nõ est, vt hostiç consecrationem subsequatur consecratio calicis, provt optimè docent Palatius in 4. Dist. 8. Disput. 3. V. *Est autem*, pagina 252. Raynaudus in Candelabro sancto septiluſtri sect. 2. C. 1. pag. 52. & quia ad perfectionem tã essentialem, quàm substantialem, seu integralem Sacrificij satis est consecratio, & sumptio duplicis speciei panis, & vini; imò si consecraretur, & sumeretur tum altera species panis, tum altera vini, hoc esset novum, perfectumque omnino Sacrificium, quod cũ priori consecratione speciei vini non com-

ponere

poneret vnum, idemque Sacrificium. Apposita verba in principio illationis transcripta sunt ex Rubricis §. 3. num. 7. quæ ideò alterius hostiæ consecrationem imperat, ne Sacrificium remaneat substantialiter, aut integraliter imperfectum ob non sumptam speciem panis.

150 Quanuis verò immissa calici particula hostiæ nondum sit substantialiter immutata, non ideò desistẽdum est à consecratione alterius hostiæ, quę seorsim ab speciebus vini possit sumi. Ita notat Quintanadueñas tomo 2. Tract. 2. Singulari 9. num. 4. & quia Christus debet à Sacerdote celebrante sumi sub speciebus separatis panis, & vini, & quia particula illa sumeretur tunc magis per modum potus, quàm cibi. Sed Martinonus Disput. 40. sect. 8. num. 103. sentit contrarium, nam Xpts totus continetur sub qualibet specierũ particula legitimè consecrata, & nondum corrupta; & cõsecratio, ac sumptio cuiusvis particulæ vtriusque speciei simul sufficit ad essentiam, & consummationem Sacrificij.

151 Contrà tamen, tum quia Rubricæ Missalis non apposuerunt modum hunc supplendi defectum hostiæ consecratę disparentis, sed generaliter disponunt, vt consecretur alia hostia. Tum quia si sumptio particulæ immissæ in calicem esset commoda consummatiò Sacrificij, licitè Sacerdos posset tradere alijs reliquam partem hostię in casu, in quo fas est dare fragmentum aliquod ad communionem. Nemo autẽ hactenus cogitavit, esse licitum Sacerdoti privare se tota hostia præter particulam iniectam in calicem. Tum quia quando deprehenderetur defectus vini in calice, postquã particula hostiæ immissa est in ipsum, non sufficeret ad cõsummationem Sacrificij, si simul cum aqua esset sumenda ea particula, sed opus esset sumere grandiores alias partes hostię, & posteà species vini, quod fuisset consecratum ad supplendum eum defectum antecedentem. Non nego, fractum iri ieiunium naturale per sumptionem illius particulæ cum aquâ, & ideò Tannerus tomo 4. Disp. 5. quæst. 10. dub. 7. num. 114. monet, reservandam esse paticulam eam cum aqua, & sumẽdam post grandiorem partem hostiæ, & post species vini denuò cõsecrati. Sed cur, rogo, Ecclesia non permitteret tunc, vt species vini prius sumerentur; vel si posteriùs, cur non dispensaret in ieiunio naturali?

152 Inquies pro Martinono, si hostia consecrata dilabatur in calicẽ, totaque made fiat, sumptio illius simul cum speciebus consecratis vini sufficit ad consummationem Sacrificij, vt traditur in Rubricis §. & num. 10. Quo ex casu enervatur argumentum Quintanadueñæ. Ergo similiter satis erit sumptio particulæ in casu præsenti, quod enim sumatur parum hostiæ, non obest, quominùs consummetur Sacrificium. Censeo, motus hac replica, esse ingeniosum discursum Martinoni, potuisseque in Rubricis præscribi hunc modum supplendi defectum hostiæ disparentis; sed cum non sit præscriptus, ideo non suaderem eius exequutionem.

153 Paritas rationis pro Corollario expensæ suadet, consecrandũ quidem esse aliud vinum, sed non aliam hostiam, si species consecrata vini dispareat miraculosè. Quidnam verò fiet, si vtraque species dispareat? Vti accidit, nonnunquàm, testanturque Cæsarius Heisterbachcensis L. 2. Illustrium miraculorum C. 5. & Venerabilis Petrus Abbas Cluniacensis Lib. 1. de Miraculis Cap. 2. Certè ex vna parte præceptum de perficiendo Sacrificio iam redacto ad vtriusque speciei consecratæ statum videtur obligare ad sumptionem, si non earundem specierum, vt quæ disparuerint, saltem aliarum, quæ proinde priùs consecrari debeant. At ex alia parte consecratio, & sumptio duplicis diuersæ speciei non integrabit Sacrificium, quod relictum est imperfectum substantialiter, aut integraliter, neque cum eo constituet vnũ Sacrificium totale, atque adæquatum. Res est satis perplexa.

154 Ego magis propendeo, vt putem, Sacerdotem non teneri tunc consecrare, & sumere duplicem speciẽ diversam, quia hoc non esset perficere essentialiter antecedens Sacrificium, vtpotè quod sit ita perfectum; neque perficere substantialiter, aut integraliter, vt potè quod cum subsequenti non coalescat in vnum Sacrificium ob rationem dictam. Quapropter siquidem subsequens esset Sacrificium novum

perfectum

perfectum essentialiter, & integraliter, antecedens verò esset Sacrificium essentialiter perfectum, non posset licitè Sacerdos vnum, & alterum exequi, quia id esset celebrare bis eodem die. Non posset, inquam, nisi peraccidens vrgeret gravis aliqua necessitas, qualis foret in die festo, ne populus cogeretur audire alterius Missam Sacerdotis completam etiam quoad sumptionem. Si tamen populus scandalizandus esset videns Sacerdotem bis consecrantem sub vtraque specie, nec spes esset, vt sedaretur, auditis rationibus, expendere oporteret, vndenam subnasceretur maior perturbatio, & maiori occurrendum erit.

155 Infero quintò, quid faciendum sit casu, quo in speciebus panis appareat caro, aut in vini speciebus sanguis, aut simul in his, & illis appareant sanguis, & caro. Faciendum ne est quod in casu illationis immediatę, perinde quasi sit, hostiam v. g. sic immutari, vt in ea appareat caro, ac si miraculosè dispareret? S. Thomas 3. p. q. 82. art. 4. disputans, num Sacerdos cõsecrans teneatur sumere hoc Sacramẽtum quoad vtramque speciem? proponit tertio loco hanc rationem dubitandi, ne teneatur, *Contingit quandoque, quòd miraculosè corpus Christi in altari appareat sub specie carnis, & sanguis sub specie sanguinis, quæ non sunt apta cibo, & potui: vnde: propter hoc sub alia specie traduntur, ne sint horrori sumentibus. Ergo Sacerdos cõsecrans non semper tenetur sumere hoc Sacramentum.* Cui rationi respondet sic Sanctus Doctor, *Si miraculosè corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non est sumendus. Dicit enim Hieronymus super Leviticum, De hac quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere, de illa verò, quam Christus in ara Crucis obtulit, secundùm se nulli edere licet. Nec propter hoc Sacerdos transgressor efficitur, quia ea, quæ miraculosè fiunt, legibus non subduntur. Consulendum autem esset Sacerdoti, quòd iteratò corpus, & sanguinem Domini consecraret, & sumeret.* Tantùm Angelicus Magister, qui S. Hieronymo attribuit Homilias in Leviticum, sequutus Gratianum Can. *De hac* 76. de Consecratione Distin. 2. Sed abs dubio sunt Origenis, etsi etiam legantur inter opera Sancti Cyrilli Alexandrini, vt notat Bellarminus in Origene, verbaque illa extant in Homilia 7.

156 Responsio autem Sancti Thomæ ea videtur esse, quòd neq; sumendi species, in quibus apparet caro, aut sanguis, neque consecrandi de nouo, & suscipiendi alias detur obligatio, quanquàm id posterius consulẽdum sit Sacerdoti. Notatque Suarez Disp. 85. sect. 1. V. *Quintò potest*, [D. Thomam, vtramque speciem copulativè coniungentem, intelligendum esse, vel quando in vtraque specie tale miraculum accidit, vel distributione accommoda, scilicet vt hostia iterùm consecretur, & sumatur, quando in illa acciderit miraculum; & sanguis similiter, quando in illo evenerit.] Ita Suarez. Sed fortè S. Thomas censuit, non consecrãdam de novo speciem panis, quin posteà consecraretur species vini, neque hanc consecrandam, non præeunte illius cõsecratione, vt hoc pacto ordo in consecrationibus incolumis maneret.

157 Quid in quolibet ex istis eventibus faciendum sit iuxta nostram sententiam constat apertè ex illatione superiori, vt & quid faciendum sit, quando in ambabus speciebus contingeret mutatio, perinde namque est alterutra mutatio miraculosa, aut vtraq; simul, ac disparitio miraculosa siue hostiæ solius, siue solius calicis, siue huiꝰ, & illius simul. Vnde extendenda est ad mutationẽ miraculosam doctrina Rub. de miraculosa disparitione; & ideo casu, quo mutatio accidat in vtraque specie, non erit iteranda celebratio, vt docet P. Suarius Disp. 55. sect. 4. V. *Vltimò quæri.* Sed si in vna tantùm, tunc debet consecrari, & sumi similis alia species, vt magis probatur eidem Suario Disputatione 85. sect. 1. V. *Quintò potest* post Albertum, & S. Antoninum, qui eum citat parte 3. tit. 13. C. 6. §. 14. post Bachonum in 4. Dist. 10. quæst. 1. V. *Hìc dubitatur.* Quanuis verò casus miraculosi non comprehendantur sub legibus, & per mutationem miraculosam constituentem vnam è speciebus in statu, in quo sumi non possit, videatur Deus dispensare in lege sumptionis; id quidem probat, non esse sumendam ipsam speciem, in qua est facta mutatio, non autem aliam, quæ denuò consecretur. Erit igitur de præcepto, & non de mero consilio consecratio, & sumptio

speciei

speciei similis ei, quę mutationem miraculosam subierit. Si de mero consilio volueris esse, habes faventem S. Thomam, & cum ipso quosdam alios, satisq; probabiliter.

158 Sed observare convenit, si ad aliquam hostiæ partem non pertingat mutatio, consummandum esse Sacrificium ea sumpta parte; nec non tota hostia sumpta, si redeat ad propriam formam. Quare expectandum erit aliquandiu, quando præsumatur, mutationem esse temporariam, vt consulit Coninck ad q. 76. art. 8. dub. 2. n. 138. Suntque à Sacerdote fundendæ preces ad Deum, vt sua misericordia dignetur reducere hoc Sacramentum ad pristinā formam manducationi congruentem. Sic cum Alensi monet Gabriel Lect. 51 in Canonem Miss. lit. *L.* & cum vtroque Emmanuel de la Cerda in Quæstione 6. Quodlibetica, num. 56.

159 Quòd si mutatio sit perpetua, & à multis communiter, aut ab omnibus visa, convenit, hostiam servari in loco decente, & sacro, vt persuadet vsus Ecclesiæ, & vt sic excitetur devotio fidelium, memoriaque miraculi vigeat. Nō tamen est certum, extare prohibitionē Ecclesiæ de eius hostiæ sumptione à Sacerdote; cui horrorem non induceret; vt observat Suarez D. illa 55. Cęterùm si mutatio appareat, videaturque à solo Sacerdote, & is nullum habeat horrorē, poterit, imò tenebitur sumere hostiam, in qua non est facta tunc mutatio re ipsa, sed in oculis videntis, nihil enim impedit, quominus sumatur, provt per se petit Sacrificium ad sui integritatem. Ita idem Suarez ibidem.

160 Rogabit nonnemo, an quando mutatur hostia, vel disparet miraculosè, & alia siue magna, siue parva consecranda haberi non possit, licitum sit Sacerdoti sumere vnam formulam consecratam, quæ ex alia Missa sit reposita in Sacrario? Thom. Tamb. L. 2. de Miss. C. & § 8. n. 28. respondet affirmativè; vtiturque ea ratione, quæ, si quid probat, est, teneri Sacerdotem ad sumendā particulam præconsecratam, eo quòd huiusmodi sumptio possit esse complementum Sacrificij, quod alioquì maneret incompletum, atq; imperfectū per solius sanguinis participationem. Et expressè asserit is Author, melius esse in tali casu assumere formulam præconsecratam. Ego verò dico, consumptionē particulæ præconsecratę haud posse esse complementum, & perfectionem Sacrificij præsentis. Redeat Lector ad ea, quę scripsi n. 36. & 56. D. 3. Et sanè Ecclesia, quę adeò curat de Sacrificij complemento, ac perfectione, nusquā præscripsit tale remedium, cùm tamen sit tā facile, & facilius multò, quàm consecratio nova alterius hostiæ, si hæc præstò sit, vel aliquantò expectata habeatur. Deinde dico, me non ausurum assumere formulam præconsecratam, quia in similibus casibus Ecclesia non iubet nisi haustum sanguinis solius. Et ita adnotarat Thomas Tamburinus § 7. n. 5.

161 Sed inquit ille, omnes Sacerdotes sunt Ministri repræsentantes vnum Xpm Dñm Sacerdotem principalē, & omnes hostiæ consecratæ continent vnum, eundemque Xpm, & quæ præconsecratæ sunt ab alio Sacerdote, habent aliquam habitudinem ad hunc Sacerdotem, & ad hoc Sacrificium. Ergo in casu necessitatis formula præconsecrata poterit esse complementum Sacrificij oblati ab hoc Sacerdote, nam ea habitudo deservier, vt possit assumi ad complementi munus obeundum præconsecrata particula. Respondeo, particulam præconsecratam non habere habitudinē ad hoc Sacrificium, quod nunc celebratur, etsi enim contineat Xpm, non tamen vt victimam huius Sacrificij, neq; ipsa est quid oblatum ab hoc Sacerdote in hoc Sacrificio, quare ipsius sūptio non erit consummatio huius Sacrificij. Et sicut extra casum necessitatis fatetur Tamburinus, esse id verum, ita etiam deberet dicere in casu necessitatis, nam iste non dat habitudinem, relationemque formulæ præconsecratæ non habitam antea.

162 Replicabis, in casu necessitatis sumptio hostiæ consecratæ ab vno Sacerdote potest esse complementū Sacrificij, quod alter celebret. Ergo similiter in præsenti casu, qui est etiam necessitatis. Sed contra, quia in casu Antecedentis celebratur vnum, idemq; Sacrificium ab vtroque Sacerdote, & secundus perficit, consummatq; Sacrificium, quod primus inchoavit, *Cum enim simus omnes vnum in Christo, nihil contrarium personarum diuersitas formet, vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat*, vt dicitur C. *Nihil contra* 16. 7. quæst. 1. Quare rectè poterit complerī Sacrificium per hostiæ à primo consecratæ

sumptionem factam à secundo. Ast in casu, de quo litigamus cum Tamburino, formula præconsecrata non pertinet ad Sacrificium, in quo mutatur hostia, vel dispareat miraculosè. Et sicut in casu, qui obijcitur, non datur recursus ad sumptionem hostiæ consecratæ in alio Sacrificio, ita neque admittendus est in eo alio casu.

163 Hactenus de modo, quo supplendi sunt defectus materiæ inter celebrandum deprehensi. Restat tamē admonere, si Sacerdos, quando calicē, ebibit, advertat, potum sumptum non esse species vini, sed aquam puram, aut acetum, aut vinum penitus putridum, aut corruptum nimia aquę mistura, aut expressum de vvis acerbis, non debere expuere quod sumpsit, quin potiùs debere trajicere in stomachum, quia si expueret in calicem, aut in alium locum, sequeretur scandalum, esset que quid maximè indecens. Vt taceam, difficile esse non evomere simul particulā hostiæ consecratæ; foreque id valdè irreligiosum. Vnde in hoc casu fas est, non præmisso ieiunio, sumere vini speciem, quæ postea consecranda est.

164 Ita P. Suarez Disp. 85. S. 1. V. *Ad primam*, Tamburinus de Communione C. 2. §. 8. num. 34. & de Missa Lib. 2. C. 8. §. & num. 5. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 10. num. 4. Aversa quæst. 8. sect. 9. V. *Primò quidem*, q. 11. sect. 16. V. *Septimò*, Gaspar Hurtadus Disp. 4. de Sacrificio Missæ Diffic. 13. V. *Tertiò si*, Mascarenhas Tract. & D. 5. C. 14. num. 438. Cardinalis de Lugo D. 15. sect. 4. num. 75. Dicastillus T. 5. D. 4. dub. 15. num. 295. Henriquez L. 8. C. 30. §. 3. in Glossa lit. *N*. Lib. 9. C. 37. §. 3. Coninck 3. p. q. 83. art. 6. num. 280. Layman L. & Tract. 5. C. 7. n. 3. Petrus de Ledesma in Sum. C. 25. de Euch. pag. (mihi) 319. Quartus p. 3. tit. 4. dub. 13. V. *Respondeo posse*, Ioānes Angelus Bossius tom. 3. Variorum Moral. T. 22. n. 95. Leander T. 7. D. 5. q. 23. contra Authorem Directorij, & contra Angelū, Sylvestrum, antiquosque alios apud Henriq. supra, nec non contra Bartholomæum ab Angelo, & Tho. Hurtadum. Citatur à Leandro S. Thomas 3. p. q. 83. art. 6. ad 4. pro sua, & nostra sententia. Sed Doct. Angelicus non aliud ait, quàm si sumpta sit aqua loco specierum consecratarum vini, nō ideo impediri Sacerdotem à perficiendo Sacrificio per sumptionē corporis, & sanguinis; minimè verò tractat, an quando gustu percipit, ebibitum liquorem esse aquam, debeat expuere eam, necne? statque doctrina S. Thomæ cū parte affirmante, vti rectè componitur cum obligatione non suscipiendi ore aquam, si in calice existens dignoscatur à Sacerdote.

165 Num verò quod diximus de aquâ, extendendum sit ad casum, quo Sacerdos hostiam manducans aduertit, non esse triticeā, vel si triticea, sed admixtam granis alterius generis in tanta quantitate, vt non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus? reliquimus aliorum examini, & decisioni. Non vrget in hoc casu periculum evomendi speciē aliquam consecratā; sed alia incommoda videntur vrgere æquè

SECTIO XIII.

Quid faciendum sit ad emendandos defectus, qui in forma contingere possunt?

166 RESPONDET S. Thomas ad 5. *Licet Sacerdos non recolat, se dixisse aliqua eorum, quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari, non enim qui multa dicit, recolit omnium, quæ dixit, nisi forte aliquid in dicēdo apprehenderit sub ratione iam dicti, sic enim aliquid efficitur memorabile. Vnde si aliquis attentè cogitet illud, quod dicit, non tamen cogitet, se dicere illud, non multùm posteà recolit, se dixisse. Sic enim fit aliquid obiectum memoriæ, in quantùm accipitur sub ratione præteriti, sicut dicitur in L. de Memoria. Si tamen Sacerdoti probabiliter constet, se aliqua omisisse, siquidem non sunt de necessitate Sacramenti, non existimo, quòd propter hoc debeat resumere, immutando ordinem Sacrificij; sed debet vlteriùs procedere. Si verò certificetur, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, scilicet formam consecrationis, cum forma consecrationis sit de necessitate Sacramenti, sicut & materia, idem videtur faciendum, quod dictum est in defectu materiæ, vt scilicet resumatur à forma consecrationis, & cætera per ordinem reiterentur, ne mutetur ordo Sacrificij.* Sic S. Thomas.

167 Rubricæ autem §. 5. n. 2. aiunt, *Si celebrans non recordetur, se dixisse*

xisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei constet, se omisisse aliquid eorũ, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem. Si verò valde probabiliter dubitat, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat vlteriùs. In quibus verbis additur aliquid, omissum à S. Thoma; scilicet debere iterari formam saltem sub tacita conditione, quando valdè probabiliter, id est, ex momento to, & non levi motivo dubitatur de eius prolatione siue in toto, siue in parte; absonum enim rationi est, vt si Sacramenti confectio possit certa moraliter fieri, relinquatur sub dubio.

168 Hęc ratio æquè valet, siuè dubium sit negativum, siue positivum; tamerſi quando dubium est positivum, dicat Quartus p. 3. tit. 5. S. 2. dub. 3. non dari obligationem ad repetendam formam, nisi moribundus susceperus esset Eucharistiam cõfectam in ea Missa. Et ni fallor, debuisset addere, nisi etiam sanus inscius dubij illius positiui, nam & in hoc casu, etsi non tam strictè, obligabitur ex charitate, aliquandoque ex iustitia Sacerdos repetere formam consecrationis panis, ne proximum exponat periculo non recipiendi verum Sacramentum; ad quod recipiendum à Sacerdote, qui sit suus Pastor, ius habet ipse. Debuisset itidem addere Quartus, nisi Sacerdos teneretur offerre Sacrificium pro alio, nam & tunc nõ satisfaceret dubij Sacrificij applicatione, cum posset facili repetitione formæ applicare certũ Sacrificium.

169 Probat autem Quartus non obligari Sacerdotem ad iterandam formam, quando iudicat probabiliter prolatum à se fuisse pronomen *Hoc* v. g. in forma consecrationis panis, etsi cum formidine partis oppositæ iudicet id, vel etsi à se non fuisse prolatum iudicet etiam simul probabiliter: probat, inquam, quia Sacerdos prudenter operatur ex iudicio verè probabili de prolato à se pronomine *Hoc*; nec tenetur evitare omni modo periculum irritæ consecrationis, sed satis est, si probabili aliquo, & prudenti; neque ex non reiteratione formæ consurgit periculum cuiuspiam damni irreparabilis. Sed contra, quia religio Sacramenti, & Sacrificij petit, vt eius certitudini prospiciatur, si potest sine irreverentia cõtra illud, & sine vllo damno nostro. Sed per repetitionem formæ consulitur certitudini Sacramenti, & Sacrificij, nullaque per ipsam factam sub conditione (de qua post) & ex probabili, prudentique causa committitur irreverẽtia contra Sacramentum, & Sacrificiũ, nihilque damni resultat in Sacerdotẽ, vt supponitur. Ergo, &c.

170 Idque est, quod in Rub. docemur ex illis verbis, *Si verò valde probabiliter dubitat*; quæ vt intelliguntur à Quarto de dubio negativo, sic etiam de positivo debuissent intelligi, alioqui curtæ essent, & diminutæ, nimisque ambiguæ. Nec prodest dicere cum ipso p. & tit. 3. sect. 2. dub. 5. V. *Confirmatur*, non dubitari valde probabiliter in casu dubij positivi, quia potest ferri iudicium determinatum pro valore Sacramenti, qua ratione valdè minuitur dubium. Contra enim est, nã etsi possit ferri iudicium determinatũ, sed non nisi cum valde prudenti formidine, vel non nisi cũ iudicio valde probabili de nullitate Sacramenti. Quare dubium positivum ne vel in minimo minuitur. Nec S. Thomas favet Quarto, quando ait, *Si verò certificetur Sacerdos, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti*, faciendam esse reiterationem; quibus verbis indicare videtur, non esse faciendam, quando probabiliter iudicet Sacerdos, nihil fuisse omissum. Sic Quartus in loco proximè citato. Sed contra, quia Sanctus Thomas anteà dixerat, *Si tamẽ Sacerdoti probabiliter constet, se aliqua omisisse, siquidem non sunt de necessitate Sacramẽti, non existimo, quòd propter hoc debeat resumere.* Vbi tacitè insinuat, debere fieri repetitionem, quando de requisitis ad valorem Sacramenti probabiliter constet, id est, iudicetur, quòd fuerint prętermissa. Vnde optimè Suarez Disputatione 85. sect. 1. Vers. *Secundò etiam*, scripsit ex doctrina Rubricarum, & S. Thomæ, [Si re vera accideret dubium ex vtraque parte sufficiens, tunc iteranda esset forma saltem sub conditione mente concepta, quia hoc modo & tollitur dubiũ, & periculum iterandi consecrationem super materiam

consecratam.] Ipseque Quartus parte 3. titulo 10. numero 3. Sectione 1. dub. 4. motus argumento, quo nos vsi sumus, defendit, Sacerdotem supplentem veces alterius, debere iterare formam consecrationis, si dubitetur, an alter, qui defecit, perfecerit, necne, formam consecrationis panis, vel vini? Nisi velit dicere, se loqui tantùm in casu negativi dubij.

171 Ob rationem à nobis assignatam, si pronunciatum non sit aliquod verbum, quod penes valde probabilem Theologorum sententiam pertineat ad formæ essentiam, debet repeti illud verbum, vt si in consecratione calicis omiserit Sacerdos verba illa *Noui, & æterni testamenti*, &c. quæ iuxta Sanctũ Thomam constituunt essentiam consecrationis calicis. Et licet ego non inveniam antiquiorem S. Thoma Patrem, aut Theologum, qui cõsentiat expressè, sed Albertum Magnum, qui in 4. Dist. 8. art. 7. innuat, renuatque clarè loco citato ad num. 19: & Paulus Gryfaldus Dominicanus in Decisionibus fidei Catholicæ, atque Apostolicæ V. *Eucharistia*, numero 6. pag. 174. scribat, [Spineus in Quodlibeto, quæst. propria arbitratur, quod omnia verba sint de substantia, excepto *enim*, & quòd si aliquod verbum prætermittatur, non conficitur Sacramentum. Namq; omnia sunt expressa tanquàm ad integritatem, & vnitatem. Rursꝰ Ecclesia semper his verbis consecravit. Demum D. Thomas 3. p. q. 78. artic. 3. sic probat. Verumtamen nimis dura est hæc spinea sententia, ac nimium vrget. Tutior Caietani, & Soti est expositio; quòd sint necessaria omnia verba quidem, at non tanquam de essentia, quibus omissis non conficiatur Sacramentum; sed sint tanquàm de substantia, non de essentia, & integritate.] Ast post Sanctũ Thomam multi, gravesque Theologi amplexantur eam opinionem. Quam esse valde probabilem persuadeo mihi. Neque auserim dicere, esse nimis duram. Quartus supra, dubio 4. inquit, contrariam esse communem, & probabiliorem, sufficereque magnam eius probabilitatem, vt Sacerdos non teneatur repetere verba illa, si inculpatè, aut malitiosè prętermisit. Sed ego non excusarem à peccato eum, qui omitteret repetitionem, nisi esset quasi certus moraliter de veritate sententiæ cõtrariç. Similiter nõ excusarem illum, qui repetitionem omitteret, dubitans valde probabiliter siue negativè, siue positivè, an præterierit verba illa; nisi haberet certitudinem, quam dixi. Liberat tamen eum à peccato Quartus ibidem, etsi non haberet tantam certitudinem: & eiusdem mentis videtur esse Scotus in 4. D. 8. q. 2. art. 2. n. 10. V. *Sed quid*, necnon Dicastillus citatus iam à nobis in num. 14.

172 Sed quid, si Sacerdos omiserit verba illa, *Qui pridie, quàm paterentur*, antecedentia ad ea alia, *Hoc est enim corpus meum*, vel illa, *Simili modo postquàm cœnatum est*, antecedentia ad ea alia, *Hic est enim calix sanguinis mei*, debebitne, iterare tam illa, quàm ea alia? Respondet Quartus ibidem, nec debere, nec posse, quia certum est, consecrationem salvam esse sine eis alijs. Nihilominus Scotus in 4. Dist. 8. q. 2. art. 1. n. 4. V. *Sed hìc est dubium* docet, necessaria esse ea alia ad validam consecrationem, siue sint, siue non sint de essentia formæ. Scotum autẽ sequuntur complures è sua Schola, & inter eos Amadeus apud Petrum de Alba tom. 1. Bibliothecę Virgin. fol. 668. Et ex extraneis Hieronymus Columbus L. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia C. 15. Cautumq; in Rub. est, vt si Sacerdos obeat, semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, super eundẽ calicem repetendo formam ab eo locõ, *Simili modo postquàm cœnatum est*. Ita in §. 10. n. 3. Similesque aliæ cautiones leguntur §. 3. n. 5. 6. & 7. § 4. n. 3. & 4. Iussa autẽ repetitio exinde, & non precisè ex verbis *Hic est enim*, vel *Hoc est enim*, &c. magnam authoritatem conciliat opinioni Scoticæ; nisi dicatur, iuberi repetitionem exinde ad clariorẽ Christi commemorationem, & vt expressiùs denotetur, Sacerdotem loqui in persona eiusdem Christi, non quia vnum, & alterum suppleri non valeat per intẽtionem Sacerdotis, vti supplebatur quõdam ante S. Alexandrum Papam I, vt colligitur ex n. 737. D. antegressæ. Vnde iuxta Suarium D. 85. S. 1 V. *Sed quæres tandem*, non cadit sub prẽcepto iteratio exinde facta: addit que Quartus ibidem, dub. 1. V. *Debet autem*, esse tamẽ consulendam, vt pote meliorem, quando certò constet, cõmissum

fuisse

fuisse defectum substantialem circa formam consecrationis. Ego ad quæstiũculam propositam dico, eum, qui non sit quasi certus moraliter de veritate sententiç nostræ, & communis contra Scotum teneri iterare, nã eo ipso quòd non sit sic certus, manebit probabiliter dubius de consecratione, an fuerit facta, necne?

SECTIO XIIII.

Continuatio sermonis de eodem quinto defectu.

173 IAM si dubium de defectu aliquo in pertinentibus ad validam formam sit negativũ, ortumque ex motivo non levi, tunc Sacerdos, perseverante eo dubio, tenetur repetere formam, nam periculum, vt irritum sit Sacrificium, aut vt maneat essentialiter, substãtialiterve imperfectum, non potest non in gravem culpam Sacerdotis cedere, siquidem imprudenter, & temerè toleretur.

174 In hoc autem casu, & in alijs præfatis repetenda est forma sub conditione expressa verbis, vel retenta tacitè in mente, vt si dicat Sacerdos, *Si iam consecraui, nolo nunc consecrare*, vel *Si non consecraui, volo nunc consecrare*. Nam conditione adiecta evitatur periculum frustrandi formam, & proferendi eam ineptè super materiam iam consecratam. Constat à simili ex Cap. *De quibus* 2. de Baptismo, & eius effectu, vbi Alex. III. præcipit reperi formam baptismi sub conditione, quando dubiũ est, an aliquis baptizatus fuerit? Quo modo facta repetitio formæ consecrationis super eandem materiam ex causa rationabili immunis est ab irreverẽtia gravi, & levi contra Sacramentum. Secus esset, si fieret absolutè, aut si fieret circa materiam aptam, supra quam à Sacerdote cum debita intẽtione fuisset prolata valida consecrationis forma

175 Hanc posteriorem repetionem severè punivit Antiquitas Ecclesiastica, vt lego in Pœnitentiali Romano edito ab Antonio Augustino, tit. 9. C. vltimo, vbi dicitur, [De quodam Sacerdote quæstio proposita est, qui cum populo deberet cantare Missã, & fuisset oblitus portare hostiam, pro verecundia populi scienter sacrificavit corpus Christi, hostiam scilicet iã consecratam, cum non haberet aliam. Cõsilium Cardinalium, & plurium Episcoporum in hoc consensit, quòd si occultum fuit, moneretur, deterreturque, vt omni tempore vitæ suæ in pœnitentia esset; & si posset sine scandalo, abstineret à conficiendo corpore Dñi: si autem publicum, toto tempore cessaret à Missæ celebratione. Pars tamen eorum dicebat, nisi se fecerit Monachum, vel Canonicum; & tunc meritis exigentibus permissu Abbatis, & consilio Apostolici, vel Episcopi, in necessitate posset accedere.]

176 Repetitio, quam sub conditione faciendam diximus, debet esse non solius vnius verbi formæ, sed omnium, etiamsi de vnius solius omissione dubitetur valde probabiliter, quando interposita sint alia verba, quibus scindatur sensus priorum, vel quando interiacens tempus impediat, quominùs priora reddant vnum integrum sensum cum prætermisso, eoque solo repetito. Vixque potest fieri, vt vltimum consecrationis corporis v. g. verbum, de cuius omissione dubitatio suboriatur, pronuncietur tam citò, quam necesse sit ad continuitatem moralem cũ alijs verbis. Vnde in Rubricis, quando certò constat de omisso verbo essentiali formæ, non dicitur, vt resumatur illud solum verbum, sed ipsa forma.

177 Sed advertendum est, non esse facilè à Sacerdote admittenda dubia de omissa tota forma, aut eius aliqua parte. Et dubium quidem fundatũ præcisè in non recordatione improbatur à S. Thoma, & à Rubricis, vt potè levi motivo innixum. Quare nisi motivum sit grave, fundansque iudicium, quo valde probabiliter dubitetur, vt loquuntur Rubricæ, debet Sacerdos deponere anxietatem, atque scrupulos, progredi in Missa, & non reassumere formam. Certè, [qui bona fide, & mediocri diligentia hoc ministerium faciat, etiamsi non recordetur, omnia dixisse, non potest habere probabilem rationem dubitandi, quòd ea dixerit; nisi etiam habeat motivũ aliquod sufficiens ad probabiliter iudicandum, se aliquid omisisse.] Ita Suarez Disputatione

tatione 81. Sectione 1. V. *Sed quæres tandem.*

178 Explicuimus ea, quæ in Rubricis difficiliora erant, & quæ a S. Thoma non adeò fuerant expressa. Cętera verò vix egent interpretatione, aut maiori declaratione. Nam si certò constet de defectu in verbis necessarijs ad valorem formæ, siue ille fuerit inculparus, siue malitiosꝰ, debet proculbiò suppleri, reperendo absolutè, seu absque adiecta conditione formam, ne Sacrificium maneat irritum, aut imperfectum siue essentialiter, siue substantialiter. Et repetitio facienda est præeunte dolore de defectu, qui ex culpa processerit, & vtcumque acciderit, si consumpta sit materia invalidè consecrata, necesse est, vt super similem aliam proferatur forma. Et quãuis comestæ sint species consectatæ panis, vel bibitæ species consecratæ vini, fas est, imò & debitum iterare formam super materiam non validè consecratam. Sed non tenebitur Sacerdos, novę cõsecrationi vnius speciei associare nouam alterius. Quòd si tam super vnam, quàm super alterã speciem forma consecrationis non sit prolata, incumbit obligatio proferendi eam super vtramq; ante sumptionem: minimè verò post sumptionem; imò cum post hanc detur obex fracti ieiunij, non licebit, tunc consecrare novum panem, & vinum. Sic Suarez Disput. 81. sect. 1. V. *Secundò etiam*, & ex eo Gavantus parte 3. titulo 5. num. 1. Quartus parte 3. tit. 5. sect. 2. dub. 1. & nos in num. 139.

SECTIO XV.

Deductiones quædam circa dubium de defectu in materia, & intentione.

179 EX dictis in duabus Sectionibus proximis circa dubiũ de defectu in forma deduco primò, si post prolata verba consecrationis dubitetur probabiliter, num sit apposita materia necessaria ad validè consecrandum, debere iterari formam supra diversam, certamque materiam. Vt si appositus fuerit panis confectꝰ de aqua rosacea, vel alterius distillationis, nam in tali pane est valde dubium, an conficiatur Sacramentum, siquidem S. Thomas 3. parte quæst. 74. art. 7. ad 3. multique alij doceant, esse ineptam materiam; licet autem Caietanus ibi, Alensis 4. p. quæst. 10. membro 4. art. 1. §. 5. quæst. 1. V. *Ad vltimum dicendũ*, Alensis, & Durandellus apud Sylvest. V. *Eucharistia* 1. quęst. 2. num. 3. Albericus apud Vivaldum in Candelabro aureo num. 34. de Euch. Pesantius 3. parte quæst. 74. art. 1. Disp. 2. Concl. 2. Sà V. *Missa*, num. 4. in editionibus antiquis sentiant, esse aptam materiã: diversitas hæc opinandi motivum non leve erit prudenti cuique, vt de eiusmodi panis idoneitate ad consecrationem dubitet valde probabiliter. Vnde Rubricæ §. 30. num. 2. non dicunt, vt S. Thomas, esse insufficientem, sed dubiam materiam; & id ipsum aiunt Valentia tomo 4. Disp. 4. quæst. 2. punct. 1. V. *Tertiò sequitur*, Cardinalis de Lugo Disp. 4. sect. 1. num. 4.

180 Similiter si appositus fuerit panis confectus ex spelta, habendus est pro materia admodùm dubia, nã S. Thomas supra, quæst. 74. artic. 3. & non pauci alij tradunt, esse materiam inhabilem; & requisitus Honorius III. Papa per litteras ab Abbate Cistercienſi respondit, spelram magis pertinere ad hordeum, quàm ad triticum, vt testatur Cęsarius Heisterbachcensis Lib. 9. Miraculorum illustrium, & Historiarũ memorabilium, C. 65: è contra autem plures scribunt, esse materiam habilẽ, & inter eos Albertus in 4. Dist. 12. art. 7. ad quæst. 1. non præbet fidem declarationi, de qua Cæsarius; additque Albertus, non dissentiente Carthusiano in 4. Dist. 11. quæst. 3. V. *Porrò Albertus*, [Si ita determinavit Curia, hoc fuit ex ignorantia gravi materiæ speltæ:] Sotus etiam in 4. Dist. 9. quæst. 1. art. 3. adijcit, illam quæstionem esse physicam, nec pertinere ad Curiam. Sed contra Sotum insurgit Pesantius supra Disp. 1. ad finem inquiens, [errare vehementer, ex hac enim quæst. Philosophica dependet definitio quęstionis Theologicæ, ideoque ad Pontificem pertinet.] Sic illi, de quorum dictis circa declarationem illam Hõnorij III. si authentica est, non spectat ad

me

me iudicare nunc; sed tantùm præsupponere panem ex spelta esse materiam valde dubiam.

181 Quibus in exemplum prænotatis, ratio nostræ deductionis, vt deberet repeti consecratio super alium panem, si fuisset appositus panis ex spelta, aut ex tritico, sed subactus, & coagmentatus cum aqua rosacea, patet satis ex superioribus. Sed inquit Quartus p. & tit. 3. sect. 2. dub. 5. In dubijs ea pars est eligenda, in qua minus incòveniens reperitur; est autem minùs inconveniens prosequi probabiliter integrum Sacrificium, quàm certò turbare illius ordinem iterata consecratione. Si respondeatur, esse maius inconveniens exponi Sacrificium periculo irritationis, aut imperfectionis essentialis, vel substantialis, quã sit turbatio Sacrificij iterando consecrationẽ. Replicat dicens, esse maius inconvenies turbationem certam quoad essentialia, aut substantialia Sacrificij, quàm incertum periculum irritationis, aut mutilationis. Non acquiesco, nam hoc periculum, etsi incertum, opponitur magis religioni erga Sacramentum, quàm turbatio illa, etsi certa, non quidem certi, sed incerti Sacrificij.

182 Deduco secundò, consequenter ad prædicta, supra diversam, certamq; materiam posse in casu proximę deductionis proferri consecrationis formam sub conditione sic, *Si prior species non est consecrata, volo consecrare hanc*: vel posse proferri absolutè, nam formę prolatio absoluta honestatur satis ex consecratione dubia prioris speciei. Et hoc secundum ego suaderem, vt determinatè sit assignabilis species (cum possit) quam certò constet esse consecratam, & in qua determinatè exerceantur ritus designati circa speciem consecratam. Prior autem species, de qua subortum sit dubium, an esset apta ad consecrationem corporis, convenit, vt sumatur post sumptum sãguinem, & non anteà, quia sic evitatur periculum sumendi sanguinem fracto iam ieiunio per speciem dubiam; quanquàm probabile sit, posse à peccato illud periculum excusari ratione servandi ordinem in sumendis priùs speciebus panis, quã vini.

183 Deduco tertiò, si dubitetur negativè, num materia, supra quam sunt prolata verba consecrationis, idonea sit, necne, debere assumi aliam, supra quam pronuncietur conditionatè, vel absolutè forma. Hæc deductio probatur ex antecedentibus, & approbatur à Quarto supra. Quare sicut turbationem Sacrificij in casu dubij negativi ipse Author non aversatur, sic in casu dubij positivi potuisset non refugere.

184 Deduco quartò, si dubium sive positivum, sive negativum de materiæ aptitudine suboriatur ante consecrationem, debere assumi aliam materiam certam præscriptam ab Ecclesia, ne Sacramẽtum, & Sacrificium exponatur periculo irritationis, aut imperfectionis sive essentialis, sive substantialis, & ne quidpiam fiat contra decentiam Sacramenti, atque Sacrificij, & vt Ecclesiæ præceptum in re pertinente ad religionem, & gravi servetur. Etsi verò ex assumptione alterius materiæ sequatur aliqua turbatio Missæ, sed nõ quæ momenti considerabilis sit, cum Sacrificium non sit inceptum quoad essentialia. Si tamen ex præfata turbatione timeretur scandalum grave populi, vel nocumentum notabile Sacerdotis, liceret huic vti materia non modò dubia positivè, sed etiam negativè; idque ante prolata verba consecrationis, & proinde à fortiori post prolata; vt suppono ex doctrina generali circa materiam, vel formam dubiam Sacramentorum. Porrò vt Sacerdos in necessitate vteretur licitè materia dubia, deberet concipere iudicium probabile de eius vsu, quatenus vel iudicaret esse materiam probabilem, vel esse probabile, quòd in necessitate sit licitus vsus eius. Quorum fusior declaratio spectat ad Tract. de Conscientia, vt in simili puncto dixi ad num. 160. Disput. 26.

185 Atque hinc intelligitur, quod consulit Thomas Tamburinꝰ Libro de Communione C. 2. §. 8. numero 1034. Lib. 2. de Missa Cap. 8. §. 5. n. 6. & 7. scilicet si quis ante consecrationem dubitet negativè, num liquor appositus in calice sit vinum, vel acetum? si non deponat dubium post examen factum, curet apponi liquorem quod certò sit vinum, vt evitetur periculum non consecrandi. Sed si vinum nequeat afferri, aut non nisi cum difficultate

cultate magna, vel scandalo, si non est incæptus Canon, desistat à Missa; si autem est incæptus, præsumat, appositū antea liquorem esse vinum, & prosequatur. Ego tamen non video, cur in hac necessitate deberet ante incęptum Canonē desistì potiori iure, quàm post, seu cur non posset liquor dubius consecrari sub conditione ante Canonem inchoatum, si post posset, cum vtrobiq; staret possessio pro liquore, cuius oblatio sit iam facta, & cum vtrobique Sacerdos posset iudicare, esse materiā probabilem, vel esse probabile, quòd in hac necessitate fas foret eo vti: quorum vno, vel altero modo dubium negativum deponeretur, quantùm opus esset ad licitum vsum eius.

186 P. Arriaga tomo 7. D. 30. sect. 1. num. 6. concedit, si abesset periculum scandali, posse ante incæptam etiam Missam assumi materiā probabilem, vt post ea consecretur, quando deesset materia certa, & Sacerdos haberet devotionem celebrandi. [Etenim ex eo, quòd fortè re ipsa illa materia non sit sufficiens, nō fiet vlli damnum, nec irreverentia in Sacramētum; aliunde autem potest esse ipsi celebranti ea actio valde vtilis, si re ipsa communicet. Et licet ex speciebus panis tunc fortassè nihil gratiæ accipiat, accipiet saltem ex altera specie vini, quā solam consecrare non potuisset, nisi habuisset materiam panis. Omnia, quæ assumuntur, videntur clara; & sola illa pars, quòd non fiat vlla irreverentia Sacramento, posset esse dubia; facilè tamen suadetur, quia quandò homo procedit iuxta sententiam probabilem, non se exponit periculo faciēdi formalem iniuriam Deo, vt per se patet; materialis autem in eo casu nulla est. Ergo. Dices, fiet Sacrificium imperfectum. Concedo id libenter; at non video, quid inde, si bonā fide processum est, sequatur re ipsa damni (vt sic dicam) contra Deum: imò fortassè aliquis diceret, longè melius esse (si bona conscientia alioquin proceditur) offerri Deo saltem partiale Sacrificium, quàm nullum planè: aliud autem damnum inde nullum potest oriri.] Hactenus Arriaga. Cui non consentio, si sola devotio Sacerdotis sit causa celebrandi; & non aliqua necessitas notabilis, vt si ex non celebratione sequeretur scandalum populi, aut infamia Sacerdotis.

187 Nam si absit necessitas, est gravis deordinatio contra religionem Sacramenti, & Sacrificij, vti materia tantùm probabili; & periculum, vt sit irritum, aut imperfectum, præponderare debet devotioni, vtilitatiq; spirituali celebrantis. Et quidem religioni Sacramenti, & Sacrificij magis opponitur illud periculum, quàm quòd in materia certa panis fermentati, aut incipientis corrumpi fiat consecratio: sed id posterius est grave peccatum, iuxta Rubricas §. & num. 3 quin excuset devotio, spiritualisque vtilitas Sacerdotis Latini in defectu panis azymi, aut sani. Imò iuxta communissimam sententiam, de qua in numero 116. Disp. 27. necessitas moribundi, qui aliàs decedet sine viatico, non est sufficiens, vt celebretur in pane fermentato. Videatur Quartus parte, & titulo 3. sect. 1. dub. 11.

188 Qui in V. *Colligitur secundò* addit, neque ad dandum viaticum moribundo licere consecrare sub conditione in materia dubia, quando non reperitur certa. Sed est magnus rigor; & quanuis alleget Dianam p. 2. Tract. 13. Resol. 2. parte 3. Tract. 6. Resol. 48. Coninckum quæst. 60. art. 8. numero 82. Ioannem Sanchez in Selectis Disp. 44. num. 12. Trullench Lib. 1. de Sacramentis Cap. 2. num. 16: attamen Diana in priori loco expressè contradicit, inquiens, [quando tempore necessitatis non adest materia, v. g. frumentū, potest quis conficere in typha:] & in posteriori loco nō aliud ait, quàm posse ex metu mortis Sacerdotem consecrare in pane ex spelta, si metus ille non incutiatur in odium religionis, & contemptum Sacramenti. Huc etiam respiciunt Coninck, Ioannes Sanchez, & Trullench. Prætereà rigor ille contrarius est ordinariæ doctrinæ Theologorum, quandò agunt de licito vsu materiæ, aut formę dubię in Sacramentis. Video, posse confici pro rigore illo argumentum non enerve ab exemplo panis fermentati, in quo consecrare non licet ad subveniendum moribundo de Viatico. Cæterùm paritates in his rebus, quæ ex iudicio Thologorum adeò dependent, non semper adigere debent intellectum ad assensum.

Vbi

189 Vbi obiter noto de pane fermentato, si ante consecrationem animadvertatur, teneri Sacerdotem Latinum aut quærere azymum, si haberi possit, aut dimittere Sacrum, nisi prosequutionem licitam faceret timor scandali in populo, aut infamia recasura in Sacerdotem. Ita sentiunt frequenter Theologi. De pane, qui etsi azymus, habeat tamen admistum aliquid salis, non exprimitur ab Authoribus idem ipsum, quod de fermentato. Et Durantus citatus à me in n. 649. Disp. conterminæ aiebat, ignotum sibi esse, cur non liceat eius vsus; ego etiam ibidem scripsi, me vidisse, non curari multùm, si panis consecrandus habeat sal, nam iter faciens celebravi non semel in pane, cuius species gustatæ vise sunt mihi sapere nonnihil salis. Nihilominùs quia Suarez D. 44. sect. 2 V. *Explicuimus*, Vazquez Disput. 170. Cap. 4. num. 26. aliique monent, non licere in Ecclesia Latina admistionem salis; & Fagundez in 3. præceptum Ecclesiæ Lib. 2. C. 1. n. 15. Franciscusq; de Lugo Lib. 4. C. 2. quæst. 3. numero 19. censent, peccaturum graviter, qui in pane cocto cum sale celebraret; ideò curandum est, ne farinæ, & aquæ ad cõficiendas hostias sal admisceatur. An autem si admistio animadvertatur ante consecrationem, debeat Sacerdos se gerere eodem modo, ac in casu fermẽti? iam dixi, non exprimi ab Authoribus.

190 Deductiones digestæ circa materiam dubiam ampliandæ sunt ad Sacerdotis intentionem dubiam, cũ & volitio efficax, qua saltem velit facere, quod facit Ecclesia, & instituit Christus, sit de necessitate Sacramenti, & Sacrificij. Quare etsi nec Sanctus Thomas, nec Rubricæ agant de modo supplendi defectum intentionis, facile cuivis erit ex dictis de modo supplendi defectum materiæ, & formæ discurrere ad eum alium modũ. Defectus quidem intentionis explicatur admodùm copiosè in Rubricis §. 7. per quatuor numeros; & à nobis in Tract. de Euch. Disput. 5. sect. 3. non pauca sunt dicta, reservatis alijs tunc, vt & nunc, in Tractatũ de Sacramentis, eo quòd sint cõmunia omnibus Sacramentis, ad quæ necessariò requiritur præfata saltem intentio faciendi quod facit Ecclesia, & instituit Christus, id est, faciendi actum externum sacramentalem iuxta ritum Ecclesiæ, & institutionem Christi.

191 Dixi *saltem*, nam sub controversia est, an requiratur intentio faciendi Sacramentum? Et non requiri, videtur esse sensus S. Augustini relati C. *Solet* 31. de Consecratione Dist. 4. aliisque locis expensis à Salmerone infra; Alensis, & S. Bonaventuræ apud eundem, S. Thomæ in 4. Dist. 6. q. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad 2. 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. Estque expressa sententia Paludani in 4. Dist. 6. q. 2. art. 3. Syluestri V. *Baptismus* 3. quæst. 12. n. 11. Angeli V. eodem 5. num. 7. Ambrosij Catharini in Opusculo de Intentione Ministri, Alfonsi Salmeronis tom. 13. in ordine, p. 3. Lib. 1. Commentariorum super Epistolas Pauli, Disput. 2. ex pag. 247. vsq; ad 252. Hieronymi Columbi Lib. 4. de Hierarchia Angelica, & Humana C. 20. Zachariæ Pasqualigi in Doctrina Morali sacra Disp. 72. S 4. Ioannis Marij Scribonij in Summa, D. 1. de Sacramentis in genere, q. 6. & 7. Sed contraria sententia placuit cæteris Theologis, adeòque arrisit multis Modernis, vt post Concil. Trid. non posse absque errore ab ea discedi dictitent: de quib⁹ conqueritur Columb⁹, siquidem Salmeron vnus ex dissentientibus noverit plane animos Patrum Tridentinorum, quibus adfuit missus Theologus à Romano Pontifice. Huius controversiæ decisio non est præsentis loci, quippe sit communis ad omnia Sacramenta.

192 Sed à præsenti loco alienum non est, decidere illud, an si Sacerdos per inadvertentiam proferat formam consecrationis sanguinis super hostiam, censendum sit, non manere consecratum calicem ob defectum intentionis, cum aliunde habeat sufficiẽtem præsentiam; & non obest, quod fuerit coopert⁹ palla, dum prolata sunt verba consecrationis, vt colligitur ex dictis à nobis Disput. 5. de Euch. num. 34. Respondeo igitur, non esse censendum consecratum, quia nisi expressè intendat contrarium Sacerdos, debemus interpretari eius mentem, quatenus velit servare ordinem præscriptum sub obligatione gravi ab Ecclesia, vt priùs consecretur panis, & posteriùs

calix.

calix. Et ad summum incerta est tunc, & dubia consecratio calicis; quare repeti ad minus debebit sub conditione.

SECTIO XVI.

Quæstio singularis de simulata forma consecrationis.

193 AN scilicet fas sit Sacerdoti, vt evitet cōminatam mortem, proferre consecrationis verba supra materiam sine intētione consecrandi? Affirmat Ioannes Sāchez in Selectis Disp. 35 n. 6. inquiens, [Si hæreticus minaretur mortem Sacerdoti, nisi consecraret omnem panē in foro existentem, poterit proferre verba consecrationis, absque intentione tamen consecrandi, sine vlla labe mendacij, adest enim tunc iusta causa vtendi æquivocatione. Nec obstat, aliquos adorare talem panem tanquàm consecratum, erit enim solùm idololatria materialis, quam Sacerdos in illo casu vitare non teneretur; gravius nāque malum esset consecrare, & multas particulas perire:: At si in contemptū religionis hæreticus consecrationem postularet, potiùs ad subeundam mortem, quàm consecrare teneretur Sacerdos,] &c. Sic Ioannes Sanchez. Consentit Franciscus de Lugo in L. 1. de Sacramentis Cap. 6. quæst. 11. num. 65. & in Tract. de Motu animi voluntario C. 6. quæst. 7. num. 49. Vbi ait, [Non damnarem verba proferentem, quando prolatio vitari non potest sine gravi discrimine. Nec videtur iniuria Sacramenti, quasi materialiter proferre formam illius, sicut sæpe doctrinæ gratia, vel alijs de causis solet proferri.] Consentit etiam Christophorus à S. Ioseph tom. 1. receptarum opinionum moralium V. *Absolutio*, dubio 6. num. 3.

194 Probari potest hæc opinio ab exemplis. Et primum sit, nam fas est, præbere occulto peccatori hostiam non consecratam, simulando esse consecratam, vt consulatur vitę ipsius, qui alioqui est occidendus, nisi videatur communicare. Et citra tales angustias posse dari peccatori hostiam inconsecratam, si ipse petat, censet Albertus Magnus in 4. Dist. 13. art. 20. *Quanuis non sæpè debeat fieri, vt magis de peccato suo territus citius reuertatur.* Concordant Gerson in Compendio Theologiæ C. de Sacramento Euch. titul. de qualitate recipientium, & Chrysostomus Iavellus 5. p. Philosophiæ Christianæ Tract. 4. Cap. 6. S. etiam Bonaventura in 4. Dist. 9. art. 2. quæst. 4. in fine ait, petenti peccatori ob vitandam infamiam, & in Dominici corporis reuerentiam posse dispensari inconsecratam hostiam. Quod refert, & non improbat Adrianus Quodlibetica quęst. 3. art. 3. V. *Ad secundam confirmationem*, folio (mihi) 63. approbantque omnino Angles quęst. de suscipientibus Eucharistiam art. & Diffic. 4. Villalobus T. 7. Diffic. 38. num. 7. & Ludovicus de S. Ioanne apud Dianam parte, & Tract. 4. Res. 47. Præterea Autisiodorensis in Summa Tract. & C. 5. quæst. 4. putat, esse licitum Parocho, cuius incuria reservatæ non sunt formulæ consecratæ pro moribundis, conferre inconsecratam, proponereque adorandam, ne suæ negligentiæ notam incurrat.

195 Legitur quoque, vt narrat Guilielmus Durandus L. 4. Rationalis C. 41. num 29. quòd cum Hugo de S. Victore Doctor excellentissimus vltima infirmitate laboraret, corpus Domini instanter petijt sibi dari; cumque nullum cibum retinere posset, fratres eius turbationem timētes, simplicem sibi hostiam attulerunt; quod ille per spiritum agnoscens ait: Misereatur vestri Deus, fratres, cur me deludere vultis? Iste enim, quem portatis, Dominus meus non est. At illi attoniti, mox corpus Domini attulerunt. Sed ipse se videns non posse recipere, elevatis in Cœlum manibus sic oravit, Ascendat filius ad patrem, & spiritus ad eum, qui fecit illum. Et inter hæc verba spiritum emisit; & corpus Doñi inde disparuit.] Eandem narrationem habent S. Antoninus 3. p. Historiali tit. 18. C. 1. ante §. 1. Ioannes Bromiard in Summa Prædicatorum C. de Eucharistia, Iacobus de Voragine in Historia Lombardica Chronicis inserta. De Mauritio Episcopo Parisiensi simile quid refert Cęsarius Cisterciensis Dist. 9. Cap. 34. Et alibi de puerulo quodam moribundo,

moribundo, cui petenti dari sibi corpus Christi Parochus ausus non fuerat afferre; sed hostiam non consecratam, [quam cum ei porrigere vellet, & diceret ei, Ecce hoc est corpus Domini; vt Dominus ex ore infantium perficeret laudem, & destrueret perfidiã multorum, qui de eodem Sacramento malè sentiunt, inspiravit puero, vt respõderet, Quare vultis me decipere? Nõ est corpus Domini, quod mihi offertis. Ad quod verbum Sacerdos admirans, & à puero aliquid divinum inspiratum arbitrans, ei sacram attulit communionem, quã puer devotè suscepit, & paulò post obijt.] Sic ex Cæsario Benedictus Gononus in Hist. Eucharisticæ Lib. 2. C. 168.

196 Secundum exemplum desumitur ex prolatione simulata verborum absolutionis non illicita, quando persona aliqua genuflexa ante Sacerdotem minaretur huic necem, nisi formam pronunciaret. Aitq; Dicastillus T. 4. D. 9. dub. 21. n. 491. [non satis apparere, quo iure sit prohibitum, vt Sacerdos audiens confessiones in alio quo publico loco, coram circumfusa multitudine pœnitẽtium, possit simulare, se tunc absolvere pœnitentem, cui vel negat, vel differt absolutionẽ, siue dicendo submissa voce formulam deprecationis, *Misereatur tui*, &c. aut alias preces, atque adeò simulare Sacramentum.] Etsi autem Dicastillus recusset concedere, posse licitè tunc proferri verba absolutionis, non appareret; cur liceat simulatio in alijs signis præseferentibus collationem Sacramẽti, & non in verbis formę absolutionis. Supponamusq;, personam genuflexam incutere Sacerdoti timorẽ mortis, nisi pronunciet alta voce formam absolutionis, ita vt ab ipsamet persona callẽte Latinam linguam audiatur, & intelligatur; aut supponamus, Sacerdotem vereri, si sic non pronunciet, fore vt personæ ad confessionem genuflexæ creetur infamia apud circumstantes, & fore proinde, vt violetur confessionis sigillum, quatenus alij circumstantes, non audita absolutionis forma, colligant, illam personam dimitti inabsolutam ob patrata crimina.

197 Tertium exemplum sit ex matrimonio, quod invalidum est sine interno consensu, intentioneq; contrahendi, sed licitum, vt cõstat ex CC. *Cum locum* 14. *Veniens* 15. de Sponsalibus, si quis, metu gravi iniustè incusso, proferat materialiter verba contract⁹, vel vtatur æquivocatione, aut restrictione mentali. Quo casu simulatur non modò matrimonium vt contractus ciuilis, sed etiam vt Sacramentum. Videatur Thomas Sanchez Lib. 4. de Matrimonio, Disp. 16.

198 Ratio à priori est; quia gravis metus, in contemptum religionis non incussus, præbet iustam causam simulãdi Sacramẽtum, & Sacrificium, sicut præbet ad simulationes in alijs actionib⁹, & materijs, vel ad vtendum æquivocatione, aut restrictione mẽtali circa verba, nam ob metum excusatur fictio, & per æquivocationem, aut restrictionem mentalem evitatur mendacium.

199 Nihilominus negativa ad quæstionem responsio est Castri Palai Tract. 2. Disp. 1. punct. 13. num. 8. Dicastilli supra, Aversæ quæst. 64. de Sacramentis, sect. 3. V. *Quinto sequitur*. Pro qua affero Innocentium III qui in C. *De homine* 6. de Celebratione Miss. rogatus *de incauto Presbytero, qui, cum sciat se in mortali crimine constitutum, Missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare: peractis cæteris circumstantijs Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem, & vinum tantummodò purè sumit: ita credens per id, quod prætentat, populo satisfacere, vt per id, quod intendit, Deum non debeat provocare.* Respondit, *Cum ergo falsa sint abijcienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora, licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet grauiter; si se ingerat irreuerenter ad illud: grauius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare. Cum ille in solius Dei misericordis manum incidat, iste verò non solùm Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se adstringat.* Hactenus Pontifex Summus.

200 Iuxta quem ob evitandum novum peccatum proferendi cum intentione verba consecrationis fas non fuit simulare esse prolata: quod in idẽ recidit, ac simulare esse prolata cum intentione. Ergo à fortiori fas non erit ob evitandam mortem propriam temporalem in-

temporalem: præ qua fugiendum magis est peccatum proprium. Is discursus vrget multò plus in casu proposito de pronunciatione verborum cõsecrationis sine intentione, quàm in alio de administratione hostiæ non consecratæ, ne liceat. Nam in eo alio non sacrificatur simulatè, non privantur Sacrificij fructu assistentes, non illuditur Deo, quandoquidem non sacrificetur Christi nomine per talem administrationem, neque item illuditur hostiam inconsecratam recipienti, vtpote qui sciat, non esse consecratam, petatque eam.

201 Sed adhuc ad decisionem Põtificiam dici potest, non argui efficaciter ex ea ad casũ, de quo est quæstio, nã evitatio mortis nõ est constituta in voluntate Sacerdotis, vti est constituta evitatio novi peccati. Quare rectè staret, vt ob priorem evitationem licita esset simulatio in Sacrificio, tametsi licita non sit ob posteriorem. Vertat culpæ suæ Sacerdos, si ipsum de peccato antiquo non pœniteat, atque adeò si non liceat sacrificare verè. Quare decisio illa non omnino convincit in præsentis quæstionis casu, in quo angustiæ Sacerdotis non dependent à voluntate sua, sed in eas conijcitur à comminante mortem.

202 Iam ex ratione, vt simulata prolatio verborum consecrationis supra materiam aptam sit semper illicita, disputo sic, quia per se præbet occasionẽ alijs adorandi pro consecrata hostiam inconsecratam (idem de calice:) præbere autem per se huiusmodi occasionem non potest excusari ob timorẽ detrimenti cuiusvis temporalis, nam talis adoratio est Idololatria materialis, atque adeò actus intrinsecè malus materialiter, cui præbere per se occasionem non potest non esse intrinsecè malum formaliter.

203 Vnde qui sentiunt, probabile esse, quòd occulto peccatori ministrari licitè queat hostia inconsecrata, ne in peccato suscipiat consecratam, advertunt, debere id non fieri nisi conscio peccatore, & nisi populo ostensa hostia cõsecrata, quia alioqui exhiberetur per se occasio adorandi inconsecratam. Et improbabile prorsus est, quod supra retulimus ex Autisiodorensi; nec nisi ex zelo præseferente pietatis speciem, sed scientiæ, & discretionis experte excusari queunt fictiones illæ de inconsecratis formulis administrandis instar Viatici Hugoni Victorino, Mauritio Antistiti Parisiẽsi, & puero illi, de quibus supra, vt sapienter observavit Raynaudus num. 36 Cap. 14. Libri de Agno cereo, pagina 608.

204 Atque hinc damnandum obiter est, quod fecit quidã Sacerdos; qui feria sexta in Parasceve elevavit coram populo hostiam non consecratã, vt dissimularet incuriam positi die antecedenti subtus hostiam consecratam purificatorij ita madefacti, vt reddiderit eam elevationi ineptam. Debuisset Sacerdos ille loco solius hostiæ elevare calicem cum hostia inclusa madefacta, vel nullam facere elevationem. Placet mihi magis id posterius, tametsi prius illud approbetur magis à Francisco de Lugo Lib. 5. C. 10. quæst. 2. num. 35. cum Petro Ledesmio C. 25. de Eucharistia in fine, pag. 334.

205 Rursus ex Thoma Tamburino Lib. 2. Cap. & §. 8. num. 23. & ex Quarto parte 2. tit. 8. sect. 1. dub. 7. in fine, damnandum itidem est factum alterius Parochi, qui cum formula cõsecrata apposuit grandiorem hostiam inconsecratam in Ostensorio, ne populus adverteret oblivionẽ ipsius de consecranda grandiori hostia, quam adoraret.

206 E contra verò laudandus esset Sacerdos, qui sciens per cõfessionem Sacramentalem peti à pœnitente hostiam, vt eam conculcaret, aut proijceret in lutum, aut vt abuteretur ea ad incantationes, nõ daret inconsecratam pro consecrata. Ita Petrus Ledesmius C. 12. circa finem, pag. 183. Trullench Lib. 3. de Sacramentis C. 7. dub. 5. n. 12. Laudandus etiam est Sacerdos, qui Scotis in Anglos sævientibus circa annum Domini 1296; & nulli sexui, vel ætati parcentibus coactus metu mortis celebrare, non præstitit id simulatè. [Cum autem ad ipsum Sacrificiũ, immolationemque ventum esset, Eucharistia repentè evanuit. Cumque ille aliam sumpsisset, idem etiam rursus accidit. Quod cum sacrilegi illi vidissent, graviorem aliquam divinam vindictam formidantes, properè inde se proripuere, ea tamen valde irretiti sunt, immani clade, & eçde ab exercitu Anglorum occisi;

occisi; miraculoque datum est, quòd cum decem millia ex illis, (ex quibus multi reperti sunt Sacerdotes) vnus tamen ex Anglis desideratus est.] Sic ex Bzovio Benedictus Gononus L. 2. Hist. Euch. C. 24. Supponitur, Scotos non intendisse contemptum religionis, & Sacrificij, nam si intendissent, debuerat Sacerdos ille non sacrificare verè, & aliundè neque deluforiè, proindeq; perpeti mortem potiùs, quam vno, vel altero modo immolare.

207 Video, occurri posse rationi adductę in num. 202. si respondeatur, Sacerdotem non prębere per se occasionē Idololatriæ materialis, qua ab inscientibus adoretur hostia incōsecrata pro consecrata; sed talem occasionē sequi peraccidens, & præter intentionem Sacerdotis, quin ipse in casu mortis comminatæ teneatur impedire illā, sed potiùs possit permittere. Hæc evasio sufficiens est ad nō denegandam omnem probabilitatem opinioni Ioannis Sanctij, & assectarum; quanquàm admodùm efficaciter impugnari queat exinde, quòd cum Sacerdos exponeret in Missa hostiam adorandam, quæ consecrata non sit, nihil aliud id foret, quā dare per se occasionē adstantibus ad Idololatriam materialem, & quam voluntate prævalente intendere materialem ipsam Idololatriam. Quare ego accedo ad sententiam negativam, sed quin dicam cum Castro Palao, & cum Aversa videri affirmativam redolere audaciā, & temeritatem; fuit certè nimis rigida cēsura, vt benè notat Franciscus de Lugo.

208 Primum exemplum expensum pro opinione affirmativa est valde litigiosum; & exceptis paucis Authoribus ibi relatis discordant cæteri apud Aversam q. 10. de Euch. S. 5. V. *Sed tamen*, Leandrum T. & D. 7. q. 60. Tamburinum Tract. de Commun. C. 6 §. 2. n. 22. Quartum p. 2. tit. 10. S. 3. dub. & difficul. 3. Alfonsum de Leone q. 8. de Officio Capellani S. 17. n. 124. Et antiquis, quos ipsi citant, addo Belethum Cap. 120. de Officijs divinis, vbi ait, [Non agendum, vt quidam agunt, qui hostias habent & consecratas, & non consecratas, ita vt si aliqui accesserint, qui fraternum odium exercuerint, vel aliquid criminale, communicent de nō consecratis. Verùm eos graviter peccare, satis manifestum est, fallunt enim eos; quanquam non minùs, imò magis peccant alij, qui sumunt, cum sponte, & voluntariè sint. Nam putant, se verum corpus sumere, & non pertimescū illud sumere indignè. Debet ergo Sacerdos panem habere consecratum, vt si tales accesserint, illo etiam pane cōmunicent.] Sic ille.

209 Et quidem si evitari non possit, nè detur occasio, vt alij adorent hostiam inconsecratam, putantes esse consecratam, militat contra exemplum ratio superior. Sed etsi evitari possit, adsunt aliæ rationes, ne illud approbetur. Attigi eas Disp. 14. de Eucharistia numero 21. & 22. placetque mihi ratio Ioannis Sancti, supra, num. 3. Quòd scilicet peccator habet in sua volūtate liberare se ab angustijs accedendi sacrilegè ad Eucharistiam, potest namque cum divina gratia, quæ præstò est, pœnitere ipsum de peccato; de quo si pœniteat, non suscipiet indignè Eucharistiam, neque incurret infamiam, aut mortis temporalis discrimē ob non participatam Eucharistiam.

210 Vbi obiter adnoto, citari non benè Ioannem Sanctium à Castro Palao supra pro licita administratione hostiæ inconsecratæ, quando nisi mulier (quæ sit peccatrix occulta) communicet, amittet bonam opinionem apud maritum. Docet contrarium expressè Ioannes Sanctius, & sine inconsequentiæ vmbra. Noto etiam, in casu, in quo Ioannes Sanctius inquit, esse licitam prolationem verborum consecrationis, sine intentione tamen consecrandi, non defuturos, qui dicerent, etsi Sacerdos intenderet consecrare totum panem in foro existentem, præsentemque sibi moraliter, fore frustraneā eam intentionem. Ita Pasqualigus in Doctrina Morali sacra, Disputatione 92. sect. 1. cum Alensi, Sancto Bonaventura, Maiore, Paludano, quibus addo Angelum V. *Eucharistia* 1. num. 25. Albertum Magnum in Compendio Theologicæ veritatis Lib. 6. Cap. 12. dicentem, [Non solùm requiritur intentio consecrantis, sed etiam intentio illud Sacramentum instituentis. Vnde si aliquis Sacerdos staret in foro, & super omnes panes formam verborum proferret, etiam cum intentione consecrandi, non fieret ibi transubstantiatio. Et hoc

non esset propter defectũ virtutis verborum, cum vna vice Sacerdos possit conficere tot hostias, quot toti mundo sufficerent, si esset necessarium Ecclesiæ; sed propter defectum intentionis illius, qui hoc Sacramentum instituit; qui non intendit, quòd cum tali ludibrio, vel stultitia fieret consecratio, sed pro vtilitate, vel necessitate Ecclesiæ generalis, vel particularis.] Sic Albertus, si eius sit hoc Compendium. Sed hanc opinionem refutavi Disput. 5. de Eucharistia, num. 1. & duobus seqq.

211 De reliquis in primo exemplo congestis iam antea tuli iudicium. Ad secundum exemplum dico, etsi totum admitteretur, nihil inde inferri contra nos, siquidem ex simulata prolatione verborum absolutionis Sacramentalis non sequatur inconveniens, quod ex verborum consecrationis. Num autem illud admittendum sit? tractabitur, cum de Sacramento pœnitentiæ. Interim suasero, vt quantùm fieri possit, eviretur simulata prolatio verborum absolutionis, nam si probabile esset, nõ requiri in Ministro Sacramentorum aliam intentionem, quàm proferendi exteriùs, seriò, & absque ioco verba formarum iuxta ritum Ecclesiæ, & institutionem Christi, de qua opinione nonnihil dixi ad finem Sectionis præcedentis, consequens esset, vt simulata prolatio non impediret, quominùs conficeretur Sacramentum, si ex parte hominis genuflexi non daretur obex. Quare proferre eo modo verba illa, quando Sacerdos scit hominis genuflexi indispositionem ad absolutionem, non posset, vacare culpa intentati actus externi Sacramentalis circa subiectum ineptum. Atque hinc cogitabit quis, Presbyterum illum memoratum in C. *De homine*, existimatum fuisse non consecrasse, quia suppressit verba consecrationis; forsan si non suppressisset, consecrasset verè iuxta opinionẽ præfatam, etsi illicitè, & frustrà haberet intentionem non consecrandi.

212 Ad tertium exemplum respondeo eodem modo, ac ad secundum. Et in matrimonio debet ab omnibus agnosci discrimen ad reliqua Sacramenta. Etenim ei, cui iniustè metus gravis incutiatur, fas est consentire interne, & externè, quantùm est ex parte sua, in matrimonij contractum, etsi sciat, hunc non esse validum, eo quòd irritetur ab Ecclesia: qua irritatione supposita non infertur iniuria Sacramento matrimonij, quia deest contractus legitimus, & proinde materia, formaque illius Sacramenti. At reliquorum Sacramentorum Ministris non licet ex causa metus gravis habere animum ministrandi ea, quando desit materia, aut forma debita: quæ ea est, quam determinavit Christus. Vt ergo quoad intentionem internam diversa est ratio inter Ministrum matrimonij, & Ministros aliorũ Sacramẽtorum, sic etiam quoad prolationem externam verborum, vrgente metu gravi, debet agnosci diversa ratio, vt liceat respectu matrimonij prolatio externa, de qua sermo est in tertio exemplo, non autem respectu cæterorum Sacramentorum. Præterea si ipsa externa prolatio verborum, cogente illo metu gravi inflicto, fiat respectu matrimonij simulatè, quin proferantur verba materialiter, vel cum æquivocatione, restrictioneve mentali, non peccabitur mortaliter, sed tantùm venialiter, vt contra Scotum in 4. Dist. 29. quæst. vnica, §. *Hìc dicitur*, & Vvendelinum in supplemento Gabrielis ibi, art. 2. docent communiter Theologi; quorum tamen nullus inficiabitur, commissam iri lethalem culpam, si Ministri aliorum Sacramentorum pronuncient fictè formas, metus grauis de causa, significativè, vel absque æquivocatione, aut restrictione mentali, tunc enim mendacium erit contra religionem Sacramenti.

213 Ad rationem à priori patet iam ex dictis, nam quidquid sit de simulatione, aut fictione in alijs euentibus ex causa metus gravis; sed in prolatione verborum consecrationis supra materiam aptam non est licita Sacerdoti, quia dat per se alijs occasionem Idololatriæ saltem materialis. Pro qua ratione mirè facit Clemens VIII. Papa in Bulla inchoante *Etsi alias*, editaque anno 1601. die 1. Decembris contra eos, qui cum ad sacrum Presbyteratus Ordinem minimè promoti sint, Sacerdotis tamen dignitatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem vsurpare, & Sacramentum pœnitentiæ

nitentiæ ministrare præsumunt, nam de vsurpantibus Missarum celebrationem inquit, *Quantùm in ipsis est efficere, vt Christi fideles, qui credunt, eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramẽtum Eucharistiæ, Idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum tanquàm verum Christi Domini nostri corp^m, & sanguinem eisdem adorandum proponentes, quod est grauissimum scelus.* Sic Clemens VIII. Atqui Sacerdotes simulantes consecrationem; siue proferendo verba formæ sine intentione, siue non proferendo illa, efficiunt ex parte sua idem ipsum. Ergo & peccant, tamersi non adeò graviter, minuente damni notabilis metu gravitatem criminis.

SECTIO XVII.

Alia ratio pro responsione negatiua ad quæstionem. Liberantur Missionarij Societatis Iesu apud Sinas à criminatione de doctrina liciti Sacrificij simulatè oblati Idolis.

214 DEFENSAVI, non esse licitam simulatam prolationem verborum consecrationis supra materiam habilem, etiamsi metus mortis injiciatur Sacerdoti, nisi pronunciet ea verba; defensavique, ne inde sequatur inconveniens præbendi per se alijs occasionem Idololatriæ saltem materialis. Nunc exhibeo aliam rationem. Quæ huiusmodi est: Non licet fideli ex timore mortis simulare fallam sectam seriò, & citra iocum, neque Sacrificium oblatum Idolo, neque comestionem Idolothytorum, quam constanter refugit Eleazarus, de quo in L. 2. Machab. C. 6. ex V. 18. Atque hinc cum Missionarij aliqui apud Sinas docuissent Neophytos, aut toleràssent in eis, quòd externè offerrent Sacrificium Idolo, deferentes secretò crucem, ad quam referrent intentionẽ offerendi, & adorandi, prodijt Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium de propaganda fide, in quo reprobatur doctrina illa, aut tolerantia, vt refert Thom. Hurt. p. 1. Resol. Moral. Tract. & C. 5. Res. 40. in cuius §. 3. adducit Decretum illud approbatum ab Innocentio X. Pontifice Maximo fœlicis recordationis, & editum anno 1645. die 12. Septembris. Affert etiam illud Illustrissimus, & Reverendiss. D. D. F. Petrus de Tapia Archiepiscopus Hispalensis in Catena Morali, priori p. tomi 2. L. 1. q. 3. art. 9. & n. 20. remittit se ad Thom. Hurtadum in præcitato loco. Qui in Resol. Orthodoxo-Moral. de vero Martyrio fidei, T. vltimo transcribit rursùs idẽ Decretum, & in Res. 10. S. 18 ex pag. 467. latissimè adstruit, nefas esse exercere per simulationẽ cœremonias fallæ sectæ ob timorem cuiuscumque damni temporalis.

215 Hinc autem infertur, esse etiam illicitum ex eo timore simulari à Sacerdote Sacrificium oblatum Deo vero, necnon cœremonias, & signa cultus, quæ fieri, & exhiberi solent in vero Sacrificio. Probatur Consequentia, quia fictio est æquè pernicio sa vt probiq; æquè est contra commune bonum veræ religionis, æquè externa reverentia soli Deo debita præstatur creaturæ. Vnde Clemens Papa VIII. in Bulla citata ad finem sect. proximæ ait de ijs, qui, cum non sint Presbyteri, vsurpant, & fingunt celebrationẽ Missarum, *exercere actus Idololatriæ, saltem extrinsecæ, seu per externa, & visibilia religionis, & pietatis signa*; declaratque, esse id grauissimum scelus. Quare & Sacerdos simulans consecrationem exercebit actus Idololatriæ, saltem extrinsecæ, etiã cũ minori scelere, si metus damni gravis incutiatur ipsi. Neque sufficit dicere cum Alberto Magno in 4. Dist. 13. art. 20. in casu Antecedentis simulari illicitum; in casu autem Consequentis *simulari licitum, quod etiam præceptum est fieri.* Non, inquam, sufficit, quia Sacrificium, quod, cum verè fit in honorem Dei, est licitum, erit eo ipso illicitum, cũ fiat simulatè; & ab eo differt Sacrificiũ Idolo oblatum, quia illud non est licitum, siue verè, siue simulatè fiat.

216 Antecedentis veritas potiùs est à me suppositа, quàm probata in hac secunda rationẽ, non enim est locus disputandi contra Adrianum, Caietanum, Bartholomæum Medinam, & Lorcam à Thoma Hurtado citatos pagina 467. qui censuerunt, licitum esse vsum cœremoniarum fallæ religionis

absque animo profitendi illam, dūmodo ex gravi metu hæc simulatio, aut fictio fiat citra scandalū, & tēpus, quo obligat præceptum confitendi fidem Christi. Neque item est locus explorandi quid de eo vsu senserit S. Hieronymus in C. 2. ad Galatas, quid ad ipsum scripserit S. Augustinus in Epist. 19. quid ipse responderit in Epist. 89. Sed cum Thomas Hurtadus pag. 468. §. *Verum enim verò* fateatur, probabilē esse eam sententiam Adriani, & sequacium, debuisset scribere mitiùs de illis Missionarijs Sinicis, siqui ante Respōsa Cardinalium eam docuerunt, aut permiserunt in Neophytis ex causa gravis metus de vitæ, aut rei familiaris, aut muniū publicorum amissione, nisi præfatas cæremonias exercerent.

217 Non declaravit Thomas Hurtadus in priori p. Res. Moral. quinam essent, ex qua gente, aut professione illi Missionarij ad Sinas; Impatiens tamen silentij evulgavit tandem in Opere de verò Martyrio fidei, direxitque hunc in finem tractationem vltimam de prædicatione Evangelij ad Sinas, Iaponios, & alios Indos, vbi doctrinæ, aut tolerantiç Missionariorum è Societate Iesu apud Sinas attribuit quidquid continetur in Quæsitis propositis Sacræ Congregationi Cardinalium ab alijs Missionarijs, qui de novo illuc adventasse dicuntur, aperitque pag. 417. V. *Hoc considerantes*, è quib⁹ familijs Religiosis fuerint; de quo fides sit penes ipsum. Sæpeque in eo Tractatu inculcat quoddam Memoriale (vt vocant) oblatum Catholico Regi nostro Philippo IV. refertum eis narrationibus. Nec alia habuit fundamenta contra Missionarios Societatis, vt fatetur in Duplici Antidoto pagina 458. si addamus, iam anteà Dominicū Gravinam scripsisse de ijsdem, occultare Passionem Christi Catechumenis, & Neophytis imagines Xpi patientis.

218 Quod postremum quàm sit à veritate alienum, satis ostenderunt Raynaudus in Hoplotheca contra ictum calumniæ Sect. & serie 2. C. 15. pag. 269. Leodegariusque Quintinus in Theologia de veri Martyrij adęquatè sumpti notione, n. 107. pag. 91. Et recenter Franciscus Bellus Coadiutor Temporalis Societatis nostræ, homo notæ probitatis, qui in Sinarum Regno aliquot annis socius fuit Patrum Missionariorum, adveniens ex Insulis Philippinis attulit quatuor libros characteribus Sinensibus iam olim impressos industria, & cura Nostrorum, quibus in libris conspiciuntur exculti simæ imagines totius vitæ, & Passionis Christi cum declarationibus Mysteriorum; vnum ostendit in Civitate Mexicana DD. Inquisitoribus, vt ad oculum fierent certiores de calumnia adversus Missionarios Sinenses, ibique illum reliquit; tres alios adsportavit Romam, Madritum, exhibuitque videndos publicè. Petij coram Madriti anno 1659. vt pro Bibliotheca huius Collegij Salmantini vnum traderet; sed promiserat iam alij è nostris pro Bibliotheca Collegij Complutensis; & duos dederat Patri Magino Solæ comprouinciali suo, legatoque pro gravibus negotijs divini obsequij, & boni communis ad Regem nostrum ab Statu Ecclesiastico, & Sæculari Insularum Philippinarum, viro certè magnorū meritorum, qui ad Aragoniæ Provinciam eos secum tulit; & tam ipse, quàm Franciscus Bellus cum selecta manu Nostrorum expectant nunc Gadibus, vt se committant navigationi in Philippinas.

219 Quare facessat fabella illa de celata per Nostros apud Sinas Passione Christi, de non prædicato Christo crucifixo, de iconibus Christi patiētis exterminatis à sacris Ædibus. Miratur Hurtadus pag. 428. V. *Et quidem*, [quòd præfati Missionarij lingua Sinensi ediderint Catechismissmum omnia Mysteria Passionis Christi continētem, & tamen in Templis suis pictam imaginem Christi crucifixi non habēt, sed occultent, & occultandam ab alijs curent, vt enim aiunt PP. & Concilia, *Quod doctis est scriptura, indoctis est pictura.*] Sed satius fuisset, non dedisse locum admirationi, negata fide falsis rumoribus de imaginibus Xpi patiētis exclusis è Ecclesijs, nam nisi Nri cōmorantes apud Sinas sint hæretici Iconomachi (quod nō dicet Hurtad⁹) stare nō potest, vt tegant imagines Xpi patiētis, si aliunde prædicant Passionem eius, & in scriptis tradunt, nam eadem inconvenientia, quæ vitare intenderent, occultatis imaginibus ab oculis Neophytorum, incurrerent procul dubiò e-

nunciata

nunciata verbo, & scriptis Passione Christi.

220 Memoriale toties ab Hurtado repetitum, & doctissimum appellatum pag. 427. fuit forsan libellus quidam manuscriptus exhibitus in Consilio Indiarum, quales multi in eo Consilio, & in alijs sæpiùs exhibentur contra Societatem ab hominibus malè erga ipsam affectis, ne nobis vnquàm desit exercitium patientię. Quid inde? Estne ideo verum, quidquid in libellis huiusce conditionis dicitur? Sed addit Hurtadus in Duplici antidoto pag. 458. [fuisse informationem iuridicam præsentatam Regi Catholico, quam omnino dicere esse falsam quisque cordatus cohibebit linguam, & calamum.] Quasi informationes factæ à partibus suspectis, & productis testibus pellectis, aut suppositis non possēt fallaces esse; aut quasi ad Regias manus, vel aures non possent scripto; vel voce deferri falsæ insimulationes. Si Rex, aut Consilium Indiarum sentētiam pronunciasset in favorem informationis, aptiùs inde argumentaretur Hurtadus: at nec sententia prodijt; nec habita est ratio accusationis, quin potiùs despicatui est ducta.

221 Non diu post ad Regem N. & Consilium Indiarum delati sunt PP. Provinciæ Paraguayensis religiosissimæ, quòd in Regionibus Paranensi, & Vruguayensi secretas haberent ditissimas auri fodinas, quas excolebant, & quarum fructu potiebantur defraudantes Regem suis iuribus, & locupletantes millionidus auri Regna extranea, adversaque Coronę Maiestatis Catholicæ. Conspirarūt in hac delatione Decuriones plerique, incolæq; multi cuiusdam Vrbis; sparsum est murmur per Indias Occidentales, & Orientales, per Hispanias, totamque Europam, *& ad longas vias longa mendacia*, vt est in prouerbio: nec deerant, qui publicarent voce, & satyris metro cōpositis (quas legimus) milliones illos auri deportari à nostris Constantinopolim ad Turcam, aut iam in portis adesse Antichristum ditatum immensis gazis, copiosioribusque, quām Midæ, dono missis à Iesuitis Paraguayensibus. Adeò crevit rumor, vt instantibus Nostris commissa à Rege sit D. D. Ioanni Blazquez de Valverde Gubernatori, & Capitaneo Generali clarissimo Provinciæ Paraguayensis visitatio Regionum Paranēsis, & Vruguayensis; obivit eam diligentissimè, tulitque secum Dominicū Indum, qui inductus à Capitaneo quodam, heroque suo affirmarat interposito iurisiurandi sacramento, visas à se eas auri fodinas, pro quarum custodia excubabant complures milites armati in Castellis munitissimis. Sed cum Indus fuisset à Gubernatore deductus per difficiles, longasque vias ad locum à se designatum arrugiarum, Castellorum, millitumque excantatorum (*minas de oro. castillos, y soldados encantados*) Ibiq; nihil compareret, videns se deprehensum ad oculum in stropha manifestissima, fassus est, se non modò nunquā seruijsse Iesuitis in auri fodinis iuramento confirmatis, sed neque anteà intulisse pedem in eam Regionem Vruguayēsem; aperuit heri sui suasionibus imposuisse Iesuitis quæ dixerat. Quare Gubernator in Vrbe Assumptionis die 27. Septembris, anno 1657. iudicavit secundùm Societatem, damnavitq; Indū de enormissimo mēdacio, & periurio, sed abstinuit capitali pœna exoratus à Nostris. Herus autem Indi iam tunc migrarat è vivis; ast in extremo spiritu momēto constitutus timēs de proximo Deum vindicem retractavit coram Tabulario publico, multisque testibus crimen, quod Societati confinxerat. Eodem anno, die 2. Octobris, in eadē Vrbe Assumptionis protulit Gubernator sententiam in Decuriones, & alios supra indicatos, tanquā in delatores falsos, calumniatoresque patentes, quorū quatuordecim iam se ipsos revocarāt; & à Societate veniam fuerant deprecati, atque obtinuerant; vt & tres alij, quos constitit coactos fuisse, vt sua nomina subscriberent delationi cęterorū. Habeo vtriusque sententiæ exemplar authenticū impressum Limę an. 1658. die 11. Martij, pręunte relatione Doct. D. Thomæ Verjon de Cabiedes Fiscalis Regij meritissimi in Senatu Limēsi, & præconcessa facultate à Gubernatione. Acta totius causæ allata sunt ad Consilium Indiarum. Videat igitur Thomas Hurtadus, informationes pręsentatas Regi Catholico contra Societatē posse à quovis cordato dici falsas omnino, nisi suę Maiestatis contra eam definitiva sententia accesserit.

222 Sed inquit Thomas Hurtadus pag. 427. tom. de vero Martyrio fidei, §. *Caterùm*, nullam superesse defensionem pro Missionarijs Societatis apud Sinas, [Quia determinationes Sacræ Congregationis de propaganda fide exierunt in lucem ad extirpandam hanc praxim, quæ incipiebat in illa cõuersione Sinarum, à quocumque fuerit introducta, quod non disputo; sed refero quæ ex Memoriali vidi, quod obtulit mihi vir grauissimus N. & manibus omnium ferè teritur.] Sic ille, qui etsi dicat, se non disputare; sed tamen refert ex Memoriali apud se authoratissimo, eam praxim fuisse Missionariorum Societatis. Et cum ex ipsa fuerint antiqui Missionarij in Regno Sinarum, vt notum est in Orbe Christiano, & qui ex alijs cœtibus Religiosis denuò cupiebant prædicare ibidem Evangelium, proposuerint Quęsita illa Sacræ Congregationi ad antiquiorum Missionariorũ eliminandos abusus, planum relinquitur, reos fuisse Iesuitas. Idque movit Hurtadum ad intrudendum Operi suo de vero Martyrio fidei Tractatum de Prædicatione Evangelij ad Sinas post Tractatus de Choro Ecclesiastico (quo caret Societas) & de Tõsura Clericorum; sed hunc potuisset omittere, cum Clerici nostri incedant cũ corona, vbi maius Dei obsequium, & proximorum salus non suadet aliud.

223 Occurro Thomæ Hurtado. Sacra Congregatio in Responsis nullam fecit mentionem Missionariorum Societatis. Proposita quidem fuerunt illa Quæsita, & scopus quærentiũ videntur fuisse Missionarij Societatis; sed Sacra Congregatio prudentissimè eos non nominavit, respondit que ad Quæsita vt ad casus de possibili, vel de futuro contingenti. Quod si vt ad casus de præterito etiam, ne in posterum similia fierent; si item qui quæsierunt, veriati fuerant in Missionibus apud Sinas, posset quis dicere, abusus correctos in Responsis fuisse horum Missionariorum, minimè verò Missionariorum è Societate; & qui id diceret, nõ poterit convinci ex Responsis, neque ex Decreto, quod succedit, de eis obseruandis [ab omnibus, & singulis Missionarijs cuiuscumque Ordinis, Religionis, & Instituti, etiam Societatis Iesu in Regnis Sinarum, aut China pro tempore existentibus, vel extituris.]

224 Etsi autem Sacra Congregatio ne vnum verbum de Missionarijs Societatis interseruerit in Responsis, tamen quia qui proposuerunt Quęsita, videbantur respexisse ad illos, diuulgatum à nonnullis est, & maximè à Thoma Hurtado, Missionarios Societatis exercuisse apud Sinas ea omnia, quę cõtinebantur in Quęsitis. Sed Deo immortales grates, & ipsius in terris Vicario Sanctissimo Dño Nostro Alexandro VII. prosperè nunc gubernanti Ecclesiam, & vtinam gubernet diutissimè! quòd bono nomini virorum Evangelicorum è Societate apud Sinas recenter prospexerint in præmium tot laborum, quot pro fide Christi dilatanda inter Sinas sustinuerunt, & adhuc sustinent infractis animis.

225 Prodiere anno 1656. die 23. Martij

Responsa Sacræ Congregationis Vniuersalis Inquisitionis à SS. D. N. Alexandro VII. approbata ad Quæsita Missionariorum Societatis Iesu apud Sinas. Quibus in Responsis initio dicitur, *Ab aliquibus in Regno Sinarum Missionarijs proposita fuerunt anno* 1645. *Sacræ Congregationi de propaganda fide infra scripta, & alia quàm plurima Quæsita, quæ Sacræ Congregationi Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis de mandato Sanctissimi transmissa, singula fuerunt à Theologis Qualificatoribus qualificata, & vnicuique suum Responsum adaptatum in hunc, qui sequitur, modum.* Et modus quidem brevior est, quàm qui in Quæsitis, & Responsis anni 1645. Posteà verò additur, *Caterùm cum Missionarij*

sionarij Societatis Iesu in prædicto Regno tunc temporis auditi non fuerint, anno elapso 1655. eidem Congregationi de propagandà fide prædicta quatuor Quæsita proposuere, cum ex facti diuersitate, quæ vnicuique Quæsito est apposita, &c. Res ad eandem Sacram Cõgregationem Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, iubente Sanctissimo Domino Nostro, remissa. Eadem Sacra Congregatio, auditis Qualificatorum votis, in sequentem sententiam respondit.

226 De his posterioribus Responsis altum silentium apud Hurtadũ, & apud Illustrissimum, Reverendissimumq; Archiepiscopum Hispalensẽ D. F. Petrum de Tapia, etsi edita sint vno anno ante Duplex Antidotum, & ante secundum tom. Catenæ Moralis. Constat verò ex præloquio ad ea, Missionarios Societatis apud Sinas non fuisse auditos, quando priora Responsa reddita sunt; constat item de diversitate facti in Quæsitis prioribus, & posterioribus, nam priora proposita sunt ex rumore quodam non benè fundato circa modum, quo se cum Sinis gerebãt Missionarij Societatis. Sed placuit Deo, vt post decem annos veritas panderetur, sicque eò magis rutilaret, quò plus vẽtilata. Porrò diversitas facti tanta est in vnoquoq; è posterioribus Quæsitis, vt Responsa posteriora sint omnino dissimilia prioribus, & talia, vt approbẽt, quę Missionarij Societatis maturo cõsilio exercuerant, aut tolerarant in Sinis Neophytis.

227 Gratum erit audire Quæsita aliqua posteriora, & Responsa ad illa. Sed non referam, nisi quę loquuntur de actionibus, quas affecti maiè erga Societatem interpretabãtur tanquã Idolalitricè sacrificas, & cęremonias falsæ sectæ. Itaque in pag. 10. impressionis Romanæ ex Typographia Rev. Cam. Apost. dicitur,

Tertiò quæritur, Num accipiendorum Graduum cæremoniam, quæ fit in Aula Confutij, Christiani litterati agere valeant? Nam nullus interuenit Sacrificulus, vel ex Idololatra secta Ministellus, nihil omnino fit ab Idololatris institutum; sed soli Studiosi, & Philosophi conueniunt, Confutium tanquàm Magistrum suum agnoscentes ciuilibus, ac politicis ritibus ex sua prima institutione ad merum cultum ciuilem institutis. Omnes enim graduandi simul Aulam Confutij ingrediuntur, in qua eos expectant Cancellarij Doctores, ac Examinatores; ibi simul omnes ante nomen Philosophi, nihil omnino offerendo, illas faciunt cæremonias, & inclinationes more Sinico, quas omnes Discipuli faciunt suis Magistris viuis; atque ita cognito Philosopho Confutio pro Magistro, Gradus accipiũt à Cancellarijs, ac discedunt. Præterea Aula illa Confutij Gymnasium est, & non Templum propriè dictum, nam clausa omnibus est, præterquàm Studiosis. Sacra Congregatio iuxta ea, quæ superius proposita sunt, censuit, permittendas Sinensibus Christianis prænominatas cæremonias, quia videtur cultus esse merè ciuilis, & politicus.

228 *Quartò quæritur, Num cæremoniæ, quæ sunt ex Philosophorum placitis circa defunctos, Christianis permitti possint, prohibendo*

prohibendo quidquid superstitiosum accessit? Quæritur iterùm, Num Christiani simul cum infidelibus consanguineis eadem licitas cæremonias facere possint? Quæritur iterum, Num adesse possint Christiani, præcipuè facta fidei protestatione, quando infideles etiã superstitiosa peragunt, non cooperando, aut authorizando, sed quia valde notaretur, si consanguinei tunc abessent, & essent inimicitiæ causa, ac odij? Sinæ nullam diuinitatem animabus defunctorum concedunt, nihil ab illis sperant, aut petunt. Triplex est modus, quibus defunctos suos honorant. Primus est, cum aliquis moritur, siue Christianus sit, siue Gentilis, pro inuiolabili more habetur, in domo defuncti quoddam altare præparare, in eodemque imaginem defuncti, seu tabellam collocare, in qua eius nomen scriptum est, cũ ornatu odorum, florum, & candelarum, retròque cadauer feretro inclusum ponere. Omnes autem, qui ad condolendum domos illas ingrediuntur, coram præparata tabula, & defuncti imagine ter, vel quater genuflectunt, humi se se prosternentes capitibus vsque ad terram demissis, aliquas secum candelas asportantes, & odoramẽta, vt in præparato illo altari, seu potiùs tabula coram defuncti imagine consumentur, & comburantur. Secundus modus est, qui fit bis in anno, in auorum, & primogenitorum suorum Aulis, ita Sinæ vocant, & non Templa, hoc enim Tsu tang sonat: quæ verè familiarum memoriæ, vel monumenta sunt, has soli habent Magnates, aut ditiores Consanguinitates, in eis nullus sepelitur mortuus, sed in montibus. Sola ergo intus nobilioris proaui imago, deinde suprà gradus alios alijs altiores dispositæ sunt tabellæ ad palmi altitudinem, in quibus omnium in illa familia defunctorum nomina, qualitas, dignitas, sexus, ac ætas scripta sunt, dieſque mortis etiã infantium, & puellarum. In hac ergo Aula bis in anno cõsanguinei omnes conueniunt, ex quibus ditiores offerunt carnes, vinum, candelas, odoramenta. Pauperiores autem, qui has Aulas habere non possunt, defunctorum suorum tabellas domi seruant, vel in loco particulari, vel etiam supra altare, vbi Sanctorum imagines, qui ob loci, ac domus paruitatem alium locum non habent; quas tamen nec venerantur, nec illis offerunt quidquam, sed ex defectu alterius loci ibi sunt. Cæremoniæ enim illæ supradictæ à Sinis nõ fiunt, nisi in Aula defunctorum; quam si non habent, etiam cæremonias omittunt. Tertius modus est, qui fit ad mortuorum sepulchra, quæ omnia in montibus sunt extra mœnia iuxta Regni leges. Ad hæc filij, aut affines accedunt semel saltem in anno circa initiũ Maij, herbas, ac gramina circa sepulturas nata eradicant, pur-

gant,

gant, plorant, deinde eiulantur, genuflexiones, vt in primo modo dictum est, faciunt, cibos coctos, vinumque disponunt. Mox finitis lachrymis edunt, ac bibunt. Sacra Congregatio iuxta ea, quæ superiùs proposita sunt, censuit, posse tolerari Sinas adhibere dictas cæremonias erga suos defunctos, etiam cum Gentilibus, sublatis tamen superstitionibus. Posse etiam assistere tantùm cum Gentilibus, quando agunt superstitiosa, præsertim facta fidei protestatione, & cessante periculo subuersionis, & quando aliter odia, & inimicitia vitari non possint. Sic illa Responsa, quæ sunt approbata à Sanctissimo D. N. Alexandro Papa VII.

229 Præfatas itaque actiones, & cœremonias tolerabant Missionarij Societatis in Sinis Christianis, tolerantque etiam nunc, quoadvsq; Christiana Religio altiores agat radices, nã cum ei non aduersentur ritus illi, dictat prudentia, ne nimio zelo removendi patrios gentis mores afferatur impedimẽtum Evangelio in natione obseruantissima suorum rituum, & cœremoniarum civilium, ac politicarum, si quæ alia inter cæteras Orbis. Sic se gesserunt Apostoli, successoresque ipsorum in Provincijs, quas ad fidem Xpi traduxerunt è Paganismi tenebris, vt innumeris exemplis confirmare possem. Et quia hæc, quæ dixi, permittebant Nostri, inde factum est, vt aduersarij Societatis attribuerent Ipsis tot alia, quot ex prioribus Quæsitis, & ex Memoriali enarrat Thomas Hurtadus, & à quibus Nostri remotissimi erant, vt quòd liceret offerre externè Sacrificia Idolis, dummodò abesset animus idololatrandi, deferreturque secretò crux, ad quam dirigeretur adoratio, &c.

230 Ac sanè si Hurtadus tam diligens fuisset in colligẽdis Decretis, quę è Romana Cortyna prodeunt in fauorem Societatis, quàm est in aduersis penes suum iudicium, non latuissent ipsum posteriora hęc Responsa, potuisserque in Duplici Antidoto recantare, quæ scripserat in Tract. de Prędicatione ad Sinas. Sed quia id omisit, visum nobis est satisfacere paulò latiùs, ne in rebus tanti momenti periclitetur bona existimatio Nostrorum versantium apud Sinas, summisque molestijs, & sudoribus propagantium veram religionem. Quibus sic benemerentibus de Christo, de Sede Apostolica, deque tota Christiana Republica tales referri gratias ab Hurtado, æquum non est.

SECTIO XVIII.

Conuertitur in Modernum quendam nota de nouitatibus, qua inurere tentat Scriptores Societatis Iesu.

231 SED quia Thomas Hurtadus occasione abvsuum, quos attribuit Nostris in prędicatione Evangelij ad Sinas, & quos derivatos ait ex novitatum vitiligine passim ab ipso exprobrata viris è Societate, longissimas conficit orationes invectivas adversus novitates, vt videre est in integris paginis 415. 416. 417. rursus 420. vsque ad 426. inclusiuè, idcirco decrevi addere Sectionem hanc. In qua primùm observo, si Nostri permisissent Neophytis Sinensibus cœremoniarum falsę sectę exercitium simulatum, & citra animum, atque intentionem seriam adorandi Idola, quia censerent, ob metũ gravis damni excusari, quando non vrgeret præceptum confessionis fidei, & abesset scandalũ; at hæc nõ fuisset novitas inducta à Nostris in mundum, sed Caietani, & Bartholomæi de Medina insignium Thomistarum opinio, vt agnoscit ipsemet Hurtadus pag. 467. laudandumq; esset in Nostris, quòd suasissent occultam gestationem crucis, ad quam dirigeretur

tur adoratio, sic enim magis exprimeretur à Neophytis animus, & intentio non adorandi Idola. Vt quid ergo tot de novitatib⁹ Iesuitarum exclamationes? Heu miseri Iesuitæ in tribunali Thomæ Hurtadi! Siue enim sequantur vestigia Caietani, siue ab eis discedant, novatores sunt, & novarum rerum studiosi, atque artifices.

232 Secundò observo, debuisse Hurtadum in puncto de novitatibus silere, nam iuxta adagium Hispanum, *quien tiene el tejado de vidrio, no tire piedras al de su vecino*, id est, qui alterum accusat, debet se ipsum extra omnem culpam præstare. Et vtor proverbijs Hispanis, quia Hurtadus ad incitas nos redegit in Latinis, exhausit enim omnia Erasmi, vt detorqueret contrà Nostros, provt iam ante me notavit satis facetè Leodegarius Quintinus. Quòd verò Hurtadus in puncto de novitatibus non sit immunis ab omni notâ, planum faciam delibato vel solò vno illius Tractatu de Sacerdotibus solicitantibus in Confessionario, qui habetur parte 1. Resolutionum Moralium ex pag. 139. Eligoque hunc Tractatū, cum æquè possem alios suorum Operum, quia in hoc habet sermonem de simulationibus quibusdam; egi autem in præcedentibus Sectionibus de consimilibus alijs.

233 Igitur Tract. 4. num. 21. ait Hurtadus, [Vt Sacerdos dicatur simulare confessionem, simul & Pœnitens, non sufficit, quòd ille sedeat in Confessionario, & ille sit flexis genib⁹ coram illo colloquendo.] Et num. 81. [Sacerdos non simulat, nisi impertiatur absolutionem fictam, & simulatā;] idq; quantumvis omnes adstantes iudicent, fieri ibi confessionem ob plura signa externa eam significantia. Vnde talis Sacerdos non est denunciand⁹ DD. Inquisitoribus, etsi solicitet in Confessionario Pœnitentem, concurrantque multæ apparentiæ prudenti cuiq; indicantes dispensationem Sacramenti confessionis, dummodò non pronuncientur absolutionis verba.

234 Quæ doctrina nova est, nam Authores laudati ab Hurtado numero 21. & seqq. asserunt quidem, simulationem contingere, quando proferuntur verba absolutionis, non tamē dicunt, non posse contingere, nisi proferantur, optimè enim fiat, vt prolatio verborum sit sufficiens ad simulationem, & quod sufficiens etiam sit genuflexio in Confessionario cum tunsione pectoris, & signatione crucis. Trimarchius quidem Tract. de Confessore abvtente Sacramento pœnitentiæ, Disp. 3. num. 8. dixit, requiri, quod Confessarius in fine fingat etiam, se absolvere fœminam; secundō expressit, vti Hurtadus, dari aliter non posse simulationem sufficientem. Portel citatur invtiliter in Dubijs Regularium V. *Solicitare*, num. 12. siquidem solicitationem, quę fiat in Sacramento cōfessionis vero, dicat obnoxiam denunciationi; non autem, quæ fiat in simulato; sensitque, teste ipso Hurtado, n. 66. non esse denunciandum Sacerdotē, si proferat simulanter verba absolutionis.

235 Sed Portel scripsit hæc ante Gregorij XV. Bullam editam anno 1622. & incipientem, *Vniuersi Dominici gregis*, vbi Gregorius iubet puniri severissimè, *qui personas, quascumque illæ sint, ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu cōfessionis huiusmodi, etiam Sacramentali confessione non sequuta, siue extra occasionem confessionis, aut in loco quocūque, vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint.* Quare post hanc Bullam censuisset aliter Portel.

236 Videtur assentiri Thomę Hurtado Christophorus à S. Ioseph tomo 1. Receptarum opinionum Moralium pag. 341. inquiens, [Et hanc sententiam ita extendit Hurtadus, vt petat signa expressa confessionis, vt signatio, tunsio pectoris, &c. Et probatur,] &c. Sed Christophorus non exprimit necessitatem absolutionis simulatę; & quanvis in huius exigentia cōueniret, hoc ipso quòd solū citet Hurtadum, significatur, eum fuisse primū Authorem talis exigentiæ.

237 Nec tantùm nova est doctrina Hurtadi, sed etiam valde difficilis, quia videtur casum reddere denunciandi obligationem; quæ tamen

vt

vt summè necessaria commendatur à Pontificibus, & ab Inquisitoribus. Nã si praxim consulamus, quis erit Sacerdos solicitans? Quis denunciandus titulo solicitationis in simulata confessione? An qui exteriùs pronunciet formam, *Ego te absoluo*, &c, isque solus? Sed quisnam vòlens solicitare fœminam genuflexam in loco confessionibus deputato, & tundentem pectus sub signo crucis, adeò erit stolidus, vt post longa colloquia cum ipsa de rebus inhonestis non abstineat à proferendis verbis absolutionis, contentus, vt deludat adstantes, formare benedictionẽ, & submurmurare, atque mussitare alia verba diversa? Nisi Sacerdos sit bardus, aut nisi solicitet, vt denuncietur, consulet sibi, tacita forma. Et rogo, si coram DD. Inquisitoribus compareret Presbyter de solicitatione accusatus, & diceret, *Ego quidem solicitaui, sed non simulando confessionem; non enim impertitus sum absolutionem*, an ne immunis à pœna emitteretur foras?

238 Et quanuis finis legis non cadat sub legem, tamen quando esset frustranea, & invtilis sine tali fine, debet is attendi; sic enim legis mens magis attendenda est, quàm verba ex *leg. Scire leges ff. de Legibus, leg. Non aliter ff. de Legatis 3. leg. Nominis, & rei §. Verbũ ex legibus ff. de Verborum significatione.* Bullæ autem Gregorianæ præcipientis denunciari non modò solicitantem in confessione; sed etiam sub eius simulatione, finis substantialis, & sine quo eiusmodi præceptum evanescit, videtur esse, ne simulatio confessionis ansa sit solicitationi. Ast erit abundè, & ad voluntatem, sub manuque Sacerdotis sacrilegi, si confessionis alia signa intercedant, etsi non accedat prolatio verborũ formæ absolutionis. Quid? quòd Gregorius XV. non dicit *simulantes cõfessiones* sine alio addito, sed *simulantes confessiones audire*; auditio verò confessionis fit perfectissimè ante absolutionis formam, qua Sacerdos nõ audit, sed loquitur. Quid etiam? quòd Gregorius XIII. in Bulla publicata an. 1574. & inchoante *Officij nostri partes*, qua cõmisit DD. Inquisitoribus puniendos Laicos fingentes se Sacerdotes, dum voluit comprehendere simulationem etiam absolutionis, addidit, *confessiones, ac absolutionem impertiri.* Ergo vbi præcisè Gregorius XV. dixit, *simulantes confessiones audire*, frustra ad hanc simulationem requiritur absolutio.

239 Idem Hurtadus ex num. 62. censet, esse probabilius, non solicitare propriè Confessorem, qui in Confessionario dat fœminæ chartam provocativam ad Venerem. Pro qua maiori probabilitate citat Castrum Palaũ Tract. 4. Disp. 9. punct. 4. num. 3. Qui tamẽ sic loquitur, [Hæ rationes probabilem videntur reddere partem negantem, talem scilicet traditionem chartæ non esse solicitationem comprehensam in Bullis, si charta non immediatè post susceptum Sacramentum legatur, sed transacto iam tempore. Verùm quia hoc delictum grauissimũ, & pernicioſissimum est, præcaveri debet, & coerceri omnis occasio illud cõmittendi.] Notetur verbum *videntur*; item verba illa, *si charta non immediatè*, in quibus vt conditio necessaria, ne solicitatio denunciabilis sit, additur, quòd legatur charta, transacto aliquo tempore post confessionem: item ea alia, *verùm quia hoc delictum.* Ast Hurtadus non ait *videntur*, sed *contraria sententia videtur mihi probabilior*; non apponit vt conditionem necessariam, quòd lectio chartæ fiat aliquantò post confessionem, sed apponit tantùm vt conditionem ad melius esse, inquit enim, *quæ omnia maiori sunt firmata robore, si mulier non statim aperiat chartam post confessionem*; omittitque Hurtadus similia verba finalibus Castri Palai, in quibus hic Author amplectitur partem affirmantẽ; & quia dixit rationes quasdam videri reddere probabilem partẽ negantem, displicet mihi, vt & Machadus Lib. 7. de Perfecto Confessore, parte 1. Tract. & Documento 2. num. 1. dicens idem ipsum, & exprimens vt conditionem necessariam, quòd charta non legatur proximè, & immediatè. Quare sententia Hurtadi de maiori probabilitate partis negantis discordat à verbis, & mente Castri Palai, essq; nõua prolata absolutè, & sine limitatione, videturque, relinquere ostium apertum solicitationibus impunè faciẽdis; & perinde apparet solicitare per scripturam, ac per vocem, aut nutus. Legatur Leander p. 1. de Sacramentis Tract. 5. Disput. 13. quæst. 15. contra Hurtadum insurgens, etsi illi faveat Christopho-

Christophorus à S. Ioseph supra, allegans Castrum Palaum ex fide illius.

240 Idem Hurtadus num. 86. inquirit an denunciari debeat Sacerdos solicitans, si iudicetur emendādus aliter? sentit, non debere denunciari, & ait, iudicari emendandum, [si sit persona gravis, & maximæ æstimationis in Republica, propter quam non amittēdam timore saltem pœnæ emendabitur.] Et in num. 473. [Si homo insignis authoritatis, aut gravitatis semel, aut iterùm solicitasset, præsumēdum est, emendatum iri, & sic non esse denunciandum.] Iterùm num. 722. [Si Confessor solicitans non est diffamatus de solicitatione, & est alias bonæ vitæ, & conversationis, & benè opinatus vbi moratur, si solicitata persona habet prudentiæ dictamen, quòd rectè sentiat de fide, licet peraccidens abutatur Sacramento pœnitentiæ, atque ita quòd in illo deficiat præsumptio, & ratio legis, non est denunciandus, si semel, aut iterùm solicitet eandem personam; sed potest, & tenetur ipsum fraternaliter corrigere.] Sic ille, qui in recursu illo ad authoritatem personæ solicitātis, & ad præsumptionem de rectitudine fidei, vt credatur emendanda, ne obligatio denunciandi vrgeat, nō habet Authorem, quem citet, aut sequatur, & ideo in priori loco ait, *addo ego*; & ex priori loco ipsū allegat Leander supra, quæst. 6. Sed nec approbando, nec reprobando. Et quidquid sit, an ratè, vel frequenter accidat, quòd solicitans, non in Sacramento, sed simulando, sentiat malè de fide, negari non potest, Hurtadianam hanc doctrinam esse novam in materia solicitationis.

241 Idem Hurtadus num. 87. & sequentib⁹ præsentat vt doctrinam, quæ alicuius iudicio videbitur non improbabilis, [Si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest absoluere ipsum.] Quibus in verbis si solummodò vult, solicitantē manere cū potestate absolvendi, & non teneri ad admonendum Pœnitentem de onere denunciandi solicitantem, rem dicit, ad quam supervacaneæ sunt præfationes illæ in eodem num. 87. [Hic modus alicui forsan non videbitur improbabilis, etsi ego iudicium vltimum nō feram, ipsum tamen subijcio, vt sapiē-tiores iudicent; quorum iudicio meū submitto.] Remetiam dicit assertam à multis, quos ipse proximè refert. Si vult, solicitatum, qui sit a solicitante absolutus, & non monitus de onere denunciandi, manere in posterum absque tali onere, placitum Hurtadi est novū, nam Gregorius XV. in Bulla præcitata mandat clarè *omnibus Confessarijs, vt suos Pœnitentes, quos nonerint, fuisse ab alijs solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, vt præfertur, tractantes Inquisitoribus:: Quòd si hoc officium prætermiserint, vel Pœnitentes non teneri ad denunciandum solicitantes, seu tractantes vt supra; ijdem ::: Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.* Quare Pœnitens solicitatus non manet liber ab obligatione denunciandi, sed quāvis a solicitante nō fuerit admonitus, tenebitur denunciare, quando vel ab alio Confessario moneatur, vel aliūdè noscat onus, quo gravatus mansit, & quod si novisset anteà, nō fuisset validè absolutus à Confessario solicitante, nisi iustæ causæ in casu obtinendi absolutionem ante denunciationē habuisset intentionem denunciandi, quia si hanc non habuisset, existeret in voluntate peccandi contra gravissimum præceptum Pontificium.

242 Nihilominùs Hurtadus videtur proponere vt quid alicui forsan iudicandum non improbabile id, quod novum dixi, nam in summario §. 2. ait, [Secundus modus evadendi denunciationem ponitur.] Et in §. 1. egerat de primo modo consistente [in correctione fraterna, si adsit spes emēdationis,] & accedens ad secundū modum inquit in n. 87. [Secundus modus evadendi denunciationem,] posteàque in eodem numero, & in 88. repetit exemptionem ab onere denunciandi. Et ita citat Dianam, Trimarchium, Freytas, alioſque doctos viros, quos consuluit, & nominat, vt Lector quisque intelliget adduci eos pro prefata exemptione, nisi corrigat iudicium ex verbis antecedentib⁹ Hurtadi, [Hic modus,] &c, nam si tot Authores, virique sapientes, & pij favent ei exemptioni, cur loquitur Hurtadus tā cautè, cur ambulat quasi qui per extensum funem?

243 Idem Hurtadus num. 36. inquit, [Si tam Pœnitens, quàm Cō-

fessor

fessor ex composito, vt facilùs vacent libidini, quàm alibi non possunt explere, propriè, & rigorosè simulent confessionem, ille tundens pectora, & signans se cruce; iste signa externa absolutionis præbens, dicendum, omnino certum esse in casu proposito nullam esse obligationem denunciandi.] Additque n. 41. [Quanvis simulans confessionem audire, priùs solicitet, scilicet vt in Confessionario exerceant actus impudicos, de quibus convenerant domi, non tamen est reus Bullæ Gregorij,] quod repetit n. 331. Estque novum, vt affirmatum tanquàm omnino certum, nam à nullo sic asseritur: Ioannes Sanchez, qui citatur, scribit D. 11. n. 26. [Quòd si ad invicem fiat solicitatio, à fœmina scilicet primò, à Confessario deinde.] Idem prorsus habent Castro Palao T. 4. D. 9. puncto 5. n. 4 pag. 562. linea 3. Trullench L. 1. in Decalogum C. 3. dub. 18. n. 51: Machadus Lib. 7. p. 1. Tract. 2. Doc. 6. n. 4. Acuña art. 11. in ipso titulo expressè proponit; [quòd mulier priùs solicitet, & deinde arripiat Confessarius occasionem exercendi turpem actum.] Sic etiam loquuntur Freytas, Bonacina, Portel, & non de resolicitatione, quippè licet fœmina occasionē peccandi dederit Confessario, at non resolicitandi, neque enim fœmina petivit resolicitationem, sed actum turpem, ad quem, & non ad resolicitationem Confessor provocatus fuit, vt notat Sousa in Opusculo de Confes. sol. Tract. 1. C. 6. num. 9. Qui, & reliqui Authores anteriores Hurtado, vt & posterior Christophorus à S. Ioseph supra, num. 11. excludunt expressè solicitationem factam priùs à Confessario. Et quanvis pro eodem accipiant tacitam solicitationem, & expressam incipientem à fœmina, siquidem taciti, & expressi idem sit iudicium, *leg. Cum quid, leg. Si filius fam. ff. Si certum petatur, leg. vltima, ff. de Legatis 2. leg. Item quia ff. de Pactis, leg. vltima C. Qui bonis cedere possunt*: nullus tamen est, qui ob præcedentem conventionem, & colloquutionem domi factam reputet solicitationem tacitè inchoari à fœmina in Confessionario, si Sacerdos exordiatur solicitare ibi. Præterea Gregorius XV. non solùm iubet, denunciari Confessarios solicitātes, sed eos etiam, qui cum personis, quæcumque illæ sint, sub prætextu confessionis habuerint illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus.

244 In num. 57. scribit Hurtadus, [Si fœmina virgo sit, & solliciter ad copulā, & Confessor ob maximum malum, quale est amissio virginitatis, divertat ad actus impudicos, & ad pollutionem voluntariam,] non est reus Bullæ Gregorianæ. Sed quanvis illud de diversione ad actus impudicos doceatur à Castro Palao Tract. 4. D. 9. punct. 5. num. 4. & à Trullench L. 1. in Decalog. C. 3. dub. 18. num. 51. ast illud aliud de diversione ad pollutionem seorsim à copula est doctrina nova, habensque multum difficultatis, nam Confessor solicitat verè ad actum, ad quem neq; implicitè est solicitatus à fœmina, & quem fatetur Hurtadus esse in genere luxuriæ maius peccatū, & gravius apud Deum, quàm stuprum; genus autem luxuriæ est valde horribile in obeunte munus Confessarij, qui solicitando ad pollutionem *abutitur sacrosancto pœnitentiæ Sacramento, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigit, & ex Cœlesti Medico Infernalis Veneficus, ex Patre spirituali proditor exsecrabilis animarum redditur*; quæ sunt ponderosissima verba Gregorij XV. in ea Bulla contra Sacerdotes solicitantes in confessionibus.

245 Est etiam nova doctrina Hurtadi aientis n. 43. [Mulier, quæ assolet in Confessionario alloqui de turpibus, & actus inhonestos exercere, & sic veniens ad hunc locum implicitè, & tacitè ostendit amasio suum amorem lascivum,] licet solicitetur à Confessario, non est iste denunciandus. Etsi verò ab Hurtado citetur Bonacina in Tractationibus varijs D. 6. punct. 3. n. 17. V. *Ex quo licet*, hic tamen solùmodò excusat, vt ex vi Const. Apost. denuncietur actus turpis exercitus, non autem solicitatio; & saltem de hac nō loquitur expressè, vt Hurtadus.

246 Qui in n. 44. & seqq. existimat, si mulier consentiat solicitationi, probabile esse non teneri ad denunciandum, quanvis contrarium sit securius. Et n. 236. cum ex Trimarchio retulisset, esse improbabilem, scandalosam, contra ius naturale, contra Bullas Pontificias, & contra Decretū Vrbani VIII. sententiam Porteli dicentis, fœminam consentientem non teneri ad

denunciandum, subdit n. 237. [Hoc Vrbani VIII. Decreto secluso, eam sententiam probabilem esse, non scandalosam, non contra ius naturale, imò illi conformem, non contra Bullas Pontificias.] Concluditq; in n. 239. [Si sit ignorantia talis Decreti, Pœnitentē posse sequi eam opinionem,] dum talis ignorantia duret.

247 Sed in primis novum est, vt absolutè dicatur probabile, & securū, sicut in n. 44. & seqq. quod eò ipso tēpore erat improbabile, & iniutum ob Decretū Vrbani VIII. iam tunc extans, & notum. Et timeri vehementer potest, ne Lector videns censuram absolutam de probabilitate, & securitate in n. 46. & 47. quin moneatur de adeundo n. 237. consulat in praxi iuxta censuram illam. Deinde Gregorius XV. absolutè iusserat denunciari solicitantem; & quòd mulier solicitationi cōsenserit, nihil impedimenti ad denunciationem affert, nam taceri potest cōsensus, imò, si opus sit, per æquivocationem negari à fœmina, vt porè quæ iuridicè interrogari non valeat de suo consensu, & accusatio solicitantis nullam mereatur fidem, prout declaratum est in Epist. Cardinalis Mellini data Romæ anno 1624. die 27. Septembris ad Cardinalem Fredericum Borromæum: quam Epistolam vocat Hurtadº Decretum Vrbani VIII. quia hoc approbante est edita ea Declaratio in Inquisitione Romana. Quapropter cum consensus mulieris non debeat aperiri ab ipsa, neque ei afferat plus infamiæ, quàm si non accidisset, non est titulus excusandi denunciationem. Quòd si liceret nō denunciare, eo quòd forsan putandum sit, fœminam consensisse, sequeretur, hanc nunquàm obligari ad denūciationem, semper namq; timere posset, accusandam se de consensu esse à solicitante; isque, si sciat, sic se evasurum denunciationem, minabitur semper accusationem.

248 In n. 114. iudicat Hurtadus tanquàm valde probabile, quòd Laicus audiens Confessorem solicitantem, & qui scit sub secreto naturali solicitationem factam, vel etiam sine tali secreto, non teneatur denunciare, nam Bulla Gregoriana solùm obligat solicitatos. Vnde pro hac sententia allegatur à Leandro suprà, quæst. 45. sed cum adnotatione de limitatione appositā in n. 262. scilicet nisi Sacerdos solicitās non sit emendatus, nec sit moralis spes de eius emendatione. Sed novum est, vt qui in num. 114. dicit quod retuli, posteà in n. 244. statuat obligationem denunciandi ob Edictum DD. Inquisitorum, [quando quis audivit à fœmina bonæ famæ, prudenti, & timoratæ conscientiæ se solicitatam fuisse à Sacerdote nominato.] Et vt Leander nō advertit ad n. 244. quia Hurtadus in n. 114. non se remittit ad n. 244. ita facilè Lectores alij poterunt nō attendere, quare ex priori loco erit magnum periculum, ne consulant iuxta eius doctrinam, cum tamen Hurtadus dicat de doctrina num. 244. esse dogmaticam, & doctrinalem, & Leander esse sibi certissimam.

249 In n. 125. putat Hurtadus vt probabilius, quòd non sit reus Bullæ Gregorianæ, neq; denunciandus ex vi eius, aut aliarum contra solicitantes editarum Sacerdos ille, qui solicitet in confessione, quam non potest excipere ob defectum iurisdictionis. Est tamen novum, & mirissimum, vt qui sic putavit ibi, postmodùm in n. 310. scribat, [In primis certū debet esse, quòd Sacerdos non habens iurisdictionem ab Ordinario, & confessiones excipiens, si in illis Pœnitentes solicitet, est reus Bullæ Gregorianæ, & aliorum Pontificū, qui de hac materia Diplomata dedere.] Vnde Leander supra, q. 39. exertè ait, fuisse Hurtadum oblitum sui. Sed ipsum in n. 125. sequitur; non ego, nam Gregorius XV. post Bullam Pij V. quam confirmat, & ampliat tā ad masculos, quàm ad fœminas, & extra confessionem, &c. loquitur absolutè de omnibus, ac singulis Sacerdotibus; & ideò vt obnoxietatem denunciationi extendit ad solicitantes quarumcumq; personarum, & obligationem denunciandi ad quascumque personas solicitatas, ita putandus est extendisse obnoxietatem illam ad solicitātes Sacerdotes omnes, & singulos, quantumvis veram confessionē non audiant, siquidem possunt, simulare; & Gregorius comprehenderit simulatam confessionem, de qua Pius IV. non fuerat loquutus. Præterea, quando Cōfessarius expositus ad confessiones audiret à Moniali v. g. casum reservatum, pro cuius absolutione expers esset iurisdictionis, si tunc solicitaret Monialem, maneret

obnoxius

obnoxius denunciationi, vt mihi persuadeo; & tamen tunc confessionem illam non posset excipere.

250 In num. 890. scribit Hurtadus, [In casu denunciandi solicitantem in confessione valent excusationes, quæ valēt in alijs delictis, quę in Edictis aliorū Episcoporum, & Prælatorum Regularium ::: Vnde solùm hoc discrimen est inter Edictum DD. Inquisitorum, & aliorum Ordinariorum, quòd istorum Edictum finitur in illa civitate, vel domo Regulari, finita visitatione in illa; at illorum nunquā finitur Edictum, etiam trāsacto termino præfixo, sed semper perpetuò manet.] Allegat Portelum V. *Solicitare*, n. 17. & 18. Sed Portelus in n. 19. expressè notat, defectum probationis deobligantem in alijs Edictis non valere in Edicto DD. Inquisitorum circa casum fœminæ solicitatæ; ipseque Hurtadus num. 203. dixerat, esse improbabile practicè, quòd, vt Sacerdos solicitator denuncietur, requiratur diffamatio de crimine solicitationis, & in n. 213. exhibet discrimen ad alia Edicta: præcipiturq; in Edicto DD. Inquisitorum denunciari Confessarium solicitantem, nulla præmissa monitione, secus ac debet per se fieri in denunciationibus vi Edictorū, quę ab Episcopis, & Prælatis Reg. intimentur. Quapropter nova est doctrina illa Hurtadiana.

251 Est etiam novum, quod tradit n. 898. [Audientem ex relatione etiam à persona fidedigna, quæ dicit, solicitatam se fuisse à Confessore in confessione, non teneri denunciare ex vi Bullarum, neq; ex vi Edicti DD. Inquisitorum, sine eo quòd ipse audiēs habeat aliqua indicia, aut præsumptiones, ratione quarum possit iuvari testimonio solicitatę.] Est, inquam, novum iuxta ipsummet Hurtadum, qui in n. 244. & 245. scripserat quę transcripsi in n. 248. Est præterea difficile, nam in hac materia dat facultatē Gregorius XV. DD. Inquisitoribus, *Ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectū, impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus concurrentibus, præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi.* Similiter difficile est, quod affirmat Hurtadus n. 907. sed adhærens quidem Ioanni Sanchez D. 11. q. 55. V. *Deducitur etiam*, Vers. *Nec denunciandi*, [Si fœmina solicitetur ab aliquo maximo benefactore suo, aut amico, similiter si beneficia sit elargitus filijs, marito, parentibus, fratribus, non est obligatio denunciandi, quando crimen est patratum, & non pendet in futurum.] Tanta extensio videtur, posse esse occasio ad multas solicitationes impunitas, vt quivis perspiciet, ni fallor.

252 Ob eandem rationem difficile est, quod scribit Hurtadus n. 542. non teneri solicitatum denunciare, si grave damnum timeatur in consanguineis vsque ad quartum gradum. Sed illud noviſsimum est, quod addit ibidem, [De affinibus existimo, solū hoc extendi vsque ad secundum gradum, quia ex Iure novo Concilij Tridentini vsque ad illum solum impedimentum dirimens extenditur, & sic ius affinitatis in eo finitur.] Est, inquam, noviſsimum, nam etsi affinitas proveniens ex copula illicita restringatur nunc ad secundum gradum, vt dirimat matrimonium, sic noviter disponente Concilio Tridentino Sess. 24. in Decreto de Reform. C. 4. at affinitas orta ex copula licita extenditur nunc etiam ad quartum vsque gradum, & cum ad septimum excurreret ab antiquiſsimis temporibus, vt noscitur ex CC. 7. *Nullum*, 13. *Æqualiter* 35. q. 2. & 3. limitata fuit ad quartum gradum in Concilio Lateranēsi sub Innocentio III. provt constat ex C. *Non debet* 8. §. *Cum ergo* de Consanguinitate, & affinitate: estque nunc, & fuit olim impedimentum dirimens vsque ad quartum gradum, nam Concilium Tridentinum nō innovavit nisi in impedimento affinitatis ex fornicatione, vt constat ex eius verbis, ex praxi Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & ex omnibus Canoniſtis, atque Theologis apud Sanchez de Matrimonio Lib. 7. D. 67. n. 5. Promittit Hurtado in Duplici Antidoto pag. 154. à se edendum in lucem apodigma de se ipso, vbi retractet plura quæ dixit. Crediderim, revocaturum hæc absolutè dicta de iure affinitatis, vt est impedimentum dirimens, finito in secundo gradu. Debebit apodigma esse satis longum.

253 Num. 401. ait Hurtadus, [Si quis extra occasionem confessionis in Confessionario simulans confessionem, peccatum veniale committat

in materia luxuriç, non est denunciandus; secus si similia fiant in vero Sacramento pœnitentiæ ante, vel post immediatè.] Cuius doctrinæ prior pars nova est iudicio ipsius Hurtadi, nam in n. 935. ponit tactum mamillarum fœminæ à Sacerdote tanquam manifestò denunciandum, cum tamen in n. 401. posuisset illum vt non denunciandum. Et in n. 403. ponit in exemplum actus non denunciandi, si Sacerdos faciat, vt fœmina ostendat crura, dummodò non nuda, sed ornata, id est, sermone Hispano, *los bajos*, vt ipse reddit; & ego invito calamo transcribo, sed ex necessitate referendi fideliter mentem Authoris. Verùm tamen si Gregorius XV. denunciandos iussit illicitos, aut inhonestos sermones, siue tractatus, & iuxta Hurtadum n. 942. est solicitatio damnata dicere, *Meum bonum, mea vita, meum cor*, quidni & facere, quod ex ipso retuli? Nulla erit fœmina honesta, & pudica, quæ audiens incitari se ad illud, non magis offenderetur, & turbaretur, quàm audiens hæc alia verba; Sacerdosque incitans ad illud ostenderet animum propensiorem in Venerem, quàm eftutiens hæc alia verba.

254 Et æquum fuisset, vt Hurtadus circa incitationem ad illud vteretur his suis verbis in num. 935. [Quanvis illud posset fieri absque peccato mortali ex parte Confessoris, vt tenet probabilis opinio, tamen ex parte Pœnitentis est proxima occasio ruinæ, & consensus in declarationem saltem; quod mortale peccatum est: & Pontifices non attendunt tantùm Confessoris peccatum, quod sit mortale in materia luxuriæ, quàm evitare ruinã, & scandalum Pœnitentis, cuius est moralis occasio proxima huiusmodi actus; quanuis ipse Confessarius ex parte sua non peccet mortaliter in materia luxuriæ, quod peraccidens est ad intentum Pontificum, qui intendunt vitare scandalum, vt aiunt Pius IV. & Gregorius XV.] Hactenus Hurtadus; cui, & non mihi tribuatur suppositio contenta sub repetito adverbio *quanuis*.

255 Restat adnotare aduersus verba allata ex n. 401. quòd Gregorius XV. iubet denunciari actus turpes non minùs in cõfessionis Sacramento simulato, quàm in vero, maximè quando afferunt proximo occasionem ruinæ modo declarato ab Hurtado in verbis num. 935.

256 Num. 943. inquit Hurtadº, [Dicere verba turpia, & inhonesta, ioci, & levitatis, aut facetiarum causa, absque fine pravo mortaliter, quę verbis claris, & absque tropo, & figura, similitudine ve non significant partes pudendas, sed si eas significant, est inconfuso, & involutè, non est solicitatio damnata à Summis Pontificibus.] Quę doctrina nova est, nam Gregorius XV. absolutè imperavit denũciari inhonestos sermones; & in confessione, quæ sit vera, & non simulata, intelligere nequaquam possum, talia verba non fore peccatum mortale.

257 Has novitates in materia adeò lubrica, valdeque pertinente ad commune religionis bonum, tamque zelata à Summis Pontificibus, & DD. Inquisitoribus excerpsi ex vno Tract. inter multos alios Hurtadi, neque eum vnum integrè percurri. Sed abstinui, & abstineo ab alia nota, quàm de novitate, neque enim ad me attinet de alijs qualitatibus censurare; & de hac ipsa suppressissem meum iudiciũ, nisi coegisset totles attributa Nostris ab hoc Authore noxa novitatum, adeò vt tomum non exiguum conficere possent, si è suis Operibus seligerentur, quæ sparsim repetit. Tam recocta cranibe non potuit non parere fastidium, & nauseam, præsertim cum in ijs, de quibus Nostros tanquàm novatores arguit, facillimũ sit ferè semper dimovere culpam, allatis patronis anterioribus, & assectis posterioribus earundem sentẽtiarum, & cum ipse, si quis alius hac tempestate, ediderit libros novitatib⁹ refertos, quarum ad specimen collegi contentas in hac Sect. sine vlla mordacitate, intentus ad ea verba S. Hieronymi in Apologia ad Domnionem, quoties bonũ Societatis Iesu nomen (quod mihi indignissimo filio charius est luce hac Solari) defendandum suscipio, *Possem remordere, si vellem, possem genuinũ dentem lædus infigere. Et nos didicimus litteras, & nos sæpè ferulæ manum subduximus. De nobis quoq; dici potest, fœnum habet in cornu, longè fuge. Sed magis volumus esse discipuli eius, qui ait, Dorsum meum posui ad flagella, & faciem meam non auerti à confusione sputorum; qui cum malediceretur, non remaledixit, & post alapas, crucem, flagel-*

la,

la, blasphemias, nouissimè pro crucifigentibus deprecatus est dicens, Pater ignosce, quod enim faciunt, nesciunt. Et ego ignosco. Sic S. Hieronymus, sic & ego. Sed motos præstat componere fluctus. & redire ad defectum quintum, qui in Missa evenire potest.

SECTIO XIX.

Reliqua circa quintum defectum, & multa circa quartum.

258 CONINCK ad quæst. 83. art 6. num. 280. ait, [Si Sacerdos per inadvertentiã, ignorationem, aut perturbationem omiserit supplere defectum substantialem (siue dubium, siue certum circa formam; existimaq; idem ipsum circa materiam, & circa intentionem,) donec Sacrum sit absolutum, tunc nullo modo debet iterùm consecrare, vt eum suppleat, quia tunc esset omnino distincta actio.] Consentiunt Aversa quæst. 11. sect. 16 V. *Quintò*, Franciscus de Lugo L. 5. C. 10. quæst. 1. num. 11. Quartus parte, tit. & dub. 3. Tamburinus Lib. 2. Cap. 8. §. & numero 5. [quia non iudicaretur esse idem, sed distinctum Sacrificium,] seu, vt inquit Suarez, ex quo omnes profecerunt, [quia iam actio esset omnino distincta moraliter, nec coniungeretur cum priori ad vnum Sacrificium integrandum.] Ita Eximius Doctor Disp. 85. sect. 1. Ver. *Ad primam confirmationem.*

259 Addit Franciscus de Lugo suprà, [Si Sacerdos non advertat defectum substantialem, nisi post notabile spatiũ, quod intra Missã assignari potest post inceptas vltimas orationes, vel forsan post sumptam vtramque ablutionem, aut etiam dictam *Post cõmunionem*, hęc enim Missæ continuatio cũ supplemento moraliter dijudicanda est.] Si velit dicere Franciscus de Lugo, non esse supplendum defectum, si perventum sit ad postremas orationes, non assentior, quia omnia, quæ dicuntur, & fiunt, antequàm Sacerdos absolvat Missam, componunt moraliter vnam actionem cum omnibus præcedentibus; & tempus, quod insumitur in dicendis, & faciendis vsque ad finem Missæ, pertinet ad eandem actionem. Quapropter eo tempore supplendus est defectus, si aliunde quidpiam non obstet. Citat Franciscº de Lugo Raphaelem Aversam in loco iam a nobis allegato. Sed hic Author non aliud vult dicere, quam quod post animadversum defectum intra Missam non est nimis expectandum, vt habeatur materia apta, quia si nimis expectaretur, non esset vna moraliter actio. De quo puncto iã nos tractavimus in Disput. proxima, §. 13.

260 Sed hìc noto intelligentiam quorundam verborum Patris Emmanuelis Sà, V. *Missa*, numero 6. [In dubio probabili (inquit) quòd defuerit aliquid ad consecrationem necessarium, potest etiam post longam moram repeti forma consecrationis, sub conditione mentali, si non est consecratũ.] Illud *post longam moram* accipi debet de longa mora intra actionem Missę, & non post Missam finitam.

261 Quartus supra, indicare videtur, suppleri posse defectum, quãdiù Sacerdos non discesserit ab altari, etsi absolverit Missam, ait enim, [Si defectus deprehenditur, antequã Missa sit absoluta, & quandiu Sacerdos est in altari, suppleri debet, & perfici Sacrificium, non verò si cognoscatur defectus, absoluto iam Sacro, & postquam Sacerdos ab altari discesserit.] Sic ille. Mihi videtur, finito Sacro, si noscatur defectus ante discessum ab altari, non esse supplendum defectum, quia permanentia in altari non faceret, vt actio succedens coniungeretur cum antecedente, quoad moraliter componendum vnam, eandemque actionem sacrificã; sicut die Nativitatis Domini etsi Sacerdos nõ recedens ab altari queat celebrare continuatè tres Missas, non ideò omnes tres coalescent in actionem vnam, eandemque moraliter. Vnde si absoluta Missa, & adhuc consistente Sacerdote in altari notetur defectus, debebit perinde se gerere, ac si notatus fuisset post recessum ab altari, & debebit non supplere defectum, alioqui inchoaret Sacrificium distinctum, & perageret illud Inieiunus.

262 Porrò pro scrupulosis dignũ est observari ex Navarro in Manuali

nuali C. 25. num. 91. allegante Adrianum, Suario Disp 85. sect. 1. V. *Ad primam confirmationem*, Diana p. 2. Tract. 14. Resol. 70. Quarto parte 3. titul. & sect. 1. dub. 2. in fine, si inopinatè eveniente aliquo ex præfatis defectibus, non suppleat illum Sacerdos, vt par est, eo quòd novitas casus perturbet animum, & iudicium offuscet, non peccaturum ob id mortaliter, nisi ignoratiam habeat graviter culpabilem ob non adhibitam antea diligentiam competentem, vt sciret aliquatenus modos supplendi defectus contingibiles in Missa. Dixi *aliquatenùs*, nam perfectè scire non est omnium, sed tantùm hominum sapientum. Debet tamen quivis Sacerdos legere aliquando Rubricas de Defectibus, vel ex aliorum institutione comparare notitiam saltem imperfectã contentorum in Rubricis, ne omninò peregrinus sit, & inscius, quando defectus aliquis evenerit. Sed tunc non est diutiùs, neq; scrupulosiùs hærendum. Aggrediatur Sacerdos bona fide, & animo modum, qui convenientior, & melior sibi videatur in eis angustijs. Quòd si anxietatem vincere per se ex tempore non audeat, legat in altari, quid præscribant Rubricæ, aut faciat vocari alium Sacerdotem peritum, à quo dirigatur. Vt autem tunc non indigeat ope aliena, expedit prænosse modos supplendi defectus, qui magis ordinariè evenire queunt, vt quòd loco vini iniecta sit lympha in calicem, quòd vinum sit corruptum, &c.

263 Ast si quis inter celebrandum omiserit inadvertenter, vel etiam malitiosè verba aliqua, quę certò, & indubiè sita sint extra formam, atque adeò pertineant tantùm ad accidentales ritus Sacramẽti, & Sacrificij, non debere ea reassumi, quando advertatur omissio, vel etiam de ipsa pœniteat, sed procedendum vlteriùs esse, traditur à S. Thoma, & à Rubricis trãscriptis num. 166. & 167. Idque verum est iuxta Dicastillum Tract. 5. Disp. 4. dubio 13. n. 262. & Dianam parte 10. Tract. 25. Resol. 42. quanquàm reassumptio fieri posset paulò post, & secretò, & sine audientium offensione, nam vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Faveretque ratio, quia quæ dicuntur in Missa eum ordinem habent, vt extra proprium locum, & tempus non benè cohæreant, neque conferant ad ornatum, & significationem, ad quam sunt instituta ab Ecclesia. Evenietque ordinariè, vt publicè reassumpta sint admirationi, & perturbationi in populo adstante. Quare cum non pertineant ad Sacramenti, & Sacrificij essentiam, aut substantiam, satiùs erit, non redire ad ea. Hic discursus est satis probabilis.

264 Quanquàm Suarius D. 85. sect. 2. V. *Secundo in genere*, Vazquez ad art. 4. quæst. 83. n. 40. Tamburinus L. 2. C. 5. §. 2. num. 26. Aversa quæst. 11. sect. 16. V *Nonò* Quartus in quæst. procœmiali sect. 5. punct. 6. in fine, parte 3. tit. & sect. 1. dub. 3. in fine, aliqui communiter dissentiantur post Sylvestrum V. *Missa* 1. quæst. & num. 3. V. *Quartum*. [Nam si quis, dum secretè orat, certò post pauca verba advertat, se aliquid notabile, quãuis accidentale, omisisse, non est incõueniẽs, imò est necessariũ tunc repetere, quia id commodè fieri potest, nec in tali casu notabiliter mutaretur Missę ordo. Quid enim turbationis est, si certò advertens, me non dixisse orationẽ *Communicantes* dicendam in die Paschatis, & paululùm progressus regrediar ad eam recitandam?] Ita Tamburinus. Et Aversa inquit, [Si Sacerdos oblitus erat suo loco dicere Hymnum Angelicum, vel Symbolum Nicænum, aut etiam aliam ex partibus magis prę-cipuis Missæ, & post ad vlteriora progressus recordatur, non debet regredi, & loco incongruo dicere quod omiserat, vel totum repetere; potiùs debet progredi. Si tamen paulò post advertat, se prætermisisse aliquam ex partibus præcipuis, vt Evangelium, & inchoasset Symbolum, vel Offertoriũ, deberet suo ordine reassumere.] Additque Quartus, [Esse minùs malum id, quando in continenti fit, quàm illud omittere.] Sed ego stando rigori Rubricarum magis approbo discursum Dicastilli, & Dianæ,

265 Quando scilicet Sacerdos iam transivit ad aliam cœremoniam consistentem siue in verbis, siue in actione, & quando ex non reassumptione non sequeretur scandalum, aut perturbatio, admiratiovè præsentium. Quod ideo dico, quia aliquando continget, vt Sacerdos reversus ad populum

lum dicturus *Dominus vobiscum* advertat, Ministrum adiuvantem, & cæteros adstantes perturbari, eo quòd in festo aliquo solemni omiserit inadvertenter *Gloria*, vel *Credo*: quo casu suaderem, vt erratum emendaret; similiter si noter, perturbari populum, eò quòd exordiatur dicere Missam, aut Euangelium alienum à die, aut in fine Missæ incipiat recitare Euangelium S. Ioannis, cum deberet Dominicæ. Et vniversim in his defectibus accidẽtalibus supplendis eligat Sacerdos id, quo magis evitabitur offensio populi, vt benè Quartus suprà monet.

266 Iuxta hæc intelligendũ est, quod notat Mascarenhas Tract. & Disput. 5. Cap. 15. num. 446. si Sacerdos celebrans coram Cardinale Sanctę Romanę Ecclesiæ, vel coram Episcopo intra suam Diœcesim benedicat populum in finę Missę, non obtenta anteà ab eis facultate, quę in eorum præsentia requiritur, non debere postea petere, vt ipsi benedicant, sed teneri progredi, ne ordo Missæ alteretur tam in actione efformandi crucem super populum, quàm in verbis deprecatorijs ad Deum pro ipso. Hæc quippe adnotatio intelligenda est, nisi adstantes perturbentur, eoquòd non benedicat, qui deberet.

267 Gavantus in Rub. Missalis par. 3. tit. 10. num. 16. ait. [Cõmemorationem de Sancto (quæ suo loco omissa sit) debet addere Sacerdos inter orationes secretas, & *Post communionem*, licet inter Collectas eam omiserit, si opportunè recordetur. Inter vltimas non dicerem, si neque inter secretas dixissem; sed in Sacristia, post depositas vestes, supplerem omissa.] Sic Gavantus. Ego verò non video, quam vtilitatem habeat in ordine ad supplendum defectum Missæ, quòd Commemorationes in Missa omissæ dicantur postea in Sacristia, nam iam tunc non pertinent ad actionem publicam Missę; licet in ordine ad devotionem privatam Sacerdotis suus possit fructus esse. Si Commemoratio prætermissa sit initio Missæ, conveniens mihi videtur, vt etiam non omittatur, quæ respondet illi inter orationes secretas; & alicui congruum apparebit, vt tunc simul reassumatur altera, quæ dicta non fuit initio Missæ, potest nãque vtrumque fieri absque adstantium perturbatione, & primum saltem absque vlla inversione ordinis Missę, supplebitque modo competenti defectus antea commissus. Si commemoratio neque initio, neque in medio sit lecta, non omittetur à me, quæ in fine respõdet; vt nec omittetur, *Ite, Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, si principio per errorem dixi, vel non dixi *Gloria*, nec enim est, cur vnus error, aut defectus adigat ad alium.

SECTIO XX.

Quid faciendum sit, quando hostia consecrata dilabitur in calicem? Vbi de nonnullis alijs defectibus accidentalibus.

258 RESPONDET S. Thomas ad 6. *Fractio hostiæ consecratæ, & quòd vna sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admistio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem Sacrificij, vt propter hoc sit necesse, aliquid reiterare circa celebrationem huius Sacramenti.* Et in Rubricis §. ac n. 10. dicitur, *Si propter frigus, vel negligentiã hostia consecrata dilabitur in calicem, propterea nihil est reiterandum; sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias, & signa consueta cum residua parte hostiæ, quæ non est madefacta sanguine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat omittendo signa, & sumat pariter corpus, & sanguinem signans secum calice, & dicens, Corpus, & sanguis Domini nostri, &c.* Hactenus Rubricæ.

269 Nec mirum, non esse reiterandum aliquid propter lapsum hostiæ consecratæ in calicem ante fractionem, nam hæc non est de essentia, neque de integritate substantiali Sacrificij, vt contra Estiũ in 4. Dist. & § 12. & cõtra alios probavi in D. 3. n. 3. 4. & 5. Cum ergo ob omissam fractionem non remanebit Sacrificium imperfectum, non erit necesse, nec licitè poterit suppleri defectus fractionis consecran-

crando aliam hostiam, quę frangatur, quia id esset inchoare aliud Sacrificiũ sine necessitate.

270 Idem docet S. Thomas casu, quo prętermissa esset admistio particulę hostiæ cum speciebus consecratis vini, quia scilicet ea admistio neque est de essentia, neq; de integritate substantiali Sacrificij, vt adstruxi in præallegato loco. Vnde quando ob deprehensum defectum materiæ necessariæ ad consecrationem calicis post sumptionem corporis apponitur in calice vinum, & consecratur, non est necesse consecrare aliam hostiam ea de causa, vt non desit admistio præfata.

271 Ex dictis de non supplenda fractione, quæ impedita fuerit, de non supplenda, inquam, eoquòd non sit de essentia, nec de integritate substãtiali Sacrificij, colligitur primò, nõ esse supplendos post consecrationem hos defectus, scilicet si hostia non sit integra, sed fracta, si non sit munda, sed maculam aliquam habeat, si non sit confecta ex pane azymo, sed ex fermẽtato, si non sit eleuata, vt adoretur à populo, quia hi defectus non obsunt essentiæ, neque integritati substantiali Sacrificij.

272 Vbi prætereunda non est admonitio Rubricarum §. 10. num. 9. *Si hostia ante consecrationem inueniatur fracta, nisi populo euidenter appareat, talis hostia consecretur. Si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur. Quòd si illius hostiæ iam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quòd si ante oblationem hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit.* Hęc ex Rubricis. In quibus est obseruanda cautio euitandi scandalum, huiusmodiq; obseruatio vtilis fuit pro nonnullis casibus antecedentium Sectionum, & de ea redibit iterùm sermo infrà.

273 Quare nisi immineat scãdalum, aut nisi ex fractura resultaret grauis irreuerentia contra Sacramentum, vel impedimentum ad ritum diuidendi hostiam, & commiscendi particulam cum sanguine, aut ad grauem alium, non peccabitur lethaliter consecrando hostiam fractam. Casu autem quo post oblationem non consecretur hostia, quia fractura non antea sit notata, tunc post ablutionem sumenda à Sacerdote erit hostia fracta, non quia pertineat ad integritatem oblati Sacrificij, sed quia ita decet, & vt quid decens præscribitur in Rubrica. Nam absolutè posset tradere alij, vt eam sumeret tanquam panem benedictum, consumeretve vsu non sacro, sed sine vllo contemptu, vel posset reuerenter seruare eam alicubi, non secus ac licet vnum, vel alterum circa hostiam, quæ post prolata verba consecrationis aduertitur, esse corruptam, aut non esse triticeam, vt dicitur §. 3. num. 5. Ita notant Tamburinus Lib. 2. Cap. & §. 8. num. 6. iuncto Cap. 7. §. 5. num. 3. & Lib. 1. Cap. 2. §. 3. à num. 3. Quartus parte 3. tit. 10. n. 9. dub. 2.

274 Colligitur secundò, si species vini congelentur post consecrationem, constituanturque in statu, in quo nequeant facilè potari, non esse supplendum hunc defectum consecratione alterius vini, quia cum per congelationem non amittant continentiam sanguinis Christi, vt probaui D. 4. de Euchar. num. 12. & 13. non remanebit Sacrificium aliqua ex parte imperfectum essentialiter, aut substãtialiter.

275 Quid tunc faciendum sit, docent Rubricæ §. 10. num. 11. *Si in hyeme sanguis congeletur in calice, inuoluatur calix pannis calefactis; si id non proficeret, ponatur in feruenti aqua prope altare, dummodò in calicem nõ intret, donec liquefiat.* Sic Rubricæ. Notatque Suarez D. 85. sect. 1. §. *Tertiò*, si fingatur casus de impossibilitate talis remedij, comminuendas esse digitis species, & redigendas in particulas.

276 Si ante consecrationem congeletur vinum, consecrabitur quidem validè in eo statu, vt dixi in præcitato loco, sed illicitè grauiter iuxta Suarium Disp. 45. sect. 1. in fine, quia est materia dubia, est enim contraria sententia, de invalida consecratione vini congelati, vt cumque probabilis; iuxta alios verò, de quibus copiosè Diana in parte 10. Tract. 12 Res. 8. & antea parte 3. Tract. 6. Res. 60. Quartus p. 3. tit. 4. dub. 8. tit. 10. n. 11. dub. vnic. quia obstat Ecclesiæ consuetudo vim legis habens nunquam consecrãdi vinum congelatum, & quia ipse Sacerdos non poterit sumere vini sic consecrati species. Affert postremam hanc ratio-

rationem Vazquez Disp. 175. Cap. 2. num. 18. Est etiam eiusdem altera precedens proximè; quanvis ille non declaret, sit, necne consuetudo obligatoria, vel sub culpa leui. Sed obligatoriã non esse, exprimit Gaspar Hurtadus Disp. 2. de Euch. Dist. 9. in fine, colligiturque, sic etiam Vazquium sensisse, lecto contextu toto numeri citati. Sentit id ipsum Thomas Tamburinus Lib. 2. de Missa, C. & §. 8. num. 14. Nihilominus secũda ratio efficax est; postremæ responderi posset, sumi posse, applicatis ad liquefactionem remedijs; de quibus Rubricæ paulò antea. Ratio prima Suarij vrbana est, defert namque authoritatem aliqualem contrariæ illi sententiæ ob eius patronos Bartholomæum Fumum, Alanum, Anglem, Martinum Ledesmam, quibus posteà adiunxerunt se socios alij quinque apud Leandrum Tract. 7. D. 8. q. 36. & apud Dianam parte 11. Tract. 1. Res. 17. Sed qui dissentiuntur, sunt sine comparatione plures, multòque celebriores, & vtuntur eis rationibus, quæ suam sententiam faciant mihi certam ferè moraliter.

277 Si vinum, quod congelatum erat, liquefiat posteà, esse sufficientem materiam consecrationis, certum ferè est Suario in V. penultimo, valdeque probabile, consecrari posse sine vllo peccato, quia re vera nullum est dubium. Existimat tamen, [consultius esse non consecrare in illo, si fieri potest. Vnde si contingat in Missa inuenire congelatum vinum, ante consecrationem, etiam post oblationem, optimum consilium erit mutare, & iterũ offerre, ac posteà consecrare.] In illis verbis, *si fieri potest*, indicat, vrgente necessitate, cõsecrari posse absque vllo scrupulo. Franciscus de Lugo Lib. 4. Cap. 2. quæst. 5. num. 28. ait, se absque illo consecraturum vinum congelatum post oblationem, & liquefactum ante consecrationis tempus. Layman Lib. 5. Tract. 4. Cap. 2. num. 6. Aversa quæst. 2. de Euch. sect. 5. num. finali, inquiunt, melius esse, & consultius, liquefacere vinum congelatum, & consecrare, si cõgelatio facta sit post oblationem; agnoscit Quartus supra, dubio illo vnico, V. *Communis*, esse id probabile.

278 Ego obtemperarem Suarij consilio. Et in casu necessitatis consecrarem vinum persistens etiam congelatum, si spes esset habendi ad manũ remedia, quibus ad sumptionem liquefieret. Sed hæc intelligenda sunt, nisi congelatio tanta foret, vt meritò timeretur, vinum corruptum iri substantialiter; cuius corruptionis signa essent in vino iam liquefacto mutatus valde color, sapor, odor, vt & in non liquefacto.

279 Hinc si post consecrationem hostiæ advertatur, quòd vinum sit congelatum, quin constet, esse substantialiter corruptum, non solùm potest, sed etiam debet consecrari ad perfectionem Sacrificij, casu quo nequeat inveniri aliud vinum, nam si datur copia perficiendi Sacrificij probabiliter, ne dicam, ferè certò moraliter, quidni debebit perfici eo modo, si alio prorsus certo est impossibile?

280 Sed quid, si post oblationem, aut post Canonem incæptum, sed ante consecrationem hostiæ notetur congelatio vini, nec adsit facultas alterius, desistendumne erit à Missa, cuius non detur magna necessitas, vt ad communicandum v. g. moribundum? Respondeo, causam non relinquendi Missam post oblationem, aut saltem post Canonem inchoatum esse sufficiẽtes ad consecrandum in materia adeò probabili, etsi insueta. Videatur Tamburinus supra, num. 13. Quid verò faciendum sit de vino congelato, si post oblationem non consecretur, constat ex dictis n. 273.

281 Colligitur tertiò, si post consecrationem vini notetur defectus aquæ in calice, non esse supplendum hunc defectum, nam mistio aquæ non est de necessitate Sacramenti; quia tamen est grauissimè præcepta, ideò si ante consecrationem vini notetur defectus aquę, debet suppleri. Sed de hoc casu quoad vtramque partem diximus satis in Sect. 8. Nunc solummodò addimus, S. Bernardum in Epist. 69. ad Guidonem Abbatem cum incidisset tractatio de vini defectu animadverso post consecrationem corporis, dixisse, *De illo autem, qui oblitus est mittere vinum in calicem, cuius & maiorem in hoc æstimamus culpam, si tamen & tu ita putas, tuo arbitrio derelinquimus ::: Deinde quòd cõperta ferò licet negligentia vinum fudisti in cali-*

calicem super hostiæ sacratæ particulam, laudamus, nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes, liquorẽ, etsi non ex consecratione propria, atque solemni in sanguinem Christi mutatum, sacrũ tamen fuisse ex contactu corporis sacri. Aiut tamen, nescio quem alium aliud sensisse Scriptorem, non posse videlicet absque tribus, ideſt, pane, vino, & aqua, hoc Sacrificium esse, ita vt si quodlibet deesse contigerit, reliqua non sanctificentur. Sed de huiusmodi vnusquisque in suo sensu abundet.

282 Quibus in postremis verbis plus defert, quàm nunc æquum est deferre, ei Scriptori, qui sensit, aquam esse de necessitate Sacramenti. Hugo de S. Victore coætaneus S Bernardi, in Tract. 6. Eruditionis Theologicæ Sũmæ sententiarum Cap. 9. anceps etiã fuit, inquit enim, [Solet quæri, si obliuione, vel negligentia aliqua non apponeretur aqua, vtrùm irritum fieret Sacrificium? Sed quia de authoritate nihil inde habemus, de nostro sensu nihil asserere de his debemus: hoc tamen dicere possumus, quòd huiusmodi grauiter puniendus esset.] Sed & Richardo Radulpho Archiepiscopo Ardmachano Lib. 9. de quæstionibus Armenorum Cap. 9. probabilius visum est, [quòd aqua exigitur de necessitate Sacramenti.] Obijt Ardmachanus anno 1359. Cuius censuræ in hoc puncto, sicut in multis alijs, de quibus Vvaldensis, Possevinus, Bellarminus, Volaterranus, Alfonsus de Castro, Prateolus, Balæus, Hospinianus, Arturus à Monasterio, & Raynaudus, fides non est adhibenda, nam aquã non esse de necessitate Sacramẽti, debet haberi tanquam certissimum, & vt probabilius, neq; de præcepto Christi, sed tantùm Ecclesiæ, vti docui D. 4. de Euch. num. 14. & 15. confirmatque recenter, & solidè P. Martinus de Esparza parte priori de Sacramentis in genere, & in specie, quæst. 62. art. 1. pag. 662. De cuius Authoris nobis ... icissimi, quondamque in litterarũ palæstra socij breuibus voluminibus graphicè expolitis possumus dicere, in eorum angustijs totam Theologiam aliquanto detrimento magnitudinis, nulla veritatis, eruditionis, & acuminis iniuria includi.

283 Illud, quod non omnino displicet S. Bernardo, de iniecto vino super hostiæ particulam in calice, non debet nunc gratum esse, nam eo pacto non suppletur conuenienter defectus consecrationis vini, cum enim hoc nõ conuertatur in sanguinem, eoque non superinfundatur consecratæ particulæ continenti corpus, vt docet ipse S. Bernardus, manebit adhuc Sacrificium imperfectum essentialiter, aut substantialiter.

284 Sed prosequitur S. Bernardus, *Ego autem pro meo fatuo sensu, si mihi idem contigisset, quod tibi, vellem ad remedium mali, vnum è duobus egisse, aut ipsum, quod fecisti, aut certè ab illo loco, vbi dicitur, Simili modo postquàm cœnatum est, verba sancta iteraſſe, & sic complesse, quod restabat Sacrificium. Neque enim dubitauerim de corpore iam consecrato, qui vtique iuxta ritum Ecclesiæ didici ab ipsa, quod & ipsa accepit à Domino, panem scilicet, ac vinum simul apponere, non simul tamen ex his sacra conficere. Cum ergo priùs de pane corpus, quã de vino sanguis more Ecclesiastico conficiatur, si per obliuionem tardiùs, quod posteriùs sacrandum est, apponatur, non video, quid sacris præcedentibus tarditas possit præripere consequentium. Puto enim, quòd si Domino post factum de pane suum corpus, vini consecrationem placuisset aliquandiu intermittere, aut certè penitus omittere, nihilominus corpus mansisset, quod fecerat, nec fac is facienda præscriberent. Nec nego panem, & vinum, aqua quidem mistum, simul debere apponi, quin potiùs asſero, haud aliter debere fieri. Sed aliud est culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquam, est, quod causamur non benè quidpiam fieri, & aliud, quod mentimur, nec fieri. Hæc interim de hac re dixerim, & senserim absque præiudicio, vel tuæ sententiæ, si quid melius sapis, vel cuiuslibet saniùs sapientis.* Hactenus S. Bernardus.

285 Qui etsi non prorsus improbet illud, quod fecerat Guido, approbat tamen magis quod nunc in Rubricis faciendum præscribitur, vt visum est in Sectionibus superioribus; & mirè confirmat, consecrationem vnius speciei non dependere necessariò à cõsecratione alterius, atque adeò formarum verba non se expectare mutuò in agendo. Ex facto autem Guidonis anteà proposito à S. Bernardo infertur, sermonem huic esse in casu, quo defectus vini animadvertatur ante cõsumptas

pras panis ſpecies. Sed ſi loqueretur, vt aliqui volunt, in caſu, quo notetur ille defectus poſt panis ſpecies conſumptas, haberemus S. Bernardi authoritatem pro ſententia, quã contra Rayneriũm V. *Miſſa*, tit. 7. Cap. 14. §. 2. & contra alios adſtruximus ex n. 118. fauentibus Malleto, Malleatione 5. de Sacramentis, Bractea 70. Præpoſito 3. parte, queſt. 83. artic. 6. num. 191. Matthæo Kelliſono ibidem, V. *Et ſanè*. Siquidem S. Abbas non dicat, iterandam eſſe conſecrationem panis, ſed ſolùm curandum eſſe de conſecratione vini appoſiti de nouo, incipiendo à verbis, *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*.

286 Sed quando de vino ad Sacrificium incidit ſermo, non omittam adnotare, Rabanum Maurum in Libro adverſus Iudæos edito nuper à noſtro Petro Franciſco Chiffletio numero 41. fuiſſe conqueſtum apud Prælatos Eccleſiæ, quòd ſuo tempore *ex vino Iudæorum, multis modis ab eis etiam ex induſtria polluto, in pleriſque locis Parochiarum (quod dictu nefas eſt) diuina Sacrificia celebrarentur*. Meritò doluit Rabanus vicem illius temporis in nonnullis Prouincijs, vt qui noſceret, quam mundum deberet eſſe vinum deſeruiturum ad Miſſas, quantoque ſtudio Eccleſia curaſſet ſemper de eius puritate. Et alicubi non ſatis habuit, ſi paratum fuiſſet vinum defęcatum, & ſelectum, ſed præterea quando infundebatur calici, ęliquabatur per colatorium conflatum ex auro, aut argẽto, vel metallo alio non deſpicabili, vt probat Vicecomes Volumine 4. Obſeruationum Eccleſiaſticarum Lib. 6. de Miſſę apparatu, Cap. 32. adductis teſtimonijs Ordinis Romani, & Conradi Epiſcopi in Chronico Moguntinenſi.

SECTIO XXI.

Quid faciendum ſit, quando ſanguis, aut corpus Chriſti dilabitur in locum extraneum?

287 RESPONDET S. Thomas ad 7. *Sicut legitur de Conſecratione Diſt. 2. ex Decreto Pij Papæ, Si per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillauerit in tabulam, quæ terræ adhæret, lingua lambetur, & tabula radetur. Si verò non fuerit tabula, terra radetur, & igni conſumetur, & cinis intra altare recondetur, & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si autem ſuper altare ſtillauerit calix, ſorbeat Miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat, ſi ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat; ſi vſque ad tertium, nouem diebus pœniteat; ſi vſque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ ſtilla tetigerit, tribus vicibus lauet Miniſter calice ſubtus poſito, & aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recondatur. Poſſet etiam ſumi in potum à Miniſtro, niſi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem vlteriùs partem illam linteaminum incidunt, & comburũt, & cinerem in altari, vel Sacrario reponunt.* Ita S. Thomas ex S. Pio Papa I. adepto ſedem Romanam Pontificiam anno Chriſti 167. & relato in Can. *Si per negligentiam* 27. de Conſecratione Diſt. 2. Sed originalia verba S. Pij ſunt hęc apud Gratianum, Burchardum Lib. 5. Cap. 47. & Ivonem parte 2. Cap. 56. *Si per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillauerit in terram, lingua lambetur, tabula radetur; ſi non fuerit tabula, vt non concultetur, locus corradetur, &c.* Verba illa, *Poſſet etiam ſumi*, &c. ſunt Sancti Thomæ.

288 Vult itaque S. Pius, & cum ipſo S. Thomas, quando ſanguis cadit ſuper tabulam, debere ſanguinem lambi à Sacerdote, & tabulam radi; quando verò ſanguis ceciderit ſuper terram, debere hanc radi, & raſuras eõburi, cineremque recondi intra altare, ſeu potiùs iuxta altare, ideſt, in piſcina ſacra. Et licet S. Pontifex non exprimat, conſumendas eſſe igne raſuras tabulæ, cineremque earum immittendũ in piſcinam ſacram, videtur tamen, eãdẽ eſſe rationem, ac de raſuris, & cineribus terrę. Quam lambi non præcipit Pontifex, vt iubet lambi tabulam. Et ratio diſcriminis eſt, quia linctus terræ ſanguine madefactæ vix poſſet eſſe ſine ipſius terræ ad linguam, & os attractione, tranſmiſſioneque ad ſtomachum; id quod plerumque non fieret abſque abominatione, ſeu horrore.

289 Præterea vult S. Pontifex, vt ſi calix ſtillauerit ſuper altare, videlicet ſupra aram, aut ſupra altare con-

consecratũ (prout interpretatur Suarez Disp. 85. sect. 1. V. *Sextò euenire*) sorbeatur stilla, sed non radatur ara, aut altare consecratum, quia eo ipso quòd consecratum sit, abest indecentia, si maneat nota aliqua distillati super ipsum sanguinis, & quia non est locus expositus conculcationi, alijve iniuriæ. Sed si extra altare consecratũ cadat sanguis in reliquam partem altaris, censet Suarez, illam radendam esse. Reliqua, quæ dicit S. Pius, clara sunt, vt & quę addit S. Thomas.

290 Ad diligentias autem dictas datur grauis obligatio, atque adeò peccabitur mortaliter, si omnino omittantur, quia sunt præceptæ Iure communi in materia graui, & quia nisi adhibeantur, cedit in irreverentiam notabilem diuinissimi Sacramenti, & Sacrificij. Si tamen prætereatur vna, aut altera diligentia, & per alias sit vtcumque consultum cuitationi irreuerentiæ, non peccabitur, nisi tantùm venialiter.

291 Pœnas verò ieiunij, & abstinentiæ à communione Eucharistica designatas à S. Pio per verbum *Pœniteat*, iuxta Sylvestrum in hoc Verbo, quæst. & num. 6. Rodericumque Acunha cum alijs ad Cap. *Siquis homicidium* 31. Dist. 50. & quod caput est iuxta S. Thomam inferiùs, nemo iam exequi tenetur, quoadvsque accedat Ecclesiastici Iudicis sententia, quia ne incurrantur ipso facto ante eam, obtentum est contraria consuetudine. Debet tamen Sacerdos satisfacere Deo, si culpæ alicuius reus sit; debet etiam exequi siue has pœnas, siue alias, quas Superior arbitrio suo iustè imposuerit. Ita Suarez, cum alijs suprà, Gavantus in Rub. Miss. parte 3. tit. 10. num. 12. Quartus ibidem, dub. 5. Tamburinus L. 2. C. 8. §. 7. n. 2.

292 In Rubricis multa continentur ad prefatum, & similes casus spectantia. Nam §. 10. num. 12. dicitur, *Si per negligentiam aliquid de sanguine Christi ceciderit, siquidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, & locus ipse radatur, quantùm satis est, & abrasio comburatur; cinis verò in Sacrarium recondatur. Si verò super lapidem altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus benè abluatur, & ablutio in Sacrarium proijciatur. Si super linteum altaris, & ad aliud linteum stilla peruenerit, si vsque ad tertiũ, linteamina ter abluantur, vbi stilla ceciderit, calice supposito, & aqua ablutionis in Sacrarium proijciatur. Quòd si in ipso solùm Corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, & ablutio in Sacrarium proijci. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, benè abluatur, vt suprà.* Sic Rubricæ.

293 Vbi vides, iuberi linctũ sanguinis, qui ceciderit super terram; vides item, iuberi, vt non tantùm sorbeatur stilla, quæ ceciderit super lapidem altaris, sed etiam, vt locus benè abluatur: quod vtrumque fusum non fuerat à S. Pio. Et de primo quidem ait Quartus, non videri cadere sub præcepto, quia in Rubrica non præcipitur, vt tenet Suarez. Sed is solùm tenet, non præcipi à S. Pio. Quare de Rubrica hac quoad linctum sanguinis effusi super terram ferat quisque iudicium, quod de alijs eiusdem partibus, & de cęteris Rubricis de Defectib⁹. Sed ordinariè erit difficilis linctus huiusmodi ob rationem supra exhibitam inter explicanda verba S. Pij.

294 Illud de sumptione aquę ablutionis, ab Angelico Doctore non improbatũ, siletur in hac Rubrica, imò potiùs aqua ablutionis dicitur proijcienda in Sacrarium, non quia nõ liceat Sacerdoti sumere eã, si absque horrore possit, sed quia præbet facultatem, vt in piscinam sacram mittatur. Etsi verò S. Pius dicat, *aqua ablutionis sumatur, sumi* ibi non est bibi, sed accipi manu, additur enim immediatè, *& iuxta altare recondatur.*

295 Illud etiam de incisione, & combustione partis linteaminum adspersæ sanguine Christi, non improbatum à S. Thoma, siletur tam in Decreto S. Pij, quàm in hac Rubrica, quãuis in antiquiori Pij V. iubebatur his verbis, *Pars illa lintei, siue pallæ post ablutionem abscindatur, & comburatur, & cinis in Sacrario condatur. Quòd si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit stilla sanguinis, satis erit ablui, & ablutio in Sacrarium proijciatur. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, & ablui oportebit, & partem abscindi, & comburi, & cineres similiter in Sacrariũ mitti.* Quæ verba desunt in Missalibus recognitis à Clemente VIII. & Vrbano VIII. ideoque nunc non datur obligatio

gatio ad incisionem, & combustionē, sed tantùm ad ablutionem, per quam satis consulitur reuerentiæ Sacramenti, præsertim in rebus consecratis, aut benedictis, aut deputatis ad sacros vsus, & aliunde non priuatur Ecclesia linteaminibus, tapetibusque pretiosis.

SECTIO XXII.

Quæstiones pertinentes ad septimum defectum.

296 QVÆRES primò, cum per se debeat esse Sacerdos, qui lambat sanguinem effusum, vt exprimitur in Rubricis, constatque exinde, quòd nulli alteri licet per se bibere illum, an debeat esse Sacerdos ieiunus? Paludanus in 4. Dist. 9. quæst. 1. art. 3. in fine, & rursus Distinct 11. quæst. & art. 1. num. 13. ait, posse esse iniciunum, nam causa non sinēdi perire species consecratas vini, & non relinquēdi eas ibi cum dedecore præponderat ieiunij præcepto, etsi antiquissimo, & admodùm graui, de quo ait Christianus Druthmarus Expositione in Dominicam Passionis, *Fecerunt autem Apostoli multo tempore, similiter vt Christus, post alium cibum, Dominicum sumentes. Post verò cum venerunt Hebræi ad communicandum, tunc præceptum est in Synodo, vt vnusquisque homo (si etiam de alijs peccatis purificatus fuerit) priùs reficiatur de cibo spirituali, & postmodùm de temporali.* Qui locus singularis est, & præteritus ab Scriptoribus, vt & ille S. Chrysostomi ad Cyriacum Episcopū exulantē, *Multa aduersùm me struxerūt; aiuntque, me post epulas quibusdam communionem impertijsse. Hoc si feci, de Episcoporū libro nomen meum expungatur, nec in Orthodoxæ fidei volumine scribatur, quoniam ecce si quidquam eiusmodi perpetraui, Christus è regno suo me abijciat.* Ita S. Chrysost. vt se tueretur à calumnia culpæ, quæ merito reputabatur grauissima, dispēsaræ communionis Eucharisticæ hominibus pransis, & potis.

297 Quare optimo consilio in Capitulo Cisterciēsi anno 1217. sublatus est ab Abbate Conrado abvsus quorundam Sacerdotum sui Ordinis, qui post *secundam ablutionem, pro mortuo, vel alio casu celebrare præsumebant.* Sic refert Illustrissimus Antistes Pacensis D. F. Angelus Manrique in Annalibus Cistercienſibus ad eum annum C. & n. 8. Nam sumptio ablutionis siue secūdæ, siue primę (quæ calicis purificatio dicitur) frāgit ieiunium naturale, quod, & nō solùm Ecclesiasticum prę requiritur ad celebrationem Missæ. Conferatur Statutum Cisterciense cum alijs Conciliorum Canonibus, quos adduxi n. 684. Disp. antecedentis. Et hæc obiter de præcepto ieiunij ante susceptionem Eucharistiæ.

298 Relata Paludani responsio intelligenda est habere locum, quando Sacerdos celebrans non lambisset sanguinem effusum, vt debebat ante sumptam purificationem calicis, tūc enim poterit ipse, & tenebitur lingere, si præstò non sit alius Sacerdos ieiunus. Ita Suarez suprà. Imò & poterit præfatus Sacerdos post sumptam purificationem ante finitam Missam, etiamsi præsens ibi sit alius Sacerdos omnino ieiunus, vt de fragmentis hostiæ consecratę siue paruis, siue magnis dicitur in Rubricis §. 7. n. 2. posse sumi, etiā post ablutionem à Sacerdote, ex cuius Sacrificio sint relicta: & aliqui extendūt ad Sacerdotem, qui, etsi discesserit ab altari, sed adhuc in Sacristia indutus sit vestes Sacerdotales, vt videre est apud Leandrum Tract. 7. D. 5. q. 31. & apud Quartum p. 2. tit. 10. S. 2. dub. 4. Imò non modò posse, sed etiam teneri præfatum Sacerdotem ad lingendū sanguinem in prefatis circumstantijs, probabilissimum est, nam alius Sacerdos, etsi ieiunus, nō lamberet eas sanguinis stillas, vt pertinentes ad Sacrificiū, quod proximè ipse celebrasset, quare biberet sanguinem Christi, non sacrificādo, & non aliter, ac si foret Laicus; id autē non licet, quando Sacerdos, è cuius Sacrificio residuæ sunt illæ stillæ sanguinis, potest proximè ad Sacrificiū absumere eas, tametsi iā nō maneat ieiunus, eoquòd biberit purificationē calicis.

299 Dices, si Sacerdos post sumptam purificationem reperiat fragmentum aliquod hostiæ à se consecratę, potest tradere illud ieiuno Sacerdoti, vt consumat. Sed retorquetur replica, nam non potest committere non Sacerdoti, vt lingat eas stillas san-

guinis. Et ratio discriminis est, quia sūptio Xpi. sub specieb⁹ panis nō est reseruata solis Sacerdotibus, ijsq; vt sacrificantibus, sicut reseruata est sumptio sub speciebus vini, nisi in casu, quo ob defectum Sacerdotis simpliciter, aut vt sacrificantis, permissa sit non Sacerdoti, aut Sacerdoti nō sacrificāti, pro vt notaui in num. 22, docentque Suarez Disput. 71. sect. 3. Vers. *Sed quæret*, Vazquez Disput. 216. Cap. 4. numero 47. Fagundez in 3. pręceptum Ecclesiæ Lib. 3. Cap. 4. num. 2. & Granadus Controu. 6. de Euchar. Tract. 11. Disput. 2. sect. 3. num. 16. Cardinalis de Lugo in Responsis Moralibus, Lib. 1. dub. 10. num. 3. Diana parte 5. Tract. 3. Resolut. 34. Mascarenhas Tract. 4. Disput. 7. Cap. 5. n. 392. alijque passim.

300 Dices rursus, Sacerdotem ieiunum videri pręferendum inieiuno, vt præ hoc sorbeat ille sanguinem effusum. Contra tamen, quia etsi id verum sit, quando neuter vt sacrificans sumpturus est sanguinem, secus, quando inieiunus potest sumere, vt sacrificans, & non potest ieiunus. Ac sanè Ecclesia minus cauet, ne sanguis sumatur à Sacerdote inieiuno, quàm à non sacrificante. Nam Sacerdos inieiunus posset ex constanti omnium sententia sacrificare tunc, atque adeò sumere sanguinem, vt susciperet Viaticum in circumstantijs, de quibus loquutus sum num. 40. Disput. 22. At quòd Sacerdos non sacrificans posset sumere sanguinem ex causa Viatici, quando ægritudo impediret deglutire hostiam consecratam, est valde dubium, & respectu Laici esse illicitum asseritur à Granado supra, à Cardinali de Lugo supra, num. 2. & 8. & à Dicastillo Tract. 4. Disput. 10. dub. 11. numero 228. cum Suario, Mercero, Sylnio, Fagundez, Pitigiano; videturque eandem esse rationem de Sacerdote nō sacrificante.

301 Quæres secundò, an ad lambendum sanguinem, qui effusus sit, requiratur, quòd Sacerdos celebrans sumpserit anteà corpus? Respondeo cum Ioanne de Lapide in Resolutorio dubiorum occurrentium circa celebrationem Missarum Cap. 7. articulo 5. dubio 7. [Si sanguis, qui ceciderit, recolligi nullatenus possit, citò lambatur, aut sorbeatur, aut sugatur per Sacerdotem, ne vel defluat, vel imbibatur rei, super quam cecidit. Nec obstat, si nondum sumpsit corpus Christi, quia necessitas hìc cogit, vt sanguis sumatur ante corpus.]

302 Quęres tertiò, quid faciendum sit, si sanguis tetigerit mystacem, vel barbam Sacerdotis? Respondet Ioannes de Lapide supra, post trinam lotionem deberi abradi barbam, & comburi. Consentit Bartholomæus ab Angelo apud Bonacinam Disput. 4. quęst. vltima, puncto, & numer. 10. Sed idnimis durum est iudicio eiusdē Bonacinæ, Francisci de Lugo Lib. 5. Cap. 10. quæstione 2. numero 32. Dicastilli Tractatu 8. Disputatione 4. dubio 15. numero 301. Dianę parte 10. Tractatu 12. Resolutione 10 Ægidij Trullench Lib. 3. de Sacramentis Cap. 8. dubio 23. numero 16. Gavanti parte 3. titulo 10. numero 12. Rubricarum Missalis, Quarti ibidem, dubio 4. Et meritò, præsertim quando iam declaratum est in Rubricis, neq; tapetē abscindendum esse, si in eum decidat sanguis. Erit ne peioris conditionis barba Sacerdotis? Quòd si iuxta Ioannem de Lapide, [quando sanguis tetigerit caput, vel faciem, aut aliam partem corporis nudam, sufficit, quòd diligenter, & discretè lauetur,] quid ni sufficiet trina lotio barbę?

303 Quæres quartò, quisnam loturus est id, supra quod est effusus sanguis? Respondeo, primam saltem lotionem debere fieri à Sacerdote, ne alius, quàm Sacerdos, attingat proximè sanguinem. Vnde cum S. Pius Papa suprà inquit, *linteamina, quæ stilla tetigerit, lauet Minister*, intelligendus est de Sacerdote, vt notat Suarez supra. Facta prima lotione à Sacerdote (vel in eius defectu, seu quia ipse fortè nō possit, à Diacono, vt monet Tamburinus L. 2. C. & §. 8. n. 2.) reliquæ poterūt fieri abijs, quibus licet lotio secunda Purificatorij, & Corporalium, iuxta dicta in D. 25. S. 2. quia post primam lotionem cessat periculum contingendi proximè sanguinem.

304 Quæres quintò, quid fieri oporteat, quando contingat effūdi vinum, quo purificatus est calix? Nam & tunc cum vino remanent aliquæ

quæ reliquiæ sanguinis, quæ adhæserant calici post sanguinem ebibitum à Sacerdote. Vnde Eminentissimus Cardinalis de Lugo Lib. 1. Responsorum Moralium, dub. 10. improbat, quòd Laicis refectis iam corpore Christi detur à Sacerdote celebrationem iteraturo, vt in die Natiuitatis Domini, vinum illud loco ablutionis, quæ ipsis post communionem solet exhiberi; improbatque exinde, quòd alioqui Laici fierent participes sanguinis contra prohibitionem vniuersalem Ecclesiæ Latinę. Respondeo, de hoc casu nihil clarè præscribi in Rubricis; sed magno cum fundamento posse indicari, comprehendi tacitè in eis: & ex iure naturali religionis dari obligationem, vt obvietur irreuerentiæ reliquiarum sanguinis admistarum cum vino, persuadeo mihi cum Quarto parte 3. titulo 10. num. 12. dub. 6. quanquam quia non est adeò certum manere cum illo vino sanguinem, nam stillæ residuę ex sumptione, & per se sunt valde exiguę, & aliunde per admistionem vini rediguntur in partes minutiores, quare quando vinum effundatur, iam fortè non manet ibi sanguis, quòd probabilius erit apud eos, quibus placeat Sancti Thomæ sententia 3. parte, quæst. 77. artic. 8. de qua non nihil dixi in num. 10. & latiùs in Disputatione 7. de Eucharistia ex numero 68. Ideò ex iure naturali religionis non debet, vt euitetur irreuerentia Sacramenti incerti, adhiberi tam exquisita diligentia, quàm quando effunduntur vini species, sub quibus certum est manere sanguinem Christi.

305 Quæres sextò, quando totus sanguis effunditur è calice, ita vt in hoc nihil omnino remaneat, an tunc consecrandum sit denuò vinum mistum aqua, vel satis sit, quòd Sacerdos, si possit, sorbeat aliquam stillam existentem extra calicem, & continentem sanguinem Christi? Respondeo, esse satis id posterius, nam etsi in Rubricis §. 10. numero 13. dicatur, *Si contingat, totum sanguinem post consecrationem effundi, siquidem aliquid, vel parum remansit, illud sumatur ::: Si verò nihil omnino remansit, ponat iterùm vinum, & aquam, & consecret, &c.* intelligendæ sunt Rubricæ, si nihil vel extra calicem remaneat, quod bibi possit; & quantumcumque modicum sit, sufficiet ad consummationem Sacrificij. Quia tamen id in Rubricis non exprimitur, proponitur à me vt tantùm similius vero; indicaturque à Quarto in explicatione numeri illius 13. & ab Aversa quæst. 12. sectione 16. Vers. *Tertiò*

306 Cętera pertinentia ad casum effusi sanguinis explicata manent ex num. 142. quanvis à doctrina ibi tradita discordet Alfonsus Camera in Epitome de Sacramentis cum tract. de Doctrina Christiana; quod opus non vulgare impressum est Hispali anno 1496. de mandato Dominorum Decani, Prouisoris, & celeberrimi Capituli Ecclesiæ Cathedralis Conchensis. Ea in Epitome Cap. 20. folio 59. dicitur ex Guilielmo Durando in Rationali Lib 4. Cap, 42. num. 18. [Si post transubstantiationē pars effusa est, tūc similiter Officium exequatur Sacerdos. Si totum, ita quod nihil hauserit (quod valde enorme est) tunc ponat hostiam super propitiatorium, & Minister denuò ponit vinum, & aquam, & reincipiat, *Hanc igitur oblationem*, confessione tamen præmissa, & hostia seruata sumatur post modùm à Ministro in fine Missę, vel seruetur pro infirmis.] Sic ibi. Sed his non obstantibus, quod scripsi, scripsi.

307 Quęres septimò, an licuerit, quod olim factum esse à Theodoro Papa anno 648. narrat Baronius ex Theophane in Hist. miscella, anno 20. Heraclij Imperatoris, his verbis, [Pyrrhus Patriarcha Constantinopolitanus, hæreticus Monothelita, cum Roma discessisset, & Rauennam peruenisset, vt canis ad vomitum suum reuersus est. Quo, Papa Theodorus, comperto, plenitudine vocata Ecclesiæ ad sepulchrum Verticis Apostolorum accessit, & diuino calice expostulato, ex viuifico sanguine in atramentum stillauit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati facit.] Idemque Baronius anno 869. numero 39. tradit ex Niceta Paphlagone in vita Sancti Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani, subscripsisse damnationi Photij Pseudo Patriarchæ, [non simplici atramento facto chirographo, sed (horrendum dictu) ipso Saluato-

ris sanguine calamum intingentes] centum & duos Episcopos in Octaua Synodo Constantinopolitana. Respondeo, Antiquitatem reliquisse nobis hæc exempla ad admirationem potiùs, quàm ad imitationem.

SECTIO XXIII.

Agitur singillatim de corpore Christi, quando dilabitur in locum extraneum.

308 SANCTVS Thomas non agit de hoc tam extensè, quam Missalis Rubricæ, in quarum §. 10. num. 15. dicitur, *Si hostia consecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reuerenter accipiatur, & locus, vbi cecidit, mundetur, & aliquantulùm abradatur, & puluis, seu abrasio huiusmodi in Sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quouis modo in aliquod linteum, mappa, vel linteum huiusmodi diligenter lauetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundatur.*

309 Circa quæ verba notandum est primò, præcipi quòd abradatur terra, aut tabula, supra quam ceciderit corpus; non tamen quòd lambatur, quia species continentes corpus, possunt inde accipi integrè, & quia nō penetrant rem attactam, sicut species continentes sanguinem, sed eam tantùm in superficie, & leuiter attingunt.

310 Secundò, non præcipi abscisionem mapæ, vel lintei, sed ablutionem, quia per hanc satis consuli tur honori Sacramenti. Idemque puto faciendum, si hostia, aut formula consecrata ceciderit super tapetem, præsertim si pretiosus sit, & solùm rebus sacris inseruiat. Patetque à fortiori ex dictis circa sanguinem effusum super tapetem. Video etiam seruari idē ipsum, quando formula consecrata dilabitur è manu Sacerdotis super vestē communicaturi Laici.

311 Sed quid fiet, quando consecrata formula tetigerit mystacem, vel barbā Laici? Infertur ex Sectione superiori, non esse tunc necessariam abrasionem, & combustionem. Erit ne saltem necessaria ablutio, sicut quando sanguis attigit? Tamburinus Lib. 2. C. & §. 8. num. 3. suadet Sacerdoti, [ne solicitus sit tentare, vel præcipere barbæ lotionem, melius enim est vitare turbationem fidelium, quàm Rubricarum apicem, eiusmodi cautelas præcipientem, obseruare.] Sed contra insurgit Diana parte 10. T. 12. Resolut. 10. inquiens, [Hæc opinio mihi non placet, nec enim Rubricę præcipiunt turbationem fidelium, sed reuerentiam, quam ipsi debent diuinissimo Sacramento: ideò puto in tali casu lotione barbam esse purgandam, & aquam reponendam in piscinam.]

312 Supponit Diana, Rubricas præcipere eam lotionem. Non tamen præcipiunt expressè, sed vt summùm potest ex ijs, quę dicunt de terra, mappa, vel linteo lauandis, si contingantur à Christi corpore, fieri illatio ad mystacem, vel barbam. Rogarim verò, cur ex terra radenda non etiam fit illatio ad mystacem, vel barbam radendam? Certè in casu non expresso à Rubricis cauere oportet, ne ex illatione proprij Martis lotio intentata à Sacerdote sit nimiū molesta Laico barbicolæ, & ne in adstantibus risū excitet, vel turbationem; quorum vnum, & alterū memini contigisse semel. Cum enim quidam Sacerdos, dispensando communionem, errore manus applicuisset formulam ad mystacem Laici honorati; religione ductus monuit, vt finita Missa conferret se in Sacristiam, ibique notum ipsi fecit, debere pati lotionem in pelvi imperata actutum afferri cum aqua ab Æditruo. At Laicus importunitatem morosioris Sacerdotis eiurans asseuerauit, se nihil tale passurum, nisi alij sapientiores dicerēt, se teneri. Adsunt vocati, & audita causa liberāt turbatum hominē à molestia illa, sed prudenter in præsentia multorum, qui iā conuenerant, excusant Sacerdotem ob opinionem, quæ de tam exquisitæ diligentiæ obligatione versabatur inter doctos nonnullos. Iusso autem abire cum bona gratia Laico, non potuerunt temperare sibi à risu. Idemque ipsum sæpe accidet, si eiusdem sint mentis alij administrantes Eucharistiam, nam non rarò, sed sępe evenit, vt formulis, aut earum fragmentis pili barbæ

bæattingantur. Addo, etsi Rubricæ expressis verbis præciperent quod supponit Diana, interpretandas esse, non obligare, quando ex earum exacta obseruantia sequeretur offensio notabilis, quandoquidem huius vitandæ causa soleat Ecclesia permittere omissionem aliorum, quæ grauiora sunt.

313 Atque hinc deducitur quid factu opus sit, quando formula ceciderit super manum fœminæ, quæ ad communicandum accesserit. De quo casu tractat Diana parte 10. Tractatu 13. Resolut. 49. valdeque scrupulosè contra Pellizarium in Manuali Regularium Tractatu, & Cap. 10. sect 3. subs. 1. num. 241. non requirentem, quòd mulieris manum abluat tunc Sacerdos, [quia cum Rubrica loquatur expressè de mappis, seu linteis, non videtur extendenda ad alios similes casus, & consequenter neq; ad eũ, quo super veste mulieris communicantis, aut super alia re, vel etiam super manibus ipsiusmet mulieris: idque iuxta communem regulam quòd vbi agitur de obligatione imponenda stricta interpretatio est facienda: præterquàm quòd obseruantia istius Rubricę esset valde onerosa. Verum tamen est, quòd in simili eventu diligenter inspiciendum est, num in loco, super quo cecidit formula, remaneat aliquod illius fragmentum, & si quod est, attollendum est reverenter: quinetiam esse valde decens, vt mulier ipsa abluere rem illam, super quam cadit particula consecrata; idque ad maiorem reuerentiam Sacramenti.] Sic Pellizarius, cui assentior, quia in casu non expresso per Rubricam videtur decentius, & honestius, si ipsa fœmina lauet suam manum, aut partem vestis attactam à formula, præsertim cum Rubrica non declaret, quisnam loturus sit rem, super quam ceciderit hostia consecratata, vel aliqua eius particula.

314 Sed inquit Diana, [Rubricam non apponere illa exempla, & casus taxatiuè, sed demonstratiuè, respexit enim ad casus, qui ordinariè contingere poterant. Vnde non ex hoc sequitur, minimè extendendam esse ad alios similes casus, in quibus militat eadem ratio.] Consentit Quartus parte 3. titulo 10. numero 15. dub. 1. V. *Colligitur secundò*, quanuis hic non aliud intendat, quàm quòd ipsa mulier debeat lauare suam manum, aut partem suæ vestis. Id quod Pellizarius, & ego consulimus, vt valde decens. Et admisso, Rubricam loqui demonstratiuè, & non taxatiuè, tamen extendenda non est ad similes casus, in quibus minor honestas, & decentia apparet, si ad litteram obseruetur.

315 Vnde placet mihi, quod ait Tamburinus lib. 2. Cap. & §. 8. numero 3. in casu, quo fragmentum formulæ ceciderit in partes interioris tunicę mulieris alicuius: [In his inquit, casibus honestatis, & decentiæ ratio maximè est habenda; quòd si per accidens fragmentũ deperdatur, Deo, & Angelis commendetur. Potuit ergo mulier illa ex se videre, an fragmentum inueniri, & ab extractis à se parumper vestibus, & foras modestè exporrectis, à Sacerdote accipi; secus ipsa mulier accipiat, immittat in pyxidem, digitosque lauet, proiecta in Sacrarium lotione. Imò si Sacerdos solus vidit parui fragmenti casum, & probabiliter aduertit, fore notabilem mulieris turbationem, vel adstãtium offensionẽ (id quòd certè regulariter adest, si de re mulier aduertatur) nihil dicat Sacerdos, sed totum remittens Deo progrediatur in suo ministerio, hoc enim nunc requirit ipsa reuerentia, & cultus sacer.] Ita Tamburinus, à quo non discordant Pellizarius suprà §. *Addo quòd* Quartus suprà, dub. 1. V. *Colligitur primò.*

316 Notandum est tertio, non dici in Rubrica, quisnam eleuaturus sit hostiam consecratam, vel particulam, quæ dilapsa sit in terram, neque dici, quisnam mundaturus sit, & abraturus locum, vbi ceciderit, neque item dici, quisnam loturus sit; & quoties mappam, vel linteum, quod attigerit; nihilominus eleuatio hostiæ, vel particulæ facienda est à Sacerdote, vel à Diacono ex eius iussu, si adsit causa rationabilis, vt committatur ipsi eleuatio; vt si Sacerdos non posset ob impedita crura ex ægritudine inclinare se vsque ad terram. Quando verò iaceret hostia in terra, nec adesset Sacerdos, ne-

que Diaconus, qui eleuaret, nec posset de facili alteruter vocatus adesse, tunc fœminæ etiam liceret eleuare, si timeretur conculcanda, aut comedenda à bruto, aut deperdenda, antequàm adveniret Sacerdos, aut Diaconus. Ita inter alios Didacus de Tapia quæst. 10. de Euch. art. 3. Franciscus de Lugo Lib. 4. Cap. 11. quæst. 5. numero 53. iuncto Cap. 6. quæst. 3. numero 16. Cap. & quæst. 7. num. 65. quia præcepto non contrectandæ Eucharistiæ à Laico præualet evitatio periculi de eiusdem tractatione adeò indigna.

317 Sed quid fiet, quando inter præbendam communionem Monialibus decidat formula, aut fragmẽtum in interiorem Chorum, poteritne Sacerdos illuc ingredi, vt formulam attollat? Respondet Pellizarius supra num. 239. [Videri non posse, cũ ingressus in tali evẽtu non sit necessarius ::: quia Moniales ipsę decenter possunt eleuare è terra particulam illam consecratam mędia patena, eamq; posteà prębere Sacerdoti è fenestella cõmunionis, cum in tali casu permitti possit Moniali, vt tangat patenam, excusãte necessitate. Prętęrquàm quòd dictam particulam consecratam posset lingua ipsa sumere Monialis, cui præbebatur, quando decidit: mundando poste à locum, super quem ceciderat, illum aliquantulùm abradendo, & puluerem, seu abrasionem in Sacrarium proijciendo, iuxta communem Rubricam Missalis. Quæ item obseruanda esset in casu, quo particula consecrata attolleretur è terra, media patena] Hucvsque Pellizarius, cui adhæreo quoad id, quòd Monialis posset ante oris ablutionem sumere lingua ipsa illã particulam.

318 Si verò accidat non animadverti lapsùm formulæ, aut fragmenti, nisi postquàm Monialis acceperit ablutionem oris, & quando non adsint aliæ Moniales ieiunę, aut dispositæ ad communicandum, videtur mihi esse sufficientem causam, vt Superior Monialium det facultatem Sacerdoti, vt ingrediatur Chorum, ad tollendam formulam, aut particulam, & trahendam in Tabernaculum sacrum, neque enim est minor causa, quàm si Monialis ægrotet citra periculum vitæ; quo etiam in casu Superior dare potest licẽtiã, vt Sacerdos ingrediatur Monasteriũ ad dispensanda ipsi Sacramenta cõfessionis, & Eucharistię, quoties ex præscripto regulæ à Monialibus sanis suscipi solent, imò & quoties ipsa infirma solita fuerat, cum sana esset, suscipere illa, vt ex communi Doctorum sententia tradit Gibalinus Disquisitione 1. de Clausura Sanctimonialium C. 7. §. & Consectario 2. num. 4. Et alicui videri posset, non fore necessarium expectare licentiam Superioris, nõ secus ac in casu extraordinario, & repentino incendij. Certè quòd fœmina eleuet è terra Eucharistiam media etiam patena, quando adest Sacerdos, qui possit, non apparet mihi satis decens, & religiosum. Quare suaderem, vt si pręstò esset Superior, facultate priùs ab ipso petita, ingrederetur Sacerdos Chorum Monialium.

319 Mundatio, & abrasio loci, in quem Christi corpus ceciderit, conuenit, vt fiat à Sacerdote, aut à Diacono. Num autem ab alijs etiam possit fieri? constabit ex ijs, quæ iam de lotione mappæ, aut lintei dico. Imò de ea vix restat quidpiam dicendum post scripta à me in Disp. 25. Sect. 2. nam si lotio etiam prima Corporalium fieri potest à Subdiacono, vt ibi defensaui cum alijs, addoque nunc fauentem Quartum parte 2. tit. 1. sect. 3. dub. 6. V. *Dico secundò*, multò potiùs fieri poterit lotio prima mappæ, in qua Christi corpus occasionaliter tãtùm, & per accidens, breuissimoque tempore existat. Si vt Tamburinus censet Lib. 1. Cap. & §. 2. num. 1. possint citra culpam vllam alij Clerici inferiores, imò & Laici lauare primò Corporalia, quã opinionem esse probabilem, fatetur Quartus tum in loco præcitato, V. *Difficultas est*, tum parte 3. tit. 10. num. 15. dub. 2. poterunt à fortiori ijdem lauare primò linteum. Et ita notat ipse Tamburinus L. 2. C. & §. 8. num. 2. Sed ego persisto in sententia, quam tenui in Sect. illa 2. concordatque mecum familiarissimus P. Raynaudus C. 14. de Cereo agno, dubitatione 5. n. 12. & 13.

320 Vltra vnam lotionem non sunt aliæ necessariæ in mappa, aut linteo, super quo ceciderit corpus Christi. Etsi enim triplex sit necessaria, quã-

do

do superfusus est sanguis, manifestum cuivis est discrimen, siquidem species continentes corpus attingant leviſsimè, & in superficie linteum; secus species continentes sanguinem, imbibuntur enim in eo.

SECTIO XXIV.

Additamenta aliqua. Et quā fuerit antiqua Ecclesiæ cura, ne Eucharistiæ fragmenta decidant in locum extraneum.

321 AD complementum harum adnotationum placuit transcribere, quę lego in antiqui Authoris Ioannis de Lapide Resolutorio dubiorum occurrentium circa celebrationem Missæ C. 7. art. 2. dub. 6. [Quid agendum, inquit, si Sacerdos casualiter tangat hostiam cum naso, mento, barba, veste, vel alio simili? Si notabiliter tetigerit, ita vt verosimiliter timeri possit, quòd aliqua particula minima hostiæ ibidem manserit, adhærens, statim post sumptionem hostiæ, vel ante, si commodè fieri possit, fricetur cum extremitate patenę super Corporale illa pars nasi, menti, vel illius, quo tacta fuit hostia; deinde excutiatur Corporale super patenam, & si aliquid ibi appareat de hostia, sumatur, vel mittatur in calicem, & sumatur cum sanguine, & nihilominus post ablutionem digitorum, discretè lavetur, vel humectetur cum digito eadem pars rei contactæ, & abstergatur cum panniculo extersivo, quo calix abstergi solet. Si cum veste, vel alio consimili tetigerit, excutiatur pars illa super patenam, vel Corporale, & agatur, vt supra.] Hactenus sapiens, piusque Doctor Parisiensis, & Carthusianus Ioannes de Lapide.

322 Placuit etiam addere, quæ de V. Hermanno Steinveldensi narrat Vitę Scriptor commendans tum summum studium, quod in Sacrificij cœremonijs adhibuit, tum raram circumspectionem erga id, quo corpus Xpti fuisset attactum. [Verebatur ille modò se nimiùm miscuisse aquæ cū vino, modo guttulas quasdam separatim calici inhæsisse, nunc vel tangenda sacra hostia, vel etiam frangenda aliquas minutissimas particulas digitis adhæsisse, nunc se sumendo Eucharistiam illas particulas anhelitu suo à patena eiecisse, nunc sumendo sanguinē quidpiam distillasse, aut in calice remā sisse non satis accuratè detersum, modò verò illam Corporalis partem, cui hostia imponitur, vel digitis, vel alia parte Corporalis se attigisse, modò illis articulis digitorum, quibus sacram contrectarat hostiam, ante ablutionem se aliquid tetigisse, & super omnia se ea, qua par erat, devotione præditum non fuisse, vt ex sententia posset dicere cum B. Iob, Verebar omnia opera mea. Ea ergo reverentia, quam summam adhibuit Sacramentis, in causa fuit, vt omnia tractim perageret, corpus Dominicum perinde, ac si pati adhuc posset, & elevaret, & deponeret, & omnes corporis gestus admodùm reverenter componeret. Vngues digitorum, quibus sacra hostia contrectatur, & superioris labij pilos ori proximos forfice solebat præcidere, & ob Sacramenti reverentiam conservare apud se, indignum censens illa pedibus conculcare, quæ ex frequenti Dominici corporis contactu nobilitata essent. Nec tamen hoc scribimus, vt trahi debeat in exemplum, quod tota Ecclesia non observat, sed vt beati viri erga Sacramēta eximiam reverentiam declaremus.] Sic Scriptor ille apud Surium 7. Aprilis, C. 33.

323 Fuerit hęc V. Hermanni cura magis admiranda, quàm imitanda; at omnibus Sacerdotib⁹ incumbit strictissima obligatio cavendi, ne consecrata hostia dilabatur in locum extraneum. Audiatur divinum oraculum apud S Hildegardem Lib. 2. Visione 6. num. 59. *Idem quoque Eucharistiæ Sacramentum tanta diligentia, & solicitudine à Sacerdote, & à populo tractandum est, ne à quoquam ita negligatur, vt super terram neglectum proijciatur. Quia si super terram neglectum torpore ceciderit, contumaciam illam per zelum meum aut in terra, aut in homine vlciscor, nisi ipse homo pœnitentia, aut amaris verberibus se puniat, quoniam caro, & sanguis carnem, & sanguinem restituere debent. Caro, & sanguis hominis in*

homine

homine lugebunt, quòd caro, & sanguis filij mei negligenter ab homine tractata sunt, sicut & tunc terra tremuit, & vt homines in timore concussi sunt, cum filius meus in cruce positus spiritum tradidit. Sic ibi.

324 Meritò igitur in Concilio Arelatensi relato C. *Qui benè* 94. de Consecratione Distin. 2. impositi sunt triginta dies pœnitentiæ ei, qui *Sacrificium perdiderit in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit.* Nomine *Sacrificij* significatur materia eius, nempe species consecratę panis. S. Thomas inferiùs legit *Sacramentum.* Quid autē per pœnitētiam triginta dierum denotetur, diximus supra cum eodem Sācto Thoma, vt & ad pœnas huiusmodi subeundas non dari nunc obligationem, nisi ab Ecclesiastico Iudice imperentur.

325 S. Gertrudis Mansfeldensis novit à Deo, quænam sibi in Sacerdotibus pœnitentia grata esset, quando accideret lapsus consecratæ hostiæ. Habentur hæc Lib. 3. Insinuationum diuinæ pietatis C. 13. [Accidit aliquando, quòd quędam hostia cecidit de præparamento, dum plicaretur, de qua dubium fuit, vtrum esset consecrata, an non? Qua de re cum ista consuleret Dominum, & ab eo edocta intelligeret, hostiam illam non fuisse consecratam, gavisa quidem multū (vt decuit) pro eo, quòd talis negligentia non erat commissa, sed tamen lucro laudis diuinæ inhians dixit ad Dominum: licet immensa pietas tua præcaverit, quòd in loco isto tibi talis contumelia per Sacramentum altaris non sit exhibita; tamen quia totiens tu, Domine vniversorum, tam indebitè à tuis, non solùm dico inimicis, scilicet Paganis, & Iudæis, verùm, hęu! & ab amicissimis, scilicet fidelibus, pretioso sanguine tuo redemptis, & (quod flens dico) etiam quandoque à Sacerdotibus, & religiosis simili contumelia afficeris, ego non pandam, quòd hęc hostia non sit consecrata, nè fortè per me qualicumque frauderis emenda. Et adiecit, da mihi, Domine Deus, intelligere, quam emendationem maximè acceptares pro qualibet offensa, quia hoc, etiamsi omnes vires meas deberem expendere, obtui amoris laudem, & gloriam libentissimè studebo perficere. Tunc intellexit, Dominum acceptare, si in honorem sanctissimorum suorum membrorum dicerentur CCXXV. Paternoster, & totidem opera charitatis proximis exhiberentur ob reverentiam illius, qui dixit, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. In vnione illius amoris, quo Deus homo factus est pro nobis. Et etiā totidem continentiæ inanium, & inutilium delectationum ipsius, diuinæ delectationi offerrentur. O quanta, & quàm ineffabilis est misericordia, & pietas Dei amatoris nostri, qui talia à nobis tantopere acceptat, imò & remunerat oblata, quę si nō offerrentur, vltio pœnæ condigna iustè sequeretur!]

326 Vnde ne ob irreverentiam erga Sacramentum provocaretur Deus ad vindictam, & vt debitus honor Christo Domino sub speciebus panis benignissimè velato servaretur, fideles semper maximam in id contulere curam, ne species illę decidérent in locum extraneum. Constat de ea diligētia ex S. Augustino in Lib. Homiliarū 50. in 26. relato C. 93 *Interrogo* 1. q. 1. vbi ait, *Quanta solicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso è nostris manibus in terram cadat, tanta solicitudine obseruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud, aut cogitamus, aut loquimur, de corde nostro pereat: quia non minùs reus erit, qui verbū Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit.*

327 His in verbis imitatus est S. Augustinus Origenem, qui sic fatur Homilia 13. in Exodum, *Nostis, qui diuinis mysterijs interesse consuestis, quomodò cum suscipitis corpus Dñi, cum omni cautela, & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, (& rectè creditis) si quid inde per negligentiam decidat. Quòd si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela (& meritò vtimini) quomodò putatis, minoris esse piaculi, verbum Dei neglexisse, quàm corpus eius?*

328 Consonat S. Cyrillus Hierosolym. Catechesi Mystagogica V. inquiens ad eum, qui accedit ad suscipiendum Christi corpus, *Caue, ne quid inde excidat tibi: quod enim amittas, hoc tanquàm ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, non-*

ne

ne magna cum diligentia illa teneres, cauens, ne quid ex illis periret, damnumque sustineres? Et non multò magis, & diligentius de hoc, quod auro, gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illa (nempe ex manu) *cadat, prouidebis?* Loquuntur tres hi Patres, quando in more erat, vt viri nuda manu, & fœminæ operta linteamine mundissimo acciperent a Sacerdotibus, aut Diaconis corpus Xpti, indeq; ad os deducerent. De quo more egi num. 197. Disp. 27.

329 His Patribus adiungo Tertullianum C. 3. de Corona militis, vbi enarrans traditiones aliquas, quæ nullo litterarum instrumento habebantur suo tempore in Ecclesia, & tamen abierant in obseruationem, vindicabãturque consuetudinis patrocinio, inquit, *Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram, anxiè patimur.* Quę verba etsi intelligenda non sint de calice, & pane Eucharistico, tum quia ad discrimen ab Eucharistico posuit Tertullianus voces *etiam nostri*, cum proximè loquutus fuisset de eo alio sub nomine *Sacramenti Eucharistiæ*, tum quia minus benè retulisset in consuetudinem, & non potiùs in curam ex religione debitam, quòd sanguis, & corpus Christi non decidèrent in terram; tamen supponens vt certam, notamque hanc curam circa poculum, & cibum Eucharisticum addit Tertullianus, [Adhuc anxiè patimur, decuti in terram panẽ illum quotidianum, quo vivimus, & aliquid poculi, quod haurimus. Hoc ita verum est, vt hodie etiam vulgò, si frustulum panis in terram decidat, osculabundi attollamus. Cuius moris causam mihi considerãti duplex subit. Primò, hęc ipsa, quam indicat Tertullianus, tractamus enim religiosè nostrum panem, quia repręsentat exteriore forma Eucharisticum. Altera, vt simus grati erga datorem, qui nos pane alit.] Ita noster Ioannes Ludovicus de la Cerda, breviter, & eleganter explicat Tertullianum.

330 Facit in confirmationem prioris rationis, quod Innocentius III. Lib. 2. de sacro altaris Mysterio C. 36. obseruat de Romano Pontifice, [Præter oblationem panis nullam aliam oblationem manibus tangit, nisi quæ pro defunctis offertur, quam ideo manibus accipit, vt eorum fugillet errorem, qui dogmatizant, eleemosynas non valere defunctis. Panẽ verò tangit propter reverentiam Sacrificij, quod ex pane conficitur, eo quia vicarius est illius, qui de se dicit, Ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi. Cæteras autẽ oblationes ad pedes accipit, propter illud, quod in Actibus Apostolorum habetur, Quoniam offerebant pretia eorum, quæ vendebantur, & ponebant ante pedes Apostolorum.

331 Cura prefatâ, ne corpus, & sanguis Christi caderent in terram, movit tandem Ecclesiam, vt plura, quæ anteà licebant in vsu consecratarum specierum panis, prohiberet in posterum, vt quòd viris, & fœminis traderentur in manibus, quòd in priuatas domos deferrentur, degustandæ ibi, quibus diebus non erat facilis ad Templa accessus, nam in tanta multitudine fidelium vix ex huiusmodi vsibus evitari poterant irreverentiæ, & prophanationes tanti Sacramenti, vt peritè notat Raynaudus C. 14. de Agno cereo, num. 26. De quo eodem agno tractans Ioannes Horozcius in Emblematibus Moralibus Lib. 1. C. 3. ait, successisse eius in Ecclesia vsum loco Eucharistiæ, quando decretum est, ne ex Templis à fidelibus suas in domos portaretur, & ne Episcopi eam pyxide inclusam deferrent secum, vti antea de more habebant ob sui muneris administrationem, atque inter varia discrimina protectionem; & vti nunc Monachi Græci in longioribus itineribus, provt refert Arcudius Lib. 3. de Concordia Ecclesiæ Occident. & Orient. C. 59. Sed quidquid sit de his narrationibus, manifesta est calumnia illa, quam Græci Schismatici affingebant Latinis Catholicis militibus, *quòd Eucharistiam in marsupio ponerent, & portarent in vestibus, & in pileis.* Cuius impostura fit mentio in Tract. quodam contra Græcos prolato in lucem à Petro Stevartio & cõtento in 15. tomo Bibliothecæ V V. PP. ex editione Coloniæ Agrippinæ, anno 1622. pag. 1061.

332 Eadem ratio, quæ supra, movit, & vehementer, Ecclesiam iudicio Bellarmini Lib. 4. de Eucharistia C. 28. vt Laicos, quos vi que non sacrificantes interdiceret vsu calicis, erat namque expositus frequenti effusioni sanguinis, quanvis multę cautelæ adhibebantur

hibebantur ad eam impediendam, nempe quòd suis manibus non leuarent calicem, quòd canna, seu fistula, quam manu tenebat Diaconus, exugerent è calice sanguinem, vt eruditè probat Vicecomes Volumine 4. Obseruationum Ecclesiasticarum Lib. 6. de Missæ apparatu, C. 33. & sic de alijs cautelis; quæ tamen non sufficiebant.

333 Nunc verò post ademptas tot occasiones, & pericula, contingere adhuc potest ex inadvertentia naturali, vel ex negligentia, vel ex contemptu, malitiaque extrema, vt species consecratæ dilabantur, proijciantur ve in terrā, aliove modo irreligiosè, sacrilegèque tractentur: quę incōmoda non deterruerunt Christum Dominum, ne se nobis relinqueret sub speciebus panis, & vini, etsi preuiderit ea omnia. Sed nihil horum obstitit ardentissimo suo erga fideles affectui. De qua Seruatoris nostri benignitate possemus multa dicere, remittimus tamen ad Theologos Mysticos, ad quos spectant.

334 In C. *Statuimus* 1. de Custodia Eucharistiæ iubetur, vt *Eucharistia sub fideli custodia, clauibus adhibitis, conseruetur, ne possit ad illam temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda*. Nonnunquàm tamen euenit (proh dolor!) vt extendatur, vel quia ex incuria Tabernaculum sacrum non fuerit obseratum, vel quia referetur, & effringatur. Sed si posteà restituatur Sacerdoti hostia, aut formula, quæ affirmetur inde subrepta, debet ille secretò recondere eam in Tabernaculo, vel intra Corporale; & in Missa, quam ipse, vel alius celebret, consumere post sumptionem sanguinis, & non anteà, si dubium possit suboriri, an fallat, qui tradidit, dicendo esse consecratam. Et similiter non erit cōferenda fideli, qui ad sacras epulas accedat, nisi fortè postquàm accepisset formulam, de cuius consecratione non dubitetur. Cæterùm si hostia, quæ restituatur, sit deturpata ita, vt nauseam moueat, tunc si hanc vincat Sacerdos, sumat illam, nisi putaretur esse venenata, nam in casu veneni custodienda esset in Tabernaculo sacro, quoadvsq; species corrumpantur, & species corruptæ proijciendæ essent in piscinam. Idemque fieri deberet, absente periculo veneni, si nullus Sacerdos posset superare stomachi fastidium. Et in casu dubij de consecratione non esset hostia adoranda absolutè, sed sub conditione, neque esset custodienda cum apparatu solemni. Atq; hinc colligitur, quid faciendum sit, quando post Missā reperiatur in altari, aut prope illud hostia, aut formula aliqua, de qua dubitetur, an fuerit vna ex cōsecratis. Videantur Castaldus in Praxi cæremoniarum Lib. 2. sect. 14. Cap. 7. num. 16. Gauantus in Rub. Mis. p. 3. tit. 10. numero 15. & Quartus ibidem, dub. 3.

SECTIO XXV.

Num Angeli colligant decidua Eucharistiæ fragmenta?

335 SI non ex malitia decidat aliquod fragmentum hostiæ, aut formulæ consecratæ, quod ob sui parvitatem subterfugiat visum, & consequenter non possit colligi, & custodiri, ait idem Quartus p. 2. titul. 10. sect. 2. dub. 7. tale fragmentum colligi ab Angelis, tum quia fideles ita credūt piè: tum quia Tamburinus Lib. 2. C. & §. 8. num. 3. dicit, commendandum esse Deo, & Angelis fragmentum, quod solus Sacerdos aduerterit cecidisse per collum in partes interioris tunicę mulieris alicuius, vnde ob decentiam, & honestatem colligi non possit: tum quia Angeli assistunt diuinissimo Sacrificio. *Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri? In illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse? summa, & ima sociari, terrena Cœlestibus iungi, vnumque ex visibilibus, & inuisibilibus fieri?* vt inquit S. Gregorius Magnus Libro 4. Dialogorum C. 58. relatus Can. *Quid sit sanguis* 73. de Consec. Distin. 2. & vt S. Ambrosius in C. 1. Lucæ, tit. de Angeli apparitione, *Atque vtinam nobis quoque adolentibus altaria, Sacrificium deferentibus assistat Angelus, imò præbeat se videndum! Non enim dubites, assistere Angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.*

Vtri-

336 Vtriusque S. Patris verba commendat Alcuinus in Confessione suæ fidei nuper facta communis iuris a nostro Petro Francisco Chiffletio, p. 4 num. 1. & 2. & in hoc adijcit de suo, *Supernos ciues huic interesse mysterio, nō dubito, vt per Angelica ministeria, & supplicationes, tanquàm de sublimi altari, diuinæ maiestatis conspectibus offeratur. Si enim est in domo illa sempiternæ Sacrificium laudis, & Sacerdos sempiternus, est & altare sempiternum in Cœlis, non corporeum, sed rationale, & intelligibile, ad quod oblatio ista defertur. Vnde in ipsa immolationis hora cum adstantibus sibi ministris Cœlestib⁹ Christus, vt proposita consecret, adesse credendus est.*

337 S. etiam Chrysostomus inquit Lib. 6. de Sacerdotio, *Per id tẽpus & Angeli Sacerdoti assistentes, & Cœlestium Potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est, id quod credere abundè licet, vel ex tanto Sacrificio, quod tunc peragitur.* Repetit id ipsum S. Chrysostomus in varijs locis addensatis à Durando L. 2. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ C. 42. num. 13. qui ex Cyrillo Eremita in vita S. Euthymij addit, visos sępe ab eodem S. Abbate Angelos vnà secum Deo ministrantes, & contrectantes sacra. Celebrante etiam S. Sampsone, illoq; solo vidente, Angeli Sacrificium cum ipso manibus suis frangebant, vt legitur C. 13. vitæ suæ in Bibliotheca Floriacensi. Et S. Vincentius Ferrerius in Sermone 1. de festo Corporis Christi ait, *Sacerdotem celebrantem circumdari Angelis, eiusque manus, & digitos impleri Angelis.* Si ergo Angeli præsentes sunt, & còntrectant species ipsas consecratas, non patientur conculcari eas, maximè quando caveri id non potest humanitus à Sacerdote. Hæc ex mente Quarti.

338 Addo ego in confirmationem: & videtur putandum esse, cõtigisse sic, quando cum Pagani invenissent *S. Tharsicium Acolythum, corporis Christi Sacramenta portantem, cœperunt discutere, quid gereret? at ille indignum iudicans, porcis prodere margaritas, tandiu ab illis mactatus est fustibus, & lapidibus, donec exhalaret spiritum; & reuoluto eius corpore, sacrilegi discussores nihil Sacramentorũ Christi in manibus, aut in vestibus inuenerunt.* Sic refertur in Martyrologio Romano, die 15. Augusti ex Actis Sancti Stephani Papæ, & Martyris.

339 Nec solùm Angelos aliquos adsistere Sacrificio, sed ex Sanctorum dictis iudicat Radulphus de Rivo Decanus Tungrensis Lib. de Canonum observantia, propos. 23. [Totam Curiam Cœlestem, scilicet Virginẽ gloriosam, choros Angelorum, omnesque Sanctos tempore consecrationis adesse.] Et Franciscus Mayro, dictus Doctor Illuminatus, in 4. Dist. 8. q. vnica art. 16. habet hæc verba maximè notanda, [Quibus dignitatibus est adorandum Sacramentum Eucharistiæ? Dic, quòd quatuor. Primò solemnitate divinarum personarum, quia sicut divinę personæ sunt inseparabiles, ita inseparabiliter operantur. Sed Christ⁹ confecit istud Sacramẽtum virtute diuina, quæ est eadem in tribus personis. Ergo, &c. Secundò præsentia Angelorum. Hoc patet per Gregorium. Ideò dicitur, quòd oratio ante *Pater noster* non habet *Amen*, quia Angeli dicunt illud: tum videtur, quòd hoc sit propter connexionem verborum ad sequentia. Tertiò est præsentia sanctarum animarum. Patet hoc per Hieronymum contra Vigilantiũ, quia iste dicebat, quòd reliquiæ Sanctorum non erant adorandæ: cui dicit Hieronymus, quòd imò, quia sequuntur agnum, quòcumque ierit. Ideo conclusio. Quartò præsentia corporum glorificatorum. Propterea sic dicendum est: Corpus Christi est in calice per concomitantiam, quia coniuncta sunt. Cum igitur animæ sint præsentes, vt dictum est, si habent corpora coniuncta, sequitur, quòd sint ibi. Et hoc est benè possibile, quia B. Virgo, & alij Sancti sunt ibi, licet hoc expressè non habeatur in Scriptura. Sed est ne intelligendum, quòd localiter sint ibi prẹsentes? Videtur, quòd hoc intelligant Hieronymus, & Augustin⁹. Nec per hoc desistunt esse in Cœlo, vt infra patebit.] Hactenus Mayronius. Non ergo tolerabunt Delpara Virgo, Angeli, Cœlitesque alij, vt in sui prẹsentia species consecratæ patiantur aliquid min⁹ decens, & religiosum, minusque dignum corpore, & sanguine Christi contentis sub eis.

340 Demum altaria consecrata habent Angelos custodes. Vnde narrabat Abbas Leontius in Prato spiri

tuali

tuali Cap. 4. [Quodam die Dominico descendi in Ecclesiam, vt acciperem sacra mysteria, ingressusque vidi Angelum stantem ad dextrum altaris cornu; & magno pavore correptus reversus sum in cellulam meam, & venit mihi vox de Cœlo dicens, Ex quo sanctificatum est altare istud, ego iugiter illi adstare iussus sum.] Simile refertur in C. 10. Et S. Basilius, S. Hilarius, alijque Patres apud Franciscum Albertinum in Libello de Angelo Custode C. 2. pag. 13. & apud Antonium de Vasconcellos L. 2. de eodem Angelo Custode C. 10. parte 6. affirmant, deputatos esse Templis præsidentes Angelos. Eorum autem munus conuenientissimum videtur esse, vt arceant Eucharistiæ iniurias.

341 Sed hæc examine indigent. Et in primis quòd fideles vniuersim credant assertionem Quarti, non ita est, rogavi enim multos doctos, & indoctos, & responderunt, se nihil tale vnquam audisse, aut cogitasse sub terminis, quibus ex Quarto retuli. Quare pia illa fides alicubi tantùm vigebit, & fortè ex auditis à Quarto, alijsve hominibus sapientibus, qui eiusdem sint mentis. Deinde Tamburinus citatus non affirmat, fragmenta colligi ab Angelis, sed aliquando committenda esse Deo, & illis, nimirùm quando decentia, & honestas vetet colligi à Sacerdote, etiamsi ab eo fuerint conspecta, cum deciderunt, & inveniri possent, si investigarentur.

342 Tertiò, etsi assistentia Angelorum ad Missam habeat nonnihil fundamenti in 1. ad Cor. 11. Vers. 10. vbi dicitur, *Ideo debet mulier potestatem*, (id est, velamen) *habere supra caput propter Angelos*, id est, *propter honorem Angelorum, qui Ecclesiæ assistere perhibentur*, vt explicat S. Hieronymus; etsi item innuatur in illis verbis Canonis *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui*, affirmeturque à multis Patribus; & sæpe visi sint adstare, inservireque tanto Sacrificio, vt confirmat luculenter Iulius Nigronus ad Regulam secundam Cõmunium Societatis ex num. 9. vsque ad 11. cumulantque complura exempla Augustinus de Herrera Lib. 1. Cap. 19. & alibi sparsim in tribus libris de Origine, progressuque rituum Missæ, & Ioannes Ludovicus de la Cerda Lib. de Excellentia Cœlestium Spirituum, Cap. 23. tamen non est omnino certum, quòd realiter sint præsentes semper, aut ordinariè, locusque Pauli, & verba Canonis varias admittunt interpretationes non consonas proposito scopo.

343 Et vt communiter adsint Angeli sacrificantibus, nihilominus nõ inde infertur, obviaturos communiter eis incommodis. Nam si Christus præcaveri ea semper ab Angelis non decrevit, conformabunt suam voluntatẽ cum ea, quæ sit Christi, demirando ipsius erga homines amorem, qui non recusavit exponere se illis incommodis. Quòd autem Christus velit, vt semper ab Angelis removeantur, non constat ex litteris sacris, neque à Patribus traditur, neque firma aliqua ratione fulcitur.

344 Ipse Quartus fatetur, sæpiùs non impediri ab Angelis, quominùs ex malitia, vel negligentia humana fiat indecorum quid respectu Eucharistiæ, vt quòd proijciatur in lutum, alijsve modis sacrilegè tractetur, quòd hostiæ consecratæ fragmenta relinquãtur in altari; atque ita ex multis historijs Ecclesiasticis collectis à Benedicto Gonono in Eucharistica compertum est primum; & secundum notius est experientia, quàm æquum foret, narraturque in vita B. Ivettæ Reclusæ C. 37. apud Bollandum 13. Ianuarij quidam casus hùc spectans. Cur igitur ordinariè gerent se aliter Angeli, quando ex inadvertentia decidat mica aliqua cõsecrati panis? Anne maior irreverentia resultabit in hoc eventu, quàm in alijs? Minimè.

345 Quartò verum est, occultari quandoque diuinitº Eucharistiam, vt in eventu S. Tharsicij, ne scelestè temeretur, sed nõ semper. Idemque iudicandum est de eius collectione per Angelos. Sic Deus nonnunquam patravit miracula pro indemnitate consecratæ hostiæ proiectæ in lutum, aut in ignem; ast sæpe etiam permisit, perire ibi species Sacramentales.

346 Quintò parùm credibile est quod ait Radulphus de Rivo. Et licet ex Sanctorum authoritate se loqui dicat, nullum tamẽ specialiter allegat, nec ego inveni. Cumque tot Missæ celebrentur simul eodem tempore in vniverso Orbe Christiano, simile vero non

non est, adesse singulis præsentes realiter Virginem Matrem, Cœlitesq; cunctos; quanquam negandum non sit, vitã nonnunquam Deiparam, & aliquos Sãctos interesse Sacrificio Missæ.

347 Idem iudicium ferendum est de tertio, & quarto asserto Francisci Mayronis, nam quòd omnes beatæ animæ assistãt præsentes realiter locis omnibus, in quibus sacrificatur, & quod cũ corporibus illæ, quæ iam reunitæ sint ad ea, sunt admodùm paradoxa, impossibilisque de potentia etiam Dei absoluta iuxta multos præsentia circumscriptiva multiplicata corporum ad diversa loca; & Mayronis motiva talia sunt, vt quisque ad ea respondere facilè valeat. Sed nota, non adduci a Mayrone locum S. Augustini; existimo tamen alludere ad Lib. de cura pro mortuis C. 16. quem locum expendi Exerc. 18. Empyreologica, n. 69. Vbi S. Doctor non decernit, an contingat de facto, animas Sanctorũ existere simul in diversis, & longinquitate discretis locis, tametsi pro compert to habeat, posse miraculosè existere. Noto etiam, locum S. Hieronymi indicatum à Mayrone haberi in Apologia adversus Vigilantium, vbi S. P. ait; *Tu Apostolis vincula injicies, vt vsque ad diem Iudicij teneantur custodia, nec sint cum Domino suo? de quibus scriptum est: Sequuntur agnum, quòcumque vadit. Apoc. 14. Si agnus vbique, ergo & hi, qui cum agno sunt, vbiq; esse credendi sunt.* Quorum verborum sensus est, Christũ posse successivè ex vno loco ad alium migrare, & continuò adesse, vbicumque voluerit, similiterque Sanctorũ animas, quę non aliud volent, quàm quod de earum motu velit Christus. Hoc autem ex tenfu non colligitur quidpiam pro opinatione Mayronis, cũ non constet de voluntate Christi quoad id, vt Sanctorum animæ existant, vbicumque in Sacrificium fuerit oblatus.

348 Sextò admittendum est, quod dicitur de Templorum, & altariũ cura commissa Angelis, quidquid sit, an singulis Templis, & vnicuique altari præsit Angelus distinctus? Sed talem curam dirigi in id, vt semper evitent, ne fragmenta specierum consecratarum tractentur indecenter, non est vnde probetur, potest enim dirigi ad diversa, pluraque alia. Et quidem circa Sacramenti Eucharistici decentiam non est asseveranda specialis aliqua providentia divina, quasi de lege, nisi magnum adsit fundamentum, quale desideratur ad collectionem ordinariam fragmentorum ab Angelis.

349 Qua propter si ex inadvertentia decidant, fiet ordinariè de illis idem, quòd quando ex malitia, aut cõtemptu hostia, aut pars eius projiciatur in locum extraneum, & quando dilabatur ex negligentia, id est, ex omissione adhibendi eam diligentiam, quam solent Sacerdotes pij, & timorati, quam præscribunt Rubricæ, & quam, vt moraliter possibilem, petit tanti Sacramẽti dignitas. Si hæc industria sit adhibita, decidatque nihilominùs mica aliqua panis consecrati, iam non semel dixi, prævisa fuisse à Christo Domino pericula, incommodaque ista, & non indè retardatum ab institutione Sacramenti Eucharistici, in quo sui amoris erga homines effudit divitias omnes.

SECTIO XXVI.

Explicantur alia circa septimum defectum.

350 S. Thomas ad 7. prosequitur; *Subditur autem ibidem ex Pœnitentiali Bedæ Presbyteri; Si quis per ebrietatem, vel voracitatem, Eucharistiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si Laicus est; Clerici, vel Monachi, sex Diaconi, & Presbyteri; septuaginta diebus pœniteant: Episcopus, nonaginta. Si autem infirmitatis causa euomuerint, septem diebus pœniteant.* Quæ omnia verba ad literam sunt desumpta ex C. *Si per ebrietatem* 28. de Consecratione Distinct. 2. Idemque Canon, similesque alij trasscribuntur à Burchardo L. 5. C. 46. 48. 49. ab Ivone parte 2. Cap. 55. 57. ex Pœnitentiali Romano, & ex Theodori, & à Collectore Canonum Pœnitentialium post finem Decreti. Etsi autem sit diversitas quoad dies pœnitentiæ inter vnos, & alios Collectores, sed quę nunc parùm interest, vt innotescit ex num. 291.

351 In Canone exarato non dicitur, quid in casu vomitus faciendum sit, vt suppleatur is defectus, aut vt curetur hoc malum. Rubricæ tamen §. 10. num. 14. dicunt, *Si Sacerdos euomat Eucharistiã, si species integræ appareant, reue-*

reuerenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ caute separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrũpantur, & postea in Sacrarium proïciantur. Quòd si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur. Quæ doctrina conformis est traditæ à S. Thoma paulò post, *Hoc tamen obseruandum est*, inquit, *quòd vbicumque species integræ inueniuntur, sunt reuerenter conseruãdæ, vel etiam sumendæ, quia, manentibus speciebus, manet ibi corpus Christi:: Ea verò, in quibus inueniuntur, si commodè fieri potest, sunt comburenda, cinere in Sacrario recondito, sicut de rasura tabulæ dictum est.*

352 Igitur iuxtà S. Thomam, & Rubricas sumendæ sunt species evomitæ, si incorruptæ appareant, & non timeatur nausea ex earum sumptione; nam si incorruptæ manent, retinent adhuc Christum; si verò timetur nausea, cur exponendæ erunt periculo secundi vomitus? Sed à quonam sumi debent? Certè vel à Presbytero, qui evomuit, vel ab alio ieiuno; qui poterit esse vel Sacerdos, vel Laicus, si species sint panis; sed si sint vini, debebit esse Presbyter, qui adsit, vel qui facilè vocari possit. Ille autem Sacerdos, qui evomuit, poterit etiam inieiunus sumere eas, dummodò intra tempus, quo sumptio pertinere queat ad complementum, & integritatem Sacrificij celebrati ab ipso.

353 Ordinariè ob periculum nauseæ, non erunt sumendæ species evomitę. [Et siquidem homo esset tanti feruoris, quòd huiusmodi non horreret, sed eas sumeret, cõmendãdus esset, dum tamen esset ieiunus; sicut B. Hugo Cluniacensis commendauit Goderanum sumentem particulas Eucharistiæ, quas leprosus cum villissimo sputo evomuerat: dicens, craticulam Laurentij fuisse tolerabiliorem.] Sic apud Paludanum in 4. Dist. 9. q. 1. art. 3. n. 28. Et de V. P. N. Vincentio Carrafa Præposito VII. Generali Societatis memorat P. Daniel Bartoli in eius Vita L. & C. 2. quòd cum vix accepta Eucharistia ægrotus quidam è Nostris ante eam deglutitam efflasset animam in Domo Professa Romana, proindeque sacra formula extracta fuisset ex defuncti ore, subortam fuisse piam contentionem inter Nostros præsentes, quis sumpturus eam esset die sequenti, acciderat enim id sub noctem, quando nullius aderat ieiunus. Sed V. P. Vincẽtius Carrafa litẽ diremit, vsusque potestate summa ad sui mortificationẽ, reservavit sibi sumptionem; quam exequutus fuisset, nisi graviores Patres Domus Professæ, habita consultatione, perijssent abipso, vt nec sumeret, nec pateretur sumi ab alio, timendum enim vehementer erat, ne ex defuncti ore squallidis humoribus repleto traxisset contagium aliquod; & vt humillimus erat, summisit suum iudicium censuræ subditorum: quo de mortificatione insigniter triumphavit humilitas, & religiosissimus Generalis non minus meruit apud Deum, quam si formulam sacram consumpsisset ad finẽ postridianæ Missæ.

353 Porrò in casu, quo statim post sumptionem Sacerdos Eucharistiã per os regessisset, & ob stomachi fastidiũ nõ posset reassumere evomitas species, ait Franc. Scus de Lugo L. 5. C. 10. q. 2. n. 23. fore, vt forsan liceret ipsi consecrare aliam materiam, & sumere propter maius Sacrificij complementum, quanquam liberet eum ab obligatione novæ consecrationis, & sumptionis, eo quòd iam verè sumpserit priores species, verèque complerit prius Sacrificium. Neutiquam mihi placet, quia si hoc posterius verũ est, falsum erit illud prius, cum enim Sacrificium est completum essentialiter, & substantialiter, non licet inchoare aliud; neque posset esse nova consecratio, & sumptio complementum maius prioris, sed esset incæptio alterius. Præter quàm quòd repetita cõsecratio, & sumptio nunquam aliàs licet ad maius complementum antecedentis Sacrificij; & quòd evomantur statim species, nõ inducit defectum substantialem circa Sacrificium, quippe si induceret, daretur obligatio, quã negat Francisc us de Lugo: si autem inducit solummodò defectum accidentalem, talis defectus non facit licitam iterationem in ijs, quæ sunt de essentia, aut substantia Sacrificij, vt satis liquet ex Sectionibus antecedentibus.

355 Hinc si quis Laicus species cõsecratas evomuisset è stomacho statim post sumptionem, nefas ipsi esset eo die accipere rursus Eucharistiam. Et vt docet ipse Franc. de Lugo L. & C. 4. q. 1.

q.1.n.3. necnon Henriq. L.8.C.43.§. 1. Fagundez in 3. præceptum Eccles. L. 4 C.1.n.10. Dicastillus T.4. D.8. dub. 2.n.19. Mascarenhas T.4. D.7.C.3.n. 420. passimque alij, quantuncumque brevis admissio specierum intra stomachũ sufficit, vt Eucharistia causet gratiam ex opere operato, neq; in ea causanda dependet a proxima non futuritione vomitus.

356 Iam quando species vomitæ non reassumantur, impediente nausea, tunc reservandę sunt in Tabernaculo sacro. Reconditarum autẽ specierũ expectãda erit corruptio, & quod reliquum ex eis corruptis manserit, proijciendum est in piscinam sacram. Rubrica non dicit, esse antè à comburẽdum. Sed cũ id exprimat, quando species in vomitu non apparent, quia iam sint corruptæ, videtur, posse in vno, & altero casu fieri combustionem. In neutro autem, vt neq; in eo, de quo ad n. 84. committetur sacrilegium, vt obiectant Paludanus in 4. Dist. 9. q. 1. art. 3. n. 28. Sylvester V. *Eucharistia* 2. q. 9. n. 13. §. *Secundùm*, quia iam tunc Xps non continetur sub speciebus, vt potè quæ supponantur corruptæ.

357 Et in hoc sensu intelligo Concil. Aurel. dicens apud Pœnitentiale Rom. tit. 5. C. 9. & apud Burchardum L. 5. C. 50. *Omne Sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendũ est, & cinis iuxta altare sepeliendus.* Quanquàm Græci alicubi in vsu habuerint tradere igni fragmenta panis consecrati, quę residua erant post communionẽ populi, vt videtur testari clarè Ysychius L. 2. in Levit. C. 8. vbi ait, *Sed hoc, quod reliquum est de carnibus, & panibus, in igne incendi præcepit* Moyses C. illo 8. Levit. V. 32. *Quod nunc videmus, etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæ cumq; remanere contigerit inconsumpta: non omnino ea, quæ vna die, vel duabus, aut multis seruata sunt; sicut enim apparet, non hoc Legislator præcepit, sed quod reliquum est, incendi iubet. Dies autem non commemorauit, vt quæcumque cuiuscumque rei causa emergente remanserint inconsumpta, siue tempus in causa sit, siue quod aliud fuerit, ignis op⁹, & consumptio fiat. Ergo ex hoc, quod agitur sensibiliter, significatio cuiusdam intelligibilis rei eis, qui intendunt, prouenit,* &c. Sic Ysychius, qui vixit tempore S. Gregorij M. & fuit Antistes Hierosolymorũ

358 In qua tamen Ecclesia anno 1054. mos ille desiverat, nã Humbert⁹ Cardin. L. contra Græcorũ calumnias scribit, [Ad hæc: si quid ex sancta, & venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis Ecclesijs superfuerit, nec incendunt, nec infoveam mittunt, sed in pyxidem mundam recondunt:: Subterrare autem, vel infodere sanctam Eucharistiam in terram, sicut quidam dicuntur agere, aut in lagenam mittere, aut effundere illã, negligentia magna est, & null⁹ timor Dei. Etenim fides Christianorum ipsa impolluta, & divina mysteria sunt, secundùm quod Xps dixit, *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinẽ meum, vita viuit in æternum.*] Quibus ex verbis constat, non fuisse incensa fragmẽta tunc temporis in Hierosolymitanis Templis, secus in nonnullis alijs Ecclesiæ Orientalis.

359 Et quanvis multi interpretentur Ysychium de speciebus inveteratis, quæ negligentia Ministrorũ extabuissent; sed ipsius verba aliud indicant, agit enim de residuis fustis non post multos, sed post singulos dies, & de incensione, quæ vnoquoque die fieret, quippe reliquię Eucharistię non reseruabantur ex vno die in alium, nisi quæ sufficerent pro infirmis, idque non in omnibus Ecclesijs, sed in aliquibus. Et huc facit Canon *Tribus gradibus* 23. de Consec. Dist. 2. desumptus ex Epist. 2. S. Clementis Papæ, *Tribus gradibus cõmissa sunt Sacramẽta diuinorum secretorum, id est, Presbytero, Diacono, & Ministro, quã cum timore, & tremore Clericorum, reliquias fragmẽtorum corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in Sacrario inueniatur, ne, cum negligenter agitur, portioni corporis Dñi grauis inferatur iniuria. Cõmunio enim corporis Dñi N. Iesu Xpi si negligenter erogetur, & Presbyter minora nõ curet admonere Officia, graui anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tãta in altario holocausta offerantur, quãta populo sufficere debeant. Quòd si remanserint, in crastinum non reseruentur, sed cum timore, & tremore Clericorum diligentia consumantur. Qui autem residua corporis Dñi, quæ in Sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conueniant.*

360 In quibusdam Ecclesijs non conijciebantur in ignem fragmenta, sed dabantur pueris: [Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, inquit Evagrius

L.4.Hist.Ecclesiast.C.35. vt si quando multæ admodùm particulę puri, & immaculati corporis Xpi Dei N. superessent, pueri impuberes, qui Scholas frequentabant, accerserentur, easque māducarent. De eodem vsu testatur Nicephorus Callistus L. 17. Hist. Eccles. C.25. his verbis, [Consuetudo à multo tempore vrbi Imperanti fuit, vt cũ plusculum de partibus immaculati, diuinique corporis Dñi, & Dei Seruatoris N. Iesu Xpi reliquum esset, Sacerdotes, puerosincorruptos ex eis, qui ad præceptores in ludum litterariũ eunt. accerserent, qui ieiuni reliquias eas ederent. Quod quidem mihi quoq; ępenumerò, cùm puer admodùm essem, & maximè à prima ætate in sacris ædibus versari studio haberem, contigit.] Hæc Nicephorus. Legatur etiã S. Gregorius Turon. L. de gloria Martyrum C.10. Nec tantùm in Orient. Ecclesia, sed etiam in Occid. Concil. II. Matisc. an. 588. C. 6. decrevit, *Vt quæcumque reliquiæ Sacrificiorum post peractam Missam in Sacrario superfederint, quarta, vel sexta feria innocẽtes ab illo, cuius interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis ieiunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Sic illud Concil. Et vt ab eo, quod pręscribit, ne residua sint fragmenta panis cõsecrati, abhorret valde hodierna observantia erga Eucharistiam, sic etiam à combustione illa eorundem fragmentorũ, de qua Ysychi⁹. Nisi mavis hunc intelligere cũ Claudio Espencæo L. 2. de Euch. C. 10. cum Raynaudo C. 14. de cereo Agno, dubit. 1. n. 2. non sec⁹ ac nos supra interpretati sumus Concilium Aurelianense, quanquam in huius verbis maius adsit fundamentum.

361 Vt cumque sit de antiquiori vsu earum Ecclesiarum, nunc nullaten⁹ licet præfata incensio ante specierum consecratarum corruptionem. Quam expectare licitũ est ex accidenti, quòd sumi nõ possint sine nausea; ex se enim nefas est, relinquere cõsecratas species expositas corruptioni extra humanum stomachum, vt in n. 22. dicebam contra Sotum. Hinc tanta Ecclesiæ cura renouandi Eucharistiã, quæ asservatur pro ægrotis. Et ideò in Concil. Turonensi apud Burchardum Lib. 5. C. 9. dicitur, *Omnis Presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto Sacramento dignum, vbi corpus Dominicum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus à sæculo:: Semperque sit super altare obserata propter fures, & nefarios homines; de septimo in septimum diem semper mutetur, id est, illa à Presbytero sumatur, & alia, quæ eodem die consecrata est, in locum eius subrogetur, ne fortè diutiùs reseruata, mucida (quod absit) fiat.* Similiter Concilium Aurel. apud eundem Burchardũ eodem L. C. 12. *Oblationes, quæ in altari offeruntur, de Sabbatho in Sabbathum semper innouentur: quia panes propositionis, qui super mensam Dñi ponebantur, à Sabbatho in Sabbathum semper mutabantur, ne diu seruati mucidi fiant, &, vt quidam sæuiunt, igne concrement. Quòd si aliquis, Diabolo instigante, hoc facere præsumpserit, anathema sit.* Cuius Canonis postrema verba, vt fœderentur cum alijs eiusdem Concilij transcripta supra, debent intelligi de consecratis speciebus nondum omnino corruptis, quas concremare, sit sævire. Sed de renovatione Eucharistiæ videantur alij Canones adducti à me in sect. 2. Disp. 26.

362 Et notetur, Græcos fuisse, nuncque esse minus frequentes in renovanda Eucharistia, nam eam, quæ confecta est feria 5. in Cœna Domini, solent per totum annũ servare ad Viaticum pro moribundis, vt Arcudius testatur L. 3. Concordiæ Ecclesiæ Occidẽtalis, & Orient. C. 55. Quo etiam die quisq; deferebat in domum suam ex Ecclesia tantã panis consecrati quãtitatẽ, quanta sufficeret, vt sæpe intra annum de ea participaret, & vt quandoque dispertiretur cum amico, aut vicino. Constat vtrumque ex Prato Spirituali C. 79. & 30. S. Basilius cum primò, aut secundò operatus est Sacris, hostiam, quam à Deo miraculosè acceperat, & quam ipse consecravit, divisit in tres partes, quarum vnam tunc sumpsit, alteram imposuit columbæ aureæ, quæ super altare pendebat, alteram reseruavit in Viaticum ad vitæ finem, seu vt cum ea traderetur sepulturę; quare morte instante assumpsit eam. Ita refert Amphiloch. in vita ei⁹. Et de quodam Presbytero scitur ex Epist. Dionysij Alexandrini apud Eusebium Lib. 6. Hist. Eccles. C. 44. tradidisse cuidam puero particulam Eucharistiæ, vt deportaret ad senem Serapionem ægrotantem; & quia ea induruerat, vt quæ multò antea fuerat consecrata, iussit, madefacere priùs, quã seni porrigeret.

In

In Ecclesia tam Orientali, quàm Occidentali solitum etiam fuit consepelire mortuis Eucharistiam, vt observavi in D. proxima, num. 789. & in D. 24. num. 18. Cuius moris insigne exemplum legitur in S. Othmari Abbatis vita scripta ab Isone Monacho Sangallensi, Lib. 2. C. 3: & post triginta quinque annos repertæ sunt circa incorrupti cadaveris pectus rotulę panis consecrati, ipsæ etiam illæsę. Tandem in altarium consecratorum sepulchris simul cum SS. Martyrum reliquijs, aut vice illarum fuit quandoque recondita Eucharistia, vt scripsi in illo num. 18. D. 24. Et immeritò Pasqualigus Decis. 48. n. 8. non habet fidem prisco cuidam testimonio de corpore Christi adhibito in consecratione altaris. Quæ omnia iam non licent, ea de causa inter alias, ne species consecratæ virientur, & tabescant extra humanum stomachum.

363 Et ex eadem causa infertur, esse graviter illicitum, si patiens vomitiones ob infirmitatem stomachi, vel ob assiduam tussim sumat Eucharistiam, nam exponit species consecratas periculo, vt non possint consumi vi naturalis caloris stomachi humani, si illas per os regerat; & præterea ipsarum specierum eiectio cum vomitu cedit in magnam irreverentiam Sacramenti ob fœditatem, quæ in vomitu apparet, & quam ex eo contrahunt. Vnde S. Hildegardis in Epist. ad Prælatos Moguntinenses aiebat, *Quicumque ex infirmitate corporis sui vomitum patitur, & corpus tota deuotione desiderat, huic Presbyter idē Sacramentum dare non præsumat propter honorem eiusdem corporis Christi, quod in specie panis latet. Sed corpus Domini super caput eiusdem hominis ponatur, ac Deum, qui animam in corpus misit, inuocet, vt corpore, & sanguine animam illius sanctificare dignetur, ponat quoq; super cor ipsius dicens*, &c.

364 Hoc tamen consilium deferendi Eucharistiam ad ægrotum, qui ob vomitum sumere eam non possit, gratum nunc esse non debet, nam in Rituali Rom. vbi agitur de communione infirmorum, dicitur, *Sed alicui ad adorandum solùm, seu deuotionis, seu cuiusuis vei prætextu ad ostendendum non deferatur Eucharistia.* Et proximè præscriptum fuerat, *ne ijs tribuatur, à quibus ob phreneśim, siue ob assiduam tussim, aliumve similem morbum aliqua indecentia cum iniuria tanti Sacramenti timeri potest.* Quare ministranda non est Eucharistia ægrotis patientibus vomitus, neque item ijs, qui cibos indigestos emittunt per secessum statim, aut paulò post, ac eos deglutiunt; quo in posteriori casu vrget fortior ratio ob maiorem indecentiam contra Sacramentum.

365 Si vomitus non sint frequentes, aut non omnino certi, expediet, experiri cum formula incōsecrata porrecta ægroto, an eam evomat illicò, paulòve post sumptionem; cum enim hæc experientia sit facilis, tentāda est, ne infirmus decedat sine Viatico. Si autem, siue prēmissa hac diligētia, siue non prēmissa, noscatur, ægrotum non remetiri per os esculenta, aut poculenta, nisi transacta iam vna hora, poterit ipsi ministrari Viaticum, quia id tempus satis est regulariter, vt in stomacho consumatur formula. Dixi *regulariter*, quia in aliquo potest esse facultas concoctrix adeò debilis, vt lōgius tempus requiratur; sicut è contra in alio potest esse adeò fortis, vt brevi sufficiat; neque potest certò pro omnibus stomachis designari spatium temporis, intra, vel vltra quod modica etiam quantitas formulæ sit, aut non sit digesta, vt dixi D. 7. de Euch. n. 92. legenduśq; est Angelus Maria Verricelli in qq. Moral. T. 8. q. 35. Intervallum vnius horæ videtur valde securum cōmuniter, & ordinariè in necessitate Viatici, nisi de aliquo specialiter constaret, indigere maiori mora ad specierum cōsumptionem intra stomachum. Si verò [non ex assumpto cibo, sed ex ipsa ægritudinis vi vomitum quis patiatur, communicandus non est, inquit Tamb. C. 2. de Commun. §. 5. n. 14. nisi per sex circiter horas vomitus cessaverit, & Medicus, vel si hic absit, adstantes iudicaverint, saltem per horam ab assumpta Euch. infirmum nō vomiturum, nam tunc cōmunicari poterit. Quòd si deinde peraccidens redeat vomitus, & sacra hostia expellatur, reponatur in loco aliquo sacro, ac species, vbi corruptæ fuerint, in Sacrarium recondantur.] Sic doctus Tamb. consulendiq; sunt Ioan. Sanctius, alijq; citati à Diana p. 2. T. 14. Res. 78. p. 5. T. 3. Res. 55. necnon Quartus p. 3. tit. 9. S. 2. dub. 3.

366 Porrò etsi vomitus specierum

cierum consecratarum non sit per se licitus, tamē ex accidenti licere potest, vt si moneatur, qui eas sumpsit, fuisse venenatas, vel virosum fuisse cibum, potumve communem deglutatum paulò post celebrationem, aut communionem; tunc enim statim etiam post susceptam Eucharistiā fas est movere vomitum, vt dixi in num. 97. consentiēnt Torreblanca Lib. 2. Iuris Spiritualis practicabilium Capite 9. numero 17. Non tamen tenebitur ad provocandum vomitum, vt obligabatur ad non transmittendas eas species in stomachum, si novisset veneni infectionē; nam omittendo motionem vomitus non fiet sui homicida, sicut fieret sumendo illas. Quare ex heroico religionis actu potest fieri, vt vis veneni agat, ne fœdè regerat Eucharistiam. Et quidem si potest quis non effugere mortem propriā ob tuendam vitam proximi amici, vel consanguinei præhabitam vitæ suæ ex actu honesto virtutis amicitiæ, vt cum multis docent Fagundez in 5. Præceptum Decalogi Lib. 5. C. 12. num. 7. & Cardin. de Lugo D. 10. de Iust. sect. 1. num. 48. quidni in nostro casu poterit Sacerdos quod diximus? Præsertim cum licitum sit, exponere se periculo mortis ob fidem honestam, & ob exercitium alicuius virtutis, vt fatentur Doctores communiter. Nec opponas, si propter evitandum vomitum Eucharistiæ fas est, & religiosum subire vim veneni: ergo necessarium, & obligatorium etiam erit. Neganda enim est Consequentia, nam damnum amissionis vitæ facit, vt non imputetur ad culpam fœditas evomitionis Eucharistiæ, & vt materialis tantùm irreverentia sit; quam tamē qui evitare præeligat, præstabit eximium religionis actum.

367 Doctrina proxima extendenda est ad casum, quo quis Eucharistia cibatus corripiatur repentè, & proximè symptomatè aliquo, cui nisi actutū occurratur vomitu, timeatur mors, aut gravissima ægritudo, nam in tali casu licebit de consilio Medici provocare stomachum. Ita Tamburinus C. 3. de Communione, §. 4. n. 6. tunc enim humores in stomacho redundantes, & adeò graviter nocivi vicem veneni gerunt.

SECTIO XXVII.

Obscurus quidam Canon Concilij Toletani XI illustratur.

368 RESTAT expendere difficilem Canonem XI. Concilij Toletani XI. Cum enim in Concilio I. Toletano C. 14. decretum fuisset, *vt si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam nō sumeret, velut sacrilegus propelleretur*, relatus est is Canon in Concilio Toletano XI. vt magis declararetur, *non enim adiecta fuerat in eo discretio voluntatum, cum & infidelis hæc, & talia infideliter agat, & fidelis fideliter accipiat, quod naturalis illum necessitas deglutire non sinat. Soler enim humanæ naturæ infirmitas in ipso mortis exitu prægrauata tanto siccitatis pondere deprimi, vt nullis ciborum illationibus reficī, sed vix tantundem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expetentes Viaticum collatam sibi à Sacerdote Eucharistiam reiecerunt, non quòd infidelitate hoc agerent, sed quòd præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire. Non ergo huiusmodi à corpore Ecclesiæ separandi sunt, qui talia non infidelitate, sed necessitate fecerunt; præsertim ij, de quibus nihil fidei sinistræ sentitur.* Sic Concilium Toletanum XI. discernens duplicem causam non deglutiendi species Sacramentales panis, quę in ore fuissent acceptæ de manu Presbyteri, nam alij ob infidelitatem omittebant deglutitionem, alij ob infirmitatem non poterant exequi.

369 *Placuit ergo definire* (subdit Concilium) *quòd nec fideli officiat, nec infideli multum existat. Quicumque ergo fidelis ineuitabili qualibet infirmitate coactus Eucharistiam perceptam reiecerit, in nullo Ecclesiasticæ damnationi subiaceat. Similiter nec illos cuiusquam punitionis censura redarguet, qui talia tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mētis alienatione positi, quid fecerint ignorare videntur.* Eximuntur à pœna evomentes ex infirmitate Eucharistiam, seu potiùs abore in stomachum non traijcientes eam, sed extra reddentes. Eademque exemptio ampliatur ad infantes, & ad phreneticos,

cos. Potest exemptioni priorum opponi Canon *Si quis per ebrietatem*, nam ibi iubentur pœnitere septem diebus, qui euomuerint causa infirmitatis. Sed potest dici, imponi pœnam ad cautelã, vt Cap. 6. *In lectum* 34. quæst. 1. & 2. vel quia sumere non debuit, cum esset infirmus, id est, stomacho alteratus. Ita respondet Sylvester V. *Euch.* 2. q. 9. n. 13. §. *Quartum.*

370 *Iam verò quicumque* (prosequitur Concilium) *aut de fidelium, aut infidelium numero corpus Domini absque inevitabili* (vt dictum est) *infirmitate proiecerit; & fidelis est, perpetua cõmunione priuetur; si infidelis, & verberibus subdatur, & perpetuo exilio relegetur. Quod si horũ quilibet huiusmodi excessus digna pœnitentiæ satisfactione defleuerit, post quinquennium licitum erit, illum communioni pristinæ reformari.* Quibus in verbis inducitur pœna tam fideli, quàm infideli, qui compos sui, & non coactus stomachi, aut ægritudinis necessitate reiecerit ex ore Eucharistiam. Fideli imponitur pœna perpetuæ priuationis à communione; infidelis subijcitur verberibus, & continuo exilio: sed si quinquennali pœnitentia dignè satisfecerint iuxta Maiorum censuram, permittitur regressus ad antiquam communionem.

371 Sed ecce emergit magna difficultas, nam Concilium Toletanũ supponit, & relinquit inultum, quòd infidelis accipiat ore Eucharistiam, & permittit, eum redire ad communionem Christianam, & ad Eucharistiæ participationem, si quinquennio dignam egerit pœnitentiam. Quæ omnia, & singula videntur absurda. Responderi potest, vocari infideles eos, quos Pastores Ecclesiastici non admiserant ad Eucharistiam, [cum enim ea sit sũmum Christianæ Religionis mysteriũ, arcanum, & Sacramentum, non cuivis olim temerè concedebatur, sed ei dũtaxat, qui multò anteà morum, & probitatis suæ specimen exhibuisset, quique se ita fidum probasset, vt tutò ei mysteria diuulgari possent,] vt ait Albaspinæus Lib. 1. in Obseruatione 25. notans, non vocatos olim fideles, nisi qui ad frequentationem Eucharistiæ fuissent recepti, vt & nõ vocatos Christianos, nisi qui Confirmationis Sacramento fuissent donati, vt ait Vrbanus Papa C. *Omnes fideles* 1. de Cons. Dist. 5. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur, quia cum Spiritus sanctus infunditur, confidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur*: illustratq; id Albaspinæus ex Tertulliano in Lib. de pudicitia, S. Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 3. Mystagogica, & ex Concilio Iliberritano Can. 30. Sed contra hoc responsum facit, quod qui à Concilio Toletano vocatur infidelis, non reprehenditur, nec castigatur ob accessum ad Eucharistiam, & post pœnitentiam quinquẽnalem restituitur ad pristinam communionem: quæ quadrare non possunt in eum, cui Ecclesia non concessisset frequentationem Eucharistiæ. Vt taceam, constare ex hoc Concilio immissam fuisse Eucharistiam in os baptizatorum infantium, atque adeo tunc temporis nõ præcessisse tot probationes eorum, quibus Eucharistia erat impertienda.

372 Ideo secundò responderi potest, intelligendum esse Toletanum Concilium de infideli, qui se simulans fidelem accederet cum fidelibus ad sumendam Eucharistiam, quam ex contemptu proijceret posteà ex ore: & quam semel ore acceptam proijcere sic, erat iniuria Sacramenti, proindeque seuerè in tales infideles à Patribus Toletanis animadvertitur, prætermissa in illo Canone castigatione præuij sceleris commissi in accessu infidelis hominis ad diuinissimum Christianæ religionis Sacramentum. Responsione hac non adhuc quiescit animus, nam reuocatio ad antiquam communionem, peracta per quinque annos pœnitentia, non cohæret benè cum homine Gentili.

373 Quare respondeo, sermonem esse de Christiano infideli ex hæresi, qui fingens se Catholicum, auderet accumbere Cœlesti Catholicorum mensæ: qui si absque inevitabili infirmitate proijceret ex ore species consecratas panis, & proinde cum despectu Sacramenti diuinissimi confecti, & dispensari à Catholicis, mulctandus dicitur verberibº, & exilio; sed si agat pœnitentiam quinquennalem, restituendus pristinæ communioni, cui se anteà ingesserat per dolum; potiturus ea legitimè, & non vt fur post pœnitentiam præfatam. Ha-

374 Habemus in Hispania exemplum illius audaciæ hæreticorũ non diu longè ante tempora Concilij Toletani XI. celebrati anno 675. Nam [Regina Leuvigildi coniux Goisuintha Nouerca Recaredi Regis, Arianæ perfidiæ addictissima, siue rubore compulsa, siue timore convicta, simul cum alijs fidem Catholicam professa, abdicare Arianam hæresim videri voluit, cum tamen intus Arium haberet inclusum: nam etsi cum alijs Orthodoxis, vt Orthodoxa ad synaxim conueniret, atque sicut alij communicaret, secretò tamen sacratissimam Eucharistiam ex ore reijciebat. Quæ & nihil solicitiùs procurauit, quàm vt proditione aliqua Recaredum è medio tolleret, inventq; eiusdem suæ sententiæ Arianum itidem hominem, dignitate Episcopum, nomine Vdilam, siue Vididã, qui in necem Regis pariter conspiraret. Sed coniuratione detecta Arianus Episcopus mulctatur exilio; Regina verò, Deo vltore, citiùs ex hac vita luitura pœnas æternas præripitur.] Ita Baronius narrat anno 585. num. 12. ex Ioanne Abbate Biclarensi, qui de Eucharistia idem factitasse Vididam commemorat in Chronico; & Marcus Maximus in suo addit, anno 589. [Gosiũtha Regina vxor Leuvigildi de maximo scelere accusata, ac de proditione contra Regem convicta, vt eius scelera merebantur, Toleti publicè laqueo finiuit vitam, multorum ludicum dãnatione condemnata.] Maximum illud scelus fuit, accipere simulatè Eucharistiam, & occultè expuere. Legantur Ambrosius de Morales L. 12. Chronici generalis Hispaniarum Cap. 2. Mariana Lib. 5. Cap. 14. Ioannes Vasæus in Chronico, anno 588. Carus, & Biuar ad Marcum Maximum anno 589. Alfonsus Sanctius in Anacephaleosi de rebus Hisp. Lib. 2. Cap. 11. Didacus Saavedra Faxardus in Corona Gothica, Castellana, & Austriaca, 1. p C. 15. anno 588. pag. (mihi) 271.

[:!:]

SECTIO XXVIII.

Notantur negligentiæ aliæ circa Eucharistiam.

375 PROSEQVITVR S. Thomas inquiens, *Eadem Dist. legitur ex Concilio Arelatẽsi, Qui non benè custodierit Sacramentum, & mus, vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus pœniteat. Et eadem pœnitentia videtur dignus Sacerdos, per cuius negligentiam hostiæ consecratæ putrefiunt. Prædictis autem diebus debet pœnitens ieiunare, & à communione cessare. Pensatis tamen conditionibus negotij, & personæ, potest minui, vel addi ad pœnitentiam prædictam.* Sic S. Thomas referens Canonẽ *Qui benè* 94. de Cons. Dist. 2. quem cum Gratiano, & Ivone in Decreto parte 2. Cap. 60. in Panormia Lib. 1. Cap. 157. tribuit Concilio Arelatensi; sed in nullo Arelatensium invenitur. Verba illa *Et eadem*, vsque ad finem sunt S. Thomę, qui & alia adijcit concludens articulum 6. Sed iam supra sunt à nobis transcripta, & explicata, vt & quæ adiungit circa pœnitentias CC. *Qui benè, Si per ebrietatem, Si per negligentiam.*

376 Canon verò *Qui benè*, refertur à Burchardo sub nomine Concilij Aurelianensis, cum tamen in nullo Aurelianensium reperiatur; & tam à Burchardo, quàm ab Ivone in Decreto recitantur plura alia verba, scilicet, [Perfundens aliquid super altare de calice, quãdo offertur, VI. dies pœniteat, aut si abundantiùs, VII. dies pœniteat. Qui autem perfundit calicem, dum solemnitas Missę celebratur, XL. dies pœniteat. Si verò celebrata Missa, Presbyter neglexerit accipere Sacrificiũ, similiter XL. dies pœniteat, & qui acceperit Sacrificium pollutus nocturno tempore, VII. dies. Diaconus obliuiscens oblationem offerre, donec offeratur linteamen, quando recitantur nomina pausantium, similiter pœniteat. Qui negligentiam erga Sacrificium fecerit, vt vermibus consumptum ad nihilum devenerit, III. quadragesimas cum pane, & aqua pœniteat.

niteat. Si integrum inventũ fuerit, & in eo vermis, comburatur, & cinis sub altari eõdatur, & qui neglexerit, quaternis diebus suam negligentiam soluat. Si cum amissione saporis decoloretur Sacrificium, XX. dies expleantur ieiunio; conglutinatum verò, VII. dies, qui mersit, pœniteat. Hæc eadẽ leguntur in Pœnitentiali Romano, tit. 5. C. 11. & in Durando L. 4. Rationalis C. 42. n. 18.

377 V. etiam Beda de remedijs peccatorum Cap. 13. attingit multos ex his casibus, inquiens, [Si quis Eucharistiam negligentię causa perdiderit, vnum annũ pœniteat, tres quadragesimas, seu quadraginta dies pœniteat. Si Sacrificium in terram ceciderit, causa negligentiæ, quinquaginta Psalmos cantet. Qui neglexerit Sacrificium, vt in eo vermes sint, vt colorem non habeat, saporemque, viginti dies pœniteat, vel triginta, vel quadraginta, & in igne accendetur, cinis eius sub altare absondatur. Si vlque ad terram ceciderit, vnum diem pœniteat. Si stella arserit, altare ceciderit, quatuor dies pœniteat. Qui in Ecclesia modicam partem perdiderit, & non invenerit, viginti dies pœniteat, vnoquoque die Psalmos quadraginta cantet. Qui autem in plebem suum chrismalem perdiderit, & non invenerit, quadraginta dies pœniteat, vel tres quadragesimas. Qui perfuderit calicem in fine solemnitatis, triginta dies pœniteat.] Sic Beda ex suorum Operũ in octo tomis, & ex Antonij Augustini editionibus; sed illud *si stella arserit*, corrigendum est sic, *si stillauerit calix, &, aut super altare ceciderit.*

378 S. Gregorius 3. Papa, in Excerpto ex Patrum dictis, Canonumque sententijs, Cap. 28. ait, [Si Eucharistiam, idest, Sacrificium causa negligẽtię perdiderit, vnum annum, vel tres quadragesimas pœniteat. Quòd si in terram causa negligentiæ ceciderit, quinquaginta Psalmos cantet. Qui negligit Sacrificium, ita vt vermes in eo inveniantur, aut colorem, saporemq; perdiderit, triginta, vel viginti dies pœniteat, & in igne accendatur. Qui fundit calicem in finem Missæ solemnitatis, quadraginta dies pœniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat Minister stillam, & tribus diebus pœniteat, & linteamina, quę tetigerit stilla, per tres abluantur vices, calice subterposito, aqua ablutionis in ignẽ proijciatur.] Sic S. Gregor. 3. Papa. Quæ veneranda antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta collecta volui ad illustrationem C. *Quibenè.*

379 Vbi non benè custoditæ Eucharistiæ illud inconveniens significatur, quòd inde immineat periculũ, vt à mure, vel ab alio animali comedatur. De quo etiam discrimine fit mentio in Concilio Turonensi, cuius Canonem transcripsi supra ex Burchardo Lib. 5. Cap. 9. Ibi: *Semperque sit super altare obserata propter mures, & nefarios homines.* Et hęc quidem exacta Eucharistię custodia præcipitur etiam in Cap. *Sanè* 10. de celebratione Missarum, *ne propter incuriam Sacerdotum diuina indignatio grauiùs exardescat*; & in Cap. *Statuimus* 1. de Custodia Eucharistiæ, *ne possit ad illam temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda*; additurque, *Si verò is, ad quem spectat custodia, eam incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur; et si per eius incuriam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori subiaceat vltioni.*

380 Apud Græcos Bella Episcopus hanc interrogationem proposuit, [Quidam Sacerdotes in magna Quadragesima præsanctificatos diuinos panes in panarijs recondentes, ijs deinde opera Dæmonis ex septo diuino subreptis à muribus, & cane ostium aperiente, vel etiam cum Sacerdos sacrificaret, & ad mensas precationes legeret, delitescens mus, post oblationem, consecratum diuinũ corpus subripuit, quam censuram merentur Sacerdotes?] Respondit autem Emmanuel Patriarcha Constantinopolitanus, [Qui sic deliquerunt Sacerdotes, vt præsanctificatos panes à se factos, canes templi ostium aperientes de medio sustulerint, ad tempus in cognitione Antistitis positum, à Sacrorum operatione cessent, quòd diligenter non cauerint. Alij autem, qui panes in oblatione per mures amiserunt, inculpati manent (multa enim eiusmodi sæpe accidunt) qui etiam aliam oblationem mensæ apponent, oblationeque facta Sacrificium perficient.] Tanta hæc Græcorum tolerantia in casibus relatis inde nascitur, quòd ex vno die in plu-

plures, quibus à sacrificando cessant, consecrent multam panis quantitatẽ, & semper ac sacrificant, consumunt Sacerdotes maiorem panis consecrati portionem, & populo etiam maiorem distribuunt, quàm nos Latini. Et cum adeò apud nos sit imperata, & vsu recepta custodia Eucharistiç, quę in quãtitate modica reseruatur pro infirmis, si ob incuriam alicuius ea à canibus, aut à muribus devoraretur, seuerius esset agendum contra ipsum, quàm voluit Emmanuel Patriarcha Constantinopolitanus; vt & quando ex negligentia circa munditiem altaris, & templi accidisset hostiæ, aut formulæ consecratæ raptus à mure tempore Missiæ.

SECTIO XXIX.

Controuertitur incidenter, num sub speciebus Sacramentalibus deficeret præsentia corporis Christi, quando à bruto aliquo tererentur dentibus?

381 Dionysius Cistercienſis in 4. Dist. 8. quæst. 3. in 4. parte, art. 3. Vers. *Circa hanc conditionem*, rogat, [nunquid si mus, vel aliquod aliud rodat hostiam, corpus Christi traijciatur in ventrem bruti animalis?] Et respondet affirmatiuè, [quia quandiu manent species panis, & vini, tandiu est ibi corpus, & sanguis Christi. Sed species intrant ventrem bruti. Ergo. Confirmatur ista ratio per illud, quod habetur de Consec. Distinct. 2. Can. *Qui benè* in Glossa, vbi reprobatur opinio, quæ dicebat, quòd statim, quando brutum sumebat Sacramentum, desinebat esse ibi corpus Christi.] Sic Cistercienſis; cuius ratio optima est; sed confirmatio ex authoritate Glossæ non est secura, nam V. *Comederit* habet sequentia, [Nec dicendum, quòd mus sumat corpus Domini, statim enim desinit esse Sacramentum, ex quo ab eo tangitur. Si tamen dicatur, quòd sumat, non est magnum inconueniens, cum sceleratissimi homines illud sumant. Sed B. non concedit, quòd ab eo sumi possit, imò statim desinit esse Sacramentum. Sed iterùm non posset cõsecrari, quia non est ibi iam panis, imò tantùm species. Sed numquid desinit esse Sacramentum, si transit super illud corpus mus, vel aranea? Non credo, quòd desinat esse Sacramentum.] Cum ait Glossator, *statim desinit*, &c. intelligendus est de tactu per gustum, ne ea verba contraria sint postremis, & ex eis, necnon ex alijs ad Can. *Accesserunt* 92. de Cons Dist. 2. V. *Adorauerit*, cõstat propendisse magis in Sacramenti, & existentiæ Christi desitionẽ sub speciebus statim, ac sumuntur à mure. Quæ fuit sententia S. Bonauenturæ, (significati, vt suspicor, per lit. *B.*) in 4. Dist. 12. parte 1. art. 2. quæst. 1. ad 1. & Dist. 13. ar. 2. quęst. 1. vbi eam vocat communiorem, honestiorem, & rationabiliorem. Fuit etiam Magistri in 4. Dist. 13. ad finem, Authoris Glossæ Ordinariæ in 1. ad Cor. Cap. 11. V. *Accipite*, §. *Sciendum*. Innocentij 3. Lib. 4. de sacro altaris Mysterio, C. 11. aliorumque antiquorum, quorum memini Disput. 7. de Euch. n. 91. Et recenter defenditur à Pasqualigo in doctrina Morali sacra, Disput. 107. S. 1. Illa Glossatoris verba, *Sed iterùm*, &c. quatenus dicunt, desinente Christi corpore sub speciebus, conseruari has sine substantia vlla latẽte, sunt absona à recta Philosophia, & à Theologia, succedit namque alia substantia, vt fatẽtur vnanimiter Theologi, quãuis aliqui censeant, aduenire solummodò formam substãtialem. Sed quidquid de bono Glossatore sit.

382 Sententia illa anno 1371. à Gregorio XI. Papa fuit vetita evulgari publicè, quia saltem generaret scandalum, vt videre est apud Eymericum in Directorio Inquisitorum, parte 1. pag. (mihi) 44. par. 2. q. 10. pag. 263. editionis factæ cum Commẽtarijs Francisci Peñæ, vbi inducitur silentium prædicantibus, quòd si hostia consecrata cadat, seu proijciatur in cloacam, lutum, seu aliquem turpem locum, si à mure corrodatur, si à iusto, vel peccatore sumatur, desinat sub speciebus corpus Christi, antequàm in stomachum, aut ventrem traijciatur. Et cum Pasqualigus concedat, fuisse prohibitam eam de mure prædicationẽ, quia pareret offensionem, etsi neget.

get, fuisse damnatam, mihi primum sufficit, ne imiter Pasqualigum in extumulanda illa sententia, & reuocãda rursus in Scholam, nec enim videtur, quòd hoc tempore audiet melius, præsertim cum Theologi iam diu illã explosérint. Consentit mecum Lucas Vvadingus in Annalibus Minorum anno 1371. ex num. 14. etsi circa Eymerici testimonium de prohibitione facta à Gregorio XI. moueat scrupulos nonnullos.

383 Argumentatur Pasqualigus pro exoleta opinione, tum quia finis Sacramenti Eucharistici est nutrire spiritualiter hominem. Ergo adæquatè cessante hoc fine, vti evenit, quando species sumuntur à brutis, debet cessare Sacramentum Eucharisticum. Tum etiam quia cum Sacramentum sit signum sensibile sanctificatiuũ, debet posse applicari, nedum physicè, sed etiam moraliter ad sanctificãdum. At quando species sumuntur à brutis, non possunt moraliter applicari ampliùs ad sanctificandum. Ergo tunc amittunt rationem, essentiamque Sacramenti. Sed contra, quia si hæ rationes validæ essent, sequeretur, desinere Sacramentum, quando species sumuntur à peccatore, nam hunc nequeunt nutrire spiritualiter, neque possunt applicari ampliùs ad sanctificandum ipsum in statu peccati: sequeretur etiam deficere Sacramentum statim, ac species sunt manducatę à iusto, nam post manducationem non valent nutrire eum spiritualiter ex opere operato, neque applicari ampliùs, vt eum sanctificent vi Sacramenti, vt censet Pasqualigus Disput. 117. sect. 5. & 11. & tamen post manducationem durat corpus Christi sub speciebus aliquanto tempore intra stomachum hominis siue peccatoris, siue iusti, vt fatetur Pasqualigus in locis præcitatis.

384 Contra rursus, quia, vt peritè notarat Turrecremata ad C. *Quibenè*, [cum non statim species in ventrem traiectę esse desinant, vel in aliud conuertantur, possunt adhuc de ventre animalis extrahi: & in vsum venire. Rursus quamvis aliquid ad vsum ordinetur aliquem, non tamen oportet, quòd esse desinat, quando quis eo vti non potest.] Quo sufficienter respondetur ad rationes Pasqualigi, imò & S. Bonaventuræ, Angeli de Clauasio V. *Euchar.* 3. num. 8. & M. Antonij Cucchi Lib. 5. Institutionum, tit. 5. num. 141. nam eædem ferè sunt.

385 Sed in gratiam Scholæ dico in forma ad primam rationem, cessante peraccidens fine extrinseco, non debere cessare, quę sunt per se propter talem finem, vti propter nutritionem spiritualem hominum est Sacramentũ Eucharistiæ; & is finis cessat peraccidens, quando species consecratæ comeduntur à bruto: sicut eodem modo cessaret, quando inficerẽtur veneno; quo in casu non possent licitè sumi ab homine conscio infectionis. Prætérea sæpè accidit, vt cesset finis, propter quem aboperante est facta res aliqua, & tamen res ipsa permaneat in esse accepto, quia permanentia non dependeat à fine illo tanquam à conseruante rem. Et ita est in Sacramento Eucharistiæ, cuius institutio, & confectio ordinatur ad nutritionem spiritualem hominum; semel autem constituto corpore Christi sub speciebus, iam perseuerãtia sub illis non dependet à fine illo, neque ab exequutione mediorum circa illum, sed ab specierum ipsárum incorruptione, ratione decreti diuini tamdiu volentis manere corpus Christi sub eis, quamdiu ipsæ persistant incorruptę.

386 Eodem ferè modo occurro secundę rationi, nam peraccidens evenit, quòd species à brutis sumptæ, non possint applicari ad sanctificandum hominem. Neque essentia Sacramenti Eucharistici cõsistit in aptitudine proxima ad huiusmodi applicationem, sed in remota; quam non perdunt, quando actu eduntur à bestia. Inquies, aqua si non possit abluere proximè, vt quando est congelata, non est matèria sufficiens Sacramenti baptismi. Ergo similiter, &c. Sed disparitas est manifesta, nam materia proxima Sacramenti baptismatis est ablutio, quę si fieri nõ possit cum aqua congelata, nihil mirum, si hæc nequeat assumi, vt materia remota in statu congelationis. Cæterùm applicatio ipsa actualis ad sanctificandum hominem nullatenus est de essentia Sacramenti Eucharistici, vtpote quod saluũ sit ante vsum quo sumitur, prout definitum extat in Concilio Tridentino Sess. 13. Can. 4.

Reie-

387 Reiectis Pasqualigi rationibus dicendum est cum S. Hildegardi in Epistola ad Prælatos Moguntinenses, *Si circa corpus Domini aliqua indigna accidunt, vt vel putrescere, vel ab animali corrodi, seu consumi videatur, ista tantùm in Sacramento visibili, vel sola specie exteriore fiunt, virtute, & gratia ipsius Sacramenti illibata, & incorrupta diuinitus conseruata.* Sic S. Hildegardis, quippè his in casibus corpus Christi non patiatur quidquam in se, sed solæ species Sacramentales. Et quòd hæ patiantur indignam tractationem consideratę, vt sub se continent corpus Christi, humilitas est *Deo indigna, homini autem necessaria, & ita iam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quàm salus hominis*, vt aiebat Tertullianus L. 2. aduersus Marcionē, C. 27.

388 Penè oblitus eram referre, quod Guitmundus Aversanus ait Lib. 2. de Veritate Eucharistiæ nō longè ab initio, [Ad hoc verò, quòd à brutis animalibus species Sacramentales consumi posse, dicuntur, respondere possumus, ob prædictas causas, id est, probandæ fidei, aut damnandę, seu corrigendæ custodum negligentię, bruta animalia eò tenus ad corpus Christi posse accedere, quoúsque potest humanus visus accedere, deinde aut mox inuisibiliter Angelorum sibi semper assistentium ministerio, vel suapte virtute raptum iri, in cœlisq; constitui.] Sed de his verbis iam tuli iudicium Disp. 22. Empyreologica num. 75. & 76. Quibus similia sunt illa Glossæ ad C. *Tribus gradibus* 23. de Cons. Dist. 2. [Certum est, quòd species quàm citò dentibus (etiam humanis) teruntur, tam citò in Cœlū rapitur corpus Christi.] Quæ cautè legenda sunt, vt pote aliena à communi doctrina Sanctorum, & ab Schola Theologorum, vt monet Turrecremata ad Canonem allegatū. Et oportet quidem ab his falsis pietatibus (sic vocat Suarez D. 54. Sect. 2. V. *Tertiò*,) continere discursum, & pro firmiori fide de Sacramento Eucharistiæ adhærere regulæ illi vniuersali, quòd tamdiu Christi corpus, & sanguis sub accidentibus panis, & vini existāt, quandiu ipsa incorrupta maneant, & quandiu sub ipsis perseuerarent substātiæ panis, & vini, quarum loco succedere corpus, sanguisque Christi. Nam nisi regula illa stet inconcussa, aperitur ostium, vt quilibet pro suo arbitratu effingat casus, in quibus deficiat præsentia Christi sub speciebus, & vt vnus detrectet adorare eas, quia putet non manere sub eis Christum, alius autem cernuus veneretur, quia existimet oppositum. Atque ita contingeret, si euomerentur species incorruptę, vnus enim ob opinionem suam de non existente iam Christo sub ipsis recusaret exhibere cultum adorationis, alius ob contrariam opinionem libens præstaret.

389 Audiatur Gerson in Tract. de præparatione ad Missam, Cōsideratione 7. proferens suam censurā de opinionibus illis adinventis ex quodam affectu reuerentiæ erga Sacramentum Eucharistię, sed non tam solido, quàm pio. Cum enim admonuisset Sacerdotes, [vt si fortè corporalis aliqua sordities, ipsis nolentibus, aduenerit speciebus, recogitent, ad Xpti corpus nihil hanc attinere, seruata in animo mūditia, & reuerētia sanctitatis,] subiungit, [fuerunt, qui dixerunt, ipsam hostiam consecratam nullo modo in ventrem nostrum comedēdo demitti, sed statim in Cœlum rapi, contra experientiam quotidianam, atque Catholicam veritatem. Quæ ponit, corpus Christi verè comedi. Fefellit eos huiusmodi considerationis obliuio, dū putant indignum sentire, vt corpus Christi, vel hostia sacra in fœtulentum nostrum stomachum deueniat: quasi videlicet polluatur, aut fœdetur plusquàm radius Solaris, aut spiritualium substantiarum aliqua Dicant ergo, si sic iudicant more carnalium Iudæorū, aut Paganorum, cur Christi corpus in maternis visceribus, & secūdina pellicula mensibus nouem obseruatum, & inuolutum fuerit? Debet vtique ratio corrigere sensuale iudicium, ne blasphemiam impiam reputemus ipsam rei sinceriss̄imam veritatem.] Hucvsque Gerson: legendus etiam in Compendio Theologiæ, Tract. de Sacramento Eucharistię, tit. de materia Sacramenti, necnon Raynaudus in Heteroclitis spiritualibus circa Deum, Christum, ac Cœlites Sect. 1. punct. 5. numero 26.

*

SECTIO

SECTIO XXX.

Quid faciendum de specierum consecratarum portione corrosa à bruto? Imponitur clausula Disputationi cum aduertentijs nonnullis circa S. Thomam, & Rubricas Missalis.

390 RESTABAT dicere, quid faciendum sit de mure, aut animali, quod comederit hostiã consecratam, & possit haberi ad manus. Sed de hoc egimus in n. 85. & 86. Nunc Paludano ibi citato, quem sequutus est Sà, addimus Alfonsum Cameram in Epitome de Sacramentis, & Doctrina Christiana C. 20. fol. (mihi) 60. Addimus etiam in Rubrica Missalis Romani antiqui impressi Cęsaraugustæ anno 1519. haberi hæc, *Si corpus Domini* (ideſt, species continens illius) *à muribus, vel araneis consumptum, ad nihilum deuenerit, siue horribiliter corrosum fuerit; si integrè vermis in eo inuentus fuerit, comburatur. Si sine horrore residuum prædicto modo corrosum sumi poterit, tutius est, vt sumatur, sin autem comburatur, vt suprà.* Quæ Rubrica intelligenda est ita, vt combustio fieret, postquàm corruptę essent species panis. Quod autẽ sumerẽtur partes ipsæ exesæ specierũ, proponebatur tantùm vt tutius, sed non vt obligatorium, etiam quando nullus esset horror.

391 Sed multis erit nauseæ occasio, & periculum vomitus, si sumant corrosas partes. Tuncque si desint, qui valentiorem stomachum habeant, expectanda est specierum corruptio, & post hanc licebit procedere ad combustionem. Ita colligitur ex superiùs dictis, etsi Rubricæ nouæ non exprimant hunc casum; sed illum, in quo aliquid prouocativum vomitus cecidisset in calicem plenum speciebus consecratis vini; concedunt que non bibi eas, sed imbibi in panno lineo, vel stuppa, ibique iam desiccatas comburi. Sic in §. 10. n 6. Similisque alius casus, & remedium habetur in n. proximè antecedenti, quin requiratur, vt sit venenosum illud, quod cecidit in calicem, sed satis sit, si moueat nauseam, aut prouocet vomitum. Quare ex his duobus casibus, & ex remedio concesso videtur discurri aptè ad eum alium casum de corrosis partibus hostię à mure, & ad remedium, quod dixi, si consumi nequeant præfatæ partes absque nausea, aut absque periculo vomitus. Nam si possint, tũc nedum erit tutius, vt dicebat Rubrica illa antiqua, sed etiam obligatorium non sinere, vt illæ corrumpantur. Non secus ac in citato n. 5. iubetur Sacerdoti, vt si non fuerit ei nausea, nec vllum periculũ timeat, sumat cum sanguine muscam, seu culicem, qui in calicem ceciderit post consecrationem; si verò fuerit nausea, extrahat cyniphem, sed non omittat sumere sanguinem.

392 Vbi aduertendum est, oportere, ne Sacerdotes sint delicatuli (*melindrosos* Hispanè) quando formulã consecratã corrosissent forex, aut (quod sæpiùs contingere potest) cynips inueniatur in calice post consecrationem. Nam si nauseam probabiliter non timeant, consumant eam formulam, aut dent alij, vt consumat; & non dimittãt, vt corrumpatur. Similiter etsi ante cõsecrationem ęquum valde sit, vt ne vel vnus culex in calice toleretur, sed post consecrationem si casu in calice reperiatur, & absit probabilis timor vomitus, aut nauseæ, sumant illum cum sanguine, nam etsi in communi potu esset minor munditia; at in sacro prędolere debet coniunctio cum speciebus consecratis, vt & attentio, ne turbentur præsentes, ipseq; Sacerdos distineatur exequẽdo præscripta à Rubricis circa extractionẽ cyniphis, lotionẽ cũ vino, &c.

393 Vnde satis prudenter in Rubricis nõ abhorretur, vt cum sanguine sumatur musca, aut aliquid eiusmodi, si non fuerit nausea, nec vllius periculi timor. Imperatur tamẽ ibi, vt casu quo extrahatur id, quod cecidit in species cõsecratas vini, lauetur cũ vino, & finita Missa, cõburatur, cõbustioq; ac lotio proijciatur in Sacrariũ. Videri posset alicui, sumendã esse lotionẽ à Sacerdote. Et ita præscribebat Odo Parisiens. in Synodicis Cõstitutionibus n. 24. de cõmunibus præceptis Synodalibus in hęc verba, [Si in ipsum sanguinem musca, vel aranea, vel aliquod tale cecide-

rit, quia non sine vomitu, & periculo corporis aliquando sumi potest, igne cremandum est, & tunc sanguis Domini sumatur: illud tamen, quod intus ceciderit, priùs debet in calice vino perfundi, & quantò cautiùs fieri potest, ablui, & postea super piscinam cõburi, & illam ablutionem Sacerdos sumat.] Similiter Author Compendij Theologicæ veritatis L. 6. C. 19. aiebat, [Si in ipsum sanguinem musca, vel aranea ceciderit, vel aliquid aliud tale, quod vix sine vomitu, aut mortis periculo sumi potest, perfundatur, & lauetur, quam cautiùs potest in calice, & ablutionem sumat Sacerdos: sed musca, siue aranea super piscinam cremetur] Sic Author ille in tomo 13. editionis nouæ Operum Alberti Magni. Sed hæc verba transcribuntur ab Alfonso Camera supra, fol. 58. sub nomine Alexandri Alensis in Summa Theologicæ veritatis, & sub eodem nomine sæpe à me visum citatum idem Cõpendium memini. Sed cum tam Albertus Magnus, quàm Alexander Alensis scripsisse dicantur Opus tali titulo insignitum, relinquo alijs iudicandum, cuiusnam sit, quod habetur inter Opera Alberti; eademque est ratio ambigendi circa 12. libros de Laudibus B. Mariæ in tomo 20 cum editi etiã sint Duaci anno 1625. Typis Ioannis Bogardi, sub nomine Magistri Richardi de S. Laurentio Pœnitentiarij Rothomagẽsis, & cum in secundo Prologo dicat Author subticeri à se nomen suum, ne Tractatus fortè vilesceret, cognito tractatore; non fuit autem mos Alberti occultare se in alijs scriptis: quare & hoc non Alberto, sed Richardo adscribendum esse, monet Raynaudus in Diptychis Marianis, n. 4. Proloquij. Sed quidquid de his sit.

394 Prudentior est dispositio, quæ habetur in Rubricis, quàm quæ in Odone Antistite Parisiensi, & in Authore Compẽdij Theologicæ veritatis, nam vt Sacerdos sumat lotionem illam, non vrget eadem ratio, quæ mouit ad præscribendum, vt sumat sanguinem cum cyniphe, quando abest timor vomitus, aut nauseæ; & aliunde ex munditia ipsa æquum est, vt non obligetur Sacerdos ad potionem illam. Vlteriùs causa, quæ fuit sufficiens ad non bibendum cum musca sanguinem, eadem debet esse sufficiens ad non bibendam lotionem relictam ex superinfusa cum vino musca. Inquies, fortè in lotione illa superest aliquid specierum consecratarum vini, atque adeò debet illa sumi à Sacerdote. Respondeo, esse contingentiam nimis remotam.

395 Hucvsque processit explicatio, examenque accuratum eorum, quæ S. Thomas, & Rubricæ dicunt de defectibus contingibilibus in Missa; S. Thomæ quidem nullum verbum prætermisimus; Rubricarum autẽ omisimus ea, de quibus in decursu Operis totius sermonem iam habueramus, ne per eandem lineam reciprocaremus serram. Nec solùm declarauimus mentem S. Doctoris Angelici, sed etiam ferè in omnibus nostram ei conformauimus, vti etiam fecerunt, qui iussu Summorum Pontificum confecerunt Rubricas, & recognouerunt, sed non vsque ad vnum iota, & apicem in omnibus, nam quandoque addiderũt aliquid, vt in §. 4. n. 3. Et quandoque vt in §. 3. n. 2. dixerunt, esse dubiã Sacramenti Eucharistici materiam, quã S. Thomas absolutè dixerat esse invalidam. Id quod non præiudicat magnæ authoritati, quam meritissimo de iure apud omnes habet S. Thomas, & quam confirmat F. Gundis. de Arriaga tom. 2 Doctrinæ S. Thomę L. 1. C. 10. n. 8. pag. 459. cum Luca Fernandez de Ayala exinde, quòd nõnulli Pontifices Romani loco arę consecratæ adhibuerint in Sacrificio eam Summæ Theologicæ S. Doctoris partem, vbi continebatur materia definienda, & consultata ab ipsis apud diuinum Oraculum inter celebrandũ; sed non declarant, quinã fuerint illi Pontifices, quibus nam in occasionib⁹ nominatim sic se gesserint, quinã testes oculati adfuerint: quæ omnia cupiebam scire, vt securus de facti veritate adiungerem hunc casum mirabilibus alijs memoratis in D. 24. n. 29 S. Luciani Martyris, qui vsus est suo pectore vice altaris, & Theodoreti, qui manibus Diaconorum.

396 Rursus neque culpandi sunt concinnatores Rubricarum, quòd addiderint quidpiam non contra, sed præter verba S. Thomæ, aut quòd in aliquo dissenserint ab illo, quando etiã habuerunt in animo sequi, & penè trãscribere ipsum, vt qui melius, breuius, & dilu-

& dilucidiùs, quàm cæteri Theologi antiqui, egerit de defectibus occurrentibus in Missa. Certè de solis libris diuinæ Scripturæ, & definitionibus Sūmorum Pontificum, atque Conciliorū ab eisdem approbatorum dici potest, *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illū plagas ::: Si quis diminuerit de verbis libri huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ*, Apocalypsis 22. V. 18. & 19. Et qui vitio vertant adiecisse quidpiā vltra Angelici Doctoris verba, audiāt hæc Richardi Victorini Prologo in Expositionē Visionis Ezequielis, *Quidam quasi obreuerentiā Patrū nolut ab illis omissa attentare, ne videantur aliquid vltra Maiores præsumere. Sed inertiæ suæ eiusmodi velamen habentes, otio torpent, & aliorum industriam in veritatis inuestigatione, & inuentione deridēt, subsannant, & exsufflāt. Sed qui habitat in Cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Nos autem à Patribus pertractata cum omni alacritate perquiramus; & sagaciter inuenta cum omni liberalitate in cōmune proferamus, vt impleatur, quod scriptum est, Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.*

397 Temporum decursu, & pertransitione plurimorū, necnon diuturna experientia dici potest aliquid tacitum ab antiquis, quod a modernis notetur, vt vel in posterum caueatur, vel fiat. Solet dici, vti refert Ludouicus Gomesius Commentarijs in Iudiciales Regulas Cancellariæ q. 53. in Reg. de triennali possessore pag. (mihi) 317. quod moderni sunt sicut cuniculi in capite elephantis, qui videt priora, & posteriora. Arq; ita contigit circa punctum §. 4. n. 5. Rubricarum. Monemur ibi, vt si Missa celebretur in loco publico, vbi plures adsint, & post sūptionē corporis, vel aquæ iniectæ loco vini in calicem, notetur defectus vini, possimus ad evitandum scandalū, omittere cōsecrationem nouæ hostiæ, & tantum nodò apponere vinum cum aqua, & facta oblatione saltem mentali consecrare, ac statim sumere, & prosequi cætera. Quæ circumspectio ad scandalum expressa non fuerat à S. Thoma subscripto à Ioanne Bachono in 4. Dist. 10. q. 1. V. *Sed quid si post*; sed recognitores Rubricarum tempore Clementis VIII. Papæ addiderunt illā post Argentinensem in 4. Dist. 8. art. 3. Vers. *Ideo agilis*, Basolium in 4. Dist. 9. q. 3. art. 2. V. *Secundò dico*, Guilielmum de Rubione in 4 Dist. 8. q. 1. artic. 3. V. *Alius etiam casus*, Ioannem de Lapide in Resolutorio dubiorum occurrentium in celebratione Missarum C. 7. art. 4. dub. 2. & post alios n. 117. recensios. Addiderunt, inquam, edocti experientia multorum casuum, in quibus excitatum fuerat scandalum, obseruantibus ad litteram Sacerdotibus præscripta in Rubricis editis tempore Pij V. & tradita à S. Thoma sine expressa exceptione occasionis, in qua immineat scandalum.

398 De quo cauendo habita est ratio satis consideratè, quia quantùm fieri possit, vitanda est notabilis admiratio, turbatiove, aut offensio populi; timeturque valdè prudenter, ne, si populus notet repeti consecrationem, concipiat minorem æstimationem de tanto Sacrificio, vixque notabit, quin apud ipsum periclitetur bona existimatio de Sacerdote, & plerumque non attribuet inadvertentiæ naturali omissionē iniciendi vinum in calicem, sed contemptui, aut negligentiæ, & incuriæ culpabili Sacerdotis. Quæ omnia, & singula complexæ sunt Rubricæ nomine scandali. Nec hìc locus est, vt plura de ipso intrudamus. Et ex dictis firmantur abundè, quæ nonnullis in partibus huius Disputationis attigimus, remittentes nos ad eiusdem finem; constat etiam discrimen ad casum, de quo in num. 4. vbi scripsimus, non esse habendam rationem scandali, nam repentinus casus Sacerdotis non potentis prosequi Missam, quam perduxisset ferè vsque ad consecrationem, etsi turbet populum, si videat, eam non finiri ab alio, est multò diuersæ conditionis, eaque turbatio sedari facilè potest ab eo alio Sacerdote, sine periculo sui honoris. Quòd si monitus populus adhuc inquies maneat, imputabitur ipsi, & tunc valebit illud, *Vtilius scandalum nasci permittitur quàm veritas relinquatur* C. *Qui scandalizauerit* 3. de Regulis Iuris ex Gregorio Homilia 7. in Ezequielem, & illud Innocentij 3. in C. *Cum ex iniuncto* 2. de nov. op. nun. *Opera, quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda; nec ea debent pro scandalo vitando committi, quæ sine mortali peccato committi non possunt.*

399 Circa doctrinam S. Thomæ declaratam à nobis in hac Disputatione notare postremò oportet, nonnullos Authores velle quibusdam suis opinionibus conciliare pretium affirmando deriuatas esse ea ex doctrina, cum tamen perinde id sit, ac siquis

Delphynum syluis appingat, fluctibus aprum.

Quod cum sæpe accidat, sitque facilè de suppositis S. Doctori sententijs in alijs materijs plures conuincere, esset multo facilius in hac materia, de qua adeò diligenter expendimus omnia Sancti Thomæ verba. Sit in exemplum Franciscus Niger adductus à Diana parte 10. Tractatu 12. Resolut. 15. & ex eius testimonio allegatus à me in num. 12. Tribuit ille S. Doctori, quòd si vnus Sacerdos moriatur post sumptas species consecratas panis, debeat alius supplens eius vices consecrare novum panem, & vinum, & post susceptas panis, vinique species à se consecratas, sumere eas vini, quæ inconsumptæ relictæ sunt à Sacerdote, in cuius locum successit. Sic S. Thomas in solutione ad 4. vt vult Niger, quin reclamet Diana.

400 Sed quicumque attentè aduertat ad S. Doctoris verba, debet refragari, nam ad 4. non ait tale quid, & ad 1. docet manifestis verbis contrarium. Ratioque ipsa resistit potentissimè, nam si alter Sacerdos consecrat panem, & vinum, non explet celebritatem Missę, quam alius imperfectam reliquit, sed conficit novam Missę celebritatem quoad essentialia, & substantialia, si exordiatur à Canone, & quoad accidentalia etiam, si incipiat ab *In nomine Patris*. Vnde non modò Sanctus Thomas, sed neque vllus alius Author, quem legerim, sensit id, quod Niger. Etsi enim plures veteres existimarint, moriente Sacerdote post consecrationem solius panis, debere ab alio consecrari denuò panem, & vinum, sumique species panis, & vini, quas ipse consecrarit, & eas, quę panis sunt relictę consecratę à Presbytero, qui decessit, vt retuli in num. 19. & Authoribus ibi citatis associo Alensem parte 4. quæstione 10. membr. 4. artic. 2. §. 6. in fine, Durandum in 4. Distinct. 8. quęst. 3. numero 10. Ioannem Bachonum in 4. Distinct. 10. quęst. 1. Vers. *In Summa Cõfessorum*, cum Alano, Palatium in 4. Distinct. 8. Disput. 3. pagina 252. Disputatione 5. pagina 264. Etsi item ratiõ contra Nigrum contorta militet contra eos priscos Theologos, vt benè notauit Nuñus 3. parte, quæstione 83. articulo 6. dubio 1. Vers. *Notandum est*, pag. 986. nihilominus nullus ex eis asseruit quod Niger.

401 Circa Rubricas Missalis in titulo de Defectibus restat dicere, fuisse illas à me nonmodò expositas, sed etiam religiosè pressa ipsarum vestigia. Quod si nonnunquam probabilem dixi vnam, aut alteram opinionem contrariam eis, posseque deduci ad praxim, ideo fuit, quia multi graues Doctores affirmant, Rubricas sub præfato titulo contentas esse ex se regulas directiuas tantùm, & quasdam instructiones docentes quid ad supplendos defectus debeat fieri, vel ex iure diuino, vel ex præscripto sacrorum Canonum, aut quid æquum sit fieri ex probabili Theologorum sententia, quando nec ius diuinum, nec præscriptum sacrorum Canonum dictat modum, quo aliquis defectus est emendandus. Quare iuxta eos Doctores Rubricę istæ non important nouam obligationem, sed supponũt prę-existentẽ iam ex diuino iure, vel Canonib⁹ sacris, aut præmonstrant, quid fieri possit, & liceat adhærendo sententiæ probabili Theologorum, quin præiudicent sententiæ alij oppositæ, quę ex suis principijs probabilis sit. Sic Quartus quęstione proœmiali in Rubricas Missalis Sectione 6. puncto 4. cum Gauanto, & Pellizario. Ita etiam passim alij loquentes non cum tanta generalitate, sed de quibusdam Rubricis in particulari.

402 Ego in S. 1. Disputationis vicinæ censui, has etiam Rubricas de Defectibus promulgatas fuisse à Sũmo Pontifice vt præceptiuas, & vt inducentes obligationem siue grauem, siue leuem iuxta materiæ subiectæ grauitatem, vel leuitatem. Sed quemadmodùm de aliquib⁹ Rubricis, siue quæ generales vocantur, siue quę sunt pertinentes ad ritum seruandum in celebratione Missæ, dixi non semel in decursu Tractatus, vt D. 25. n. 48. D. 26. n. 47. non seruari alicubi, idque citra cul-

culpam, & impunè, quia prœualuit vsus cum taciturnitate, & tolerantia Summorum Pontificum; ita dici potest de ijs ad Defectus spectantibus Rubricis, quibus contrariæ aliquæ sententiæ audiunt vt probabiles speculatiuè, & practicè; cũ enim post promulgationẽ earũ Rubricarũ Authores permulti docti, & pij tradant sententias illas, & ad praxim deduci posse scribant palàm, & in facie Ecclesiæ, quin Summi Pontifices vetent ipsorum scripta, aut corrigant in punctis, in quibus discordant à præscriptis per Rubricas, iam eo ipso tacitè saltem permittuntur haberi, & exerceri tanquam probabiles.

DISPVTATIO XXX.

DE PRAECEPTO ECCLESIASTICO audiendi Missam.

1 *E QVO POSSET AGI in materijs de præceptis tum Decalogi, tum Sanctæ Matris Ecclesiæ; sed habet non minus commodam, aptamque sedem in Tractatu præsenti; atque ita à multis Theologis recentioribus ei adnectitur, vt & à nobis. Vtinam prœuia S. Thomæ fax nobis viam ostenderet in hac Disputatione, vti fecit in alijs antecedentibus!*

SECTIO I.

Deturne præceptum audiendæ Missæ? Quale sit, & quando latum?

2 EXTARE PRÆceptum obligans fideles, vt certis quibusdam diebus audiant Missam, res est certa; imò de fide Catholica esse; docent Suarez D. 88. S. 1. V. *Dicendũ est ergo*, Fagũdez in 1. præceptum Ecclesiæ Lib. 2. Cap. & num. 1 Petrus de Ledesma in T. de Euch. Cap. 27. Trullench Lib. 3. in Decalogum Cap. 1. dub. 5. num. 1. Refragatur tamen post Sotum in 4. Dist. 13. q. 2. art. 1. V. *In calce*, postq; Gasparem Hurtadum Disput. 5 de Sacrificio Missæ, Diffic. & V. 1. meritòq; Cardinalis de Lugo Disput. 22. sect. & num. 1. [quia nõ apparet, quomodò possit esse de fide id,

id, quod nusquam à Deo reuelatum est; neque ex eo, quòd Ecclesia aliquid præcipiat, Deus reuelat, Ecclesiam id præcepisse, sed fit nobis euidens humana euidentia, quantùm sufficit ad obligandum nos absque vlla probabili excusatione.] Ita Eminentissimus Purpuratus.

3 Huiusmodi præceptum esse Ecclesiasticum, negari non potest, vt constabit ex Canonibus decursu Disputationis allegandis. Esse verò merè Ecclesiasticum, etsi valde consentaneum iuri naturali, & diuino, sentiunt communiter Doctores contra paucos quosdam apud Henriquez Lib. 9. Cap. 25. §. 1. & contra Reginaldum, qui Lib. 19. Cap. 2. num. 11. dixit, esse partim diuinum. Sed sanè nec ius naturale, nec diuinum præcipit, vt auditione Missæ hoc vel illo die Deus colatur exteriùs; neque præcipit, vt omnes Dei cultores certis diebus assistat Sacrificio, quod in eiusdem Dei honorem peragatur, etiamsi admittamus, iure naturæ dari obligationem honorandi Deum per Sacrificia; neque item ius diuinum positiuum Christi iubentis, *Hoc facite in meam commemorationem*, (quibus verbis imposuit Apostolis, & eorum successoribus onus consecrandi suum corpus, & sanguinem) extenditur ad id, vt omnes fideles debeant statis diebus interesse Sacrificio Missæ, ordinatoq; ad eum modum, quo nunc, & iam diu est Ecclesiæ in vsu. Cæterùm Ecclesia conuenientissimè imperauit auditionem Missæ tum ob præstantiam Sacrificij, quod in Missa Deo offertur, tum ob excellentiam externi cultus, qui in assistentia ad Missam exhibetur eidem Deo.

4 Ex dictis infertur primò, posse Summum Pontificem dispensare validè non tantùm vt interdum, sed etiam in tota vita non audiatur Missa ab aliquo fideli, nam in præcepto merè Ecclesiastico, quale est istud, dispensare potest validè Summus Pontifex. [Sed tamen dispensare cum aliquo, vt nunquam in tota vita Missam audiat, si nolit, etiamsi possit, neque vlla rationabili causa impediatur, non potest esse expediens, talis enim dispensatio non esset in ædificationem, sed in destructionē, & aliquo modo repugnaret iuri, & cultui diuino. Dispensare autem, vt interueniente aliquo impedimento, Missa possit sine culpa omitti, moraliter necessarium non est, quia si tale impedimentum rationabile sit, per se sufficicit ad excusandum; imò tot sunt hæc impedimenta, tamque ampla facultas in hac re conceditur ab Authoribus, vt aliam præter illa omnia in hac re desiderare, ab animo fideli, & religioso videatur alienum; ac propterea hæc dispensatio neque in vsu est, neque expedit eam esse.] Sic doctè, & maturè Suarez suprà Vers. *Tertiò sequitur*. Fortè antiquitus dispensabatur expressè, vel tacitè cum Eremitis, ne diebus Dominicis, & festis Sacrū audirent, commutata adimpletione huius præcepti in perpetuam de Deo, rebusque diuinis contemplationem, necnon in solitudinem obsequij diuini causa, & in secessum ab hominum frequentia, ac commercio; quippe *tota vita, & omnis actio solitariorum erant quædam solemnia Missarum*, vt ad S. Aibertum incluſum, dolentemque ob impeditam Missæ auditionem dixit Deipara Virgo, referente Surio Aprilis 7. Nunc vero non expediret tam solitariam agere vitam, quæ cum Missæ auditione non compatiatur, & saltem non liceret sine approbatione Summi Pontificis instituere talem modum viuendi.

5 Infertur secundò, præceptum de auditione Missæ in diebus præfatis obligare ex genere suo sub peccato mortali, nisi excusatio sufficiens interueniat. Et obligat quidem, etiamsi absit contemptus formalis, vel virtualis, omittaturq; auditio Missæ, vel vna tantùm vice, ex negligentia, aut passione, vt contra Richardum, Astensē, Angelum, Rosellam, Tabienam, Turrecrematam, & Glossam ad Canonem *Omnes fideles* 62. de Consecratione Distinct. 1. & contra quendam Alexandrum allegatum ab Henriquez suprà, lit. H. in Glossa, docent communiter Theologi. Et ratio est, quia huiusmodi præceptum est de materia graui, nēpe de actione præcipuè pertinente ad virtutem religionis, & cultum Dei, eiusque obiectum, scilicet Missę Sacrificium integrum, est etiam graue. Dixi, *ex genere suo*, nam potest esse peccatum veniale, si non sit consummatū, & completum in sua specie, vel quia

pars

pars Missæ non audita modica sit, vel totius Missæ auditio sit omissa ex leviter culpabili inadvertentia, aut ignorantia, aut errore.

6 Præceptum audiendę Missę permulti censent esse latum in C. *Omnes fideles* 62. de Consecratione Dist. 1. vbi dicitur, *Omnes fideles, qui conueniũt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, & Scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant. Qui autem non perseuerant in oratione, vsque dum Missa peragatur, nec sanctã communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commouentes conuenit cõmunione priuari.* Sed iste Canon, qui est decimus, vel nonus Apostolorum, non præcipit absolutè, vt fideles omnes conveniant in solemnitatibus sacris. Neque id absolutè præcipit Canon *Sacerdote* 63. eadem Dist. vt legenti compertum erit, notatque Azor tom. 1. L. 7. C. & q. 1.

7 Magis ad rem facit Canon *Missas* 64. ibidem, cuius talia sunt verba, *Missas die Dominico Sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus; ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.* Hic Canon desũptus est ex 47. Concilij Agathensis Prouincialis celebrati in Gallia ad annum 506. Si respondeatur primò, esse Concilium Provinciale, ideoq; carere potestate obligandi vniversos fideles. Secundò non loqui nisi de diebus Dominicis tantùm. Tertiò nec nisi cum solis Sæcularibus. Contra primò, quia tota Ecclesia consensu communi acceptauit præceptum Concilij Agathensis, etsi Provincialis. Secundò, quia eadẽ est ratio de diebus aliis festis, vt deducere licet ex Can. *Si quis etiam* 35. Can. *Omnes fideles* 62. Can. *Et hoc attendendũ* 52. Can. *Qui die solemni* 66. de Consec. Dist. 1. & nomine diei Dominicæ subintelligitur quivis dies festus. Contra tertiò, quia nomine Sæcularium forsã intelliguntur omnes, qui non sunt Sacerdotes, quippe qui Sacerdotes sunt, satisfaciunt præcepto, si celebrent. Quartò, quia à fortiori tenebuntur audire Sacrum, aut celebrare, qui statum Ecclesiasticum sortiti sunt. Quintò, quia in C. *Cum ad celebrandas* 65. & in aliis proximè citatis sermo est de fidelibus sine discrimine.

8 Sed licet hæc ita sint, Concilium Agathense non tam imposuit de auditione Missę præceptum, quasi hoc antea non vigeret, quam iussit, adimpleri exactè, audiendo totam, integramque Missam. Nam S. Cæsarius Antistes Arelatensis, qui ei præsedit Cõcilio, vt ex subscriptionibus liquet, voluit emendare excessum, quem in suis ovibus notarat. *Cum enim die quodã esset ad altare, animaduertit, quosdam, lecto Euangelio, ex Ecclesia egredi, quòd Sancti viri conciones auscultare initio detrectarẽt. Mox igitur aduolat, appellat his vocibus populum: quid facitis, filij? Quid ita foras abscessitis, mala persuasione subuersi? State pro animabus vestris ad accipienda verba adhortationis nostræ, eaque auscultate solliciti. Non licebit id vobis in illo tremendi iudicij die. Moneo, & clamo, atque contestor. Nescitis, obsecro, vel surdi, vel profugi. Auditis oris mei buccinam, perinde ac si animas vestras suo mucrone Satan iugularit. Nòn ego taciturnitatis arguar. Hac de causa sæpissimè, lectis Euangelijs, ostia occludi iussit, donec, propitio Deo, ipsi gratularentur ea coercitione se profecisse, qui solebant esse fugitiui.* Ita Cyprianus in Vita S. Cætarij apud Surium die 27. Augusti, tomo 4. pag. (mihi) 930.

9 Simile est, quod de S. Ioanne Eleemosynario narrat Leontius in eius Vita, indutus namq; sacris vestibus sequutus est populum discedentem è templo ante absolutum Sacrum, atque in hunc modum alloquutus est admirantes, *Vbi oues, illic Pastor. Ingredimini, & ego etiam accedam; quòd si extra manebitis, hærebo. Ego, filij, propter vos ad Ecclesiam descendo, nam mihi ipsi in Episcopio Missas facere poteram.*

10 Idem S. Cęsarius in homilia 12. acriter reprehendit abeuntes ex Ecclesia, nondum finito Sacrificio Missæ, *Verè* (ait) *ignorat, quantum boni in celebrandis Missis agitur, qui de Ecclesia festinus egreditur, cum tamen istos tales, si aut Rex, aut aliqua potens persona vocasset ad prandium, velim scire, si præsumerẽt discedere, nisi priùs totum compleatur prandiũ; etiam si persona non teneret, gula tenerentur. Quare de conuiuio hominis, nisi perexpeditũ fuerit, non discedimus, nisi quia & ventrem fortè, plusquàm expedit, implere volumus, & hominem lædere formidamus? Quare de spirituali, & diuino cibo discedimus? Timeo dicere, ne fortè aliqui irascantur, sed tamen tam propter meum, quàm vestrum periculũ*

dicturus

dicturus sum. Hoc ideo facimus, quia nec de cibo animæ curamus, nec Dominum timemus, nec hominem reueremur. Hactenus S. Cæsarius.

11 Huc conducunt illa Sancti Chrysostomi verba Homil 83. in Matthæum, *Audiatis etiam quicumque vltimam Mysterij* (id est Missæ) *orationem nõ expectatis, quæ illius* (factæ à Christo in vltima cœna) *symbolum est. Gratias enim egit, antequàm discipulis daret, vt etiam nos ab actione gratiarum incipiamus. Gratias egit, posteaquàm dedit, & hymnum cecinit, vt nos quoque similiter faciamus.* Huc vsque Os aureum: cuius in Homilia 24. ad populum Antiochenum germana verba tu ipse perquire.

12 Atque ex his, ni fallor, innotescit sensus, & scopus Concilij Agathensis, necnon Aurelianensis primi coacti eodem anno, C. 28. Ravennatis secundi an. 1311. Rub. 9. Colonensis secundi habiti anno 1536. p. 7. Cap. 26. quæ iubent, ne populus discedat ante completam Missæ solemnitatem diebus Dominicis, & festis. Sed Augustense congregatum anno 1548. C. 19. iubet id ipsum, & disertis verbis supponit præceptum auscultandi Sacrũ Missæ Dominicis, & alijs festis diebus; inquit enim, *Item quotquot ex Ecclesiastici decreti, siue præcepti contemptu Dominicis, aut alijs festis diebus Sacrum Missæ auscultare nolunt, nec in ipso Missæ Officio perseuerant, donec Sacerdos vltimam benedictionẽ impertiatur, pro iudicio Confessoris sui à cõmunione prohibeantur, donec agant pœnitẽtiam* Concilium etiam Coyancense C. 6. præcipit, *Vt omnes Christiani die Sabbathi aduesperascente ad Ecclesiam conuenirent; & Dominica matutina Missas, omnes horas audiant, opus seruile non exerceant, nec sectentur itinera, nisi orationis causa, aut sepeliendi mortuos, aut visitandi infirmos, aut pro Regis secreto, aut pro Sarracenorum impetu.* Sic in eo Concilio Hispano collecto ad annum 1050.

13 Inter novem Canones, qui falsò adscribuntur sextæ Synodo Cõstantinopolitanæ, legitur hic, qui est octavus, *Diei Dominici:: tanta debet esse obseruantia, vt præter orationes, & Missarum solemnia, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam etsi necessitas fuerit nauigandi, siue itinerandi licentia detur, ita dumtaxat, vt huius occasione, Missa, & orationes non prætermittantur.* Ita in eo Canone attributo sextæ Synodo celebratæ anno 680. sed est dubiæ fidei; & nec inter Trullanos, seu quinisextę Synodi habetur, sed inter alios novem minus exploratos, vt iam dixi.

14 Scortia Lib. 2. C. 20. n. 1. refert, in Actis SS. Saturnini, Emeriti, & Felicis sub Diocletiano, anno 303. dici legem Ecclesiasticam de celebrando Dominico, seu Collecta. Sed hoc non idem est, ac dari legem Ecclesiasticam, vt omnes fideles assistant celebrationi Dominici, seu Collectæ. Et *Dominicum* substantivè ibi, vt & in multis alijs locis Patrum apud Durantum L. 1. de Ecclesiæ Catholicæ ritib⁹ C. 1. n. 5. idem est, ac Sacrificij oblatio, & Missa. Quare difficile videtur afferre textum, ex quo probetur præcepti de auditione Missæ antiquitas tanta, quantam illud re ipsa habere censetur, scilicet ab Apostolorum tempore. Quo S. Clemẽs L. 5. Constitutionum Apostolicarum, Cap. 19. inquit ipsorum Apostolorum nomine, *Cunctis Dominicis diebus conuẽtus Ecclesiasticos celebrantes, lætitia fruimini*, & L. 7. C. 31. *Die Resurrectionis Domini, quem Dominicum dicimus, conuenite sine vlla conuentus intermissione ad agẽdum gratias Deo, & profitendum beneficia, quibus nos Deus per Christum affecit, cum liberauit nos ignorantia, errore, vinculis, vt sic Sacrificium vestrum reprehensione careat, sitque Deo acceptum, & gratum, qui de Ecclesia sua Oecumenica dixit, In omni loco offertur mihi thymiama, & Sacrificium mundum, quia ego sum Rex magnus, Dominus Omnipotens; & nomen meum admirabile in gentibus.* Sunt qui ex Actis Apost. Cap. 20. V. 7. argumentum desumant ad celebritatem diei Dominici, & ad Missam eo die celebrari solitam ætate Apostolorum, dicitur enim ibi, *Vnà autem Sabbathi cum conuenissemus ad frangendum panem*, &c. Attamen neq; ex Actis, neque ex Constitutionib⁹ Apostolicis clarè conuincitur obligatio ad assistẽtiam omnium fidelium die Dominico in Missæ Sacrificio.

15 Cæterùm [non multùm refert, an hoc præceptum sit satis expressum in aliquo Canone scripto, cum de vniversali traditione, & consensu Ecclesiæ constet,] vt admonet Suarez tomo 1. de Religione, Tract. & Lib. 2. Cap. 15. n. 3. loquens de Missa tam in Dominico, quàm in alio festo die, & in

num. 4. allegat S. Iustinum in Apologia 2. pro Christianis, S. Hieronymum in Epitaphio Paulæ Epistola 27. ad Eustochium C. 10. iuncta Epistola 53. ad Riparium contra errores Vigilantij, C. 4. (adde in C. 4. ad Galatas) Sanctũ Augustinum Serm. 215. de Tempore, necnon 251. L. etiam contra Adimantum C. 16.

SECTIO II.

Præceptum audiendæ Missæ quibus diebus obliget, & in quibus horis eorum dierum?

16 OLIM erant dies festi cum obligatione ad assistendum Sacro omnes illi, qui ad abstinendum ab operibus servilibus, & vacandum divino cultui deputabantur ab Ecclesia, siue iure communi, siue veteri, & vniversali consuetudine, siue lege antiqua, vel moderna alicuius Diœcesis, Civitatis, aut Oppidi lata, aut approbata ab Episcopo; siue consuetudine privata, sed legitima ob Episcopi consensum; siue voto, vel iuramento confirmato etiam ab Episcopo. Erant etiam dies aliqui non propriè festi, vt dies Rogationum C. *Rogationes* 3. C. *Pronunciandum* 1. de Cons. Dist. 3. Feriæ Quadragesimales C. *Solent* 50. de Cons. Dist. 1. & præcipuè vltimum triduum Hebdomadæ sanctę, in quibus quondam ex præcepto, vt nonnulli putant, audienda erat Missa. Sed fatentur, præceptum illud fuisse iam diu contraria consuetudine abrogatum.

17 Iam Decreto Pontificis Maximi Vrbani VIII. edito, an. 1642. Idibus Septembris redacti sunt ad minorem numerum dies festi, in quibus vrgeat præceptum audiendi Missam, cessandiq; ab operibus servilibus; nec expedit dies alios festos indicere, nisi cum, quem pro vnico dumtaxat Patrono cõtigerit celebrari à quolibet Regno, siue Provincia, similiterque à qualibet Civitate, Oppido, vel Pago. Monenturque Ordinarij, *vt de cætero studeant abstinere à nouorum festorum indictione sub præcepto.* Quæ verba nõ sunt præceptiva, nec potestatem tollentia, vt notat Tamburinus Lib. 4. in præcepta Decalogi C. 1. num. 3. Quintanaque-ñas tomo 2. Singularium Tract. 1. Singulari 8. Sed anno 1644. die 10. Nouembris ab Innocentio Papa X. additus est pro Hispaniarũ tantùm Regnis dies Conceptionis Deiparæ Virginis.

18 Ante Vrbani VIII. Decretum non tenebatur populus audire Sacrum diebus feriatis Iudicum, neque cæteris, quos Princeps Sæcularis, aut Magistratus iussisset observari cessando ab operibus servilibus, neque eis, quos ipsius populi consuetudo introduxisset sine approbatione Episcopi, nam præceptum de re spirituali, qualis est Dei cultus in auditione Missę, superat potestatem, iurisdictionemque Sęcularem. Neq; item tenebantur Scholastici audire Sacrum diebus, quos festos Vniversitatis appellant, multòque minùs diebus assuetis, seu vacationis, quia in eis conceditur tantùm cessatio à frequentatione Scholarum, vel in honorem alicuius Sancti, vel ad relaxationẽ animi. Quæ post Vrbani VIII. Decretum sunt magis certa, & disputationi non subiecta. Legatur P. Andreas Mendo L. 3. de Iure Academico quæst. 26.

19 Si feria sexta in Parasceve occurrat festum Annunciationis Divæ Matris, obligantur quidem fideles cessare ab operibus servilibus, sed non tenentur præsentes esse Officio sacro illius diei ab eo tẽpore, quo, processione finita, Sacramentum ponitur in altari, quia Officium illud non est Missa, vt probavimus Disput. 3. num. 35. Dices cum Vazquio D. 232. C. 2. n. 18. haberi posse loco Missæ. Tranſeat. Sed præceptum non est de eo, quod loco Missæ haberi potest, aut de eo, quod in locum Missæ succedit, sed de eo, quod in se, & verè, ac propriè est Missa. Adfavet nobis declaratio Sacræ Congregationis Rituum facta anno 1622. die 19. Februarij apud Gavantum parte 4. tit. 9. num. 24. pag. 262. & apud Dianam parte 2. Tract. 14. Res. 62.

20 Hinc deducitur cum Cardinali de Lugo Disp. 22. sect. 1. num. 6. illum, qui nullo modo potest esse præsens consecrationi, in qua iuxta ipsum, & nos consistit essentia Sacrificij Missę, non teneri adesse partibus siue antecedentibus,

dentibus, siue subsequentibus consecrationem; cuius de causa cadit sub præcepto assistentia ad eas partes, quæ do haberi potest in diebus Dominicis, & festis. Sed de hac deductione plura inferiùs.

21 Nunc notandum est, diem Dominicum (idem de festo) durare à media vsque ad mediam noctem, ideoque satisfieri præcepto, si audiatur Missa intra istud tempus hac, vel illa hora; non verò si audiatur alio die priori, aut posteriori, est namque onus affixum diei determinato, quanquam indifferens ad omnes, & singulas horas eiusdem diei, si in eis celebretur Missa, nam si celebrāda esset solùm hora sexta, aut vndecima matutina v.g. vrgeret obligatio audiendi hora sexta, aut vndecima. Idemque intellige, si celebranda quidem sit Missa omnibus, & singulis horis, sed tu impeditus sis audire, nisi sexta, aut vndecima. Vnde si Sacerdos celebret ante auroram, vel post meridiem siue ex ignorantia, siue ex malitia, siue ex privilegio, defuturusq; sit alius, qui celebret tempore à iure cōmuni præscripto, teneris audire ante auroram, vel post meridiem, dummodò commodè possis.

22 Inquies cum Pasqualigo Decisione 311. num. 8. obligationem audiendi Sacrum vrgere solùm intra illud tempus, intra quod celebrare licet de iure communi, nam præceptum de auditione subordinatur præcepto iuris communis de non celebratione ante auroram, vel post meridiem. Sed contra, quia præceptum de auditione habet pro materia Missā precisè, ideoque, quacumque hora dicatur, satisfacies præcepto audiens eam, & teneris audire, si careas legitimo impedimento, aut excusatione.

23 Rogabit quis, an qui manè egreditur Vallis-oleto, vbi dies est festus, teneatur audire priùs Missam, si Methymnę Campi, quò proficiscitur, & ante meridiem perventurus est, non agitur dies festus? Respondeo primò, non teneri, si probabiliter speret non defuturam Missam, quo tempore Methymnam perveniat, nam audiendo Missam in hoc loco satisfaciet præcepto. Respondeo secundo, non teneri, si expectata Vallis-oleti Missa vsque ad meridiē, imò breviori tempore, subiturus est aliquam notabilem incommoditatem, aut detrimentum ob dilationem itineris, quod non aliqua necessitate aggreditur. Et sufficit minor incommoditas, quàm quæ satis esset, vt Vallis-oleti manens deobligaretur ab audiendo Sacro. Respondeo tertio, esse valde probabile, quòd non teneatur, cessante etiam incommodo, & deficiēte spe, de quibus in prima, & secunda, responsione, si intra tempus opportunum ad alias audiendum Vallis oleti Sacrum, accessurus sit Methymnam, seu futurus sit extra limites Vallis-oletanos, in quibus, & non in Methymnēsibus festum observatur. Ita post innominatos quosdam Neotericos magnus Theologiæ Moralis Princeps P. Thomas Sanchez Lib 3. de Matrimonio D. 18. num. 21. & iterùm Lib. 1. in Præcepta Decalogi C. 12. num. 32. Vinc. Tancredus Lib. 3. de Matrimonio D. 18. quæst. 2. num 7. Ioannes de Salas D. 14. de Legibus sect. 5. n. 66. Ioannes Sanctius in Selectis D. 54. num. 29. Lessius Lib. 4. de Iust. Cap 2. dub. 8. num. 56. Bonacina D. 4. de Sacram entis, quæst. vltima, punct. 12. num 5. & D. 5. de Legibus, & Præceptis q. vnica punct. 3. num. 18. Mascarenhas T. 5. D. 6. Cap. 11. num. 544. Castro Palao Tract. 3 D. 1. punct. 24. §. 5 num. 8. Thomas Tamburinus L. 4. in præcepta Decalogi C. & §. 2. num. 12. Diana parte 1. Tract. 10. Res. 14. Franciscus de Lugo infra, num. 29. P. Andreas Mendo L. 3. de Iure Academico q. 24. num. 263. alijque contra Navarrum, Sà, Suarium, Sayrum, Coninckum, Basilium Legionensem, Marchinum, Fagundez, & contra alios apud Franciscum de Lugo L. 5. Cap. 14. quæst. 3. num. 27.

24 Et ratio est, quia Vallis-oleti poterat differre auditionem Sacri vsque ad meridiem; quando autem iam exiliit in Methymnensibus terminis extra Vallis oletanos, desinit obligari præcepto audiendi Sacrum. Replicabis ex paulò anteà dictis, qui prævidet superventurum impedimentum, quominùs valeat assistere Sacro propè meridiem apud Vallis-oletum, tenetur anticipare auditionem Sacri, si ibidem sit mansurus. Ergo similiter, &c. Sed contra, quia qui Vallis-oleti mansurus est, non amittet subiectionem ad

præceptum

præceptum toto tempore antemeridiano, atq; ideo, prævisо impedimento, instat obligatio anticipandi adimpletionem præcepti, quæ obligatio nō datur, non prævisо impedimento; sed hoc de improvisо incidente non cessat præceptum, quanquam consurgat causa excusans ab eius adimpletione. At qui Vaillis oleto Methymnam proficiscitur, eximitur à subiectione præcepti antemeridiano tempore, ex illo scilicet ante meridiem instanti, quo excedit fines Vallis-oletanos, & attingit Methymnensem tractum; idque circo non teneretur prevenire; sicut non teneretur, qui secretò sciret, Summū Pontificem dispensaturum in præcepto audiendi Sacrum cum omnibus illis, quos contingeret non audisse tali die, ante horam v. g. decimam.

SECTIO III.

Quæ Missa debeat audiri, & vbi?

25 MISSA, cuius audiendę datur præceptum, non debet esse solemnis, seu maior; sufficit privata: neque item debet esse de Dominica, vel festo; sufficit votiva, vel de *Requiem*: neque item debet esse iuxta ritum Romanum; sufficit quilibet alius approbatus, vel permissus, vt Græcus, aut Muzarabicus; sed non quem quis Sacerdos ex proprio cerebro confingeret, etsi proferret verba, quibus validè vtramque speciem consecraret: neque itidem debet esse Missa Sacerdotis nullo Canonico impedimento irretiti; sufficit Sacerdotis etiam nominatim excommunicati, & denunciati, manifesti percussoris Clerici, & degradati, ac depositi, & à fortiori concubinarij publici, quia à quocumq; ex his, & quovis modo ex præfatis celebretur iuxta cœremonias ab Ecclesia approbatas, vel permissas, est verè, & propriè Missa. Nihilominus non audietur absque peccato Missa Sacerdotis, qui sit nominatim excommunicatus, & denunciatus, aut qui sit manifestus Clerici percussor.

26 Inquies, ergo non adimplebit præceptum auditor Missæ celebratæ à nominatim excommunicato, atque denunciato, aut à notorio percussore Clerici, nam Missa, quæ à talibus dicitur, non est præcepta audiri, sed potiùs prohibita. Contra, quia vt præceptum de audienda Missa adimpleatur, satis est auditio secūdùm substantiam licita, etsi ob accidentia, & circūstantias ex parte sine Sacerdotis, sine audientis (qui excommunicatione ligetur) sit illicita; vti consuevit doceri de communione accedentis in Paschate cum peccato lethali, vel etiā cum excommunicatione.

27 Missa sicca non est verè, & propriè Missa, ideoque non sufficit ad præcepti adimpletionem. Videantur quæ de tali Missa scripsi in D. 28. S. 40. & 41. Neque item sufficeret Missa simulata celebrari à non Sacerdote, aut à Sacerdote, qui vel non proferret verba consecrationis, vel proferret absque intentione consecrandi, quia etsi exequeretur cæteros Missæ ritus, tamen ob consecrationis defectum non perageret Missam veram, & propriam. Robertus Holkot in 4. quæst. & Concl. 3. in 3. puncto de Ministro ait, [Solus Sacerdos est Minister, vel alius, qui tamen Sacerdos est reputatus; quod dico propter non baptizatos, vel non ordinatos, durum enim esset, si Ecclesia in collatione Sacramentorum deciperetur in talibus, qui essent ordinati ab aliquo Episcopo, qui non esset ordinatus, seu baptizatus; durum, inquam, esset dicere, quòd tales non absolverent, nec consecrarent, quia sic peccatores essent defraudati, & multa incōuenientia possent sequi. Et ideo vel opus dicere, quòd consecrarent, vel quòd in illo homine consecrat ipse Deus. Et sic sine Ministro conficeretur Sacramētum. Quod istorum sit verius, sine revelatione sciri non potest.] Hactenus Holkot dicens, fore veram, & propriam consecrationem, si reputatus, & non verus Sacerdos navaret operam Liturgiæ coram populo, etsi non decernat, an ipse, vel Deus per ipsum consecraret. Sed hæc monstrosa sunt; & similia alia retuli in Disput. & num. 12. vt caveantur. De Sacerdote autem celebrante, & non consecrante ex industria, egi iam in Disp. proxima sect. 16. Qui an sit censendus hæreticus? examinant Authores laudari à

Petro

Petro Cenedo Collectanea 98. ad Decretales, pag. 250.

28 Per auditionem Missæ extra Parochiam propriam satisfit præcepto. Ita iam fert communis fideliũ consuetudo, videntibus, & consentiẽtibus Ecclesiæ Prælatis; habetque ea consuetudo vim legis, cui non possunt derogare Episcopi, & Ordinarij obligando fideles mulctis, & pœnis etiam in casu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, vt audiant Sacrum in sua Parochia, vti declaravit Sacra Cõgregatio Cardinalium, referente Azore tomo 1. L. 7. C. & quæst. 6. Nam Concilium Tridentinum Sess. 22. in Decreto de observandis in celebratione Missarum nõ aliud dicit, quàm quòd *Episcopi moneant populum, vt frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedant.*

29 Sed quia in Concilio Nannetensi C. 1. relato in C. *Vt Dominicis* 2. de Parochijs dicitur, *Vt Dominicis, vel festis diebus Presbyteri, antequàm Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi velit Missam audire; quem si inuenerint, statim ab Ecclesia abijciant*: quia, inquam, id ibi iubetur, & ratio ipsa dictat, qui contempto expressè, ac formaliter proprio Parocho audiret Missam extra Parochiam diebus Dominicis, vel festivis, delinqueret graviter. Additque Toletus, satisfacturum nihilominus præcepto. *Credo*, inquit Lib. 5. C. 7. *semper implere præceptum audiendi Sacrum, quoad Missam quouis loco auditam.* Consentit Fagundez in 1. Ecclesiæ præceptum L. 2. C. 3. num. 21.

30 Ast insurgit difficultas, nam qui Missam audiunt Dominicis, & alijs festis diebus in Ecclesijs Religiosorum Mendicantium extra Parochiã, non videntur implere, contempto proprio Sacerdote Parochiali. Verba Leonis X. Papæ, qui præ alijs roboravit hoc privilegium Religiosorum Mendicantium, vel declaravit magis expressè ius fidelium ad ipsorum templa accedentium, sic se habent, *Authoritate Apostolica tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles vtriusque sexus, qui (non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Ecclesijs Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis, & festis diebus, Missas audiant, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamve incurrere.* Sic anno 1517. die 15. Novemb. in Bulla incipiente *Intelleximus*. Vnde, vt satisfiat præcepto in Ecclesijs Mendicantium, videtur debere abesse contemptus Parochi cum indignatione, & conuitijs in ipsũ iactatis, vt explicat Fagũdez supra, aut ad minus nolendo audire Missam ab eo, quia proprius Parochus est præcisè, vt exponit Peyrinus de Privilegijs Regularium ad Constitutionem 21. Leonis X. num. 2. Expendendum alijs relinquo, an quòd absit contemptus vno, vel altero modo declaratus, apponatur à Pontifice ea tantùm de causa, ne mortaliter peccetur? Multi Authores sine vlla limitatione tradunt, satisfieri præcepto, si auditur Missa in Ecclesijs Regularium.

31 Et quod plus est, tradebat vlla sine limitatione Pius V. Papa in Bulla edita anno 1567. die 16. Maij, incipienteque *Etsi Mendicantium*; quanquàm hæc Bulla revocata partim sit ab ipsomet Pio V. anno 1571. die 6. Augusti in Constitutione 33. incipiente *Romani Pontificis*, & reducta sit ad terminos iuris communis, Concilijque Tridentini à Gregorio XIII. in Const. 9. inchoante *In tanta* anno 1573. die 1. Martij: atq; ita latè contra Chassaing contendit Diana parte 11. T. 1. Resol. 6. Vt vt de hoc sit, Paulus III. indulsit, *Vt omnes Christi fideles, qui concionibus Nostrorum interuenerint, possint eiusmodi diebus in Ecclesijs, in quib⁹ Nostri concionantur, Missas, & alia diuina Officia audire, & Sacramenta recipere, ita vt non teneantur pro his adire suas Parochias.* Ita in Compendio privilegiorum Societatis V. *Missa*, §. 1. posteàque §. 2. proponitur illa alia declaratio Leonis X. communicaturque Nostris. Consulantur Diana p. 10. T. 13. Res. 15. Martinonus D. 40. S. 9. Bruno Chassaing T. 2. de Privilegijs Regularium C. 7. propos. 1. Fagundez supra ex num. 4. vsque ad 24. multique alij collecti à Leandro in 5. præcepta Ecclesiæ Tract. 2. D. 1. quæst. 20. Nobis satis sint ea, quę de hoc puncto diximus, si moneamus humiliter tam Dominos Episcopos, quàm venerandos Religiosos, illos cũ Clemẽtina Ç. *Frequens* vnico de Excessibus

sibus Prælatorum, *vt per graduum interminationem pœnarum non impediant, ne aliqui Missas audiant Religiosorum*; hos vero cum Extravag. de Treuga, & pace C. *Vices illius 2. ne populos à suarum Ecclesiarum Parochialium frequentia, & accessu abstrahant, siue retrahant quoquomodò.*

32 De auditione Missæ in Sacello, vel Oratorio, publica, aut priuata authoritate extructo, ait Azor tomo 1. Libro 7. Cap. 6. quæstione 8. [generali consuetudine vbique locorum, vel saltem peculiari alicubi recepta, esse introductum; vt præcepto satisfeciisse credatur is, qui Sacrum in Sacellis, siue publica, siue priuata authoritate fabricatis, audierit, dummodo id ex contemptu sui Parochi non fecerit.] Quam animadversionem conformem esse praxi video in Sacellis publica authoritate constructis, qualia sunt Xenodochiorum, & aliquarum Confraternitatum, habentia patentem aditum.

33 Sed quoad Oratoria secretiora in domibus sæcularium attendendum est formæ concessionis, pro quibus scilicet personis, & quibus diebus. Si autem concessio fiat absque limitatione personarum, & dierum, satisfacient præcepto quotquot, & in quavis festivitate audiant ibi Missam. Pater Castro Palao Tractatu 22. Disputatione vnica, puncto 16. num. 13. indicat, adimpleri præceptum à personis extraneis interessentibus, etsi priuilegium datum sit cum limitatione ad domesticas. Sed loquitur, quanquam non tam clarè, vt oportebat, de limitatione, quam propria authoritate adhibeant Ordinarij, non autem Summus Pontifex, hic enim derogare potest iuri, & consuetudini communi habenti vim legis. Atque ita de facto limitat sæpe. Videantur scripta à me in numero 154. Disput. 23. necnon Quartus infra, sect. 3. dubio 13. qui mihi faver, citatque concordes alios contra Castrum Palaum, Homobonum, & Pellizarium.

34 Quare quia in priuilegijs Religiosorum circa Oratoria tum in suis domibus, tum in grangijs non additur à Summo Pontifice vlla limitatio personarum, atque dierum, praxi receptum est, vt omnes, qui in eis conueniant, & in quocumque festo, ad Missam audiendam, adimpleant præceptum. Nec solùm in Oratorijs Religiosorum, sed etiam in alijs locis, in quibus ipsi celebrent ex priuilegio concesso sibi de altari viatico. Eliqueidē intelligendum de Oratorijs Episcoporum, & de cæteris locis, in quibus super altari viatico Episcopus faciat Sacrum; vel coram eo fiat. Sic notant Thomas Tamburinus Lib. 1. de Missa Cap. 4. §. 2. num. 11. & 13. §. 3. num. 6. & 9. & 15. Quartus parte 3. titulo 10. num. 1. sect. 2. dub. 2. Vers. *Colligitur quarto*, dubio 7. Vers. *An verò*, dubio 9. Vers. *Colligitur tertiò*, sect. 3. dubio 13. in fine; & nos iam adnotaueramus in Disputatione 23. ad multos eius numeros.

SECTIO IIII.

Quantum Missæ debeat audiri?

35 PRAECEPTVM audiendæ Missæ obligat, vt tota ea, id est, à primis illis verbis, *In nomine Patris*, &c. quæ dicuntur sub infimum gradum altaris, vsque ad Euangelium vltimum inclusivè audiatur, iam enim est pars totius Missæ istud Euangelium, vt dixi in Disp. 28. numero 20. Probabile tamen est, posse non audiri in Missa absque peccato veniali, dummodò ex discessu, antequā inchoetur, & finiatur recitari, non sequatur perturbatio, & inquietudo aliorum, qui velint audire. Ita Suarez Disput. 88. sect. 2. Vers. *Ex hac certa*; Petrus de Ledesma Cap. 27. de Eucharistia post 3. Conclus. pagina 341. Nunius Cabezudus 3. partē, quæst. 83. articulo 6. dubio 2. Conclus. 5. pagina 991. multique alij apud Leandrum Tractatu 2. Disputationē 1. quæstionē 49.

36 De præcedentibus Introitum Missæ ait Sotus in 4. Distinct. 13. quæstione 2. artic. 4. Vers. *Hoc autem* non esse partem Missæ; quod si probabile

bile sit, sequeretur probabile etiam esse, quòd possint non audiri citra culpam venialem. Verba Soti sunt, [Primò ergo incipitur, ait Sanctus Thomas, ab Introitu. Meritò enim confessionis, quæ fit ante gradus altaris, non meminit, quia illa non est pars Missæ. Sola enim Sacramentalis confessio debet præcedere de mortalib⁹, sed propter venialia oblita, vel neglecta fit illa generalis confessio, de qua meminit Innocentius Lib. 2. Mysteriorum Missæ Cap. 13. quam fundat in illo Prov. 18. *Iustus in initio sermonis accusator est sui*: vbi recitatur Psalmus ille 42. *Iudica me Deus, & discerne causam meam*, &c. At verò in Ordine nostro (scilicet Prædicatorum, quòd citra aliorum notam dixerim) summa datur opera, vt Ordinarium in sua semper maneat sinceritate, & brevitate; neque vllę fiunt adiectiones, nullus recitatur Psalmus, sed brevissima fit confessio, quale illi mysterio congruit. Solent enim vulgares Sacerdotes sexcentas orationes illic inculcare.] Hæc Sotus: quæ gratis esse dicta, admonet Suarez supra, Vers. *Sed quæres*, nam sub nomine, & ritu Missæ comprehenduntur omnia illa. Neque valet, ne sint pars Missę ritu Romano celebratę, quòd in Religione Patrum Dominicanorū breviora sint, stat enim, vt quod iuxta vnum ritum non dicatur, aut dicatur maiori cum brevitate, sit pars Missæ, in quadebeat dici iuxta alium ritum. Neque rursus valet, quòd initium illud compositum ex Psalmo *Iudica me Deus*, ex confessione generali, & ex quibusdam deprecationibus sit novum, etsi enim novum esset, at ex quo tempore præceptum est dici à celebrantibus ritu Romano, pertinebit ad integritatem Missæ, quæ eo ritu celebretur.

37 Sed certè novum non est, nec inventum à vulgaribus Sacerdotibus, nec degenerans à sinceritate seruata à Maioribus. Etenim Psalmi illi⁹ vt recitati à Sacerdote accedente ad altare, facit mentionem Sanctus Ambrosius Lib. 4. de Sacramentis Cap. 2. his verbis, *Sequitur, vt veniatis ad altare:: Dicet anima tua, introibo ad altare Dei mei*; indicatque Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione 28. ad finem. Et apud Platinam in Vita Sancti Cœlestini 1. [refert Martinus Calsinas, *Iudica me Deus*, quod in principio Sacrificij dicitur, inventum fuisse Sancti Cœlestini;] de quo idem Platina, & Liber Pontificalis tradit, [Hic constituit, vt Psalmi David 150. ante Sacrificium psallerentur, antiphonatim ex omnibus, quod antea non fiebat, sed tantùm Epistolæ B. Pauli recitabātur, & sanctum Evangelium.] Circa quæ verba Libri Pontificalis legantur Alcuinus Lib. de divinis Officijs Cap. de Officio Missæ, Amalarius Lib. 1. de Ecclesiasticis Officijs Cap. 5. Bellarminus Lib. 2. de Missa Cap. 16. tit. de Introitu, Baronius anno 418. num. 38. Suarez Disput. 83. sect. 1. Vers. *Circa Missam*. Rursus Platina in Vita Sancti Damasi tradit, [Mandasse, vt in principio celebrationis (quam Missam vocant) confessio diceretur.] Sic etiam Radulphus propos. 23. de Canonum Observantia. Sed Berno de quibusdam spectantibus ad Officium Missę tribuit Sancto Pontiano Papæ, qui antecesit Sanctum Damasum. Et in Liturgia S. Iacobi exordium fit à confessione. Cōstatque ex Micrologo, alijsque scribentibus de Officijs Ecclesiasticis, solita fuisse dici ex antiquissimis temporibus ea omnia, quæ iuxta ritum Romanum præmittuntur nunc ad Introitum Missæ. His omissis.

38 Si voluntariè, & sine causa omittatur audiri notabilis pars Missæ, peccatur lethaliter contra auditionis præceptum, vtpote obligans per se graviter iuxta doctrinam Sectiorū anteriorū. Pars autem potest esse notabilis vel dignitate, vel quātitate; dignitate quidem, vt oblatio verbalis, vt consecratio, vt consumptio, nam oblatio pertinet ad maximè conuenientem modum sacrificandi in honorem Dei, cui Sacrificium offertur, vt benè notavit Dicastillus Tractatu 5. Disput. 5. dub. 3. numero 36. & penes aliquos pertinet ad essentiam Missæ; consecratio vtriusque speciei est de essentia adæquata, vel partiali Sacrificij; & consumptio est vel de essentia eiusdē, vel de substantiali integritate, ac perfectione, vel de consummatione. Pars notabilis quantitate putatur dimidia, vel etiam tertia pars Missæ. Omissio itaque

itaque audiendi partem vno, vel altero modo notabilem est peccatum graue, si omissio, vt dixi, sit voluntaria, & sine causa.

39 Non satisfacit præcepto, qui non adest consecrationi vtriusque speciei, nam in consecratione consistit adæquatè, vel inadæquatè essentia Sacrificij. Quare etsi quis præsens sit omnibus alijs partibus Missæ, non satisfacit; & quanquàm commodè possit adesse omnibus alijs, non tenetur, si habeat legitimam excusationem, ne assistat soli parti illi consecrationis vtriusque speciei. Vnde etiam qui venit ad vltimam Missam, & non possit morari, quoadvsque peragatur consecratio, nequaquàm obligatur præsens esse antecedentibus consecrationem; neque item obligatur præsens esse subsequentibus, qui, peracta consecratione, accessit ad vltimam Missam. Cæterùm qui accessit, vel quando iam Sacerdos tenet in manibus hostiam, vt eam proximè consecret, debet extunc assistere, quia extunc agitur, quod essentiale est Sacrificio, & quod principaliter intenditur in præcepto audiendi Sacrum.

40 Qui non adest consumptioni, satisfacit præcepto, nam consumptio non est de essentia Sacrificij, tametsi sit de eius integritate substantiali. Sed quia valde probabile est, de eius essentia esse, saltem partialiter, ideo etiam valde probabile est, non satisfacere. Et quanquàm admittatur, (vt meo iudicio debet) esse tantũ de substantiali integritate, adhuc valdè probabile est, non satisfacere, non enim constat impleri præceptum, deficiente præsentia ad partem, quæ accidentalis non est, sed substantialis, id est, spectãs ad complementum substantiale.

41 Qui non adest oblationi verbali, satisfacit præcepto. Et sermo est de verbali ante consecrationem oblatione, quia hæc non est de Sacrificij essentia, etiam inadæquatè, & quia in Ecclesia primitiva non fiebat verbalis ea oblatio; nec ideo non celebrabatur verum, essentialeque Sacrificium, aut non adimplebatur præceptum audiendi Missam. Et modò in aliquibus Liturgijs non habetur præfata oblatio; sufficitque nonnunquam iuxta Romanum ritum, si mente tantùm fiat: tunc verò non adimpleri præceptum, nemo dicet. Ob easdem ferè rationes oblatio altera verbalis contenta in verbis post consecrationem hostiæ, & calicis, *Vnde & memores*, &c. nõ ita est necessaria, vt qui ei non adsit, non satisfaciat præcepto. Nihilominus aliquantùm probabile est, non satisfacere, qui non adsit siue vni, siue alteri oblationi, quia per principia extrinseca probabile aliquantùm est, Sacrificium cõsistere saltem inadæquatè in vna, vel altera oblatione; sic enim existimant graves aliqui Theologi ducti non spernẽdis omnino rationibus videndis apud Franciscum de Pitigianis in 4. Distinctione 13. quæst. 2. artic. 3. Vers. *Dico tertiò*. Sed quanquam vt certum putaretur, essentiam Sacrificij nullo modo in eis consistere, poterit videri adhuc probabile, requiri vtramque, vel alterutram ad substantialem Sacrificij integritatem; videturque negari nõ posse, esse partes Missæ notabiles dignitate. Vnde vel ratione partium substantialium, vel ratione partium dignitate notabilium, æstimari potest non parùm probabiliter, necessariam esse præsentiam ad ipsas, vt satisfiat præcepto, quia non constat, huic satisfieri, quando deficit præsentia ad partem siue substãtialem, siue notabilem dignitate, licet de defectu præsentiæ ad partem præcisè notabilem dignitate, probabile etiam è contra sit, non sufficere, ne adimpleatur præceptum.

42 Vltra partes, quas dignitate notabiles esse dixi cum communi sententia, possunt assignari aliæ, scilicet illa, quæ dicuntur, & fiunt ab initio Canonis vsque ad consumptionem, vt seorsim etiam à consecratione. Sed nihil fixum, & ratum video in Authoribus. Dicastillus supra ait, [Etiamsi aliqua, quæ sunt Canonis Missæ, sint magis præcipua, quàm alia, non video, cur si parva materia sit, illam prætermittere, mortalis cẽseri debeat omissio, cum non sint eorum, quę pertinent ad essentiam, integritatem, & substantiam Sacrificij.] Et in numero 37. [Illud etiam adverterim, omissio alterutrius orationis secretissimæ, aut mẽtalis orationis, quæ appellatur Memento, non esse gravis materia, etiamsi Sacerdos per duas horas ibi persistat; imò tunc satisfaciet quis præcepto, si

assistat ipsi Memento tempore consecrationis, & per illas duas horas integras absit.] Sic Dicastillus, sequutus in postremis verbis Cardinalem de Lugo Disputatione 22. S. 1. n. 5. qui reddit rationem, quia adhuc Missa atque illa temporis parte esset integra. Placent mihi, quæ vterque Author scribit; placet etiam illud, quod notat Suarez Disput. 88. sect. 2. Veri. *Vltimo denique*, vbi cum tradidisset, esse valde probabile, non adimpleri præceptum, [Si quis egrediatur Ecclesia, quando Sacerdos vult consecrare, & finita consecratione statim ingrederetur, & idem fortasse esset, si ante communionem discederet,] Audit P. Suarez, [Quanvis hæc tutiora sint, non tamen semper scrupulus inijciendus, quando tempus est admodum breve, dummodo consecratio, & sumptio simul non omittantur; quia res hæc moraliter iudicanda est; & adhuc non satis constat, in quo præcisè consistat substantia Sacrificij.] Hactenus Eximius Doctor; hactenus & nos de omissione audiendi partem Missæ notabilem dignitate.

43 Omissio vero audiendi partem Missæ notabilem quantitate præcisè, etsi sit peccatum grave, quando est voluntaria, & sine causa, attamen non obesse, quominus satisfiat præcepto quoad substantiam, posset videri alicui, quia quanquam non audiatur talis pars; at in reliquis, quæ audiuntur, aut quibus assistitur, salvatur essentia, & substantialis integritas Sacrificij. Scripsi, *posset videri alicui*, quia fortasse censeat sic dicendum consequenter ad ea, quæ proximè docuimus cum multis, gravibusque Authoribus. Nihilominus non audeo asserere absolute, nam fere omnes, cum ad hoc punctum perveniunt, affirmant, suppleri damnum omissionem audiendi partem Missæ notabilem quantitate, siue fuerit voluntaria, siue involuntaria omissio, si postea fiat Sacrum; minimè autem affirmarent, si putarent, satisfactum iam esse præcepto, tametsi non sit audita Missæ pars notabilis præcisè quantitate.

44 Do pro pluribus Suarium D. 88. sect. 2. sic loquentem, [Tertiò fieri potest, vt pars omissa sit notabilis, & quoad principio fuerit involuntariè omissa, vt si quis veniens ad Ecclesiam, inveniat Sacerdotem iam esse progressum in Missa fere vsque ad consecrationem, & illam Missam audiat, timens non futuram aliam; tunc licet, quanvis propriè non adimpleat præceptum, excusabitur tamen a culpa, si mora ista involuntaria fuerit. Si tamen quocunque casu accidat, vt postea alia Missa dicatur, tenebitur illa supplere defectum, vt præceptum impleat, quia nondum illud impleverat, & tam tollitur ratio excusationis. In huiusmodi autem casibus valde aduertendum est, sæpe prius peccari graviter ratione periculi, cui homo se exponit, non inveniendi Missam, quanvis postea forte casu accidat, vt illam inveniat, nam ille tam dedit, quantum est ex se, mortalem culpam omissionis, quanvis postea casu acciderit, vt illa causa non habuerit effectum, quia fortuiti eventus non excusant priorem culpam. In quo debent Cõfessores esse soliciti, vt culpam discernant, & non ab eventu, sed a negligentia, & voluntaria mora cum periculo morali, de illis dijudicet. Quarto denique potest hæc pars notabilis Missæ voluntariè omitti: & quidem si id fiat animo non audiendi aliam Missam, nec supplendi illum defectum, iam peccatur mortaliter; nihilominus tamen semper manet obligatio supplendi illum defectum, quoad fieri potest, quia illud peccatum magis consistit in proposito interiori, quam in exteriori omissione, quæ non est in re posita, donec elapsum sit totum tempus, in quo potest impleri præceptum; & ideo tale præceptum semper obligat ad mutandum illud propositum: si autem illa pars omittitur animo audiendi aliam Missa, vel supplendi defectum, non peccatur audiendo tam partem Missæ, dummodo postea præceptum impleatur, vt per se constat.] Ita Suarius.

45 Sed forte quoad praxim vix assignabitur vltra partes dignitate notabiles alia pars, quæ concordi Authorum censura sit notabilis quantitate, & quæ proinde suppleri debeat, si fuerit omissa. Vnde vix sequetur absurdum aliquod, si diceretur peccari quidem graviter, sed satisfieri præcepto, quin maneat obligatio supplendi omissionem, quanquam omittatur audiri Missæ pars notabilis præcisè quantitate.

46 Et quidem partes notabiles dignitate incipiunt ab oblatione priori, & finiuntur in consumptione. Sunt autem non pauci, nec vulgares Theologi laudati à Leandro Tract. 2. Disp. 1. quæst. 36. qui docent, antecedentia oblationem non esse partem notabilem quantitate, posseque, nedum involuntariè, sed etiam ex proposito, & sine causa omitti præsentiam ad ipsa, quin committatur lethale peccatum, si simul non omittatur præsentia ad subsequentia consumptionem. Et præter Luisium Turrianum in Selectis parte 2. Disp. 31. dub. 28. pag. 319. nullus propè est, qui diffiteatur, id esse probabile. Et à fortiori probabile est, imò vix invenietur, qui non asserat cum Caietano, Soto, Suario, & alijs apud Leandrum quæst. 39. posse sine peccato gravi omitti voluntariè, & absque causa præsentiam ad subsequentia consumptionem, dummodò simul non omittatur præsentia ad antecedētia oblationem.

47 Sed quid, si omittatur præsentia ad antecedentia oblationem, simulque ad aliqua, vel ad omnia subsequentia consumptionem, assistendo tamen intermedijs? Amalarius Lib. 3. Cap. 36. de Officijs Ecclesiasticis ait, [Solet vulgus indoctum requirere, à quo loco totius Officij Missa inchoetur, vt si fortè ad totum Officium non occurrerit, possit scire, quibus Officijs se præsentare debeat sine retractatione? Nobis videtur vocari ab eo loco, vbi incipit Sacerdos Sacrificium offerre Deo vsque ad vltimam benedictionem, id est, ab Offerenda vsque ad Ite, Missa est.] Habet eadem ferè Rabanus in fine Lib. 1. de Institutione Clericorum C. 33. Quæ verba cum retulisset Layman Lib. 4. Tract. 5. C. & num. 3. adijcit hæc, [Sed nihil contra cōmunem Doctorum sententiam hic definio: solùm dico, durius culum videri, si hominem, qui circa Offertorium ad Missam accessit, peccati mortalis damnemus, quòd reliqua neglexerit, secluso contemptu, quando, quæ principalia in Missa sunt, attentè audivit.] Sic Layman. Cum quo concordat Gaspar Hurtadus Disp. 5. de Sacrificio Missæ, Diff. 1. inquiens, [Omissio vsque ad Evāgelium inclusivè, seu iam dictum, si ab eo iam dicto assistatur vsque in finem, non erit mortalis, quia omissio hęc non videtur attingere gravitatem. Nec omissio partis restantis post sumptionem Eucharistiæ est mortalis: imò neque omissio huius partis simul cum omissione initij vsque ad Epistolam exclusivè, seu nondum dictam, dum assistatur omni intermedio.] Hæc Hurtadus, cui consonant alij allegati à Leandro, q. 35.

48 Imò Stephanus Bauny Tract. 6. q. 8. de præcepto audiendæ Missæ non contentus ijs, quæ dixerat Amalarius, cuius meminit in Assertione 5. inquit in 3. (an probabiliter, nescio? iudicent alij) [Non videtur peccare mortaliter, qui Missæ interest ab Offertorio inclusivè vsque ad Postcōmunionem exclusivè. Primò, quia quę præcedunt Evangelium, aut sequuntur vsque ad Offertorium, partes non sunt integrantes, aut substantiales Sacrificij. Secundò, quia ratio peccati mortalis in hac materia non petitur tam à quantitate rei omissæ, quàm ab eius dignitate: quæ dignitas haud dubiè nō est tanta in orationibus, Epistola, & Euangelio, quanta reperitur in oblatione, consecratione, & communione. Tertiò, quia vt non est necesse dicere Missam festi propriam, ita neque Evāgelium audire, vel legere.] Ita Bauny.

49 Cuius dictum est benignius, quàm istud, etsi non parùm benignum, Emmanuelis Sà verbo *Auditio Missæ*, n. 2. [Satisfacit Ecclesiæ præcepto, qui incipit Missam audire ab Epistola, & secundùm quosdam etiam ab Evangelio vsque ad communionem: & qui post Epistolam, vel Evangeliū vnius legit, aut audit à legente, quæ non audivit.] Vbi vides, sufficere iuxta quosdam ad satisfaciendum præcepto, quin peccetur lethaliter, si ex Evangelio vsque ad consumptionem assistatur Missæ; & iuxta eosdem, vel alios, si immediatè post Evangelium; dummodò posteà legatur, vel audiatur legi, quod omissum est. Et ita cum Margarita Confessorum sentiunt Navarrus in Enchiridio Confessorum C. 21. num. 2. alijsque locis notatis à Leandro q. 37. Bartholomæus ab Angelo apud Bonacinam Disp. 4. quæst. vltima, puncto 11. num. 17. Henriquez Lib. 9. C. 25.

num. 7. Graffius, Bassæus, Iodocus. Quanquàm præfatus modus supplendi videatur mihi esse invtilis ad satisfaciẽdum præcepto, nam Euangelij v.g. auditio extra Missam est etiam extra materiam præcepti de auditione Missæ, siquidem nec sit huius pars, nec cũ hac vnum faciat.

50 Meliùs notant alij apud Leand. q. 36. omissam initio auditionem Euangelij supplendam esse auditione vltimi Euangelij Sancti Ioannis, & omissam initio auditionem Epistolæ supplendam esse auditione orationum, quæ post consumptionem recitantur, necesseque id esse, vt non delinquatur graviter, & vt impleatur præceptum prohibens omitti notabilem partem coalescentem ex minimis siue continuis, siue discretis.

51 Et quidem Augustinus de Herrera Libro 3. de Origine, & progressu rituum Missæ Capite 26. n. 1. refert, suborta difficultate, & non decisa tempore Pij V. an satisfieret præcepto, si non audiretur primum Euangelium? interim declarasse, fore, vt satisfaceret, qui non adesset primo, si vltimo præsens esset. Huius narrationis fides sit penes Herreram. Sed quanvis authenticam esse negaretur, continet magnam probabilitatem præfata compensatio, quia obligatio assistendi postremo Euangelionõ est certa, vt diximus supra. Et vt esset certa; sed non sub culpa mortali; vnde aptè compensaretur per postremi Euãgelij auditionem nõ debitam sub gravis peccati pœna omissio auditionis Euangelij primi, quoad id saltem vt liberaretur à reatu noxæ lethalis, etsi non à venialis. Egimus de Missæ partibus notabilibus tam dignitate, quàm quantitate. Pergamus ad alias leves.

52 Et in primis omissio audiẽdi levẽ Missę partem, si sit volũtaria, & absq; causa, culpam continet venialem ob non adimpletum ex toto præceptum. Levis pars est ab initio Missæ vsque ad Evangelium exclusivè in Missis ordinarijs, vt post Dominicum Sotum in 4. Distinctione 13. quæst. 2. art. 1. Vers. *At quia*, tradunt permulti posteriores Theologi. Verba Soti sunt, [At quia prædictus Canon *Missas* die Dominico (vbi omne festum subintelligitur) totas audiri iubet, hæsitabit quis forsan, quomodò totę intelligantur? Respõdetur, non intelligi Mathematico more, vt nulla omittatur particula (parum enim pro nihilo reputatur) sed moraliter, vt civilitas habet humana. Quare si ab Epistola rem sacram audieris, satisfeciisti. Admonet enim prædictus Can. Apost. vt omnes Xpi fideles in diebus solemnibus scripturas Apostol. & Evangelia audiant. Tametsi neque tam exactè forsan monitum illud sit intelligendum. Evangelium autem non audire, non esset tutum. Pari modo in fine, si post sumptionem Sacramenti quis exierit, non esset transgressionis reus.] Tantùm Sotus; quẽ in postremis verbis accipio de transgressione gravi.

53 Et obiter notetur, dici à Soto, posse sine culpa mortali omitti copulativè antecedentia Evangelium, & subsequentia consumptionem. Vnde mihi persuadeo, Emmanuelem Sà respexisse in verbis supra exaratis ad hunc Authorem Dominicanum, doctũ quidem, prudentem, & pium, si quis alius. Et cũ in Soto non sit correcta hęc doctrina, nescio, cur potiùs novis in editionibus Sà adempta sint verba illa *vsque ad communionem*, quæ sequuntur post *etiam ab Euangelio*. Vt taceam, referri solùm à Sà, quid sentiant quidam, nempe Sotus, Ludovicusque Lopez, quem allegat Ioannes de Cruce parte 1. Directorij Conscientię, in 3. præceptũ Decalogi, art. 2. inquiens Conclus. 1. [Tenemur sub peccato mortali audire in festis Missam ab Epistola iuxta Navarrum in Manuali C. 21. num. 2. aut iuxta D. Antoninum 2. p. tit. 9. C. 10. & Ludovicum Lopez tomo 1. C. 52:: ab Evangelio vsque ad communionem finitam. Et qui alia omittit, satisfacit Missæ, etsi peccet venialiter ob parvitatem materiæ omissæ.] Hæc Ioannes de Cruce, Ludovicusq; Lopez Dominicani, nec tamen in illis sunt castigata.

54 Et Lopez quidem pagina (mihi) 271. ex editione Lugdunensi, anno 1587, inquit, [Satis est, vt non sit transgressio præcepti, audire Missã ab Evangelio. At Evangelium non audire, non est tutum, atque qui in fine, Missæ post sumptionem Sacramenti à Sacerdote, egrediuntur in festo, excusantur à mortali.] Non loquitur adeò,

deò clarè in 2. parte Instructorij Cap. 79. §. *Præterea*, pag. 289. ex editione Salmanticensi anno 1594. quin potiùs indicat, si ex antecedentibus omittatur audiri plusquàm Introitus, & quæ post sumptionem sequuntur, peccari lethaliter. S. Antoninus in loco citato §. 1. V. *Septimum dubium*, ait, iudicandum esse seruare præceptum, qui modicam aliquam partem Missæ non audiret. *Sed si dimitteret notabilem partem, puta mediam, vel tertiam partem, secus.* Habet eadem ferè verba Sylvester V. *Missa* 2. num. 1. §. *Dicitur quintò*. Et cupio scire, an quæ Sà dicit posse sine peccato graui omitti, sint pars media, aut etiam tertia Missæ, quæ quotidiana sit de defunctis, & in qua non recitetur nisi vna oratio, & prętereatur Sequentia *Dies iræ*, &c.? Adhæc Franciscus Ortiz Lucius Franciscanus in Compendio omnium Summarum Moralium C. 16. Mandato 3. §. 6. pag. 117. scribit, [Si audiens Missam egreditur post cõsumptionem, adimplet pręceptum; imò etsi dicta sit Epistola; imo & Evãgelium.] Sic fideliter ex lingua Castellana in editione Madritensi anno 1598. Horum opinio sit, necne probabilis, remitto iudicio aliorum.

55 Ex animi autem mei sententia dixi n. 52. *In Missis ordinarijs*, nã in Missa de solẽnitate Corporis Christi obSequẽtiam *Lauda Sion Saluatorem*, quæ est adeò longa, fortè ab initio Missæ vsque ad Evangelium, excluiuè, tertia pars Missæ diei illius attingetur, præsertim si Sacerdos non benè legat, accidit namque, vt nonnulli immorentur in ijs, quæ non sciunt memoriter, reliqua verò valdè celeriter percurrant. Aliunde verò si illo die audiretur ex Euangelio Missa designata pro alio die, & non habens Sequentiam, satisfieret pręcepto, & non peccaretur grauiter Cur igitur idem nõ erit, si In festo Corporis Christi audiatur Missa propria ex Evangelio?

56 Similem casum proponit Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 14. quæst. 6. num. 69. de eo, qui vouisset audire Sacrum in Sabbatho quatuor Temporum, an scilicet adimpleret votum, expersque esset culpæ lethalis, si audiret Missam ex Evangelio? Non definit Franciscus de Lugo, sed inter problemata relinquit.

57 Et adhuc potest pro parte affirmatiua argui, nam Sacerdos, qui in Sabbathi quatuor Temporum Missa omitteret Prophetias, & Sequentiam in Missis, in quibus debent dici, non peccaret grauiter, vt videtur Patri Quintanadueñas tomo 1. Tract. 7. Singulari 39. & quoad Sequentiam consonat Bordonus in Consilijs Regularium tomo 2. Resolut. 64. num. 33. Crescitque difficultas ex sententia Quarti, qui in quęst. Procœmiali, sect. 3. punct. 1. censet excusari à peccato mortali omissionem non modò pluriũ simul partium extraordinariarũ, & mobilium in celebratione Missæ, sed etiã omnium collectiuè. Ergo Laicus, de quo est sermo, non peccabit lethaliter, si omittat audire Prophetias, aut Sequentiam. Patet Consequentia, quandoquidem strictior sit obligatio Sacerdotis dicentis, quàm Laici audientis Missam, & cum multæ omissiones, quæ in illo essent culpa grauis citra cõtroversiam, sint procul à peccato lethali in hoc citra dubium vllum.

58 Potest rursus argui, nam si quis Sacerdos insumeret in *Memento* duos horæ quadrantes die festo, non erit obligatio grauis assistendi tam prolixæ orationi mentali, vt docent Cardinalis de Lugo Disp. 22. sect. 1. n. 5. Gaspar Hurtadus Disp. 5. de Sacrificio Missę Diffic. 1. V. *Vnde omissio*, Dicastillus Tract. & Disp. 5. num. 37. Thomas Tamburinus Lib. 4. in pręcepta Decalogi, Cap. 2. §. 1. num. 4. Vbi incidenter ait de Sacerdote orante per horam in *Memento*, dum sacrificaret in priuata ædicula, [Huic author essem, vt viam communem iniret, oraretque potiùs ante, vel post Missam: singularitas semper est odiosa, neque Deo, vel in rebus sanctissimis, grata. Imò vereor, ne id fiat contra Rubricas, modicam tunc orationem præscribentes.] Sicille.

59 Ego verò adhuc non recedo ab eo, quod dixi, & absolutè respõdeo, committi peccatum graue, & nõ satisfieri præcepto, aut voto, si omissio sit vsque ad Evang. Missæ addictæ illis diebus, nempe de festo Corporis Christi, aut de Sabbatho quatuor Temporum. Nam eo ipso quòd quis eligat ipsam solam audire, aut alia non suppetat, quæ sit breuior, tenetur non omittere

tere auditionem partis in ordine ad Missam illam notabilis, vt satisfaciat præcepto, aut voto, & vt non delinquat grauiter. Sicut si quis reciret ex obligatione horas Canonicas, tenetur in Quadragesima non omittere notabilem partem Officij de Resurrectione Domini, quod permissum sibi ex priuilegio tunc esset, etsi pars æqualis omissa in Officio de Quadragesima, quod multò huius est, non sufficeret, vt reputaretur notabilis respectu huius Officij, neque vt violaretur præceptum, peccaretur que lethaliter.

60 Similiter si quis ex præcepto, aut voto teneretur assistere Sacro in hebdomadæ maioris die, in quo recitetur Passio Christi Domini, non credo dicendum ab vllo sapienti, & pio Theologo, quòd satisfaceret, si adueniret post recitatam Passionem, etsi probabile sit, satisfacturum in alijs diebus si accedat post dictum Euangelium primum, dummodò perseueret vsque ad secundum. Iam confirmationis prime negatur Antecedens, quia partes illæ, etsi non sint consuetæ dici in aliis Missis, sunt tamen notabiles penes Ecclesiæ intentionem, & penes quantitatem pro Missis, in quibus debent dici, vt prænotaui in Disp. 28. n. 18. quem locum vt reuisat, invito Lectorem. Confirmatio secunda leuidensis est, nam tam prolixum *Memento*, non pertinet ad Missam ex dispositione Ecclesiæ, ideoque ne leuis quidem obligatio datur non omittendi notabilem partem illius semihoræ. Num autem licita sit tanta detentio? disculsi D. illa 28. S. 9.

61 Ex hactenus dictis quinis facilè per se intelliget, leuem partem Missæ esse ex peracta consumptione vsque ad totum Euangelium vltimum, si tamen qui partem hanc omittit, fuerit præsens Missæ à principio. Quisque etiam per se inferet, cum, qui siue inuoluntariè, siue voluntariè non assistit leui parti Missæ, liberum esse ab obligatione audiendi integram aliam Missam, quandoquidem impleuerit præceptum quoad substantiam: rursus esse omnino liberum ab obligatione audiendi in alia Missa partem, quæ in priori omissa est, quia, vt advertit Suarez Disp 88. S. 2 V. *Sed queres*, res morales non sunt adeò rigorosè expendendæ, præsertim quando leuiores sunt, & quia modus ille supplendi est valdè imperfectus, parùmque, aut nihil conducens ad Missæ integritatem. Faretur tamen Suarez in V. *Sed tunc*, posse admitti modum illum supplendi, ob aliquam probabilem causam, seu necessitatem; nam sine illa res est reprehẽsione digna. Sed de hoc in S. seq.

62 Hucvsque de Missæ quantitate dimetienda tanquam magna, vel parua: & cum sit mensura, quæ à iure non definiatur, recurrendum fuit ad definitionem prudentum arg *leg.* 1. *ff. de Iure deliber:* cumque prudentum etiam hominum iudicia soleant esse adeò diuersa in huiusmodi dimensionibus, mirari nemo debet tam discordes sententias, quàm retulimus in hac Sectione, nec statim agere publicum censorẽ, & velut ex cortina effari, hæc opinio est probabilis, illa improbabilis, vti fecit quidam censurans verba Laymani supra transcripta; sed ei iam respondit Amadeus Guimenius in Opusculo aduersus quorundam expostulationes contra nonnullas Iesuitarum opiniones, Propos. 5. ex Ttract. de Sacrificio Missæ. Ego à censuris abstinens memoraui dicta aliorum, & exposui quid ipse sentirem.

SECTIO V.

An debeat vna Missa continuatè audiri, & an aliquando multiplex?

63 SVCCEDIT iam ea quæstio, an satisfaciat præcepto, qui notabilem partem vnius Missæ, & notabilem aliam audit alterius, notabilem, inquam, aliam, quam in priori non audiuit? Respondent affirmatiuè Glossa, (prout communiter intelligitur) in C. *Quorundam* 13. Dist. 23. V. *Imposuisse*, Iason *l. Admonendi*, *ff. de Iure iurando*, num. 254. Maior in 4. Distinct. 12. quæst. 3. (vbi citatur à multis, sed non invenio) & Dist. 45. q. 2. In 3. argumento Soto in 4. Distin. 13. quæst. 2. art. 1. Nauarrus Cap. 10. de Oratione num. 43. & in Enchiridio Confes. Cap. 21. num. 2. Henriquez

Lib. 9. Cap. 25. §. 8. Sà V. *Missæ auditio*, n. 2. Bart. Medina in Summa L. 1. Cap. 14. §. 9. Bonacina Disput. 2. quæst. vltima, punct. 11. num. 13. Nunus, ac Bartholomæus ab Angelo apud hunc, & Sandebat, atque Manclus apud Henriquez, Layman Lib. 4. T. 7. Cap. 3. in fine, Reginaldus Lib. 19. num. 26. Scotia Lib. 2. Cap. 20. numero 3. Filliucius Tract. 5. num. 267. Caspar Hurtadus de Missa Disp. 3. Difficult. 4. Dicastillus Tract. & Disp. 5. dub. 3. num. 39. Martinonus Disp. 40. sect. 9. num. 108. Rodericus Acuña ad C. *Quorundam* 14. Dist. 23. num. 18. Ioannes Henriquez in Compendio Casuum Moralium Cap. 15. num. 2. Matcarenhas Tract. 5. Disp. 6. Cap. 5. numero 491. & seqq. Antoninus Diana parte 2. Tract. 17. Resol. 18. parte 5. Tract. 14. Resol. 52. & alibi, Leander Tract. 2. Disp. 7. quæst. 51. 52. & seqq. Luisius Turrianus parte 2. Selectarum Disp. 16. dub. 7. Arriaga Disput. 37. sect. 3. multique alij non sine fastidio referendi? atque Suarez Disp. 88. sect. 2. V. *Sed tunc*, ita sentire Recentiores communiter, condemnarique practicè non posse hanc sententiam, certis principijs extrinsecis authoritatis.

64 Probant autem breuiter, quia præcepto satisfit, si audiatur vna integra Missa. At ex duabus partibus auditis ex duobus Sacerdotibus coalescit sufficienter Missa, quæ vnitate artificiali morali sit vna integra, vti si ex vno audiatur vsque ad consecrationem inclusiuè, & ex alio post consecrationem vsque ad finem. Confirmant, tum quia C. *Missas*, etsi requirat, vt audiatur tota Missa, non tamen exprimit, vt ab vno Sacerdote: tum quia si vnus Sacerdos moreretur post consecrationem, & alter inde prosequeretur Missam, tunc ex partibus celebratis ab vno, & ab altero resultaret vna integra Missa, & audientes satisfacerent præcepto, si casus simile accidisset die festo.

65 Notant verò prædicti Authores, excepto Medina, & Ioanne Henriquez, opus esse rationabili aliqua causa ad suæ opinionis praxim, nam sine illa erit saltem contra præcepti modum, parumque deceris, ac religiosa, proindeque peccabitur venialiter. Notant etiam, satisfieri quidem præcepto quoad substantiam, quamvis prius audiatur posterior Missæ pars ex vno Sacerdote, & postea prior ex alio, sicut adimpleret recitandi horas Canonicas præceptum quoad substantiam, qui ordine inverso diceret priuatè Laudes ante Matutinum: & sicut peccaret venialiter, qui sine debito ordine recitaret horas Canonicas, quando id faceret absque rationabili aliqua causa, ita similiter, &c.

66 Si obijciatur primò Canon *Missas*, vbi dicitur, *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus*. Atqui specialis ordo non seruatur, quando Missa non auditur continuè, & per modum vnius integri Officij sacri; multòque minus, quando pars posterior auditur antea, quam prior. Obiectio est parui momenti; nam verba *speciali ordine*, non cum verbo *Audire*, sed cum verbo *Præcipimus*, nexum habent, sensusque est, iubemus peculiari decreto, &c. Vnde Baronius anno 508. n. 9. alijque legunt, *speciali ordinatione*.

67 Si obijciatur secundò idem Canon, quatenus statuit, audiendas esse totas Missas. Sed audire quas illas partes, non est audire totam Missam, nam illæ partes sunt diuisæ, & diiunctæ, nec debito ordine, & modo copulatæ ad vnam Missam componendam; cum tamen totum proprie non significet partes diuisas, & diiunctas, & quouis modo aggregatas, sed vnitas, & debito ordine, ac modo coniunctas, maximè si totum artificiale sit. Neque hæc obiectio est magni ponderis, nempe namque totius Missæ intelligitur Missa integra, siue coalescat ex partibus diuisis, & diiunctis, siue ex vnitis, & coniunctis, proindeque siue totum morale Missæ sit proprie vnum totum, siue improprie in ratione etiam totius moralis. Adde, vocem *totas*, non legi in multis antiquis exemplaribus Concilij Aghatensis. Vide Ferdinandus Paez in Repetitione ad C. *Missas*, num. 2. & 64. affirmat, additam fuisse à Gratiano.

68 Si obijciatur tertiò, Sacerdos, qui post vnam à consecratione horam, & postquam se exuisset vestibus sacris, egisset quid aliud, rediret ad altare resumptis sacris vestibus, & sumeret vtramque speciem,

non

non perageret vnum Sacrificium, neque vnam Missam celebraret, quia etsi in re poneret omnes Missę partes, nō tamen vnitas, & coniunctas. Ergo similiter non audiet vnam Missam, qui audiat omnes eius partes, sed diuisas, & disiunctas. Omissa Antecedentis discussione, de qua in S. 13. Disp. 28. infertur ex eo vt summùm, non audire vnam Missam, qui modò assistit cuidā parti, & post horam alteri, facta interruptione morali; secus si continuè assistat vtrique parti. Et ne sit magna tēporis interruptio, quādo vna pars Missæ audiatur ab vno Sacerdote, & alia ab alio, vt Laicus satisfaciat prȩcepto, cauent Luisius Turrianus supra, & Acacius March de Velasco in 346. Resolutionum Moralium, num. 4. Deinde negari potest Consequentia, quia interruptio obstans, ne Missa sit vna respectu celebrantis, potest non obesse, ne audiens impleat prȩceptum de assistentia ad integram Missam.

69 Nec debet ex interruptione, quæ fieret à celebrante, desumi argumentum ad eam, quæ ab audiente, alioqui sicut qui præuideret, non posse à se celebrari, nisi intermissa per horam Missa, quam inchoaret, aut qui repentè ob defectum hostiæ antea ignotum nosceret se impeditum prosequi Missam, nisi expectet per horam, minimè teneretur reuerti ad eam; ita etiam deobligatus esset ad assistendum Missæ ex oblatione, qui adstitisset partibus antecedentibus, post quas Sacerdos ob defectum hostiç coactus fuisset, consistere, & non progredi vlteriùs: cum tamen si Sacerdos transacta hora prosequeretur Missam (ritène, an secus? non disputo nunc,) nemo dicet, Sæcularem, si commodè posset, non teneri ad interessendum residuis Missæ partibus. Et alioqui qui voluntariè, vel involuntariè abfuisset à Missa vsq; ad primum *Memento*, non deberet prȩsens esse ijs, quæ supersunt, casu quo non daretur copia alterius Missæ, quia iam non posset assistere residuis partibus, vt facientibus vnum totum cum illis, quibus interesse prȩtermisit.

70 Quæ sequela etsi admittatur à Ioanne Sanctio in Selectis Disp. 15. num. 5. & à Molfesio in Summa Tract. 3. Cap. 17. num. 47. communiter tamen reijcitur à DD. allegatis à Leandro quæst. 62. cum adhuc supersit pars Missæ principalior, & per se intenta, qualis est consecratio. Quare vti deberet recitare principaliorem, & maiorem partem horarum Canonicarum, qui minus principalem, & minorem non posset ob defectum foliorum Breuiarij, in quibus ea contineatur; ita in præsenti casu. Et quidquid sit de delibato exemplo, de quo legatur Castrus Palaus Tract. 7. Disp. 2. punct. 6. ex num. 4. nos illo non egemus, siquidem consecratio non modò sit principalior Missæ pars, sed ipsa Sacrificij essentia.

71 Quam ob causam diximus, eum, qui legitimè esset excusatus à prȩsentia ad consecrationem, non teneri ad assistendum cæteris partibus Missæ siue integralibus, siue accidentalibus, quas traheret Sacrificij essentia, non secus ac maior pars trahit ad se minorem, vel elidit, *leg. Cui pacto 5. ff. de Seruis exportandis*. Et ob eandem etiam causam feria sexta in Parasceue, si sit dies festus, diximus non vrgere obligationem præsentiæ ad Officium, quod tunc fit absque consecratione. Vbi autem hæc adest, non satisfit per assistentiam ad eam solam, sed ad alias etiam partes integrales, & accidentales, quippe præceptum non sit de assistentia ad Sacrificij essentiam meram, etsi istam necessariò requirat, sed sit de assistentia ad Missam, quæ vltra Sacrificij essentiam complectitur partes illas integrales, & accidētales. Quare si Sacerdos aliquis die festo omitteret sacrilegè omnia alia Missæ, & solummodò consecraret panem, & vinum, non adimpleretur à Laico prȩceptum Ecclesiæ per præsentiam ad nudam essentiam Sacrificij, sed deberet interesse Missæ, quæ celebraretur cū ritibus alijs, & cœremonijs verborū, actionumq; præscriptis ab Ecclesia.

72 Qui ritus vt fiant ab vno, eodemque celebrante, & sine interruptione notabili, interest valdè, attenta intentione Ecclesiæ; sed quòd ab alijs in die festo spectentur, vt facti ab vno, eodemque, non videtur interesse magnoperè, nam tam vno, quàm alio modo spectentur, æquè Laicus offert affectiuè, æquè sua præsentia approbat Sacrificium, seu potiùs Sacrificia facta re ipsa à duobus Sacerdotibus,

bus, æquè Deum honorat, æquè ex visis ritibus excitatur ad Dei laudes, insumitque æquale tempus in Dei cultu, vt ponderat Arriaga supra, num. 16. & 17.

73 Si obijciatur quartò, fore alioqui, vt satisfaceret præcepto, qui simul, & semel audiret ex vno Sacerdote Missam ab initio vsque ad consecrationem, & ex alio à consecratione vsque ad finem. Consequens autem est valde absurdum, quod nemo à Suario visus admisit. Attamen Bartholomæus à S. Fausto, Bonacina, & Gaspar Hurtadus apud Franciscum de Lugo Lib. 5. C. 14. quæst. 7. Dicastillus supra num. 40. Garcia, Bauny, & Leander apud Dianam p. 10 Tract. 15. Resol. 3. admiserunt postea; probabileque esse, dixit Molfesius apud Cardinalem de Lugo Disput. 22. sect. 1. num. 10. & Diana olim in locis annotatis à Francisco de Lugo, licet in p. 10. atque in 11. Tract. 1. Res. 3. dissentiat à memoratis Authoribus, pauciſque alijs.

74 Qui moventur exinde, quòd successio in partibus Missæ auditæ non videatur spectare ad substantiã præcepti de eius auditione, etsi huic, & Ecclesiæ intentioni congruat illa successio, atque ideo peccatum sit veniale, non servare illam, dum rationabilis aliqua causa non interveniat. Mouentur etiam exinde, quòd vnica morali attentione, & assistentia possunt adimpleri duæ, & tres obligationes audiendi Missas, nempe si quis ex præcepto Ecclesiæ, ex iuncta pœnitentia, ex voto teneatur audire tres Missas, satisfaciet vtique benè, si assistat die festo tribus Sacerdotibus simul celebrantibus, nisi aut ipse in voto, aut Confessarius in pœnitentia expresserit, eas esse audiendas successivè. Quæ est complurium Theologorum sententia. Ergo similiter satisfaciet præcepto Ecclesiastico audiendi Sacrum in die festo, qui Sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiat eodem tempore.

75 Neque hinc sequeretur, satisfacturum, qui eodẽ tempore à sex, vel à decem Sacerdotib⁹ audiret diversas Missæ partes, ita vt auditio absoluatur intra duo, vel tria minuta. Non, inquam, sequeretur, quia ad præceptum implendum requiritur attentio; quæ in homine quidem est limitata, nec potest esse intenta sex, aut decem Sacerdotibus vna celebrantibus, actionibusque eorum.

76 Alij meliùs negant sequelam quartæ obiectionis, quia sicut Missa componitur ex partibus, actionibusque successivis, ita præcepta auditio Missæ debet fieri successivè in easdem partes, consumendo in eis audiendis tempus, quo vna Missa duret, idq; pertinet ad substantiam præcepti, in quo respexit ad id Ecclesia, vt fideles colerent Deum toto vnius Missæ tempore; quare ludificatur intentio ipsius audiendo simul, & semel duas medietates duarum Missarum, vt satisfiat eius præcepto, nam hac arte non impenditur Dei cultui per auditionem Sacri, nisi spatium dimidiæ Missæ. Neque est eadem ratio de simultanea auditione trium Missarum ad satisfaciendum triplici obligationi, quia tunc partes singularum Missarum audiuntur successivè, quanquam tres Missæ audiantur simul. Et præterea, nisi exprimatur, non constat de intentione obligandi ad tres Missas, quarum vna audiatur successivè post aliã, vti videtur cõstare de Ecclesiæ intentione, vt partes Missæ audiãtur successivè ad eius præceptum implendum.

77 Ego quidem, nisi negetur sequela, non video, cur non satisfaceret præcepto, qui eodem tempore, & intra quinque, vel sex minuta audiret cunctas Missæ partes à sex, vel decẽ Sacerdotib⁹, posset enim habere attẽtionẽ sufficientẽ, scilicet attentionem ad Deum, non minùs, quàm si assistat sex, vel decem Sacerdotibus simul celebrantibus, sicque eodem tempore impleat obligationem audiendi sex, vel decem Missas, non secus ac potest tres iniunctas ex præcepto, voto, & pœnitentia. Leander quæst. 57. admittit, satisfacturum præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, qui à Sacerdotibus sex, aut decem eodẽ tempore posset in distantia debita, humano modo, cum sufficienti attentione, devotione, cognitioneque clara audire sex, aut decem partes. Allegat Dianam, Gesualdum, & Escobar de Mendoza. Sed non designat locum primi, neque ego reperio; secundum non habeo ad manus; tertius in Lib. Theologiæ Moralis ex editione

ne

ne Lugdunensi anno 1644. Tract. 1. Examine 11. C. 4. num. 97. adnotato à Leandro, non agit de hoc puncto; egerat in num 73. & solùm loquitur de auditione Missæ ex duobus Sacerdotibus, quorum vnus Missam inchoaret, alter consecrationi daret operam, affirmatque, sufficere ad præcepti impletionem. An ex alia editione citetur? me latet.

78 Addit Leander, esse moraliter, & practicè impossibile, vt cõcurrant circumstantiæ requisitæ ad assistendum conuenienter decem Missarum partibus Sacerdotum diuersorum. Sed in primis, si casus involvit conditionem impossibilem moraliter, & practicè, satius esset negare illum, agimus enim de præcepti adimpletione non metaphysicè, & speculativè tantùm, sed moraliter, & practicè possibili. Deinde semel concesso, posse moraliter, & practicè audiri simul Missã ex duobus, ex vno ab initio vsque ad consecrationem, ex alio ab hac vsque ad finem; imò & ex tribus, aut quatuor, ex vno à principio vsque ad Epistolam, ex alio ab hac vsque ad Præfationem, ex alio ab hac vsque ad sumptionem, ex alio ab hac vsque ad finem, vti concedit Leander; cur non poterit moraliter, & practicè audiri simul ex decem? Nam sicut ex duabus, & etiã ex quatuor partibus potest conflari obiectum, quod de præcepto audiẽdi Sacri fit moraliter, & practicè possibile, ita etiam ex decem partibus Sacerdotum totidem.

79 Si dicatur, requiri multò plus ad modo humano attendendum duabus, aut quatuor partibus simul, quàm decem. Ita est; sed hinc non vincitur difficultas, nam vt satisfiat præcepto de auditione Sacri, non opus est nisi præsentia corporali ad Sacrum, & attentione ad Deum, seu ad res diuinas, iuxta sententiam Leandri, & inde In quæst. 56. probat præcipuè, satisfieri ei, si duabus partibus Missarum Sacerdotum diuersorum assistatur. Porrò præsentia corporalis ad decem vnà celebrantes in altaribus patentibus rectè haberi potest, non minus, quàm ad duos, vel quatuor; rursus attentio ad Deum, seu ad res diuinas tam haberi potest ab assistente coram duobus, aut quatuor, quàm coram decem sacrificãtibus. Ponamus, assistentem esse cæcum, & surdum, quem obligari præcepto audiendi Sacri certissimum ferè est Leandro quæst. 99. Rogo, quidnam oberit respectu cæci, & surdi, quominus possit præsens esse corporaliter, & attentus simul decem partibus Sacerdotum totidem, vt impleat præceptum Missæ, si potest duobus, aut quatuor? Quare expedit, negare sequelam, de qua supra, & ob rationem a nobis assignatam, similemve aliam.

80 Si obijciatur quintò, Sacerdos, qui hostiam hodie consecratã non sumit, sed aliam hostiam, quàm heri consecravit, non offert hodie integrum Sacrificium, nec in rigore celebrat Missã integram, sed ponit partem Missæ vnius, & complementum alterius. Ergo consecratio vnius hostiæ, & sumptio alterius non componunt vnam Missam integram: Ergo qui assistit consecrationi vnius hostiæ, & sumptioni alterius, non assistit vni integræ Missę.

81 Si obijciatur sextò, ex Missa vnius Sacerdotis vsque ad consecrationem inclusivè, & ex Missa alterius deinceps nõ consurgit vnum Sacrificium, neque Sacrificium. Nam si quod consurgeret; vel oblatum à primò Sacerdote, vel à secundo? Non à primo, neque à secundo, quia neuter ponit totam substantiam Sacrificij. Neque dici potest, consurgere tertium Sacrificium, alioqui oblata fuissent tria Sacrificia, quod est apertissimè falsũ. Igitur qui audit Missam vnius Sacerdotis vsque ad consecrationem inclusiuè, & alterius deinceps, non audit, assistitve vni Sacrificio, aut Missæ, ino neque absolutè audit Missam, neque absolutè assistit Sacrificio.

82 Duæ hæ obiectiones faciles sunt solutu, si de essentia, aut integritate substantiali Sacrificij non sit consumptio, eo enim ipso, qui assistat vsque ad consecrationem speciei vtriusque factam ab vno Sacerdote, assistet vni Sacrificio integro essentialiter, & substantialiter, satisfacietque præcepto, si assistat reliquis vsque ad finem cœremonijs siue eiusdem Sacerdotis, siue alterius. Vndenam enim ad satisfaciendum præcepto, necesse erit, vt assistatur accidentalibus Sacrificij factis ab eodem Sacerdote, qui essentialia,

&

& substantialia posuit? Quòd si consumptio sit de essentia, aut de integritate substantiali Sacrificij, adhuc satisfaciet præcepto, qui veniens proximè ante consecrationem assistat vsque ad finē, posteà q; ex alio Sacerdote audiat ab initio Missę vsque ad consecrationē exclusivè.

83 Prætereà non probatur, præceptum de auditione Missę tale esse, vt obliget ad assistendum actionib⁹ sacris coordinatis in compositionem moralem vnius Sacrificij, quin possit aliter ei præcepto satisfieri. Cur namque non sufficiet assistere consecrationi, consumptionique, cæterisque actionibus, quæ in Missa peraguntur, siue consecratio pertineat ad vnum Sacrificium, & consumptio ad aliud, siue vnus Sacerdos consecret, & alter consumat easdem species, aut diversas? Et sanè si ad illius præcepti substantiam non requiritur vnitas sacrificantis (vt patet in casu, quo vnus Sacerdos ob mortem alterius succederet consecrās vinum, & finiens Missam, quam alter prosequutus fuisset vsque ad panis cōsecrationem) quanam de causa requireretur vnitas Sacrificij?

84 Insuper possunt nō ineptoquodam sensu actiones sacræ duorum Sacerdotum dici vna integra Missa, quatenus actiones vnius Sacerdotis ab initio Missæ vsque ad consecrationem, & alterius actiones, vnde primus desivit, aut est auditus, vsque ad finem, æquivalent actionibus, quas exequitur ab initio vsque ad finem vnicus Sacerdos, dum celebrat Missam integram, vnamque vnitate morali artificiali. Deniq; etsi actiones diversorum Sacerdotum, præsertim circa diversas materias consecrationis, non componant vnum Sacrificium in ordine ad ipsos, non appareret, quidni queant vnum moraliter constituere in ordine ad interessentem eis tali animo colendi Deum, & offerendi per duos Sacerdotes Sacrificium, ac si per vnum offerret.

85 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam, etsi minus cōmunem, & receptam à DD. tam antiquis, quā modernis, sed tamen tanquā securiorem, & probabiliorem amplectimur cum S. Antonino, & Doctore Salmanticensi Vera citatis ab Henriq. Lib. 9. C. 25. §. 8. in Glossa littera Q. cum Suario, Toleto, Azore, Fagundez, Coninck, Cardinali de Lugo cæteros allegante Disputatione 22. sect. 1. num. 8. cum Petro à Sancto Ioseph in Ecclesiæ præcepta Cap. 1. art. 2. V. *Etsi non pauci*, Ferdinando Paez in Repetitione ad C. *Missas*, ex num. ero 74. vsque ad 77. Thoma Tamburino Lib. 4. in præcepta Decalogi Capite 2. §. 1. num. 1. Pellizario in Manuali Regularium Tract. 10. Cap. 6. num. 10. §. *Dico quintò*, & cum pluribus alijs, quos omittimus. Et movemur, quia cum præcipiatur audiri vna Missa, debet ea esse vna vnitate morali artificiali. Non est autem sic vna, quando vnus Sacerdos consecrat, & alter sumit species diversas ab his, quas prior consecravit; & proinde qui assistit vni Sacerdoti consecranti, & posteà alteri sumenti diversas species, non audit Missam, quæ sit vna vnitate morali artificiali: qualem vnitatem requirit Missę vnius nomen, & natura; & ideo qui celebrat vnam Missam, tenetur celebrare sic illam, vt sit vna vnitate morali artificiali, quatenus & sumat species, quas cōsecravit, & quatenus non interrumpat notabiliter Missam inceptam, nisi repentinus casus impediat sumptionem, & gravis causa honestet interruptionem. Vbi notandum est, vnitatem moralem artificialem Missæ tanti momēti esse, vt si ante consecrationem superveniat casus, qui sumptionem impediat, relinquenda sit Missa; si verò post consecrationem superveniat, perfici debeat Missa ab alio exequente sumptionem; si tamen exequi possit intra tempus, cuius à consecrationis puncto distantia non obstet vnitati morali artificiali Missæ. Si ergo in Missa vnitas moralis artificialis est tantæ considerationis, quidni erit in præcepto audiendi ipsam Missam?

86 Inquies, vnitatem præfatam sufficienter salvari in actionibus sacris vnius Sacerdotis vsque ad consecrationem, & in alterius vsque ad finem. Fateor, salvari sufficienter, si intra conveniens tempus actiones vtriusque versentur circa eandem omnino victimam, circaque eandem omnino oblationem consummatam; secus si circa diversas, nec enim cum

diversitate victimæ, & oblationis stare potest Sacrificij, & Missę vnitas moralis artificialis, quæ propriè talis sit. Et hinc abundè manet responsum probationi, & confirmationibus opinionis, à qua discedimus.

87 Inquies rursus, satisfacturum saltem præcepto, qui à consecratione inclusivè assisteret vsque ad finẽ Missæ, & anteà adstiterit, vel posteà assistat alteri Missæ vsque ad proximè antecedentia consecrationem, quia Missa audita ex consecratione inclusivè vsque ad finem erit propriè vna vnitate morali artificiali. Ita Aversa q. 11. sect. 19. V. *Item admittendum est*, & seq. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 14. quæst. 7. num. 80. mediam quandam sententiam adinvenientes, seu potiùs arripientes ansam ex Suario, qui D. 88. sect. 2. V. *Sed tunc*, dixerat, [valde pertinere ad substantiam huius præcepti, vt tota Missa fidelium ab oblatione vsque ad consumptionem continuè, & per modum vnius Sacrificij audiatur, vt debito modo possit audiẽs suas partes exhibere ad integrè offerendum Sacrificium eo modo, quo sibi possibile est. Quoad accidentalia verò faciliùs admitterem, posse prædicto modo suppleri.] Sic Suarez. Vnde quod ipse de Missa ab oblatione notaverat posse faciliùs admitti, transtulerunt illi ad Missam à consecratione, & admiserunt libenter. Sed adhuc contra est, quia ea Missa non erit integrè vna, nec integrabitur propriè ex altera Missa: præceptum autẽ obligat penes sui substantiam, vt audiatur Missa, quę sit propriè integrè vna vnitate morali artificiali, quin omittatur audiri pars notabilis siue dignitate, siue quantitate.

88 Et hæc de celebri ista quæstione, si notem tria: quorum primum est, Glossam citatam supra ad C. *Quorundam*, quæ sententiæ à nobis posthabitæ magnam comparavit authoritatẽ, minimè pro ea stare. Verba Glos. sunt, *Sacramentum solemnitatis, vt est Missa, benè diuiditur, & ibi duo imperfecta faciunt vnum perfectum, vt* 7. q. 1. *Nihil*. Ast hæc verba, vt constat ex Canone, qui allegatur, procedunt de Missa, non vt audita, sed vt celebrata à duobus, quãdo vnus post cõsecrationem vnius speciei non potuit pergere vltrà. Et quamuis in isto casu sufficeret ad præcepti impletionem auditio Missæ sic celebratæ, arguitur inde inefficaciter ad alios casus, vt visum est paulò anteà.

89 Secundum, etsi laudabile sit, vt qui siue involuntariè, siue voluntariè non audivit levem aliquã partem Missæ, audiat posteà ex alia illam solam, tamen ad id non teneri sub peccato etiam veniali, vt dixi in num. 61. cum P. Suario, consentiunt que Filliucius Tractatu 5. num. 205. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Lib. 2. Capite 6. num. 16. Dicastillus Tract. & Disp. 5. dub. 3. num. 41. Ratio est, quia auditio illius solius partis ex alia Missa est invtilis in ordine ad præcepti de audiendo Sacro adimpletionem, vt probavi proximè. Quare dixit benè Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 14. quæst. 7. num. 74. Suarium discurrisse admodùm consequenter.

90 Vnde diluitur argumentum Nuñi 3. parte quæst. 83. artic. 6. dub. 2. pag. 992. & simile aliud Leandri quæst. 65. contra Suarium, arguit enim sic: levis pars omissa potest suppleri in alia Missa. Ergo vrget obligatio, vt suppleatur. Quam Consequentiam, vt & Antecedens, constare ait Leander. Sed ita non est, nam supplementum in alia Missa iuxta sententiam Suarij, & nostram est impertinens, & frustraneum in ordine ad præcepti de audiendo Sacro adimpletionem, etsi non in ordine ad devotionem, cultumque religiosum. Permisso que, non esse frustraneum ad prius, indicavimus in illo num. 61. aliam ex Suario rationem negandæ Consequentiæ, confirmatq; eam Dicastillus inquiens, [Res morales non sunt adeò rigorosè expendendæ, præsertim quando leviores sunt, & non volunrariæ, & ex malitia, &, vt alibi cum D. Thoma dico, quando materia est tam parva, ratio eam aprehendit, vt nihil.]

91 Tertium, si à consilio omittatur audiri siue magna, siue brevis pars Missæ animo supplendi in alia non integrè audienda, cum posset toti vni assisti, esse reprehensione dignum, vt significavi cum Suario in illo numero 61. Est enim imperfectus modus adimplendi præceptum, vt benè notat Mercerus 3. parte quæst. 83. pag. 303.

&

& iudicio ferè omnium est peccatum veniale. Si autem adsit aliqua probabilis causa, aut necessitas, laudandus esset, qui, si nō posset vni integræ Missæ præsens esse, assisteret partim vni, & partim alteri. Atque vt iam imponam Sect. finem, non obligat Ecclesiæ præceptum, vt eodem die Dominico, aut festo plures Missæ audiantur. Etsi enim in Can. *Missas* dicatur iuxta receptam lectionem Gratiani, *totas Missas* die Dominico esse audiendas, *Totas* valet idem, ac integras, ita vt singuli singula Sacra in totum, siue in integrū, comprehendendo tam Catechumenorum, quam fidelium Missam, audire debeant. Legantur Azor tomo 1. L. 7. C. 3. q. 1. Leonardus Duardus in Bullā Cœnæ Domini Lib. 2. C. 9. quæst. 11. num. 5. Barbosa, & Paez ad Can. *Missas*, num. 64. & seqq. Quod verum est, etiam quando singuli Presbyteri in Natali Domini ter celebrant, nam nec ipsi id præstant ex præcepto, sed ex indulgentia, ac privilegio, & quanvis Parochus teneretur rem divinam ter facere, vt existimant nonnulli Authores, at Parochianis liberum est, audire tria, vel vnum Sacrum. Videatur idē Azor in fine quæst. 2.

SECTIO VI.

De præsentia ad audiendam Missam.

92 CERTVM est, requiri corporalem præsentiam humanam, & moralem, qua quis adsit Missæ vel audiendo, vel videndo celebrātem, vel saltem ita comitando alios audientes, aut videntes, vt sit pars multitudinis ipsorum, coniungaturq́; moraliter cum illis. Quòd si quis nec audiat, nec videat celebrantem, desintq́; alij audientes, aut videntes, quos comitetur, opus est, vt existat eo loci, vnde, per se loquendo, possit moraliter dignoscere sensu aliquo externo, quæ in Missa dicuntur, aut aguntur; seu opus est, vt non existat in tanta loci distantia, quæ eum extrahat ab humana, & morali ad Missam præsentia, adimatque potentiam ad Missam indicandam demonstrativo signo.

93 Hinc colligitur primò, cum in Canone *Missas* præcipitur audire Missas, non sumi presse, & stricte verbum *audire*, vt appositè notavit post Caietanum in Summa V. *Festorum violatio*, Azor supra, quæst. 4. Sed dignum observatione est, Gratianum mutasse verbum *tenere*, quo vsum est Concilium Agathense, in verbum *audire*; atque sic notarunt Paez ad Cap *Missas* num. 2. & 106. Fronto Ducæus in Varijs Lectionibus ad illud Concilium; quod Canone 21. dixerat, *Si quis etiā extra Parochias, in quibus legitimus est, ordinariusque conuentus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festiuitatibus, vt ibi Missas teneat, propter fatigationem familiæ, iusta ordinatione permittimus*, &c. Quo etiam loco verbum *teneat* convertit in *audiat* Gratianus Canone *Si quis etiam* 35. de Consecratione Distinctione 1. Existimat Paez phrasi *tenere Missas* significatum à Concilio Agathensi mentis intellectum, & retentionem. Sed crediderim, ortam eam phrasim ex idiotismo sapiēte linguam Gallicam: sic in Castellana dicimus, *Oy tenemos Missa*. Et Sanctus Benedictus Cap 60 Regulæ scripsit, *Concedatur ei* (nempe Sacerdoti) *post Abbatem stare, & benedicere, aut Missas tenere, si tamen ei Abbas iusserit*; quanvis aliqui legant, *Missas cantare*.

94 Colligitur secundò, surdum ligari hoc præcepto, siquidem possit videre Sacerdotem celebrantem; ligarique potiori de causa cæcum, siquidem possit audire celebrantis verba. Sed ligari surdum simul, & cæcum, negant Castrus Palaus Tractatu 22. Disputatione vnica, puncto 16. numero 4. Pellizarius in Manuali Regularium Tractatu 8. Cap. Sectione, & Subs. 2. numero 151. primus quia non videt, qua ratione surdus, & cæcus habere possit humanā, moralemq́; præsentiam ad Missam; secundus refert, & non refellit dictum Castri Palai. Præterea Martinonus Disputatione 40. Sectione 9. num. 117. inquit, [quanvis non sit necessarium, vt qui assistit, sit intra ipsam Ecclesiam, aut locum, vbi celebratur, vel vt Sacerdotem videat, vel audiat, oportet tamen, vt nō tam longè distet, quin moraliter adesse

cēseatur, vel ob loci propinquitatē, & cōmoditatem, vel continuationem cū alijs assistentibus: oportet etiam, vt inde intelligat aliquo modo, quid agatur, aut, per se loquendo, intelligere possit, præsertim tempore consecrationis; quod facilè ex aliorum assistentium gestu potest cognoscere, si modò cæcus, & surdus non sit.] Ante hos Authores Hieronymus de Llamas Cisterciensis 3. parte Méthodi curationis animorum C. 5. §. 9. pag. 486. scripsit, [Qui visu, & auditu caret, ad hoc præceptum non tenetur, sicut impotens omnino.]

95 Si his Authoribus sermo sit de cæco, & surdo à nativitate, favet eis ea ratio, quòd non poterit externo aliquo signo deprehendere divinam rem, cui Sacerdos operatur, & eodem modo erit præsens corporaliter Sacro, ac rei cuiplam prophanæ, & non secus, ac furiosus, aut infans, aut dormiens. *Et coram Titio aliquid facere iussus, non videtur, præsente eo, feciſſe, nisi is intelligat. Itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo feciſſe,* vt dicitur *leg. Coram Titio* 209. *ff. de Verborū significatione.* Præterea cæco, surdo, & muto à nativitate non est ministrandâ Eucharistia etiam in articulo mortis, vt docent Castrus Palaus Tract. 21. D. vnica, puncto 10. num. 9. Pasqualigus in Sacra Morali Doctrina Disp. 110. S. 4. numero 25. quia non potest discernere inter cibum Cœlestem, & communem. Quare nec posset percipere discrimen inter Missam, & alias actiones vulgares. Idemq; est de cæco, & surdo, qui non esset mutus, aut qui non haberet impeditam linguam, nam expeditio huius quidnā præstaret ad noscendam differentiam Missæ à cæteris functionibus? Hinc de muto, surdo, & cæco à nativitate, necnon de surdo, & cæco docent Sanchez Lib. 1. de Matrimonio D. 8. num. 13. Tancredus L. 2. Disp. 25. quæst. 1. num. 6. & 7. Pontius Lib. 2. Cap. 12. num. 16. Carolus Bosius C. 3. §. 20. num. 55. cum alijs, non esse capacem contrahendi matrimonij, quia nequit intelligere quid illud sit, vt importat ius in alterius corpus.

96 Cæterùm si sermo sit de surdo, & cæco, qui amiserit aut auditum, aut visum, aut vnum, & alterum post notitiam habitam de Missa vt re sacra, tenebitur per se præcepto assistendi Missæ, nam ex via, per quam ducatur ad Ecclesiam frequentatam antèà ab ipso, ex genuflexione, & tunsione pectoris, ad quas excitetur à socio, & ex alijs externis signis poterit deuenire in cognitionem de Missa tunc celebrata. Et de huiusmodi surdo, ac cæco intelligo Fagundez Lib. 2. C. 6. n. 18. Cap. 7. n. 3. aientem, patere evidenter, quòd obligetur, [cum, moraliter loquendo, possit sensu aliquo externo præsentialiter adesse, & ad id, quod fit, attendere, idq; percipere.] Concordant Aversa q. 11. sect. 19. V. *Octauò*, Franc. de Lugo L. 5. C. 14. q. 9. n. 87. Mascarenhas T. 5. D. 6. Cap. 9. n. 510. Diana p. 5. T. 6. Res. 8. cum alijs, sed nō loquentibus clarè nisi de cæco, vel surdo diuisivè, & non de cæco, surdoque copulativè, Petrus à S. Ioseph in Opusculo de Præceptis Ecclesiæ, art. 2. V. *Vt satisfaciat*, Villalobus T. 8. diff. 25. n. 6. Leander q. 99. vbi cæcum, & surdum natum excipit, etsi nō omnino asseveranter; ait etiam, esse ferè certissimam obligationem cæci, & surdi ex accidenti post annos discretionis.

97 Sed talem obligationem negant expressè Llamas supra, & Ioannes de Cruce in 3. præceptū Decalogi art. & Conc. 2. siquidem dicat, non satisfacere præcepto oculatum, & auritum, tametsi aliàs mente attendat, si de industria claudat, vel auertat oculos, & non applicet aures Missæ. De quo dicto iudicent alij. Sed si probabile esset, inferretur ex eo, cæcum, surdumque quemcumque impotentem esse adimplere præceptum interessendi Sacro.

98 Quoad cæcum, & surdum à nativitate non omnino expressi meam mentem, nam etsi rationes supra propositæ validissimæ sint, adhuc quis dicet, posse talem hominem instrui, vt genuflectat, tundat pectus, assurgat, quando id faciunt alij præsentes Sacro, & hoc modo exteriùs apparebit assistere Missæ non secus, ac assistunt alij, qui, vt ille (sicut suppono) præditi sunt vsu rationis, etsi ille non percipiat vt sacram eam rem, cui adest. Et talem quidem præsentiam esse sufficientem ad præcepti adimpletionem in homine cōpotente sui, poterit nōnemo cōtendere, etsi ad ea, de quibus supra, non sit habilis

bilis homo surdus, & cæcus ab ortu. Sic à nativitate mutus, & surdus præsumitur in foro soli quoad civiles actiones non habere intellectum, æquiparaturque mortuo, & mente capto, *leg. Seruo inuito 65. §. Si pupillo ff. ad S. Conf. Trebellianum, leg. Iubemus 29. C. de Testamentis, & §. Furiosi, Instit. de Curat.* cum tamen in foro poli quoad actiones salutis animæ formari debeat aliud iudicium. Qua propter suspendimus nostrum in hoc puncto, desiderantes noscere quid viris doctis videatur post expensas rationes, quas vtrinque adduximus.

99 Colligitur tertiò, satisfacere præcepto, qui existentes in templo impediuntur siue videre, siue audire Sacerdotem celebrãtem, vel quia interponitur columna, aut murus, vt in aliquorum Regularium Choro post altare maius iuxta vsum Romanũ, vel quia aliorum anteriorum multitudo obest. Nec necesse est, videre hostiam, & calicem, cum elevantur. Qua ignorantia vulgus Gallęcorum, & Asturum laborare obseruaui iam olim, consuetumque esse ijs, qui in templo vltimũ locum tenent, clamare ante elevationem, vt anteriores inclinent corpus, & capita.

100 Colligitur quartò, existentiam vtcumque intra templum non sufficere ad satisfaciendum præcepto, nisi etiam ad Missæ tunc temporis celebratæ mysteria applicet quis mentẽ suam, quia intra templum existentia potest optimè stare absque humana, & morali ad Missam præsentia. Vnde à fortiori non sufficeret sola applicatio mentis, si quis existat extra templum.

101 Colligitur quintò, existentiã præcisè extra templum non obesse, quominus quis satisfaciat præcepto, potest enim adhuc habere præsentiam humanam, & moralem ex templi atrio, vel cœmeterio, vel ex via publica ante fores templi, vel ex fenestra domus non valde distantis, quanvis interiaceat via publica, aut platea. Ita Cardinalis de Lugo Disp. 22. sect. 2. num. 21. Franciscus de Lugo L. 5. Cap. 14. quæst. 9. num. 88. Dicastillus Tract. & Disput. 5. Dub. 4. num. 59. Gordonus tomo 2. Theologiæ Moralis Lib. 6. q. 7. Cap. 2. §. 3. num. 12. Thomas Tamburinus in præcepta Decalogi Libro 4. Cap. 2. §. 1. num 14. aliique memorati à Diana parte 10. Tract. 14. Res. 47. à Leandro q. 103.

102 Colligitur sextò, amentes, dormientes, ebrios, etsi existant intra templum, quo tempore celebratur Missa, non satisfacere præcepto, quia nõ habent præsentiam humanam, & moralem: vnde transacta amentia, aut somno, aut ebrietate eodem mane, tenentur interesse alteri Sacro Ita Dicastillus paulò ante citatus, dub. 2. n. 21. aliique passim.

103 Restabat tractare, an Camillus ministrans ad Missam, si recedat ab altari, vt è Sacristia, vel è loco ad Ecclesiam vicino afferat aliquid necessarium, censeatur præsens moraliter? Sed de hac difficultate diximus latè in Disp. 14. ex num. 29. respondimusque, satisfacere præcepto, licet tẽpore consecrationis non adesset physicè. Censet id ipsum Cardinalis de Lugo Disp. 22. sect. 1. num. 6. vt & quod nos tradidimus supra, scilicet quemvis alium non satisfacturum, si eo solo tẽpore recederet ob causam non spectantem ad Sacrificium; & non teneri ad audiendas reliquas partes Missæ, qui esset legitimè excusatus ab assistentia ad consecrationem. Sed P. Arriagæ Disp. 57. sect. 2. num. 10. videtur argui evidenter ex priori illo contra id posterius, nam si explet Ecclesiæ præceptum, & audit absolutè Sacrum, qui omittit interesse consecrationi ob ministerium erga ipsam Missam, (cuius solius ministerij de causa admittit id Cardinalis de Lugo.) Ergo qui necessitate coactus non potest consecrationi præsens esse, satisfaceret Ecclesiæ præcepto, & audiret absolutè Sacrum, si, vti ille alius, adesset cæteris Missæ partibus; & proinde teneretur adesse, si posset. Sed pace Arriagæ disparitas est simillima vero, nè dicam esse videtem, nam [servitores discurrentes pro expedientibus Missæ ::: intelliguntur adesse Missæ, etiam pro tempore illo,] quo absunt, vtinquit Sylvester V. *Missa 2. num. 1. V. Dicitur quintò*, & ex illo Candidus tomo 2. Disquis. Moral. quæst. 25. art. 29. dub. 9. aliique innumeri; ast non servitores, si physicè absint tempore consecrationis (in qua consistit essentia Sacrificij) non intelliguntur adesse moraliter.

SECTIO VII.

De intentione satisfaciendi præcepto auditionis Missæ.

104 HÆC intentio siue vt actualis, siue vt habitualis, siue vt virtualis, siue vt interpretativa non est necessaria, quia nulla est ratio, quæ convincat, necessariam esse aliquo ex his modis. Et quidem licet ordinariè homines non exequantur opera, quę sunt prçcepta, nisi cognoscant, esse præcepta, seu obligationem exequēdi illa, & ideò tenentur nō esse negligentes in cognoscendis præceptis; nihilominus possunt absolutè exequi quod præceptum est, etsi per accidens careant congnitione præcepti, & motivo obedientiæ non modò specialis, sed etiam generalis. Vndè meritò dixit S. Thomas 2. 2. quæstione 104. art. 3. ad 2. *Licet actus virtutis cadat sub præcepto, posse tamen aliquem implere actum virtutis, non attendendo ad rationem præcepti.* Sic Angelicus Doctor. Atque hinc fit, vt si quis ignorans, esse diem festum, audijt Missam, non teneatur postea iterare auditionem, etsi intra competens tempus sit certior factꝰ de die festo.

105 Imò addendum est, satisfacere præcepto illum, qui audit Missam, etiamsi habeat expressam intentionem non satisfaciendi per eam auditionem, quia huiusmodi intentio non tollit, ne liberè, & humano modo exequatur auditionem præceptā Missæ; nec facere potest, vt obligatio prçceptæ Missæ, & auditę perseveret, aut prorogetur; sicut enim nullus potest sibi imponere primò obligationem prçcepti, itaque neq; potest eam sibi prorogare. Secus est in voti obligatione, quam vt possumus nobis imponere primò pro nostra propria voluntate, ex qua ortum trahit, ita & possumus nobis prorogare. Quare qui vouisset audire Sacrum, non satisfaceret voto audiens vnum Sacrum, si expressè intenderet non satisfacere auditione illius, sed alterius. Fateor tamen, id potiùs videri, esse emittere novū votum de auditione alterius Sacri, quàm non satisfacere facto anteà voto. Atqui hinc si id stare queat sine emissione novi voti, probabile valde est, satisfieri facto anteà voto. Rursus secus est in debito certę alicuius summæ ex iustitia, nam si tradens creditori eam summam, nolis esse in solutionem debiti, sed in donationem liberalem, teneris postea liberare te ęre alieno, quia cum ex tua voluntate pendeat, quod traditio pecuniæ sit donatio, vel solutio, si noluisti, esse solutionem, sed donationem, manes cum obligatione ad solutionem. Ast quòd actio, quæ est præcepta, sit executio præcepti, si liberè ponatur re ipsa, & à parte rei, non dependet à tua voluntate.

106 Quæres primò, an qui cum intentione non satisfaciendi præcepto audivit Missam, teneatur retractare talem intentionem, si nolit aliā Missam audire? Respondeo, non teneri retractare, si, non obstante tali intētione, iudicet, se iam re ipsa satisfecisse præcepto, nam quòd illi non satisferit ex obedientiæ motivo, nihil obest; & quanvis talem intentionem revocaret, non faceret revocatio, vt ex obedientiæ motivo fuerit audita Missa, & impletum præceptum. At si iudicet, se iam re ipsa non satisfeciſſe præcepto, tenebitur vel deponere illud iudiciū, sibique persuadere, re ipsa iam adimpletum fuisse præceptum; vel tenebitur assistere alij Sacro. Quare qui cum audivit prius Sacrum, habuit intentionem non satisfaciendi per illud, sed per aliud, non peccavit tunc, neque peccat postea non audiendo aliud, dummodò sibi persuadeat, fuisse iam re ipsa adimpletum præceptum. Qui verò, quando interfuit priori Missę, intendit, neque tunc satisfacere, neque postea, audiendo aliam, is, quandiu vel non mutat intentionem, vel non iudicat, se satisfeciſſe, peccat interna, & affectiva violatione prçcepti, quanquam externa, & effectiva non peccet.

107 Quæres secundò, an intendens audire Sacrum ob pravum finem, satisfaciat præcepto, quatquam peccet mortaliter, vel venialiter, pro vt finis pravus fuerit graviter vel leviter? Respondeo affirmativè, tum quia Missæ auditio, qui est actus quoad substantiam ab Ecclesia præceptus, non repugnat cum circumstantia pravi finis:

finis: tum quia appositio boni finis in auditione Missæ non cadit sub Ecclesiæ præcepto, quale est auditionis Missæ, nam a præceptis humanis exempti sunt interni actus, sine quibus externi possunt convenienter præstari exteriùs; potest autem convenienter exhiberi exteriùs auditio Missæ, quin apponatur internè bonus finis.

108 Quæres tertiò, an intendens audire Sacrum ob alium finem, quam religionis, satisfaciat præcepto? Vt si quis existens in templo intenderet audire Missam tunc temporis celebratam, vt ibi expectaret amicum, aut vt curiosè notaret, quid in Missa fiat, vel an rectè, necne Sacerdos cæremonias faciat. Respondeo etiam affirmativè ob eadem ferè rationes, si verè detur intentio audiendi Missam, & exteriùs non præbeatur signum, quo iudicari queat, auditionem Missæ non esse actionem religiosam, ordinatamque ad Dei cultum. Sic Dicastillus T. 1. Disput. 5. dub. 7. a num. 82.

SECTIO VIII.

De intentione audiendi Missam.

109 HAEC intentio (de cuius obiecto tractavi numero 9. Disputationis 14.) necessaria est ad satisfaciēdum præcepto, nam sine cognitione, & voluntate libera auditionis Missæ impleri nequit humano modo affirmativum præceptum de tali auditione. Vnde amentes, ebrij, & dormientes Sacro corporaliter præsentes non satisfaciunt præcepto; neq; item ille, qui evigilans incæpit assistere; sed posteà siue voluntariè, siue involuntariè dormivit notabili Missæ tempore, quia etsi initio habuerit intentionem audiendi Sacrum, at posteà non perseverat moraliter in illa, neque assistit Missæ integræ humano, & libero modo. Notatque Sanchez in Consilijs Lib. 7. C. 2. dub. 33. vexatum à somno, ob cuius gravitatem, & molestiam non attendat ad significationem verborum, & actionum Missæ, neq; ad aliam meditationem, non peccare saltē mortaliter, neque non adimplere præceptum, si dormitatio non adimat omnino attentionem necessariam pro auditione Missæ.

110 Qui verò habens intentionem audiendi Missam assistit huic, & posteà inter audiendum patitur raptum, vel ecstasim, alienaturque omnino à sensibus, satisfacit præcepto ex sententia P. Suarez Disput. 83. sect. 3. V. *aliis verò*, quia [perfectè assequitur finem præcepti, & voluntariè se applicuit, & adhibuit præsentiam necessariam ad audiendam Missam, & in ea voluntate formaliter, vel virtualiter perstitit, cum attentione maximè intenta per ipsum præceptum.] Quæ sunt verba Eximij Doctoris, cui adhærent Filliucius Tract. 5. numero 214. Trullench, & Petrus de Ledesma apud Leandrum quæst. 73. Idemque prorsus videtur à fortiori sentiendum de eo, qui inter audiendum ex intentione Sacrum occupatur totus in meditatione aliqua pia, sed non eorum mysteriorum, quæ ad Missam spectant, quin alienetur à sensibus. Ast fortè addere oportet, dummodò neque vnus, neq; alter præbeant externum distractionis à Missa, & ab eius mysterijs signum, quo censeri possint non esse Sacro præsentes moraliter. Cæterùm neuter satisfaciet præcepto, si venerit ad Ecclesiam absque intentione audiendæ Missæ, atque hæc dicatur, quo tempore raptum vtervis patitur, aut meditatur diversa ea mysteria, nisi intentionem illam concepisset existens iam in templo, & tempore convenienti.

111 Rogabis primò, num adimpleat præceptum, qui omninò invitus, & coactus assistit Missæ? Respondeo, non adimplere, non modò, si præstet externum signum suæ internæ voluntatis non audiendi Missam, sed etiā si non præstet, si tamen re ipsa careat intentione, & voluntate libera audiendi, quia etsi quod fit coram aliquo invito, fiat rectè, seu verè coram eo, vt dicitur *l. Coram Titio* 209. *ff. de Verb. significatione*, et si item assistat, utendo ratione, non tamen quæ libera, & moralis sit; qualis requiritur ad præcepti affirmativi adimpletionem; hæc enim debet esse formaliter libera, si sit interna; & libera denominativè, si sit externa, si quidem non præcipiatur adimpletio necessaria, sed libera.

Rogabis

112 Rogabis secundò, an is, de quo proximè loquutus sum, incurrat censuram, quæ esset lata contra non audientes Sacrum? Respondeo, incurrere, si præbeat externum signum suæ renitentiæ; si verò non præbeat, probabile est, incurrere, quandoquidem non adimpleat præceptum, & censura sit lata contra eius transgressores: probabile etiam est, non incurrere, cum in foro soli non possit constare de non adimpletione præcepti.

113 Rogabis tertiò, vtrùm satisfaciat præcepto, qui ex metu graui assistit Missæ? Respondeo, satisfacere, si, vti potest, habeat verè voluntatem, intentionemque liberam efficacem audiendę Missæ, quanvis orram ex metu gravi, minuente aliquatenus voluntarium, sed non adimente; si itē non exhibeat externum signum voluntatis, intentionisque contrariæ. Non nego, peccaturum graviter, qui simul cum voluntate efficaci audiendi Sacrum haberet conditionalem hanc, *Nō audirem, nisi timerem pœnam à Patre, aut ab Hero infligendam*, quia præceptum obligat ad suæ exequutionis voluntatē absolutam, & independentem per se à metu pœnæ, ita vt non detur affectus in præcepti violationem sub conditione, quòd deesset pœna. Sed quidem illud quoad substantiam adimpletur, quoties liberè absolutè, & simpliciter exercetur actio, quam imperat. Notandum tamen est, non peccaturum, qui cognosceret, non audiendam esse à se Missam, si timoris causa deficeret, quia id cognoscere, non est habere actu voluntatem conditionalē non audiendi Sacrum, sed proponi eam intellectui, & repræsentari per modū obiecti; quæ repræsentatio non imputatur ad culpam; quemadmodùm neque imputatur, quòd ego cognoscam, fore, vt succumberem tentationi tali, vel tali, si diu me molestaret.

SECTIO IX.

De attentione externa in Missa audienda.

114 EXTERNA attentio est corporalis quædam, ac visibilis ad Missam assistētia, decēs, reverentialis, atque religiosa, & qualis convenit esse in homine colente Deum, & offerente cum Sacerdote istud Sacrificium, & communicante activè huic oblationi, orationibusque, & alijs, quæ Sacerdos peculiariter nomine assistentium dicit. Huiusmodi attentio externa est necessaria, vt satisfiat præcepto, nam hoc, vt minimùm, obligat ad auditionem externè religiosam, siquidem sit præceptum de religiosa actione. At sine attentione externa non salvatur religiosa auditio. Nemo enim asseret, audire religiosè eum, qui interim chartis pictis luderet, aut scriberet, aut pingeret. Vnde Sylvester, inter Summistas Princeps, V. *Missa* 2. num. 6. V. *Primum* inquit, [Exterior devotio cadere potest sub præcepto, & videtur, quòd cadat illa, quæ de se est necessaria ad auditionē, quæ cadit sub præcepto; cum qua non stat illa distractio, qua aliqui pro notabili parte Missæ nugantur cum socio, scandalizantes alios, & Sacerdotem vexantes.]

115 Ab hac doctrina, quæ est cōmunissima, videtur discordare Dominicus Soto, inquiens in 4. Dist. 13. quæst. 2. artic. 1. circa finem, [Hinc colligitur, attentionem, quæ sub præcepto necessaria est ad audiendam Missam, non esse tantam, quanta in Officio Canonico persolvendo requiritur; sed sat est, quòd sit actus humanus. Quo circa quanvis indecentia sint colloquia inter audienda Sacra, non tamen propterea transgressio fit præcepti. Possent tamen voces, & cachinni in tantū prorumpere, vt per se essent peccatum irreverentiæ, & scandali. Quemadmodùm si quis sinistro animo audiendi Sacrum Ecclesiam adeat, quanvis illud propositum peccatum per se sit, nihilominùs si Missam audiat, præceptum implet quantùm ad substātiam præcepti, cavet enim peccatum omissionis audiendi Missam.] Sic Soto, & ex ipso Ioannes Baptista Corradus in Responsis Casuum conscientiæ quæst. 198. ait, [Qui longè stat, Missam non audiens, vel cum alio loquens, non est præcepti transgressor.] Citat etiam Caietanū tomo 1. Opus. Tract. 6. q. 1. Sed Caietanus ibi solùm tradit, posse vno actu satisfieri duobus præceptis. Sotus itaque, & Corradus (etsi hic paulò post pro-

propendeat magis in præcitatum Syluestrum) videntur, in ea esse opinione, vt ad satisfaciendum huic præcepto quoad substantiam nihil aliud requiratur, quàm hominem ratione vtentē interesse corporaliter Missæ, quin obstet, si interim confabuletur indecenter, aut in altas etiam voces, & cachinnos prorumpat, quanquam peccet contra præcepti modum ratione irreverētiæ, aut contra charitatem ratione scādali; sed hinc non tenebitur audire aliam Missam, sicut neque tenetur ille, qui ex fine turpi interiùs intento vnam audivit.

116 P. Suarez Disp. 83. sect. 3. V. *Ex his autem* pro benigno suo erga probatos Authores animo, post relatum Dominici Soti dictum subiungit, [Hoc intelligendum est, vel quando colloquia non sunt continua, sed per parvam Missæ partem, quanvis sæpiùs misceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo, provt communiter fieri solet; vel certè quando confabulatio non est de re seria, nec nimis attenta, quæ non omnino impedit attentionem ad Missam, sed solùm remittit illam; relinquit tamen sufficientem, vt actio illa humano modo fiat:: Et hoc modo est vera hæc sententia Soti:: Et deservit, vt non cōdemnemus peccati mortalis multorum consuetudinem; quanuis reprehendenda graviter est; nam, vt minimùm, est grave peccatum veniale, & facilè potest declinare in mortale, præsertim si confabulatio sit admodùm continua, & maximè, si potest generare scandalum, & impedire alios à Missa audienda.] Hactenus Eximius Doctor; in quo arridet mihi moderatio doctrinæ Soticæ, extendendaq; est ad circumspicientem hùc, & illuc, aut conijcientem intentos oculos in fœminas, in ludum, vt Henriquez Lib. 9. C. 25. §. 5. Gaspar Hurtadus Disp. 5. Difficultate 2. V. *Vnde*, alijque apud Leandrum quæst. 79. notant. Expeditq; legere Lessium in Resolutionibus variorum casuum conscientiæ, V. *Missa* Casu 1. vbi sapienter, & graviter reprehendit virorum Principum abvsum fabulandi, & ridendi tempore divini Officij.

117 Ioannes de Medina Codice de Pœnitentia, Tract. 2. (qui est de Confessione) quæst. de Pœnitentia iniuncta, tempore, quo Missa celebratur, imperata, tolli 105. consensit Dominico Soto, clariùsque, ac duriùs loquutus est, cum enim obiecisset sibi, [Si ita esset, quod præceptum de Missa audienda non obligat nisi ad interessendum eidem, sequitur, quòd satisfaceret quis huiusmodi præcepto, si interesit Missæ, semper tamen confabuletur, aut alia negotia profutura cū mercatoribus tractet,] cum, inquam, ita obiecisset, respondet, [Ex quo sub præcepto Ecclesiæ non cadit intentio finalis, nec qualitas operis, sed substātia operis, non video, quare, non sit illatum concedendum.] Hæc Ioannes de Medina, falsò supponens, non esse de substantia præcepti auditionis Missæ attentionem externam; indeq; cōcedens vltrò, confabulationem perpetuam, & mercaturę tractationem inter audiendum Sacrum non adversari præcepto quoad substantiam.

118 Cardinalis de Lugo Disp. 22. sect. 2. num. 5. visus est Ioanni Dicastilloni Tract. & D. 5: Dub. 3. n. 95. & 102. discedere à communi sententia, dum inquit, [Adverto item circa hoc, quòd licet præsentia tempore consecrationis exigeretur necessariò ad satisfaciendum huic præcepto; non deberet idem dici de eo, qui adesset quidem tunc, sed voluntariè distractus etiam distractione exteriori, nam ille re vera adfuisset Sacrificio, & obtulisset Sacrificium. Sicut enim Sacerdos, qui voluntariè distractus consecret, adhuc validè consecraret, & obtuliset verè Sacrificium, sic etiam Laicus assistens, verè obtuliset cum Sacerdote Sacrificium, licet voluntariè distractus fuisset illo tempore, &c.] Sed in his verbis Eminentissimus Cardinalis non aliud docet, quàm brevem distractionē etiam voluntariam, & exteriorem tēpore consecrationis non sufficere, vt assistens Missæ violet graviter præceptum de eius auditione. Vnde immediatè addit, [Et licet peccasset aliundè contra debitum attentionis, non tamen esset peccatum grave distrahi pro brevi illo tempore, licet esset maior culpa, quàm æqualis distractio in alijs partibus Missæ minus principalibus.] Quæ verba omissa sunt exarari à Dicastillone, cum tamen priorum, in quibus ipse offendit, aperiant sensum. Sed de-

debuisset, cum tanto Doctore mitiùs agere tum hìc, tum alibi sæpè. Ridebit Hispanus illud de Dicastillone. At vtus sum ea vocis declinatione, non secus, ac Dicastillo inflexione Lugoristotics repetita, vt affectationem redoleat in homine Hispano, quem latere non potuit, nobile cognomen de *Lugo* trahere derivationem à *Luco* Civitate Galleciæ. His omissis,

119 Animadverto cum Dicastillo in puncto distractionis externę ad ad num. 108. etsi deambulare, aut se vestire inter audiendum Sacrum, admittatur stare posse cum attētione externa sufficiente ad satisfaciēdum præcepto, nihilominus tantam esse per se irreverentiam, vt vix excusari valeat à peccato veniali. Eritque gravissimum mortale, si ex contemptu fiat. Nullum verò, etiam veniale, si absit scandalum, & adsit rationabilis aliqua causa absque suspicione contemptus. Quo sensu accipio Bonacinam, & alios, quos citat Disp. 4. quæst. vltima, puncto 11. num. 24.

120 Disquires primò, an cum attentione externa sufficiente ad satisfaciendum præcepto, & ad non peccandum in auditione Missæ componi possit Sacramentalis confessio siue facta à Pœnitente, siue excepta à Confessario? Respondeo negativè, si confessio protendatur in notabilem Missæ partem, etiamsi sit in loco, vnde queat audiri, vel videri Sacerdos celebrans, quia confessio tanto tempore durans, & maximè si sit de peccatis exigentib⁹ magnam advertentiam in dicente, & in excipiente, impedit, quominus homo ostendat se externè attentum Missæ, assistentemque Sacrificio, & cooperentem cum Sacerdote, non minus, quàm si tamdiu colloqueretur in templo cum Patre spirituali, aut Theologo de casibus ad conscientiam pertinentibus. Ita Ioannes de Lugo Disp. 22. sect. 2 num 22. & apud Leandrum q. 71. & 72. multi alij.

121 Inter quos Bonacina supra num. 26. docet id ipsum de faciente examen suæ conscientiæ tempore Missæ. Sed non assentior, quia is potest sufficienter ostendere se exteriùs attentum Missę; imò & habebit attentionem internam sufficientem, etiamsi concedamus, necessariam esse internā attentionem, vt satisfiat præcepto de auditione Missæ, nam examen conscientiæ, si saltem sit coniunctum cum honesto, supernaturalique dolore de peccatis, continetur sub attentione ad Deum explicanda inferiùs: atque sic colligitur non obscurè ex Suario Disp. 83. sect. 3. V *Circa alteram*, & V. *Alij verò*.

122 Inquit Bonacina, facientem examen suæ conscientię non videri assistere per modum orationis; Ecclesia autem præcipit, vt per modum orationis assistatur Missæ. Contra, tū quia si assistere per modum orationis, sit assistere fundendo preces siue internè, siue externè Ecclesia idneq; aquā præcipit audienti Missam; si verò sit assistere, orando latè; ita orat, qui cum dolore suam conscientiam discutit in ordine ad confessionem; tum quia Ecclesia tantùm imperat attentionem externam religiosam, & iuxta plures internam etiam, siue sit, siue non sit per modum orationis strictæ, aut latæ.

123 Dixi supra, *si confessio duret notabili Missæ parte*, nam si duret levi parte, vt si quis accedat ad brevem reconciliationem, quam vocant, aut excipiat eam, respondendum est affirmativè ad quæsitum, quia brevis distractio externa ab auditione Missæ, etiamsi sit voluntaria, non violat graviter præceptum de ea auditione; & neque leviter, si admittatur ex honesta causa interponendi brevem reconciliationem, ne in aliam Missam, aut tēpus differatur cōmunio. Legatur Lessius in Resolutionibus variorū casuum conscientiæ V. *Missa*, casu 2.

124 Disquires secundò, an cum attentione externa sufficiente ad satisfaciendum præcepto de Missæ auditione stare valeat horarum Canonicarum recitatio debita ex præcepto, vel voto? Respondent affirmativè Theologi communiter apud Comitolum Lib. 1. Responsorum Moralium, quæst. 65. & apud Leandrum quæst. 68. contra Angelum, Sylvestrum, Rosellā, Armillam, Cordubam, quia recitatio vocalis precum, aut horarum Canonicarum siue ex deuotione, siue ex obligatione præcepti, vel voti, cum attentione sufficiente ad ipsas, non impedit debitam præsentiam, neque attentionem necessariam, neque reverentiam

requi-

requisitam, vt satisfaciat præcepto de auditione Missæ. Et confirmatur egregiè ex ijs, quæ S. P. Ignatius parte, & C. 4. Constit. §. 3. in declaratione, litera *B.* inquit, *Dum Missa dicitur, quandiu Sacerdos submissè loquitur, vt populus nõ audiat, quæ is dicit, num Scholastici possint, necne recitare partem precum suarum,* (id est, Officij Beatissimæ Virginis) *ad quas horam habent designatam, Maioru, vel Superiorum arbitrio id relinquetur.* Nõ exprimit S. Patriarcha, num recitatio possit fieri tempore Missæ obligatoriè ex præcepto Ecclesiæ; loquiturque de recitatione obligatoria ex vi tantùm regulæ; & quæ fiat, quando Sacerdos submissè loquitur, tuncq; omnes sentire licitam esse, asseverat Gavantus in Rubricas Breviarij S. 1. C. 5. tit 4. n. 7. Quãdo verò Sacerdos altè loquitur, suadet Tostatus in Expositione Missæ, ne, qui eam audiunt, legant.

125 Ego quidem, si preces, aut horæ Canonicæ recitentur legendo valde attentè, defixisque oculis in librum notabili Missæ parte, dubitarem vehementer de obtervatione præcepti Missæ ob rationem redditam in responsione ad quæsitum superius. Et confirmo, nam qui simili attentione legeret historiam aliquam prophanã inter audiendum Missam, non satisfaceret præcepto. At quòd legat pias preces, aut horas Canonicas, ostendit quidem ipsum exteriùs attentum lectioni piæ, nõ autem magis externè attentum Sacrificio Missæ, quàm si legeret historiam illam. Alia est ratio de recitante memoriter, aut sine tanta ad librum attẽtione, is namque non præbet externam significationem distractionis à Missa. Eligat quisque, quam maluerit, sentẽtiam; notetque ex Lessio supra, [Etsi preces horariæ, & similia non repugnent attentioni ad Missam, præsertim cum illæ etiam ad honorandum Sacrificium referri possint, tamen confessionem videri magis repugnare, quia magis mentem absorbet, & alijs affixam tenet; adeò vt de Sacrificio vix possis cogitare.]

126 Sed disquires tertiò, an iuxta priorem opinionem peccet saltẽ venialiter, qui tunc temporis recitat horas Canonicas? Respondeo, per se non peccare venialiter, nam si sic peccaret, esset defectu attentionis externæ, vel internæ. Suppono autem, habere vtramque, quantùm satis est ad non violandum graviter vnum, & alterum præceptum de auditione Missæ, & recitatione horarum Canonicarum; indeque subinfertur, habere vtramque, quantùm satis etiam est ad non violandum leviter; non enim est, vnde probetur, requiri tantam attentionem externam, & internam, ne violetur graviter vnum, & alterum præceptum; maiorem verò, ne violetur leviter. Explico exemplo intentionis, quæ si detur sufficiens ad implẽdum sine peccato gravi vnum, & alterum præceptum, datur etiam sufficiens ad implendum sine levi. Dixi *per se*, nam peraccidens continget, & ferè semper, vt ob attendendum Missæ non attendat levi alicui parti horarum, & è contra.

127 Pro attentione externa ad Missam libet apponere aliqua ex Patribus incitamenta. S. Nilus in Epistola ad Anastasium Episcopum, cum retulisset suum Magistrum S. Chrysostomum [Omnì ferè tempore vidisse dominum Domini refertã Angelorum cœtu, & tunc in primis cum divinum, & incruentum Sacrificium offerebatur,] (addit) [Hæc autẽ scribo, vt divini Sacrificij dignitatem cognoscentes caueatis, ne illud negligenter, divino timore abiecto, administretis, ne permittatis, vt aliqui inter se contendãt, & cum tumultu ad ipsum accedant, aut audacter annuant, & è loco suo prosiliant, aut huc, illuc circumspiciant, & ignavè, petulãterque se gerant.] Sic S. Abbas.

128 Et ipse S. Chrysostomus in Epistolam 2. ad Cor. Homil. 2. ait, [Quidam adeò sunt incogitantes, stulti, ac dissoluti, vt non solùm eo tempore, quo hæc aguntur cum Catechumenis, verùm etiam in his, quæ aguntur cum fidelibus, stent, & fabulentur. Hinc subversa sunt omnia, hinc pereũt omnia: & quidẽ eo tempore, quo maximè Deus erat placandus, illo magis irato discedimus:: Quapropter exhortor, vt, his omnibus perpensis, noveritis tempus deprecationis, ac tunc ita sublimes efficiamini, vt relicta terra Cœlorum ipsorum convexa attingatis, vt Deum nobis propitium reddere possimus, vtque promissa bona consequamur.

Rursus

129 Rursus idem S. Doctor Homilia 46. ad populum Antiochenũ, [Celebratur oratio, omnes iacent segnes, iuvenes, & senes, piacula magis, quàm homines, ridentes, cachinnantes, colloquentes, (nam & hoc factum audivi) & alijs detrahentes, super genua positi :: Video rursum & alios loquentes rectos, dum oratio celebratur : eorum verò leviores, non solùm dum oratio perficitur, verùm & dũ Sacerdos benedicit. O rem horrendam! Quando salus erit? quando Deũ placare poterimus? Ad ludum procedunt militares homines, & omnes cõpositè videbis incedentes, & neglectũ nihil. Sed sicut in vario ornatu, & pictura compositorum, ex singulorum ordinatione, magna quædam repẽtè redditur harmonia, & consonantia: itidẽ & hìc vnum scutum, vnum caput habemus omnes. Si vel minimum quid neglectum fuerit, totũ est neglectum, atque corruptum, & multorum ordini vnius soli nocet dissolutio. Et id profectò tremendum est, quòd huc non venis ludum, aut choream obiturus, & tamen stas incompositè. Nescis, quòd cũ Angelis constitisti? quòd cum illis cantas, cum illis Deum laudas, & stas ridens? Quòd fulmen non torquetur, non tantùm in istos, verũ & in nos, nonne mirandum? Sunt enim ista fulmine digna. Adest Rex, exercitum recenset, tu sub illius oculis stas ridens, & risum despicis : quovsque accusamus? nonne tanquam corruptores? nonne tanquam pernicioſos, & perditos tales, & innumeris plenos malis ex Ecclesia decebat expelli? Quando isti ridere desinent, qui in horroris hora rident? quando à nugis abstinebunt, qui orationis tempore loquuntur? Non adstantes reverentur, non Deum timent. An non sufficit nobis mentis negligentia, neque quòd orantes aliò circumagimur, verùm & subrepere risum oportet, & ingentem cachinnum? Num quid theatrum sunt præsentia.] Hæc ibi S. Chrysostomus, habetque eadem super Apostolorum Acta in Homilia 24.

130 Ex quo S. Doctore in variis locis, & ex Tertulliano C. 13. de Oratione, necnon ex S. Cypriano in L. de Oratione Dominica, alijsque ex PP. complura possemus colligere. Sed vtilem ad eos, qui inter audiendum Sacrũ orant vocaliter, non omittemus animadversionem S. Cypriani, [Quando in vnum cum fratribus convenimus, & Sacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ, & disciplinę memores esse debemus : non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petionem commendandam modestè Deo tumultuosa loquacitate iactare. Quia Deus non vocis, sed cordis est auditor. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt.]

131 Neque item omittemꝰ quædam ex iure Canonico, vt illa ex C. *Decet* 2. de Immunitate Ecclesiarũ in 6. [Decet domum Domini sanctitudo, decet, vt cuius in pace factus est locus, eius cultus sit cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Ecclesias humilis, & devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solùm instruat, sed reficiat :: Quod generaliter scribitur, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, singuli singulariter in se ipsis implentes (præcipuè dum aguntur Missarum sacra mysteria) glorioſum illud nomen quandocumq; recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur. Attendantur in locis eisdem intentis præcordijs Sacra solemnia, devotis orationibus insistatur. Nullus in locis eisdem, in quibus cum pace, ac quiete vota convenit celebrari, seditionem excitet, conclamationem moueat, impetumve committat. Cessent in locis illis :: vana, & multò fortiꝰ fęda, & prophana colloquia. Cessent cõfabulationes quælibet. Sint postremò quæcumque alia, quę divinum possũt turbare Officium, aut oculos divinæ Maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea, ne vbi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.]

132 Brevioribus verbis Concilium Tridentinum Sess. 22. monuit, *Tempore, quo Sacra peraguntur, colloquutiones, & confabulationes non fiant; sed ore, & animo celebranti assistatur.* Alia verba eiusdem Synodi Tridentinę dabimꝰ inferiùs. Videatur C. 4. *In loco* 5. quæst. 4. qui de loco, vbi celebratur Missa, videtur intelligi à S. Bonaventura apud

apud Nigronum Commentario in 2. Regulam Communium S1. num. 15. Et quanvis intelligentia conformior Concilio Toletano XI. C. 1. vnde Canon ille describitur à Gratiano, sit de loco Synodi, tamen non ineptam inde inductionem conficit Navarrus C. 17. de Oratione, num. 16. & 17.

133 Olim cura summa adhibita fuit, vt adstantes Sacris silentissimi essent. In Constitutionibus Apostolicis S. Clementis Lib 8. C. 11. iubebatur, vt *Diaconi deambularent Templum, & contemplarentur viros, ac mulieres, ne quis nutus faceret, aut mussitaret, aut dormitaret.* Eadem ferè verba leguntur Lib. 2. C. 57. De Diaconorum autem munere indicendi silentium ante lectiones Scripturarum in Missa Catechumenorum constat ex S. Chrysostomo Homilia 19. in Acta, S. Ambrosio in Præfatione Psalterij, S. Isidoro Lib. 1. de Officijs Ecclesiasticis C. 10. Et quidem quæ in Missa peraguntur, *mysteria dicuntur, & sunt; vbi verò sunt mysteria, multum silentium est: cum multo ergo silentio, cum multa modestia, decentique reuerentia hoc Sacrificium attingamus,* vt suadet Sanctus Chrysostomus Homil. de Baptismo Christi. Atque vt aiebat Sanctus Liberius Papa apud S. Ambrosium Libro 3. de Virginibus, *An quidquam est indignius, quàm Oracula diuina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur. circumsonare Sacramenta confusis vocibus, vt impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum Gentiles Idolis suis reuerentiam tacendo deferunt?* Confirmat Id S. Pontifex exemplo pueri, qui, Alexandro sacrificãte, cum aduereretur, nec dolorem prodidit gemitu, nec tacito pœnam indicavit fletu, ne violaret Sacrificij silentium: *Et tu in ministerio Dei Virgo gemitus, excreatus, tusses, risus abstine*, concludit Sanctus Liberius. Porrò illud de silentio Gentilium in suis Sacris scitissimum est; imperabaturque his præconis vocibus, *Linguis fauete quisquis ades.* De qua formula consulantur Brissonius Lib. 1. ex pag. 8. Ioannes Ludovicus de la Cerda ad carmen 71. L. 5. Æneidos.

134 Ex tam studiosè procurato silentio in Missis profluxit prouerbium Hispanũ, *Callar como en Misa*, id est, tacere vt in Missa. Optandumque est, vt quæ Maiorum nostrorum religiosissima taciturnitas causã adagio dedit, duret etiamnum. In Societatis Regula 26. Communium iniungitur nobis, vt *extra tempora recreationi assignata nemo loquatur, nisi obiter, & perpaucis, ac de rebus necessarijs; præsertim in Ecclesia:: in Missa verò:: siquid priuatim dicere necesse erit, & breuissimè, & submissa voce suggeratur.* Et Ædituus numero 22. Regulæ suæ instruitur, vt *aduertat, ne quis in Templo deambulet, neve strepitus in eo audiatur: eos verò, qui loquentur altiùs, modestè, vt decet, admonebit.* Quod est consonum Concilio Tridentino Sessione 22 in Decreto de Obtervandis, & evitandis in celebratione Missæ, vbi de Ordinarijs locorum Episcopis, *Ab Ecclesijs arceant seculares omnes actiones, vana, atque adeò prophana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores; vt domus Dei verè domus orationis esse videatur, ac dici possit.*

SECTIO X.

De attentione interna.

135 CIVS tractatio non modici negotij est; sed curabimus resecare plura non neceſſaria. Et in primis supponimus, attentionem internam ad Missam esse quandam considerationem, aduertentiam, & applicationem mentis ad ipsam. Secundò, dividi trifariàm, scilicet in attentionem ad verba, aut ad actiones, & cœremonias, quæ dicuntur, aut aguntur à Sacerdote celebrante; in attentionem ad sensum, significationemq́; verborum, aut actionũ, & cœremoniarum; in attentionem ad Deum, vt cui Sacrificium offertur, & & religiosus cultus exhibetur. Quælibet ex his attentionibus internis versari debet circa suum obiectum tanquã circa quid sacrum, ordinatumq́; ad Dei cultũ. & ad excitandum pium aliquem affectũ; & sub ea attentione, quę est ad Deum, includitur omnis interior reuerentia, & cultus Dei, omnis oratio, petitio, actioque gratiarum ad ipsum. Tertiò præmittimus ex Tractatu de

Legibus, humanum præceptum, etiam Ecclesiasticum (quale, & merè est de auditione Missæ præceptum) non posse præcipere actus internos primariò, & directè, sed secundariò, & indirectè, quatenus necessarij sint ad externos primariò, & directè præceptos. Quæstio igitur huius loci est, an Ecclesia præcipiens directè, & primariò auditionem Missę, attentionemque externam, præcipiat etiam indirectè, ac secundariò attentionem internam.

Prima sententia attentionem internam requirens.

136 CIVS prior ratio est, potest de facto Ecclesia præcipere indirectè actus internos necessarios ad externos actus quoad esse physicum, vel morale, artificialeve horum. Atqui attentio interna est necessaria ad esse morale præceptę ab Ecclesia auditionis externæ Sacri. Ergo potest de facto Ecclesia præcipere attentionem internam, præcipitque eam de facto, & connaturaliter. Probatur Minor, quia externa Sacri auditio præcepta ab Ecclesia est actus externus, quo quis humano, & morali modo sit præsens Missæ, & quo piè, atque religiosè Deum colat. Sed ad id esse morale auditionis externæ Sacri requiritur attentio interna. Ergo, &c. Suadetur Minor, quia alioqui qui corporaliter præsens Missæ luderet Latrunculis, aut Reginis, vel attentissimè studeret alicui libro, audiret ipsâ modo sufficienti, vt censeretur, eidem assistere humanè, atque moraliter, & vt Deum coleret piè, ac religiosè.

137 Secunda ratio, talem præcipit Ecclesia auditionem Sacri, quę præseferat attentionem internam; seu Ecclesia præcipit in auditione Sacri attentionem externam consistentem in negatione distractionis externę, id est, alicuius negotij, vel occupationis externæ, quæ ex se distrahere debeat mentem ab auditione Sacri, & quæ ex se significet, animum non esse attentũ auditioni Sacri. Ergo eo ipso præcipit Ecclesia attentionem internam, alioquì præceptum Ecclesię sisteret in externa quadam hypocrisi, & simulatione attentionis internæ.

138 Tertia ratio, Ecclesia præcipit assistere Missæ per modum orationis, & adorationis externæ ad Deum. Nequit autem stare externa oratio, & adoratio (quæ vera sit, & non simulata) sine attentione interna, nam orario externa est manifestatio mentis, desiderijque interni, & adoratio externa est nota submissionis internæ. Vnde aiebat Sanctus Chrysostomus Homilia 79. ad populum Antiochenum, [Si corpore humi prostrato, & ore incassum nugante, mens totam domum, & forum circumeat; quomodò talis dicere poterit, quòd in cõspectu Dei deprecatus sit? Nam orat in Dei conspectu totam colligens animã suam, & nihil habens cum terra commune, sed in ipsum se transferens Cœlum, & omnem ex animo pellens humanam cogitationem. Sic enim deprecantem oportet orare, vt totam cogitationem suam colligens, cum animi dolore contendens Deum vocet.] S. etiam Eucherius Lugdunensis Antistes, vel Eusebius Emissenus Homilia in illud, Vbi sunt duo, &c. purabat, [quòd de vno posset dici, quia in domũ Dei debeat congregari, id est, vt ad exorandum Deum, non solùm exteriore, sed etiam interiore sensibus, & desiderijs, fide, & operibus totus introeat. Nam si intra Ecclesiam solo corpore quisquis ille teneatur, & toto extra Ecclesiam corde versetur, exterior abspiritu suo divisus, ac separatus ingreditur, & quod est in homine pretiosius, hoc à divinis obsequijs peregrinatur, dum solùm in præsenti terra tenetur, anima verò verò per passiva ludibria in multiplices discursus captiva distrahitur. Et ideo quando quisque nostrum ante iudicem suum æternam causam cõmendaturus assistit, nõ aliud intus appareat, & aliud foris erret. Nihil ab homine de parte hominis absentet. Nam qui dixit, Vbi sunt duo, vel tres congregati, quomodò probabitur congregatus, si à semetipso cogitationũ evagatione dispersus est? Aut quo modò erit Deus in medio tui, si tecum ipse nõ fueris? Si deest ille, qui poscit, quomodò aderit ille, qui poscitur? Quomodò suscitabitur iudex, si dormitaverit advocatus? Opus est itaque, vt quod postulat vocis sonus, obtineat

sedu-

sedulitatis affectus. Revoca intrò solicitam mentem; de templo Dei absentare non expedit Sacerdotem.

139 Quarta ratio, præceptum Ecclesiæ de recitatione horarum Canonicarum obligat ad attentionem internam, tum quia obligat ad orationē externam, quę internam ad Deum, vel ad verba, vel ad sensum verborum præsupponere debet attentionem; tū quia in C. *Dolentes* 9. de Celeb. Miss. præcipitur *in virtute obedientiæ, vt diuinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantùm dederit Deus, studiosè celebretur pariter, & deuotè.* Vbi To *Deuotè* idem est, ac attentè, & reverenter. Ergo similiter præceptum Ecclesiasticum de auditione Missæ obligabit ad internam attentionem, nam vtriusque præcepti eadem videtur esse ratio in ordine ad imperandam indirectè attentionem internam.

140 Et de audientibus Missam inquit Concilium Tridentinum Sess. 22 Decreto de observandis, & evitandis in eius celebratione, debere, *decenter, composito corporis habitu, declarare, se mẽte etiam, & deuoto cordis affectu, non solũ corpore adesse.* Et Synodus III. Turonẽsis anno 813. sub Leone Papa III. C. 38. ait, *Tempore, quo Missarum solemnia celebrantur, non solùm ab otiosis, & inutilibus verbis, verùm etiam & à pernicioſis cogitationibus funditus abstinendum esse.* S. Cyprianus de Oratione Dominica relatus C. *Quando* 70. de Cons. Dist. 1. similiter scribit, *Quando stamus ad orationem, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio omnis carnalis, & Secularis abscedat; nec quidquam tunc animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem, Præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicẽdo, Sursum corda, vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil se aliud, quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur.*

141 Prætereà B. Esaias Abbas Orat. 3. monebat, *In hora Sacrificij resiste cogitationibus, vt sensus tuos continens in timore Dei mysterijs dignus efficiaris, & Dominus tuas curet ægritudines.* S. Chrysostomus Homilia 4. de incomprehensibili Dei natura, post multa alia in hāc rem concludit, *Nemo igitur animo resoluto sacras illas, & mysticas laudes ineat socius, nemo rerum vitæ humanæ consilia illo tempore voluet; sed omni terrena sorde animo pulsa, in Cœlum quisque se totum transferat, vtpote qui propinquus solio gloriæ stet, & cum Seraphim volitet; atque ita laudem sanctissimā referat summo, optimo, gloriosissimo Deo. Idcirco benè constare tempore illo iubemur. Benè enim cõstare, nihil aliud est, nisi ita constare, vt hominem conuenit, qui coram Deo immortali stat cum horrore, tremoreque, cum sobrio, parato, studioſoque animo.* Sic ibi; & ex Præfatione Missæ, *Sursum corda*, responsioneque, *Habemus ad Dominum*, elegantissimè hortatur Homilia de Euch. in Encœnijs, & Homil. de Pœnitentia (qui est serm. 38 tom. 5. Græcolatini) vt & S. Cyprianus supra ad attententionem internā, dum Sacris assistitur. Doluitque vehementer Concilio Parisiensi anno 829. sub Gregorio Papa IV. Libro 2. Cap. 12. *quòd multi ad Ecclesiam ingressi non ad Deum puram, simplicemque orationem dirigunt, quoniam quod ore precantur, hoc etiam mente non meditantur.* Quos extẽsè increpat Concilium illud verbis Origenis, Sancti Augustini, & V. Bedæ, legendis ibi, vt & multis alijs Patrum Ecclesię apud Durantum Lib. 1. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus Cap. 26. numero 6. & apud Raynaudum in Heteroclitis spiritualib⁹ circa Deum, Christum, ac Cœlites, sect. 2. puncto 7. ex pag. 281. vsque ad 322.

142 Cæterùm patroni sententiæ, quæ his Patrum testimonijs illustratur, advertunt primò, adimpleri præceptum quoad substantiam ab eo, qui pollens capaci, perspicacique intellectu attendat ad Missam, simulque cogitet de re aliqua non sacra; etsi venialiter peccet, eo quòd admittat cogitationem hanc, quando Missam audit. Secundò, cum attentione sufficiente ad satisfaciendum præcepto stare posse opus aliquod externum, exigens, vt fiat, modicam mentis applicationem; sed nō vacaturum à culpa saltem veniali, nisi adsit causa aliqua honesta, ratione cuius non tribuatur irreverentiæ.

143 Advertunt tertiò, sufficere pro Ecclesiæ adimplendo præcepto attentionem internam ad verba, aut actiones, quæ dicuntur, aut aguntur in Missa. Quartò, sufficere item atten-

tionem internam virtualem, & non requiri actualem, quæ toto Missæ tempore perseveret physicè. Quare dicũt, satis esse, si quis initio Missæ habeat propositum attendendi, quatenus vel formaliter, vel virtualiter velit tunc attendere: formaliter quidem, si expresè velit id; virtualiter, si velit assistere Sacro, provt oportet, hoc enim ipso vult virtualiter, attendere. Cum igitur doceant, sufficere attentionem virtualem, colligitur exinde, hanc eo vsque permanere, quoadvsque aut expresè velit quis non attendere, aut implicitè velit idem ipsum, admittendo voluntariè cogitationes ab eo loco, & tempore alienas, quibus distrahatur internè. Vnde nisi distractio sit voluntaria, manet attentio virtualis, ideoq; distractio involuntaria non impedit, quo minus adimpleatur præceptum.

144 Et multi addunt, adimpleri præceptum, si cogitationes alienæ sint voluntariæ, dummodò quis nõ advertat, alienas cogitationes voluntariè admissas distrahere animum: cõsideratq; humana fragilitate, impossibile moraliter esse, hominem retinere imaginationem diu advertentem; ideoque si advertens, se divagari, adhibeat mediocrem diligentiam, vt attendat, non peccare; at si non adhibeat, peccare tantùm venialiter, vt cum alijs inquit Thomas Sanchez in Consilijs, L.7.C.2.dub.28.n.11.& 13. loquens de recitante horas Canonicas ex obligatione; dixeratque in num. 10. non debere orantem vocaliter conari semper tota solicitudine, vt contineat cor suum intra verba, & sensum vocalis orationis, quin toleratri possit evagatio quædam ad refocillandum caput, vel cor. Docetque idem Sanchez num. 14 ad peccatum mortale non sufficere negligentiam crassam in avertenda mentis divagatione; sed opus esse, vt vel ex contemptu, vel ex industria, dataq; opera quis divagetur, & advertens, distrahi se à vocali oratione. Quę doctrina displicet Baldello in tom 2. Lib. 3. D.37.n.23. Sed ea, si alijs placeat, & præcedentes videntur posse accõmodari audienti Missam ex præcepto; vt & audienti Missam ex devotione id, quod idem Sanchez dub.31.n.3 & Baldellus n.22. aiunt de recitante orationes ex devotione, scilicet si quis recitet eas non animo orandi, sed cavendi vanas cogitationes, vel gratia recreationis, non peccaturum, sed laudabiliter facturũ, etiamsi data opera non habeat attentionem. Consentitque Azor p 1. L.10 C.12. q.11. cum Gabriele Lect. 82. in Can. Missæ lit. I, & cum Palatio in 4. Dist. 15. D. 12. pag. 160. Et hæc de prima sententia, quæ communissima est.

Secunda sententia attentionem internam non requirens.

145 QVÆ quidem est minus communis, sed multorum tamẽ, graviumque Theologorum antiquorum, atq; recentium. Et probatur primò, quia etsi Ecclesia possit de facto præcipere indirectè actus internos, non tamen nisi eos, qui necessarij sint ad esse physicum, vel morale, aut artificiale actuum externorũ, quos directè præcipit. Sed attentio interna non est necessaria ad vllum esse externi actus auditionis Missę. Non ad esse physicum, vt patet; neque item ad esse morale, aut artificiale, nam vt quis modo humano, & morali sit præsens Missæ, & vt colat Deum piè, ac religiosè per talẽ præsentiam, satis est reuerẽtialis auditio externè attenta procedens ex interna intentione, quin vlteriùs requiratur interna attentio. Igitur hanc Ecclesia indirectè non præcipit.

146 Secundò, quia quòd Ecclesia imperet externam Sacri auditionem præferentem attentionem internam, nõ est indicium imperandi indirectè hanc attentionem, nam etiam præcipit auditionem præferentem intentionem boni finis, quin ideò præcipiat indirectè istam intentionem.

147 Tertiò, quia licet Ecclesia iubeat assistere Missæ per modum orationis, & adorationis externæ ad Deum, non exinde infertur, iubere attentionem internam actualem, nam orationi externæ sufficit, si sit manifestatio mentis, desiderijque interni siue præsentis, siue præcedentis, si item sit externum signum elevationis internę, vel modò existat, vel anteà extiterit; similiter adorationi externæ sufficit, si sit externa nota submissionis internæ siue nunc, siue anteà habitæ. Con-

firmatur

firmatur ex Cardinali de Lugo Disp. 22. sect. 2. à num. 30. Presbyter conferens Sacramentum Extremæ vnctionis orat in prolatione verborum formæ; & tamen talis prolatio deprecatoria potest substantialiter, & validè fieri ablq; actuali attentione interna, quin imò cum actuali distractione interna voluntaria. Confirmatur rursus ex eodem, vocalis ad Deum oratio est locutio cũ Deo, cui repræsentamus nostra desideria. Ast locutio cum alio salvatur, etiãsi actu detur distractio interna voluntaria, vt constat exemplo Ministri Extremę vnctionis, qui, etiam dum actualiter esset volũtariè distractus, loquitur cum Deo; vt item constat exemplo ministrantium alia Sacramenta, qui cũ personis, quib⁹ ministrant, loquuntur, non obstante actuali distractione volũtaria.

148 Quartò, quia Ecclesia in recitatione horarum Canonic. non præcipit indirectè attentionem internam. Nam neque oratio externa hanc præsupponere debet. Neque in C. *Dolentes* præcipitur attentio interna, sed externa, dictum enim proximè fuerat, *Et si quando cum hæc celebrantur, interfint, Chori silentium fugientes, intendunt exteriùs colloquutionibus Laicorum; dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad diuina. Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ*, &c. Imò neque attentio externa præcipitur propriè, sed deuotio externa, quæ est actus externus indicans internam hominis ad cultum diuinum oblationem, & traditionem, vel indicans promptitudinem quandã, & feruorem affectus interni ad eundẽ cultum, vel indicans refectionem spiritualem, & dulcem quãdam mentis recreationem. Et vt sit sermo de aliqua interna deuotione, quæ sit propositum recitandi attentè, & proinde deuotè, prout explicat Sanchez supra, dub. 29. at non præcipitur, sed tantùm consulitur ea deuotio, vt innuitur illis verbis, *Quantùm dederit Deus*. Et præceptum potest dici cadere super *studiosè*, quo adverbio significatur officium oris, id est, sine syncopa, iuxta Glossam. Et omnibus in confesso esse debet, pœnam suspensionis, immediatè ante præceptum in virtute sanctæ obedientiæ memoratam, non ferri obdefectum deuotionis merę internæ. In Concilio quidem Tridentino Sess. 24. C. 12. iubetur Canonicis, vt *in Choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotèque laudent.* Sed sermo est de externa deuotione, cum dicatur ibidem, compellendos esse delinquentes. Et tam in hoc Concilio, quam in illo alio Lateranensi (ex quo desumptum est Caput *Dolentes*) agitur de Officio publico, & non de eo, quod priuatim recitatur. Si ergo Ecclesia nõ præcipit indirectè attentionem internam in recitatione horarum Canonicarum, neq; præcipiet in auditione Missæ.

149 Quintò, quia si Ecclesia præciperet attentionem internam in auditione Missæ, sequeretur, non adimplendum præceptum ab eo, qui etiã involuntariè esset internè distractus, non enim exhiberet actum præceptum attentionis internę. Quòd autem non exhibitio esset involuntaria, sufficeret ad excusandum à peccato, sed non ad satisfaciendum præcepto. Sicut si quis post incæptum audire Sacrum dormiret involuntariè, aut exiret è templo inadvertenter distractus, non esset peccati reus, at minimè adimpleret præceptum, siquidem nõ conservaret prę-sentiam corporalem, aut moralem, quã Ecclesia imperat. Nec proderit dicere, si distractio sit involuntaria, manere virtualiter attentionem. Non, inquam, proderit, tum quia alioqui negligens, vel leviter, in repellendis cogitationibus, quæ distrahunt, non adimpleret præceptum, quandoquidem distractio non esset tunc omnino involuntaria, & proinde aliquatenus volũtariè revocaretur attentio anteà habita, nec permaneret virtualiter: tum quia non durat virtualiter actus, quando succedit alius contrarius, aut incõpossibilis cum ipso; distractio autem etiam involuntaria, seu cogitationes alienæ inadvertenter subrepentes sunt contrariæ, aut incompossibiles cum attentione: tum quia vt maneat virtualiter attentio, opus est, vt perseveret aliquis eius effectus. Non apparet autem, quis eius effectus perseveret potiùs cum distractione involuntaria, quã cum voluntaria.

150 Sextò, quia aduersa opinio

aperit aditum multis scrupulis in viris timoratæ conscientiæ, nihilque, aut parùm continet viros, qui sint laxioris; hos enim ad attentionem nihil, aut parùm movebit pręceptum Ecclesiæ, si non moveat pręsentia Dei intuentis corda hominum, cognoscentisque defectum attentionis; qui defectus est ignotus Ecclesię; raroque persuadebunt sibi, sic fuisse distractos, vt peccarint graviter cōtra Ecclesiæ pręceptum: illos verò nimiùm molestabit subortum passim dubium, num satisfecerint, necne præcepto, num attentionem habuerint, necne, num distractio fuerit involuntaria, num voluntaria, num volūtaria culpabilis leviter, num graviter? Quare sæpè repetent auditionem Sacri, vt solutione non incerta, sed certa satisfaciant debito præcepti certo. Atque ita multoties vidimus scrupulosos afflictos supra modum, & iterantes auditionem Missæ, recitationemque horarum Canonicarum ob dubitationem de attentione, ad quam obligari ex præcepto putabant. Novi quendam, qui vsq; ad postremam diei horam differebat recitationem, ne, si anteà persolveret Officium divinum, scrupuli cogerent ad illud sępiùs repetendum.

151 Notant verò huius opinionis Authores, quanquam Ecclesiæ præceptum non obliget directè, nec indirectè ad internam attentionem, tamen ius naturale, ac divinum obligare, non modò quando auditur Sacrum ex præcepto, sed etiam quando ex mera devotione, (ita tamen vt audiatur formaliter, & non merè materialiter) quia, vt inquit Ægidius ConincK q. 83. art. 6. num. 297. [Est contra reuerentiam Deo, tantisque mysterijs debitam, ijs vagabundo animo interesse. Si tamen absit scandalum, aut cōtemptus, distractio ex hac parte non est peccatum mortale, etiamsi exteriùs appareat,] & interiùs sit voluntaria, vt supponit Ægidius, & in terminis observant Cardinalis de Lugo Disput. 22. sect. 2. num. 41. Gaspar Hurtadus Disput. 5. de Sacrificio Missæ, Diff. 2. V. *Vnde*, vbi non certò, sed sub adverbio *fortè*, ait, peccare venialiter, Mascarenhas Tract. 5. Disp. 6. Cap. 9. num. 512. Præpositus 3. p. quæst. 83. art. 6. dub. 5. num. 255. Thomas Tamburinus Lib. 2. de Missa C. 3. num. 6. Arriaga Disp. 57. sect. 7. num. 40. Ioannes Valerus in Differentijs inter vtrumq; forum V. *Horæ Canonicæ*, Differentia 1. V. *Vnde recitans*, fol. 138. Paulus Comitolus in Responsis Moralibus Lib. 1. quæst. 63. num. 7. Pellizarius in Manuali Regular. Tract. 5. Cap. 4. sect. 2. num. 48. Tract. 10. Cap. 6. num. 10. & 17.

152 Notant prætereà qui istius sententiæ egerunt meliùs causam, debere esse inconfesso, requiri, vt pręcepto satisfiat, aliquam internam attētionem ad audiendam decenter, & reuerenter Missam, tanquam rem sacrā, & religiosam. Atque ita significarunt S. Antoninus 3. p. Summæ tit. 13. C. 4. §. 7. Sylvester V. *Missa* 2. quæst. 6. V. *Primum*. Hactenus de secunda sententia: quam tuentur sexdecim Doctores antiqui citati à Francisco de Lugo infrà num 128. possemusq; addere alios, vltra modernos proximè memoratos. Quare immeritò Luisius Turrianus in Selectis parte 1. Centuria 4. dub. 28. & p. 2. Disp. 31. Dub. 15. scripsit, non videri probabilem, neq; tutam in cōscientia, sed perniciosam, & contra bonos mores. Qua in censura, & non rarò in alijs, excessit doctus is vir, vt multi iam observarunt; & vt ego audivi à quodam eius contubernali, grādioris ætatis authoritate redditus est nimius censor opinionum, quę sibi non placebant, casuumque, de quibus in Curia Madritensi consulebatur, multitudine oppressus, non tam discretè, quàm anteà in otio litterario Complutensi, concoxit nonnulla responsa sua. Excesserunt etiam Nuñus 3. p. q. 83. art. 6. parte 3. Conclusione 6. pag. 995 vocans hanc sententiam falsissimam, prorsusque improbabilem. Candidus Disq. & artic. 25. dub. 4. dicens, esse omnino improbabilem.

Iudicium de vtraque sententia.

153 CERTE, vt monent suprà ConincK n. 301 & Cardinalis de Lugo num. 41. re ipsa convenit vna opinio cum alia & solùm de nomine videtur esse dissensus apud

apud eos saltem, qui maiori cum peritia vtramque tractarunt. Atque si rectè perpendantur fundamenta primæ, non convincunt, necessariam esse aliam, aut maiorem attentionem, quã concessam à secunda in postrema adoratione, nec probant, distractionem siue involuntariã, siue voluntariam obesse, quominus adimpleatur præceptũ, si distractio talis sit, quæ non impediat manere formaliter, aut virtualiter eã attentionem.

154 Rursus fundamenta secundæ, si accuratè librentur, minimè convincunt, non esse necessariam vllã attentionem, nec probant, adimplerionem præcepti stare posse cum omni distractione à Missa. Et hæc sit nostra circa propositam quæstionem resolutio cum Castro Palao Tract. 22. Disput. vnica puncto 16. num. 3. Ioanne Dicastillo Tract. & Disp. 5 dub. 8. à num. 95. Francisco de Lugo Lib. 5. Cap. 14. quæst. 10. à num. 137. Et omittimus dissolvere vnius, & alterius opinionis argumenta, quatenus in speciem faciunt contra nostram resolutionem, ne in re facillima ludamus tempus, & operam.

155 Alia media sententia posset in præsentiarum grata esse alicui, quatenus scilicet peccet mortaliter, qui consultò sine attentione interna audiat Sacrum, sed non ideo non satisfaciet præcepto Ecclesiæ, neq; obligabitur audire aliud Sacrum, quia non egit contra præcepti substantiam, sed contra modum imperatum indirectè, audiit enim Missã, quamuis malè. Quæ media sententia placuit nõnullis apud Azorem tomo 1. L. 10. C. 12 quæst. 6. Cap. 14. q. 8. & apud Thomam Sanchez in Consilijs Lib. 7. C. 2. dub. 30. circa illos, qui ad horas Canonicas obligati recitant eas absque attentione mentali; delinquunt enim lethaliter, sed non tenentur repetere illas, neque restituere fructus Beneficij, si sint Beneficiarij, & non iterent; idque secũdum de immunitate à restitutione approbatur à Soto Lib. 10, de Iustitia q. 5. art. 6. Conclus. 4. & antecà art. 5. V. *Supra hæc autem*. Sed neque secundum, neque primum admittitur ab Azore, & à Sanchez.

156 Quare enormiter deceptus est nonnemo, qui Azori, & communiter Iesuitis attribuit opinionem de adimpleto præcepto à Sacerdote, aut Beneficiario voluntariè distracto recitante Officium divinum. Nam Azor censet, peccare graviter, esseque probabilius, & verius, quòd non satisfaciat præcepto quoad substantiam: alij autem Iesuitæ variè iudicant, sicut & Scriptores familiæ sapientissimæ Dominicanæ, siquidem quòd satisfaciat præcepto quoad substantiam, & lethaliter non peccet distractus internè, & volũtariè in recitatione horarum Canonicarum, ad quas obligetur, affirmant claris verbis Sanctus Antoninus, & Sylvester supra citati, iuncto pro Sylvestro V. *Horæ Canonicæ*, num. 13. & 14. Durandus in 4. Dist. 15. quæst. 12. num. 6. fol. 290. Paludanus ibidẽ, q. 5. art. 2. Conclus. 4. num. 24. & 25. pag. 191. Turrecremata Tract. 77. ad Regulam S. Benedicti C. 19. Et vt alios Dominicanos taceam, Victoria in Epistola, cuius meminit Valerus, scripsit sic ad scrupulosum quendam, [Circa Officium divinum nota hæc tria puncta, cum ipsum persolvis. Primum, ad serviendum Deo perfectè, enitere, vt sis benè attentus. Secundum, ad excusandum te à peccato veniali, fac, vt sis aliquantulùm attentus. Tertium, ad excusandum te à peccato mortali, dicito horas eo peiori modo, quo possis, & cum minori intentione, quã volueris: & hoc sufficit, dũmodò ipsas persolvas siue malè, siue benè.] Ita Frãcisscus à Victoria, quem in Hispanię Academijs fundasse altè gloriam, & hæreditatem Theologiæ Scholasticæ vnà cum egregio suo discipulo Dominico à Soto, tradit parte 1. fidelissimæ, & elegantissimæ Historiæ Concilij Tridentini Lib. 6. C. 2. num. 5. P. Sforcia Pallavicinus assumptus nuper è nostro Ordine ad Cardinalitiam purpuram communi plausu Christiani Orbis ob præclara virtutum, sapientiæ, & prudentiæ merita, quæ suspicit in tanto Viro.

157 Facessat igitur incognitus ille, qui Nostris voluit concitare odium vt authoribus novitatum; & contra eum legatur Amadeus Guimenius propos. 1. ex Tract. de Horis Canonicis; sed non benè Dominicanum vocãs Andream Victorellum, est enim è Societate, & in notis ad Tolerum

Lib. 2. C. 13. V. *Circa modum* reputat veriorem, & probabiliorem opinionē contrariam ei, pro qua citatur ab ipso, & à Machado Lib. 2. p. 3. Tract. 2. document. 5. num. 2. Porrò de media illa sententia, quam proposui, & quæ huic digressioni occasionem dedit, aliorum erit iudicare, nam ego nec probo, nec improbo.

SECTIO XI.

Disquiritur incidenter de attentione Sacerdotis celebrantis Missam.

158 NEGOTIVM adhuc est circa attentionem. P. Thomas Tamburinus Lib. 2. de Missa C. 3. egit præ alijs de attentione celebrantis, censuitque num. 7. & seqq. peccare eum, qui mente voluntariè distractus dicit, aut agit quidpiam Missæ siue obligatoriæ, siue voluntariæ, sic enim persuadet irreverentia, quæ in ea distractione intervenit; sed peccare venialiter, si distractio contingat in Missæ partibus extra Canonem, quia illæ non excedunt rationem orationis ad Deum; mortaliter verò, si per notabile tempus intra Canonem, in quo cōtenta pertinent maximè ad Sacrificiū, nam etsi huius essentia sita sit in consecratione, attamen reliqua Canonis ex ordinatione Ecclesiæ confinia valde sunt Sacrificio. Est autem gravis irreuerentia, vt dum quis per actum excellentissimum religionis profitetur venerari summè Deum, & dum navat operam tanto mysterio, de quo tremūt Angelorum Ordines, velit non applicare mentem ad id, quod agit, sed aliena cogitare.

159 Eiusdem sententiæ est P. Antonius de Quintanadueñas tomo, & Tractatu 2. in Singulari 8. tradit enim, requiri maiorem attentionem in celebrante, imò & in audiente Sacrum, quā in recitante horas Canonicas, est enim maior sanctitas actionis, & obiecti, in qua occupatur, & circa quod versatur celebrans, imò & audiens Missam: tradit etiam, carere forsan probabilitate, quòd non peccet lethaliter, qui sponte divagetur mente, & cogitatione in celebratione integri Sacri, imò in integro Canone, aut maiori eius parte. Hęc enim actio, vt potè sacratissima, exigit ex natura rei, & quasi ex diuino præcepto internam attentionē, independenter à præcepto Ecclesiæ non iudicātis de occultis.

160 Ac sanè, vt inquit Concilium Aquileiense anno 1596. tit de Officijs diuinis, *Sacrificium Missæ, & rei dignitate, & Sacerdotis præstantia, & fructus excellentia, eminet inter omnia, quæ in sacris habentur mysterijs, & actionibus.* Vnde etsi probabile sit, reū nō esse culpæ lethalis, qui horas Canonicas recitet sponte distractus, secus putari debet de illo, qui voluntariè huc, illucq; animo divagans sacrificet. Vnde S. Isidorus Peluſiota Lib. 1. Epistol. 45. sic scribebat ad Martyrium Episcop. [Obiter, ac perfunctoriè leges diuinas legis, aut etiā lectionem ipsam ignoras. Cum enim Aaron, eiusque successores in templum Sacrificij causa ingrediebantur, laneis omnibus vestimentis abiectis, vestes ex lino contextas induebant, arcani aliquid continentes, atque illud significantes, externos tumultus tum de memoria deponendos esse. Nā qui rei sacræ causa ad Deum accedit, nihil alienum, nec vllam rerum ex materia cōstantium sarcinam secum afferre debet. Quamobrem si post huiusmodi coniecturas audacia, & temeritate ductus veritati vim afferre coneris, confusiones, ac nugas templis (quibus silentium omne debetur) colloquiaq; turpia, & præpostera, nefariasque manuum impositiones inferens, hoc persuasum habe, quòd in extremum condemnationis, & exitij periculum te ipsum impelles.] Sic Peluſiota. Possemusque accumulare similia alia Patrū effata. Et Gentiles ipsi in suis Sacrificijs superstitiosis admonebāt Sacrificulum scitis illis præconis vocibus, *Hoc age*, vt erecto, & attento animo in eam curam, cogitationemque incumberet, nec perfunctoriè, aut oscitāter, aliasve res agens Sacris operam daret, vt ex Plutarcho notat Brissonius Libro 1. de formulis pag. 11.

161 Verumtamen P. Franciscus Bardi in Selectis Lib. 8 quæst. 6. n. 8. & cum ipso Antoninus Diana p. 11. Tract. 7.

Tract. 7. Resol. 11. dicunt, rationem Tamburini probare quidem, esse maius peccatum Sacerdotis celebrantis cum voluntaria distractione, quàm recitantis cum ea horas Canonicas, sed non convincere, esse peccatum lethale. Atque ita de partibus siue extra, siue intra Canonem, sed distinctis à verbis consecrationis, videtur Quarto p. 1. tit. 16. dub. 5. §. 2. affirmandum esse abijs, qui sentiunt, non committi culpam gravem in recitatione horarũ Canonicarum cum distractione spontanea. Nam cæteræ partes, vltra verba consecratoria, sunt institutæ ab Ecclesia, & cadunt sub præcepto merè Ecclesiastico: quod vt non se extendit ad imperandam attentionem internam, sic neque ad vetandam distractionem. Si dicatur, gravem huius malitiam desumi ex oppositione ad præceptum iuris divini naturalis. Repellit id, nam si ius divinum naturale prohibet graviter ex genere suo distractionem; etiam si hæc contingat in partibus extra Canonem, dummodo sint quantitatis notabilis, vetita erit graviter. Si verò ius divinum naturale non prohibet graviter ex genere suo, sequitur, distractionem in partib⁹ Canonis non esse vetitam graviter, quod enim huiusmodi partes sint viciniores consecrationi, non potest variare naturam præcepti.

162 De distractione autem voluntaria circa verba consecrationis videtur etiam Quarto excusari probabiliter à peccato lethali, si de essentia orationis vocalis, & loquutionis humanę externę non sit attentio interna cõcomitans, quia hoc ipso poterit alsque huiusmodi attentione, & proinde cum distractione interna spontanea satisfieri præcepto Christi de eorum verborũ tanquàm loquutionis sacræ prolatione ad Sacrificiũ. Tandem circa consumptionem Sacrificij censet Quartus, non esse damnandam peccati gravis, si fiat cum distractione voluntaria, nam cum communio siue Sacerdotis, siue Laici non sit loquutio sacra, cessat ratio dubitandi, quæ circa formam cõsecrationis; & aliunde dispositio requisita, vt sine peccato mortali suscipiatur Eucharistiæ Sacramentum, non alia est ex parte animæ, quàm vt accedatur in statu gratiæ. Sic secum commentati sunt quinque hi Authores moderni in puncto, de quo speciatim non tractarũt antiquiores.

163 Ego verò, ne tantùm injiciam falcem in messem, cuius ipse sementem non fecerim, dico primò, haberi in Rubricis generalibus Missalis §. 16. num. 2. *Sacerdos maximè curare debet, vt ea, quæ clara voce dicenda sunt, distinctè, & appositè proferat, non admodùm festinanter, vt advertere possit, quæ legit.* Hunc in modum instruitur Sacerdos de advertentia debita, vel decenti ad ea, quæ legit in Missa. Similisque instructio extendenda est ad ea, quæ agit. Et sub nomine advertentiæ ad ea, quę leguntur, intelligere possumus attentionem vel ad sola verba, vt integrè, & absque errore pronuncientur, vel ad sensum ipsorum, vel ad Deum. Prima attentio est infima, & vocatur superficialis à Doctore Seraphico Sancto Bonaventura in Opusculis. Sed vt Sacerdotibus nonnullis Christianis non curantibus vel de hac attentione sint rubori Sacrificuli Ethnici, observo obiter ex Rosino L. 3. Romanarum antiquitatum C. 33. de more fuisse in Sacrificijs Gentiliũ, descripto præire aliquẽ, ne quid verborum præteriretur à Sacrificulis, rursusque alium custodem dari, qui attẽderet sedulò, alium, qui favere linguis juberet, & tibicinem canere, ne exaudiretur quid infaustum, quod turbaret mentes præsentium. Secunda attentio est media, appellaturque litteralis à S. Bonaventura. Vt & tertia, quæ est suprema, nominatur spiritualis. Qui dicunt, peccari mortaliter in distractione voluntaria, quando recitatur Officium Canonicum, contenti sunt qualibet ex relatis attentionibus, vt virtualiter saltem existente, quatenus initio fuerit habita intentio attendendi, & posteà ex proposito non revocetur. Ita referebam in Sectione præcedenti. Et crediderim, non exactum os amplius in celebrante, ne peccet lethaliter.

164 Dico secundò, attentionem ad Missam vt rem sacram, & religiosam esse prorsus necessariam in celebrante, nam si requiritur in audiente Missam, vt dicebam in Sect. superiori, potior est ratio respectu celebrantis. Et alioqui, si absit hæc attentio, perinde esset, Sacerdotem celebrare, ac si ipse, vel Laicus sine intentione conse-

crandi

crandi legeret, & ageret, quæ solent legi, & agi in Missa; imò perinde esset, ac si quis somnians, vel expers mentis recitaret, & faceret ex vi imaginationis ea omnia, quæ Sacerdos celebrans. Et præterea opus est, vt hic explicitè, vel implicitè intendat colere Deum per Sacrificium; intentio autem colẽdi Deum stare non potest sine aliqua attentione ad Sacrificium vt ad rem sacram. Huiusmodi autem attentio non tollitur per quamcumque mentis evagationem etiam voluntariam, sed per eam, qua Sacerdos distrahat animum à Missa vt à re sacra, velitque exordiri, aut prosequi eam non aliter, ac rem prophanam, & vulgarem. Quæ distractio erit absdubio peccatũ lethale grauissimum in quavis Missæ parte; & in verbis consecrationis, si incompossibilis sit cum intentione actuali, vel virtuali faciendi quod instituit Christus, & vult Ecclesia, reddentur irrita, nulliusque efficaciæ ipsa verba.

165 Dico tertio, si distractio voluntaria talis sit, vt componatur cũ attentione ad Missam tanquam ad rem sacram, mentque non aberret, & volũtas non feratur in obiecta mortiferè illicita, non conuincitur, crescere adeò malitiam distractionis voluntariæ, vt peccati mortalis gravitatẽ pertingat, quando contingit extra verba cõsecrationis. Et suppositis discursib⁹ Frãcisci Bardi, atque Quarti, addo hunc: Tam sancta actio, quàm est Eucharistiæ communio, potest exerceri cum ea distractione, quin peccetur lethaliter. Quidni & aliæ actiones Missæ? Neque dicas, probari nimiùm illo exemplo, siquidem penes Ioannem Sanchez Disput. 23. Selectarum num. 32. neq; venialiter peccetur in communione cum distractione illa, & iuxta plures neque in communione cum affectu ad peccatum aliquod veniale; de quibus opinionibus tractatum est à nobis Disp. 14. de Euch. sect. 2. ex num. 29. videndusque est Diana parte 3. Tract. 4. Resol. 31. Nam respondeo, spectare ad Ioannem Sanchez prębere discrimen ex vno casu ad alium, vel eodem modo discurrere circa vnum & alium: egoque negabo, non peccari venialiter, si aliquis accedat ad Eucharistiam cum eis peccatis venialibus, quibus mens distrahatur. Quæ est sententia S. Thomæ 3. p. quæst. 79. art. 8. in Corp. vt declaraui in loco præcito, num. 35.

166 Dico quartò, voluntariam in verbis cõsecrationis distractionem, quæ compossibilis sit cum attentione ad ea vt ad sacra, ac religiosa, & cum intentione faciendi quod instituit Christus, & vult Ecclesia, minimè esse contra validitatem Sacrificij Eucharistici. Nam etsi attentio concomitans esset de essentia orationis vocalis; at verba consecrationis non sunt oratio vocalis, seu non sunt verba deprecatoria. Et quanuis forent, attamen attentio concomitans non est de essentia deprecationis vocalis, neque loquutionis humanæ externę, qualis saltem est forma consecrationis. Alioqui si quis spõtè distractus ministraret Extremam vnctionem, proferretque formæ verba, (quæ sunt deprecatoria) non conficeret Sacramentum validum; cum tamẽ vt Sacramenta perficiantur, satis sint materia, forma, & intentio Ministri, quin Concilium Florentinũ, & Theologi vltra hęc tria requisierint attentionem Ministri. Et alioqui qui, intẽdens petere aliquid à Rege, distractus recitaret memoriter coram eo, aut legeret scripto petitionem suam, non alloqueretur verè, neque oraret Regẽ. Quæ duæ sequelæ sunt valde absurdę; & de eis legendus est Cardinalis de Lugo Disput. 22. sect. 2. ex num. 29. vsque ad 36.

167 Dico quintò, voluntariã in verbis consecrationis, & in cæteris Canonis, imò & in quavis Missæ parte distractionẽ esse evitandam diligenter ob periculũ omittendi aliquid ex verbis, aut ex actionibus Missæ, vel non pronunciandi, aut efficiendi ordinatè. Quod periculum vrget in celebrante, & non in audiente præcisè Missam, nihil enim hic vt præcisè audiens debet recitare, aut agere: quãquam in vtroque desideret Ecclesia defectum distractionis ob reverentiam debitam tam diuino Sacrificio; & ex eo desiderio imperet attentionem, compositionem q; externam in vtroque, prohibeatque omnes actiones exteriores, quæ non compatiuntur cum attentione interna, sed rapiunt, distrahuntque animum, provt accuratè notavit Arriaga D. 57. sect. 7. num. 40. Hinc in audiente, vt decet exteriùs, potest faciliùs reperiri

distractio

distractio interna, quàm in celebrante, nam is pronunciat tot verba, exequiturque tot actiones, quot scimus, & nisi ob consuetudinem diuturnã comparârit habitum, & coordinationem magnam phantasmatum in eis dicẽdis, & exequẽdis, fieri non potest, vt distractus, & non advertens ad ea celebret externè Missam, vt par est.

168 Tempore quidem vtriusque *Memento*, & meditationis post consumptam hostiam dari potest distractio sine periculo errandi circa verba, & actiones. Sed & tunc omni conatu est fugienda. [Mam si Deus nostrorũ in orationibus torporem, & negligentiam exquirat, & quòd in eius conspectu positi, & orantes, neque tantum ei præbemus honorem, quantum dominis servi, quantum ducibus milites, quantum amicis amici: amicum enim alloquens hoc cum attentione facis, Deo autem pro peccatis occurrens, pro totque criminibus veniam petens, & rogans tibi remissionem fieri, torpes; & circa forum, domumque mentem tuam vagari frequenter dimittis, nec hoc semel, & bis, verùm & frequenter patimur. Si hoc tantũ exquirere Deus voluerit, numquid veniam habebimus? Numquid excusationem assequi poterimus? Non arbitror ego,] ait Sãctus Ioannes Chrysostomus Homilia 79. ad populum Antiochenum. Quòd si quis insumpturus esset tempus illud in vanis cogitationibus, erit satius breviare, quàm prolongare. Et huc facit consilium S. Chrysostomi in prædaducta Homilia, [Oportet, orantem neque longos extendere sermones & iugiter orare. Breves enim, & frequentes orationes Christus, & Paulus præceperunt parvis ex intervallis. Nam si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapsus multam Diabolo subrependi facultatem dederis, & supplantandi, & abducendi cogitationem ab his, quę dicuntur. Si verò continuas, & crebras orationes facias, totumque tempus interpollans frequentia, facilè poteris modestiam exhibere, & ipsas orationes cum multa facies solertia.] Sic Os aureum. Enimverò cum tempus illud orationis mentalis in Missa breve soleat esse, arduares nõ erit, continere imaginationem, ne divagetur; Deusque opem specialiter adferet, si Sacerdos de industria nolit distrahere animum. Vt autem nolit id, excitet fidem de tanto mysterio, quod peragit, de præsentia Christi Domini sub specieb⁹ Sacramẽtalibus. Suntque innumeræ aliæ considerationes, de quibus tractant Authores Mystici; inter quos legatur Nicolaus Lancicius Opusculo 13. de Officijs Sacerdotum, vbi producit multa, & efficacia incitamenta ad devotè offerendum Sacrificium Missæ.

169 Dico sexto, distractionẽ voluntariam in verbis præsertim consecrationis fugiendam valde esse, vix enim absque contemptu verborum adeò sacrorum haberi potest a Sacerdote. *Vix*, inquam, nam absolutè haberi potest ex fragilitate, & negligentia quadam in repellendis evagationibus mentis. Vt autem retuli num. 144. ex Thoma Sanchez, negligentia etiam crassa in cohibendis vanis cogitationibus, dum recitantur horæ Canonicæ, non reputatur ab ipso peccatum mortale. Quod iudicium an possit extendi ad negligentiam crassam Sacerdotis, dum celebrat? relinquo alijs considerandum. Et vel dum persolvitur Officium horarum, displicet Baldello ibi citato, quia non est, cur in materia hac non æquiparetur voluntario præfata negligentia, neque cur de ea diversimodè iudicetur, ac de simili negligẽtia in repellendo somno, quo multùm laboret recitans, & quo impediatur ab attentione debita: quam posteriorem negligentiam damnat ipse Sanchez noxæ lethalis Libro 7. Consiliorum C. 2. dub. 33. num. 3. Sed quidquid de hoc sit, saltem si advertens se divagari adhibeat mediocrem diligentiam ad revocandam mentem ab inanibus cogitationibus inter recitandas horas Canonicas, non peccare venialiter, & quando non adhibet illam mediocrem diligentiam, peccare tantùm venialiter, asseritur à Sanchez allegato in eo num. 144. Quodnum ampliari queat ad Sacerdotẽ inter sacrificandum? æquus, & prudens meditetur Lector.

170 Dico septimò, salva adhuc attentione ad verba consecrationis vt ad quid sacrum, necnon intentione faciendi quod instituit Christus, vultque Ecclesia, & secluso periculo omittendi aliquid ex eis, remotoque con-

contemptu tam formali, quàm virtuali illorum verborum, actionisque adeò diuinæ, ac religiosę, probabile admodùm est, delinqui graviter contra ius diuinum naturale, si cum voluntaria distractione interna proferantur verba illa, etiamsi distractus non cogitet de obiectis alias illicitis graviter, aut leuiter, sed de vanis tantùm, & inutilibus pro eo tempore. Huc faciunt, quæ ex Thoma Tamburino, & Antonio de Quintanaduenas attulimus.

171 Inquies, si audiens Missam distrahatur internè voluntariè tẽpore, quo à Sacerdote proferuntur verba consecrationis, non peccat lethaliter, etsi magis peccet, quàm si distraheretur in alijs partibus Missæ minus principalibus, vt docet Cardinalis de Lugo Disp. 22. sect. 1. num. 5. Ergo eodem modo discurrendum est de immolante. Sed, admisso Antecedente, nego Consequentiam; & cuivis patet, potiorem esse rationem in priori, quã in posteriori, siquidẽ partes illius sint agentis, & partes huius sint tantùm vt præsentis; ille tenetur celebrare in statu gratiæ, hic non tenetur audire eo in statu. Inquies rursus, etsi in sacrificante distractio voluntaria, dum pronunciat verba consecratoria, sit maius peccatum, quàm in audiente, non tamen, nisi intra sphęram peccati venialis, sicut intra eandẽ solùm erit maius peccatum, si Sacerdos distractus internè voluntariè faciat consumptionem Sacrificij, quàm si Laicus, aut Sacerdos more Laico communicet ita distract⁹. Hanc ob replicam non audeo arguere improbabilitatis opinionem Francisci Bardi, Antonini Dianæ, & Pauli Quarti supra propositam. Nec plura de hoc puncto.

SECTIO XII.

Quænam personæ obligentur hoc præcepto?

172 RESPONDEO, obligari per se omnes baptizatos adultos rationis cõpotes, vt audiant Missam diebus Dominicis, & festis. Dixi *per se*, nam per accidens non obligantur multi, de quibus postea. Dixi *baptizatos*, quia non baptizati, etiamsi sint Catechumeni, non tenentur huic præcepto, vti neq; alijs Ecclesiasticis. Et Catechumeni olim arcebantur, ne assisterent Missæ fidelium; præceptum autem hoc respicit præcipuè præsentiam ad huiusmodi Missam. Dixi, *adultos, & rationis compotes*, nam baptizati, qui non habent rationis vsum, siue infantes sint, siue adulti, non tenentur hoc præcepto, vt neque vllo alio, quatenus saltem excusanda sit trãsgressio, & non imputanda culpæ in ipsis.

173 De pueris adeptis vsum rationis, sed non duodecimum, vel quartumdecimum ætatis annum censet Dominicus Soto in 4. Dist. 12. q. 1. art. 11. V. *Sed si quæras*, Dist. 18. quæst. 1. art. 3. V. *De verbo*, non ligari Ecclesiæ præceptis, proindeque neque isto, de auditione Missæ, de quo Corduva in Tract. de Casibus conscientiæ q. 60. fol. 152. ait, non vrgere vsque ad decimum, vel vndecimum annum. Nihilominus praxis Ecclesiæ, & generalis consuetudo est, tum continere pueros ab esu carnium diebus ieiunij, tum eos deducere ad Ecclesiam diebus Dominicis, & festis ad audiendum Sacrũ, non expectato quartodecimo, imo neque decimo anno, omnes enim sibi persuadent, vrgere obligationem abstinẽdi à carnibus, & audiendi Missam multò anteà. Præterea in C. *Omnis vtriusque sexus* de Pœnitentijs, & remissionibus imponitur obligatio confessionis omnibus vtriusque sexus fidelibus, *cum ad annos discretionis peruenerint*. At anni discretionis incipiunt ordinariè post septimum annum completum immediatè; tunc enim solent pueri habere sufficientem rationem, vt discernant inter bonum, & malum, & vt possint peccare non tantùm venialiter, sed etiam mortaliter in plerisq; materijs. Quarè post septẽnium instare sub mortali obligationem audiendi Sacrum, existimo. Quòd si de aliquo puero in particulari dubitaretur, num polleret pleno rationis vsu, discerneretq; Missam ab actionibus alijs prophanis, aut communibus, intelligeretque obligationem assistendi ei reverenter, ac religiosè? tunc in præcepti, & non in pueri favorem ferenda esset sententia, vt tradit Sanchez L. 1. Summæ C. 12. n. 13.

n. 13. Quando autem quis ante septẽnium nactus esset perfectam discretionem, non ideo sub mortali comprehenderetur præcepto de auditione Missæ, quia, vt benè notat Franc. de Lugo L. 5. C. 14. q. 2. num. 16. leges humanæ adaptantur ad ea, quæ frequenter, & non ad ea, quę rarò accidunt, *leg. Nam ad ea ff. de Legibus*, proindeque Ecclesiasticæ non ligant ante septennium, vt docent Sà V. *Puer*, alijque multi. Num verò pueri habentes rationis vsum sufficientem, vt possint peccare venialiter, quanquam non vt mortaliter, teneantur sub veniali ad audiẽdam Missam? Respondeo negativè, quia verosimilius est, leges humanas nullatenus obligare ante plenã discretionẽ, sufficiẽtemq; vt peccari mortaliter queat.

174 Episcopi non debent quotidie audire Sacrum, si non celebrent; etsi in C. *Quoniam* 12. de Privilegijs in 6. dicatur, non decere, vt vllum diem transeant sine Missa celebranda, vel audienda. Nam nullum ibi imponitur præceptum, sed quid deceat, declaratur. Sic etiam leg. 48. tit. 4. Partita 1. dicitur, *è iure esse, quòd omnis Christian⁹ videat quotidie corpus Domini nostri Iesu Christi, si sit sanus, & possit facere*: quæ Regis Hispani verba, vt ex consilio dicta interpretatur Gregorius Lopez.

175 Similiter nec Clericis, nec Religiosis imposita est vniversaliter ab Ecclesia speclalis obligatio vltrà communem Laicorum de audiẽdo Sacro. Olim in Concilio Toletano I. C. 5. iubebatur Presbytero, vel Diacono, vel Subdiacono, vel cuilibet Clerico, vt ad Ecclesiam, aut ad Sacrificiũ quotidianum iret, si existeret in loco, vbi celebraretur. Sed iam diu desuevit huius præcepti obseruantia. Religiosi verò consulant Ordinis sui regulas, & modum, quo obligant.

176 S. Parens Noster Ignatius p. 4. Constit. C. 4. n. 3. iubet, quotidianam Missæ auditionem ijs, qui in Societate non celebrant; notaturque in Declarationibus littera *B.* posse ex ratione speciali Missam, seu auditionẽ Missæ aliquando intermitti, quod Superioris prudentiæ relinquitur. Regulæ Præpositi C. 5. n. 49. Rectoris C. 5. n. 45. præscribunt, vt *Quotidie post orationem matutinam fiat Sacrum, cui interssint omnes, qui Sacerdotes non sunt; nisi aliquibus propter peculiares causas aliud tempus ad Sacrum audiendum concessum sit.* Sic in Societatis Regulis, quæ, sistendo præcisè in vi Regularum, non obligant sub culpa. Non spectat ad nos expendere Religionum aliarum statuta, de quibus legatur Nigronus supra, num. 2.

SECTIO XIII.

De personis, quæ excusantur à præcepto audiendæ Missæ.

177 ET in primis excommunicatus excommunicatione maiori, vel interdictus excusatur, præsertim si ob negligentiam suam nõ perseveret sine absolutione, impeditur enim vinculo excommunicationis, vel Interdicti interesse Sacris, quin perseverantia in huiusmodi vinculo possit culpæ verti: Diana p. 10. T. 14. Res. 10. docet consonè ad Sectionem nostram VII. excommunicatum, qui audivit Sacrum die festo, nõ teneri eodem die audire aliud, si absolvatur ante meridiem à censura. Vel enim teneretur, quia auditio Sacri non fuit sine transgressione alterius præcepti, vel quia non fuit ex obligatione? Sed primum non obstat, stat enim adimpletio vnius præcepti cum transgressione alterius. Neque item obstat secundum, nam si quis ex devotione interfuisset Sacro ad auroram, & posteà promulgaretur præceptum audiendi Sacrum eo die, non consurgeret obligatio iterandi auditionem. Similiter iuxta Sectionem 3. excusatur ab auditione Missæ ille, cui non esset copia audiendi nisi à Sacerdote nominatim excommunicato, & denunciato, aut non nisi à manifesto Clerici percussore. Scripsi supra, *præsertim si*, &c. nam si ob negligentiam suam sine absolutione persevêret, probabile est cum Nuño 3. p. q. 83. art. 6. dub. 2. post 9. Concluſ. V. *Dubium tamen est*, pag. 997. peccare contra præceptum audiendi Missam, & non tantũ contra obedientiam, aut charitatem propriam; non secus ac peccat contra præcepta annuæ confessionis, & communionis in Paschate, qui negligens est in obtinẽda absolutione à censura, quâ impeditur recipere Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; non secus etiã ac peccat contra præceptum audiendi Sacrum, qui in die festo aggreditur sine necessitate iter incompossibile

cum auditione Sacri; & qui se inebriat eodem die prævidens fore, vt non possit humano, & morali modo interesse Sacro; & qui ob perpetrandũ peccatum fornicationis reddit se impeditum ad Missam audiendam. Ratioque à priori est, quia qui tenetur ad aliquem finem, tenetur simul ad media necessaria pro eius finis consecutione. Est autem absolutio à censura medium necessarium ad licitam Missæ auditionem, quæ est finis intentus à præcepto.

178 Sed nihilominus probabilius est, non peccare contra præceptum audiendi Missam, qui negligens est in cõparanda absolutione à censura, nisi tam facile esset comparare, vt omissio tribuenda foret contemptui, aut fraudi in præceptũ. Exhibet rationem P. Suarez D. 88. S. 2. V. *Prima igitur, quia non tenetur quis tã remotè, & à longè se disponere ad Missam audiendam. Ergo ex vi huius præcepti non obligatur ad procurandã absolutionem excõmunicationis. Ergo dũ in hoc est negligens, non peccat contra hoc præceptum; sed neque etiam postea peccat, non audiendo cum excommunicationis vinculo. Ergo nunquam peccat in hoc. Item infirmus, si sit negligens in procuranda salute, & viribus, vt possit Missam audire; & qui est in vinculis, si sit negligens in procuranda libertate, & ideo Missam omittat, non peccat specialiter contra hoc præceptum, quia nõ obligat ad tollenda impedimenta tam remotè. Ergo similiter in proposito. Tandem à cõtrario, si quis præuideat se fieri impotentem ad audiendum Sacrum, incurrendo excommunicationem, non peccat specialiter contra hoc præceptum, dando causam excommunicationi. Ergo neque è contrario*, &c. Hactenus Suarius breviter perstringens fundamenta huius sententiæ apud me, & apud multos alios à Leandro T. & D. 2. q. 5. relatos probabilioris. Et quidem si non est contra audiendæ Missæ præceptum dare causam excommunicationi, quando neque in fraudem præcepti, neque vrgente iam illo datur ex fine reddendi se impeditum ad ipsius obseruantiam, cur contra ipsum erit, nõ tollere præcisè impedimentum excõmunicationis? Nam si positio præcisè impedimenti non opponitur præcepto, cur opponetur non ablatio præcisè impedimenti?

179 Nec obstat ratio in contrarium adducta, non enim qui tenetur ad finem, tenetur eo ipso ad omnia media necessaria pro consecutione talis finis, potest enim teneri ad sola media proxima, aut positiva solà, & non etiã ad remota, aut non etiam ad negativa. Est autem carentia excommunicationis medium tum remotum, tum negativum ad finem audiendi Sacrum. Et præterea obligatio ad hunc finem potest esse non absolutè, sed ex suppositione, quòd alioquin non detur impedimẽtum incursum siue involuntariè, siue voluntariè ante obligationis tempus; vti supponitur, esse voluntariè incursa excommunicatio ante tempus, pro quo obligat præceptum de auditione Missæ. Cui præcepto satis videtur esse, si adstringat hominem, alias non impeditum, quin vlteriùs requirat, vt homo se constituat in eo statu, in quo sit non impeditus, seu in quo obligetur.

180 Exempla hominis, qui in die festo committit se itineri incompatibili cũ auditione Sacri, & qui crapula, aut fornicatione reddit se eodem die inhabilem ad interessendum Sacro, distant longè à nostro casu, nam in illis exemplis ipse homo facit se impeditũ pro tempore, pro quo vrget præceptũ, quod idem est, ac detrectare, abijcereque ex humeris onus præcepti iã premens, quin adsit causa honesta, sed potiùs inhonesta ad eam exonerationem. Cæterùm in nostro casu impedimentum excommunicationis antecedit tẽpus, pro quo præceptum obligat.

181 Aliud verò exemplum de impedito excommunicatione, ne in anno confiteatur, & in Paschate cõmunicet; patitur manifestum discrimen traditum à Suario suprà, his verbis, *Præceptum confessionis per se obligat ad mundandam animam, & consequenter ad omnem dispositionem necessariam, ad peccatorum absolutionem obtinendam; præceptum autem communionis etiam consequenter obligat ad præmittendam confessionem, si necessaria sit; vt re vera est in eo, qui peccati mortalis conscientiam habet. Illa ergo duo præcepta multò maiorem connexionem habent cum diligentia adhibenda, vt censura tollatur.* Hucvsq; Doctor Eximius.

182 Sed notandum in hoc loco est, cum Gibalino Dilq. 7. de Censuris q. 14. Corollario 10. num. 37. & cum alijs DD. communiter, tempore Interdicti, si concurrat cum Dominica, aut festiua die, teneri Clericos, & Religiosos ad audiendum Sacrum, seruata

ta moderatione Capitis *Alma mater* 24 de Sententia Excommunicationis in 6. vbi sub ea conceditur iure communi, vt tempore Interdicti celebrẽtur Missæ, & alia dicantur diuina Officia in Ecclesijs, & Monasterijs. Quare cum Clerici, & Religiosi non prohibeantur iure communi interesse Missę, alijsq; diuinis Officijs tempore Interdicti, quin potiùs expressè concedatur non tam per modum privilegij, quàm per modum declarationis, vt non contineantur prohibitione, qua Laici, fit, Clericos, & Religiosos Interdicti tẽpore, quod coincidat cum Dominica, aut festiva die, teneri audire Sacrum, siquidem ratione Interdicti nullam habeant prohibitionem, nullamve excusationem, quominus adimpleant præceptum; non secus ac nullam habent tam ipsi, quàm Laici in diebus festivis exceptis iure communi iuxta præfatũ Caput *Alma mater*.

183 Notandum rursus est cum Francisco Bardi in Bullam Cruciatæ p. & Tract. 2. C. 3. sect. 6. num. 66. & cum alijs DD. passim, tempore Interdicti, nõ teneri Laicum procurare primam tonsuram, aut Bullam Cruciatæ, simileve aliud privilegium, vt possit audire Sacrum in diebus præcepti, quia hoc non obligat, vt quis se eximat à communi iure, sed tantùm, vt non exemptus, seu non prohibitus iure illo audiat Sacrum. Imò non solùm non peccabit, sed etiam honestè aget, qui ex fine conformandi se communi iuri nolet procurare privilegium, etiamsi facilè, & commodè posset.

184 Hinc colligitur cum Dicastillo T. & D. 5. dub. 10. n. 158. famulum etiam invitatum à Domino habente privilegium ad audiendam Missam tempore interdicti, ductis secum familiaribus domesticis iuxta C. *Licet vobis* 11. de Privilegijs in 6. minimè teneri interesse Sacro in die præcepti, vigente Interdicto, quia sicut non tenetur procurare invitationẽ, seu facultatem adeundi tunc Sacrum cum Dño, vt fatentur Azor tomo 1. L. 7. C. 2. q. 5. Franc. de Lugo L. 5. C. 15. q. 3. n. 45 Rocafull L. 2. de præceptis Eccles. C. 4. n. 62. ita neque tenetur acceptare; ad neutrum enim obligat præceptum, nec ad vnum potiùs, quàm ad aliud. Bardi supra, n. 51. indicat, & Mendo infra, n. 24. exprimit contrarium; estque probabile.

185 Notandum vlterius est, eos, qui Interdicto causam dederũt, non debere, nec posse licitè, illo stante, audire Sacrum in die præcepti, quanvis habeant Bullam Cruciatæ, simileve aliud privilegium, quia respectu eorum non est sublata prohibitio. Iam exoritur dubium satis controversum.

SECTIO XIV.

An Laicus, qui causam Interdicto non dedit, & qui priuilegio Bullæ Cruciatæ, similive alio fruitur, debeat tempore Interdicti audire Sacrum in die præcepti?

Videtur, non debere.

186 PRIMO, quia, vt dicit regula 61. iuris in 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum. Nec debet indulgentia, seu priuilegium, plus dispendij, quàm vtilitatis adferre*, vt habetur C. *Consultationi* 33. de Privilegijs. Nemoq; obligatur vti privilegio, quod sibi est concessum, & hoc non conceditur inuito, *estque liberum vnicuique, suo iuri renunciare*, C. *Si de terra* 6. eodem tit.

187 Secundò, quia tempore Interdicti inest ex iure communi obligatio Laicis non audiendi diuina. Ergo qui habet Bullam, benè potest se conformare huic præcepto, si velit, præcipuè cum sit valde consonum intentioni Ecclesiæ, quòd omnes se conformẽt huic præcepto, vt sic Ecclesiasticæ censurę non amittant suum vigorẽ, & cum per Bullam non tollatur Interdictum respectu etiam illius particularis personæ, quanvis illa eximatur ab eius obligatione in ordine ad non audiendum Sacrum, sed quin reducatur ad præcepta iuris communis.

188 Tertiò, quia si diceretur Missa in aliqua Ecclesia in tali distãtia, quòd non comprehendatur intra continentiã mœniorum, quanvis distantia nõ sit tanta, vt deobligaret homines ab audienda Missa, quando non est Interdictum, nõ tenentur homines illuc ire tempore Interdicti ad audiendam Missam.

189 Quartò, quia qui cogitur manere domi, non tenetur in die præcepti audire Missam, vtens privilegio, quod habeat, vt ea celebretur in Oratorio priuato domus. Ergo similiter, &c. Tuentur hanc negativam partem ex Nostris Abila de Censuris p. 5. D. 4. sect. 2. dub. 6. Coninck de Censuris D. 17. dub. 2. num. 28. Pellizarius in Manuali Regul. Tract. 5. C. 4. sect. 2. n. 62 Gibalinus Disq. 7. de Censuris quæst. 14. Conclus. 10. n. 37. Mascarenhas T. 5. D. 6. C. 10. num. 533. alijque exteri, vt Llamas, Alterius, Diana citati à Leandro q. 7. Christophori à S. Ioseph tomo 1. receptarum opinionum moralium in 7. p. Bullæ Cruciatæ dub. 2. n. 3. sequuti Dominicanos Victoriam, Canum, & Mantium apud Henriquez L. 7. C. 13. §. 3. lit. *H.* Lib. 9. C. 25. §. 11. lit. *X.* L. 13. C. 48. §. 5. littera *D.* addentem Salmanticenses alios, nempe Michaelem de Palacios, Ambrosium de Salazar, & Sanctium, Episcopum postea Segorbiensem. Habetque suum in Bulla Cruciatæ fundamentum, nam nō dicitur, quòd debeant, sed quòd *possint* habentes illam audire Sacrum tempore Interdicti. Sed id tenue est, vt posteà constabit.

190 Cæterùm P. Suarez Disput. 88. sect. 6. V. *Solet etiam*, ait, nō videri sibi practicè probabilem eam negativam partem; cuius primum argumentum continere fallaciam, asseuerat Sotus in 4. Distinct. 13. quæst. 2. art. 1. V. *Vnus autem.* Sed Ioanni de Dicastillo supra, n 157. Andreæ Mendo Disp. 15. in Bullam Cruciatæ Cap. 3. numero 19. & Christophoro à Sancto Ioseph supra, videtur excessisse Suarius in illa censura. Sed quid videretur ijsdem de Arriaga, qui Disput. 57. sect. 4. num. 19. adeò veram censet affirmativam partem, vt miretur, tot, & tam graves Authores in negativam abiviſſe? Præterea cum Eximius Doctor loquutus sit de probabilitate practica, potuit sine excessu iudicare, hanc abesse à negativa parte, attentis argumentis, quibus impugnatur; quicquid esset de probabilitate considerata præcisè ex capite authoritatis extrinsecæ. Vt taceam, opiniones aliquas, quæ in suo ortu improbabiles sunt visæ, & non immeritò, si spectentur fundamenta, quibus initio fulciūtur, fieri posteà successu temporum probabiles vel ob accessum novarum rationum, quas excogitant, & premūt posteriores Theologi, vel ob patrocinantium numerum, qui excrescit, pro vt benè notat Luysius Turrianus in Selectis parte 2. Disput. 16. dubio 6.

191 Nos, relictis censuris, amplectimur affirmativam partem cū Suario, Soto, Sylvestro, Covarruvia, Navarro, Henriquez, Medina, Vivaldo, Valdes, Cenedo, Gomez, Sà, Nuño, Azore, Fagundez, Filliucio, Bonacina, Moure, Toleto, Trullench, Cardinali de Lugo relatis, & subscriptis à Francisco de Lugo Lib. 5 Capite 15. quæst. 3 num. 40. & 41. cum Scortia Lib 2. de Sacrificio Missæ Cap. 20. num. 8. Thoma Tamburino Lib. 4. in præcepta Decalogi Cap. §. & num. 2. Francisco Bardi in Bullam Cruciatæ, parte, & Tract. 2 Cap. 3. sect. 6. Andrea Mendo supra, num. 20. Arriaga supra, Castro Palao Tract. 3. Disput. 4. puncto 7. num. 3. Tract. 22. Disp. vnica, punct. vltimo, num. 2. Iosepho Rocafull Lib. 2. de præceptis Ecclesiæ C. 4. num. 58. Petro à S. Ioseph in Opusculo de ijsdem præceptis Cap. 1. artic. 3. V. *Nonnulli*, Garcia Tract. 4. de Excellentijs Sacerdotij Diff. vltima, dub. 2. num. 5. Marchino Tract. 3. de Ordine, p. 3. C. 17. num. 4. Dicastillo supra, numero 159. Omittimus alios passim obvios.

192 Movemur, quia eo ipso quòd quis acceptarit, & potiatur privilegio Bullæ, ablatum formaliter est impedimentum, quominus licitè posset tempore Interdicti audire Missam, & lex Interdicti, postmodùm superveniens, prohibentisque interesse Missæ, non comprehendit illum. Ergo tenebitur ille audire Missam, si tempus Interdicti concurrat cum die Dominica, aut festiva. Probo Consequentiam, quia si ob aliquam rationem non teneretur, maximè, & vnicè ob rationem, legemque Interdicti; suppono enim, non habere aliam excusationem, ne adimpleat præceptum audiendi Missam. At Interdictum non est ratio, neq; item lex, quæ faciat, ne ille teneatur, siquidem ille per acceptatum, & potitum privilegium Bullæ maneat formaliter expeditus, & habilis, vt queat licitè audire Missam, &

& respectu illius, non comprehensi lege Interdicti, ita se habeat huiusmodi lex, ac si non esset lata, dummodò Missa audiatur cum debita moderatione Capitis *Almamater*. Demus, Interdicti legem, sicut expressè excipit Clericos, & Religiosos a prohibitione assistendi divinis, ita expressè excipere Laicos aliquos ob præclarum obsequium Ecclesiæ exhibitum. Tunc hi proculdubiò tenerentur in die præcepti audire Missam, quia istud præceptum inveniret eos expeditos, & habiles formaliter, vt possent licitè audire, inveniretque non comprehensos lege Interdicti, neque vlla alia, vt suppono, excusatione protectos ad effugiendum onus præcepti. Ergo idem putandum est de privilegiatis per Bullam, quos expressè excipit privilegium Bullæ, parùm enim referre videtur, quòd exceptio fiat per legem ipsam Interdicti, vel per aliam legem, vel quasi legem inclusam in privilegio, si privilegium dimanet ab eadem potestate, à qua lex Interdicti expressè exceptos potuisset dimanare.

193 Confirmatur, si incarceratus habeat facultatem è carcere exeundi vnoquoque mane, acceptaritq; eam, reddita cautione securitatis, tenetur in die præcepti exire, vt audiat Sacrum, & vt præcepto satisfaciat. Ergo similiter tenebitur privilegiatus per facultatem Bullæ.

194 Sed occurrit Coninck inquiens, [Nec refert, quòd victus, si die Dominico dimittatur liberè, teneatur audire Sacrum, quia respectu huius præceptum audiēdi Sacrum pergit ligare, & solùm ab eius impletione per impotentiam excusatur. Quare hac sublata, nihil eum ab auditione excusat. Secus est de tempore Interdicti, in quo per contrariam Ecclesiæ prohibitionem, respectu illius communitatis, præceptum audiendi Sacrum omnino suspenditur, ita vt eam, eiusque partes desinat pro eo tempore obligare.] Hactenus Coninck, colluditque Gibalinus, adeò fidens huic discrimini, vt dicat, authoritate potiùs anteriorum, quàm ratione conspiratum esse à modernis pro nostra sententia. Contra tamen, nam quemadmodùm per licentiā concessam, & acceptatam prodeundi è carcere cessat corporalis impotentia audiendi Sacrum, proindeque die Dominico vrget obligatio præcepti, ita per privilegium Bullæ in eo, qui illo fruitur, quanquàm non in tota communitate, cessat spiritualis impotētia audiendi licitè Sacrum; ideoque die Dominico instabit obligatio præcepti respectu privilegiati per Bullam, etsi non respectu aliorum. Et sanè si tempore Interdicti prohibitio Ecclesiæ non facit, vt sicut alijs, ita etiam privilegiato per Bullam sit illicita auditio Missæ, cur, quæso, faciet, vt die Dominico suspendatur præceptum? Cur enim operabitur hoc secundum, & non primum illud?

195 Stephanus de Abila confirmationi superiori occurrit inquiēs, [Impedimentum carceris esse impedimentum ipsius personæ, sicut impedimentum infirmitatis, & ideo, illo cessante, currere obligationem audiēdi Missam; at verò impedimentum Interdicti esse impedimentum iuris.] Cæterùm non video, quid prosit, impedimentum Interdicti esse impedimentum iuris, si tale impedimentum sublatum est per privilegium.

196 Iam ad argumenta negativæ partis respondemus. Ad primum, facultatem concessam per Bullæ gratiam, vt Interdicti tempore audiatur Missa, non retorqueri in dispendium privilegiati, etiamsi is die Dominico, aut festo teneatur audire, tum quia huiusmodi obligatio non vergit in dispēdium, sed potiùs in profectum animæ; neq; est onus, & odium, sed potiùs favor, & gratia; tum præcipuè, quia ea obligatio (quę, vt talis, potest dici onerosa, & odiosa) non oritur positivè ex gratia concessa per Bullam, sed ex præcepto vrgente privilegiatum eo ipso, quòd per gratiā Bullæ ablatum sit impedimentum: quare gratia Bullæ non retorquetur directè, & positivè in dispendium, onus, odiumve privilegiati; sed vt summū indirectè, & negativè: qui posterior modus retorquendi non est contra conceptum gratię, etsi prior esset; de quo solo habet lemonem regula 61. iuris in 6. Quod additur, neminem obligari vti privilegio sibi specialiter concesso, neque non renunciare iuri suo speciali, verissimum est, sed extra casum, nam obligatio audiendi Sacrum non inducitur à privilegio, sed à præceptò; quanquàm fatear, non in-

ducendam ab hoc, nisi suppositio illo tanquàm causa removente prohibens. Quod subiungitur de privilegio non in invitum est etiam abs re, loquimur enim de Laico, qui sciens, & volens cõparavit privilegium Bullæ, eoque potiatur.

197 Ad secundum, Laicis quidem non habentibus Bullam inesse obligationem nõ audiendi diuina tempore Interdicti; at habentibus non inesse talem obligationem, alioqui audirent illicitè. Et die Dominico, aut festo nequeunt licitè se conformare præcepto, aut obligationi non habentium Bullã, quia obstat præceptum de Missæ auditione. Vnde non est consonum, sed dissonum intentioni Ecclesiæ, cuius est istud præceptum, conformare se, qui habent Bullam, alteri præcepto, aut obligationi non habentium.

198 Ad tertium, quando Interdictum non extenditur ad Ecclesias sitas in subvrbijs Civitatis, teneri ciues in die præcepti adire Ecclesias illias, nisi tam longè distent à Civitate, vt distantia excusaret casu, quo in Civitate non interdicta deficeret copia Missę in die præcepti; aut nisi in subvrbijs vnica tantùm sit Ecclesia, eaque angusta, ibique vnica tantùm Missa sit celebranda, tunc enim plures ex Civibus licitè possunt illuc nõ pergere, eo quòd probabiliter, & prudenter existiment, locũ sibi defuturum in templo, vt Missam audiant. Quæ excusatio æquè valeret in casu defectus Missæ intra Ciuitatem non interdictam, si esset dies præcepti.

199 Ad quartum argumentum respondent Cardinalis de Lugo Disp. 22. sect. 2. num. 14. Arriaga Disp. 57. sect. 4. num. 20. Mendus Disp. 15. C. 3. num. 29. & 30. Cenedus in 44. qq. Canonicarum num. 11. Marchinus T. 3 parte 3. de Ordine C. 17. num. 18. Garcia Tract. 4. de Excellentijs Sacerdotij Diff. vlt. dub. 2. num. 8. Mascarenhas Tract. 5. Disp. 6. C 10. n. 331. negando Antecedens contra Sotum in 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 3. V. *Imò vt*, contra P. Suarium Disp. 88. sect. 6. V. *Secundum caput*, Filliucium, Fagũdez, Laymanum, Ledesmam, Aversam, Trullench, Dianam, quos citant, & sequuntur Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 15. quæst. 4. num. 49. Bardi parte 2. Tract. 2. C. 3. num. 61. Rocafull L. 2. de Præceptis Ecclesiæ C. 4. num. 54. & sequentibus. Ideo vero Eminentissimus Cardinalis inficiatur Antecedẽs, quia difficilè assignatur differentia inter vtrumque casum, & quia [si die festo iter agentes pervenirent ad Eremitorium, quod Episcopus approbauit, vt posset in eo celebrari, quis dubitat, quòd si adesset Sacerdos, deberet ibi celebrare, vt ipse, & alij satisfacerent præcepto Ecclesiæ? Cum ergo Oratorium domesticum supponatur ab Ordinario, vel Papa legitimè approbatum, non excusatur à præcepto audiendi Missam, qui in eo potest commodè Missam audire; præceptum enim non obligat ad Missam in Ecclesia audiendam, sed ad Missam, vbicumque audiatur.] Hacten' verbatim ex Cardinali sapientissimo.

200 Sed audiatur Eximius Doctor, [Magna est differentia inter hunc casum, & illum de privilegio Interdicti, nam in illo, ablato impedimento, nulla posteà dispensatio fit in iure, sed regulari modo Missa dicitur, & auditur: quod in hoc casu non ita fit. Vnde hìc meliùs, quàm ibi accommodatur principium illud, Quod nemo cogitur suo privilegio vti. Nam per hoc privilegium formaliter, ac per se non tollitur impedimentum audiendi Missam, non enim tolluntur vincula, nec coactio manendi domi, &c. Vnde necessarius est vsus quasi effectivus ipsius privilegij, vt possit aliquis Missã audire; ad illum autem vsum nemo obligatur.] Ita Suarius, qui, nisi ego fallor, sufficientem exhibet differentiam, quin Cardinalis de Lugo vllam eius attulerit impugnationem, & quin alij consentientes cum ipso addiderint quidpiam, quo satis revincatur. Nec, vt ait P. Mendus, est punctum parùm exagitatum, nam discutitur à tot DD, quot allegavi, & ab alijs, quos taceo. Ad eam verò rationem, quam Cardin. de Lugo subdit, dico, celebrationem, & auditionem Missę in Eremitorio approbato ab Episcopo (intellige idem de Capellis Xenodochiorum, & Confraternitatum, & Carcerum publicorum) non esse ex privilegij actiuo vsu exercito siue à celebrante, siue ab audiente; vti foret celebratio, & auditio in Oratorio priuatę domus. Vnde vni-

casus

casus ab alio diversa est omnino ratio. Insuper celebratio, & auditio Missæ in Eremitorio, & prætatis Capellis perinde se habet, ac si esset in Templo, nec opus est ad eam speciali privilegio, & dispensatione iuris communis, sicut in Oratorio domus privatæ Sæcularis.

201 Nuñus Cabezudus, qui quæst. 83. artic. 6. dub. 3. pag. 998. in eadem est opinione, ac Card. de Lugo, obiicit, obligatio ad finem habet annexam obligationem ad media nō admodùm difficilia, nec incommoda. Sed in homine, qui non potest domo exire, vbi extat Oratorium aptum ex privilegio ad celebrationem, datur obligatio audiendi Sacrum die festo. Ergo & adhibendi media nō admodùm difficilia, nec incommoda, vt illud audiat. Non est autem medium admodùm difficile, nec incommodum, procurare celebrationem in Oratorio privato. Respondeo in primis, esse medium extraordinarium procurare celebrationem, quæsito Sacerdote, cui conferendum sit stipendium, aut qui adducendus sit in domum privatam, non reddito etiam stipendio. Et obligatio ad finem non habet adiunctam obligationē nisi ad media ordinaria, & consueta. Hinc vel ipsi divites non tenentur, vt Missam audiant in Ecclesia, ad dandum stipendiū, quanvis Sacerdos nolit aliter dicere Missam.

202 Neque inde inferas, fœminam nobilem, & civitem, quæ non solet domo egredi, nisi comitante familia, aut manuductore (quem vocamus *Escudero*, & *Gentil hombre*) non teneri die festo salarium persolvere, vt famulatum præstet prodituræ in publicum ad Missam audiendam. Non, inquam, inferas, quia in eiusmodi matronis expensæ pro servitio ad diem festum est medium commune, atque consuetum; nec careret dolo in præceptum, si solo eo die abstinerent ab expensis.

203 Deinde respondeo, celebrationem Missæ in Oratorio privato esse præter generales Canones Ecclesiæ, estque; de se odiosam, & de se minus decere reverentiam debitam Sacrificio tanto; ideoque obligationem ad finem audiendi Missam non inferre obligationem ad medium procurandi celebrationem in tali loco, nam obligatio ad finem non importat obligationē nisi ad media regularia, favorabilia, valdeque decentia respectu ipsius finis.

204 Sed quid, si, te non protante, diceretur Missa in tuo Oratorio, tenereris ne audire die festo, cum tibi liberum non esset, domo exire? Franciscus de Lugo supra, & Lib. 5. C. 6. quæst. 5. num. 39. Raphael Aversa quæst. 11. sect. 14. V. *Nonò*, censent, te teneri, indicatque idem ipsum Fr. Franciscus Bardi parte, & Tract. 2. Cap. 3. sect. 6. num. 61. quia tunc non procedit ratio facta, nec vitatur celebrationis minor decentia. Nihilominus consideratione dignum est, num probabile adhuc sit, te non teneri, eo quòd auditio Missæ in Oratorio privato, per quā satisfieret præcepto, esset privilegij vsus activus, ad quem nec præceptum, nec privilegium obligaret.

SECTIO XV.

Interiecta tractatio de priuilegio Oratorij ad audiendam Missam ratione Bullæ Cruciatæ.

205 CVM in præcedentem Sectionem inciderit sermo de Oratorio privatæ domus ex privilegio Bullæ Cruciatæ, de quo egi satis latè in Disp. 23. censeo fore operæ pretium, si addam Sectionem hanc, & advertam, me in statera à sapiente, & amico quodam Scriptore appensum inventum esse minus habentem, quia dixerim numero 146. attento tenore verborum Bullę, non carere fundamēto opinionem de concessa facultate Oratorij in privatis domibus ad divinū solummodò cultum deputati, quod ab Ordinario visitandum esset, & designandum; quanquam iam post Decretū Vrbani VIII. à nullo Ordinario designabitur ob illam præcisè facultatem: quia etiam dixerim in num. 147. cogitasse satis probabiliter, qui eam ex vi Bullæ designationem Oratorij non restringebant ad solum Ordinarium loci, sed laxabant ad quemcumque Ordinarium, eo quòd Bulla ponat indefinitè

nitè Ordinarium, vti & quando loquitur de approbaturo Sacerdotem ad cõfessiones; qui Ordinarius potest esse vel loci, vel pœnitentis, vel Confessoris, vt fert communis sententia. Contra quæ reponit primò vir prælaudatus, se millies lectitasse Bullam, & nunquàm reperijsse fundamentum ad huiusmodi opinionem. Secundò, Vrbanum VIII. declarasse, non posse concedi Oratoria ab Ordinario, non verò nõ posse approbari, quæ essent concessa. Tertiò, etsi non pauci sentiant quod à me relatum est de Ordinario approbaturo ex indulto Bullæ ad confessiones, non tamen esse communem sententiã, nam hæc loquutio denotat, oppositam non esse communiorem; id autem non est verum, siquidem eam doceant aliquot Authores, quos ille recensct.

206 Ad primum respondeo, me non millies, sed paucies perlegisse Bullam, transcripsisseque eius verba In præcitata Sectione, ex quibus appareret, quantum fundamenti habeat ea opinio; crediderimque, censendum icẽ esse ab alijs, ac à me, si non præiudicata sententia considerentur quæ adnotavi, & nolit quis esse contentus antecedenti lectitatione Bullæ millies repetita. Sæpe quidem accidit, vt ad ea etiam, quæ oculos incurrant, non aduertamꝰ, nisi socius nos moneat. Scriptor ille Disp. 16. de Bulla C. 1. num. 6. non legerat, nisi quæ breviter de opinione illa scripsit Ludovicus à Cruce, vel Ægidius Trullench, & saltem ibi non alios allegat. Ego verò ex Soto, Henriquez, Ioanne de Salas, Castro Palao, Hieronymo Garcia rem latiori calamo tractavi: & mirabile foret, si euaderet purum putum phantasma, aut spectrum, quod hominibus adeò oculatis, & experrectis multum fundamẽti habere visum est.

207 Sotus expressè tradit, Oratoria privata fuisse olim apud Hispaniam vulgaria ex privilegio Bullæ, accedente designatione, & visitatione Ordinarij requisita ab ipsamet Bulla. Supponit eundem vsum Martinus Alfonsus Vivaldus in Candelabro aureo, parte 2. Tract. de Interdicto, §. 8. numero 307. cupitque in num. 308. vt maximè caveatur ab Episcopis, ne talis designatio fiat nisi in domibus nobilium, devotarumque personarum, & nisi extra Cameras, vbi coniugati cubant, conversantur que; quod etiam fuit Soti votum. Ludovicus Lopez 2. parte Instructorij Cap. 6. de Clavibus Ecclesiæ V. *Circa clausulam*, pag. 801. loquitur de eodem vsu; & antea in C. 79. de Sacramentis pag. 300. scripserat, [Superest iam nunc differere de illa gratia concessa in Diplomate Cruciatæ, vbi conceditur, vt intra ædes proprias possint facere Missas celebrari, quomodò licitè, & sine irreverentia Sacramenti possit, & debeat executioni mandari.] Hieronymus Llamas 3. parte Methodi curationis animarũ, C. 5. §. 15. pag. 504. scribit, [Possunt Episcopi concedere in domibus Principum, & Magnatum, potentiumque, vt selecto loco, & Oratorio ornato, & ad Sacra solùm dedicato, & observato Missæ celebrentur, nam hoc iã Summi Pontifices per suas Cruciatæ Bullas concessere cum moderamine visitationis Ordinarij post dictum Cõcilium.] Sic Llamas. Parco quærere alios Authores Hispanos testantes de antiquo vsu, sufficiunt enim memorati; egoque à senibus audivi, fuisse frequentissimum.

208 Præterea expendo denuò in Bulla, quòd loquens de Oratorio ad divinum cultum tantùm deputato, vbi Missa celebretur, & audiatur, ait, *ab Ordinario visitando, & designando*, non autem *ab Ordinario visitato, & designato*; prioraque verba apponunt conditionem, quæ accedere debeat ad vsum concessionis Oratorij: si enim ea concessio non fieret in Bulla, vel huius verba essent posteriora illa, quibus exprimerentur circumstantiæ omnes requisitæ in Oratorij ad divinum cultũ tantùm deputati facultate, & vsu tunc temporis, cum primùm Bulla est edita, vel invtiliter priora illa de futuro fuissent exarata, sufficeret namq; dicere, dari facultatem ad celebrationẽ, & auditionem Missæ in Oratorio præcisè; cur enim Summus Pontifex adijceret conditiones Oratorij, cuius licentiam non concederet? Si Sanctissimus D. N. Alexander Papa VII. nunc singulari alicui personæ indulgeret, vt in Oratorio ad divinum cultum tantùm deputato, designando, & visitando ab Ordinario celebraret, aut audiret Sacrum, ecquis non existimaret, multum esse

esse fundamenti ad dicendum, Sanctitatem suam fecisse ei personæ concessionē Oratorij requisita designatione, & visitatione Ordinarij? In Societate nostra putamus, factam esse gratiam Oratorij a Romano Pontifice Gregorio XIII. quia facultatem præbuit ad Missam celebrandam in Oratorijs, quę in Domibus, Collegijs, &c. aprobarēntur, & ad divinum dumtaxat cultum deputarentur à Provincialibus Societatis per se ipsos. Sic in Compendio privilegiorum V. *Oratoria*. Quam autē similia sint hæc verba illis alijs Bullæ Cruciatæ, nemo non videt.

209 Insuper quòd Summus Pontifex dederit, necne facultatem Oratorij, cum primùm edita est Bulla, parùm ad rem interest, nam tempore illo poterat celebrari, & audiri Missa in domus privatæ Oratorio, quòd Ordinarius deputaret tantùm ad divinum cultum, & visitaret, atque approbaret, vt visum est in ea Disput. nostra 23. Si igitur re ipsa non concessit Papa licentiam Oratorij, poterant Episcopi exhibere, & ea exhibita ab ipsis, licerent habentibus Bullam plura in Oratorio, quādo latum esset Interdictum, quàm si Bullæ privilegio non potirentur, vt videre est in Bardi parte, & T. 2. C. 1. sect. 3. Porrò omnia inconvenientia, quæ excogitantur in licentia per Bullam Cruciatæ, vrgerent in facultate per Episcopos tunc temporis, vel si illa evitabantur ob appositam conditionem de designatione, & visitatione facienda ab Episcopis, vt notat Sandobal 4. parte de Officio Ecclesiastico Capite 12. pagina 143. satis patet, tolerari posse in me, quòd dixerim, nō carere fundamento concessionem Oratorij per Bullam; vt etiam nouiter asserta est à Christophoro de S. Iosepho tomo 1. receptarum opinionū moralium in 7. parte Bullæ Cruciatæ, dub. 2. num. 5. vbi ait, [Oratorium debet esse ab Episcopo approbatum, vbi hoc non est restrictum :: sicut hodie restrictum est in Hispania.] Sic ille.

210 Quanvis verò in Bulla sit concessa Oratorij facultas, dixi in num 146. nullum Episcopum, aut Ordinarium post Decretum Vrbani VIII. designaturum, & approbaturum Oratorium privatum, vbi ex privilegio Bullę Sacrum fiat; & cum Bulla requirat hanc approbationem tanquam conditionem necessariam ad vsum licētiæ illius, sequitur, perinde nunc se habere facultatem illam, ac si non fuisset concessa, nam impedita conditione requisita ad vsum impeditur ipse vsus.

211 Hinc ad secundum respondeo, non afferri ab Scriptore illo formalia verba Vrbani VIII. Quare possem dicere cum Christophoro à S. Iosepho supra, Vetitum esse Episcopis in Hispania, tum dare licentiam ad Oratoria in domibus privatis, tum approbare illa. Deinde respondeo, prohibitionem Vrbani VIII. fuisse huiusmodi, *Ne Episcopus aliquis, vel similis Prælatus licentiam dare posset alicui celebrandi, vel celebrare faciendi in Oratorijs priuatis; & scirent omnes, talem licentiam concedere, esse reseruatum soli Summo Pontifici.* Ita cum Portel refert Diana p. 9. Tract. 1. Resol. 42. Si hæc fuerunt formalia verba Decreti, abstrahitur in eis à concessione Oratoriorum, & omnino vetatur vsus eorum, siue supponatur, necne facultas eorum data sub conditione, nam negāta Episcopis potestate, & reservata Romano Pontifici dandi licentiam celebrandi, vel faciendi celebrari in eis, impeditus manet eorum vsus quoad celebrationem, nisi habeatur novum privilegium Pontificium. Hinc in quadam Declaratione facta à Sacra Cōgregatione Concilij an. 1648 die 14. Novemb. (cuius fides sit penes Dianam supra, Resol. 5.) dictum est, *Priuilegium Bullæ Cruciatæ non suffragari pro huiusmodi Oratorijs, & altaribus, ac Missarum celebratione*, nempe post Decretum Vrbani VIII. Respondeo tertiò, etiamsi huius verba fuerint, vel fuissent, non posse concedi Oratoria ab Episcopis; ea verba intellecta fuisse, vel fore intelligenda iuxta commnem modum loquendi, quatenus Papa inhibuerit, præberi ab Episcopis licentiam ad celebrandam, aut audiendam Missā in Oratorijs privatis, sub qua inhibitione venit etiam subintelligenda inhibitio de approbatione Oratoriorum, vt in eis celebretur, aut audiatur Sacrum. Sic si Papa iuberet, ne Sacerdoti alicui Episcopus daret licentiam audiendi confessiones, perinde id esset, ac si iuberet, ne ipsum approbaret ad eas excipiendas. Et quemadmodùm

appro-

approbatio Confessarij delegati non est ipsa collatio iurisdictionis, sed est quoddam prærequisitum essentialiter ex iure novo Concilij Tridentini ad iurisdictionis potestatem completam; ita possumus dicere, etsi per Bullam Cruciatæ detur potestas ad Oratorium privatum, sed ita dari, vt ad sui complementum, & vsum necessaria debeat esse approbatio Oratorij ab Episcopo; cumque hęc sit iam prohibita a Romano Pontifice, sequitur, præfatam potestatem Oratorij per Bullam Cruciatæ esse velut eam, quam absolvendi haberet Sacerdos, cuius ab Episcopo approbatio esset impedita per Papam.

212 Ad tertium respondeo, eum, qui aliquam opinionem vocat communem, minimè denotare, oppositam non esse communiorem. Certè ex more loquendi vsitatissimo quæcumque opinio, multos habens pro se Doctores, cõmunis vocari solet; etsi plures militent pro contraria. Ita in terminis notat novissimè P. Sebastianus Izquierdus in Pharo scientiarum Disput. 6. quæst. 3. numero 31. Et anteà scripserat Navarrus in Manuali C. 27. num. 289 [Arbitror, vtramque opinionem ad hoc posse dici communem, quando vtraque habet octo, vel decem assertores graves, & cum iudicio eam deligentes. Quo fit, vt non sit multùm laudanda diligentia quorundam recentiorum inquirentium, vtram teneant plures: doctrina enim Ioannis Andreæ in Cap. 1. de Const. de sequenda communi, intelligenda videtur, cum pauci respectu aliorum teneant contrariã.] Sic sapientissimus Navarrus. Sed quid tempus tero in comprobando eo nominis vsu? cum nihil sit apud Authores frequentius, quàm vocare communem opinionem, quam tuentur non pauci, siue sint plures, siue pauciores, qui oppositam defensent, siue contraria sit communior, siue non. Circumferuntur innumerę opiniones communes inter se oppositæ, ex quibus si vna sit minus communis, quàm alia, non ideò desinit dici communis, dũmodò non sit singularis, id est, vnius, aut alterius Doctoris. Vox *communis* aduersa est voci *singularis*, non voci *communior*.

213 Rursus respondeo, cum sæpe, provt monet Azor tomo 1. L. 2. C. 13. vsuveniat, vt quidam Authores hãc, vel illam opinionem appellent cõmunem, & alij scribant, communem esse contrariam, id etiam in puncto de Ordinario, à quo debeat esse approbatus Confessarius eligendus ex privilegio Bullæ Cruciatæ, contingere; imo & ad litem adduci potest, an opinio, ad quam ego alluſi, sit communior, an ea, quam Scriptor ille amplexatur D. 22. de Bulla C. 3. num. 22. Pro sua refert sex, aut septem Authores in loco, vbi me impugnat, & hinc conclusum vult, suam esse communiorem. Ast ego pro illa, ad quam respexi, sed nec tunc, nec modò probans, aut improbans, congererem multò plures, nisi ab hoc labore me liberassent Diana parte 1. Tract. 11 Resol. 7. Leander 1. p. de Sacramentis Tract. 5. Disp. 11. q. 70. Christophorus à S. Ioseph tomo 1. receptarum opinionum moralium in 2. p. Bullæ Cruciatę dub. 1. num. 4. Bossius de Iubilæo sect. 3. casu 2. num. 225. Morònus in Responso 94. num. 28. Quintanadueñas de Iubilæis duarum hebdomadarum C. 19 num. 7. Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 8. Cap. 3. sect. 2. Subs. 1. num. 19. Thomas Tamburinus Lib. 3. de Confessione Cap. 7. § 3 num. 7. Dicastillus Tract. 8. de Sacramentis Disp. 10. dub. 9. ex num. 247. alijq; passim, qui antecedẽtium, & ab ipsis subscriptorum conficiunt longissimos catalogos.

214 Et cum ego alluserim tantùm ad Confessarij eligendi ex privilegio Bullæ Cruciatæ approbationem à quocumque Ordinario, non deterrentur ab hac opinione per Bullam XCII. Vrbani VIII. editam an. 1628. die 12. Sept. & inchoantem, *Cum sicut accepimus*, multi, qui post illam scripsere; & Dicastillus num. 257. fusè contendit contra Cardinalem de Lugo D. 21. de Pœnitentia sect. 2. num. 29. neque obesse quoad Confessarium vndecumque eligibilem. Aitque Arriaga tomo 8. D. 42. sect. 3. Subs. 1. num. 13. [Non revocat ibi Vrbanus VIII. alia privilegia, quàm quæ contra Tridentini Canonem esse poterant, vt scilicet sine vlla approbatione Ordinarij possent, iurisdictione accepta, confessiones aut dire. Nam quòd approbatus ab vno Ordinario possit vbique audire confessiones, certè huius sententiæ

Authores

Authores non revocant ad privilegiũ vllum; sed quòd Concilium non ampliùs requisierit, quàm quòd Ordinarius approbet. Id quod, illi dicunt, salvatur perfectè, siue hic, siue ille sit.]

189 Sed quidquid sit de similitudine Ordinarij approbaturi ad cõfessiones ex privilegio Bullæ, quem posse esse quemcumque siue Confessarij, siue Pœnitentis, siue loci, meam adhuc fidem non interposui; vt defenderem; de Ordinario tamen approbaturo Oratorium privatum ex eiusdem Bullæ indulto, si nunc liceret per Sedẽ Apostolicam, nihil obstat; nam quod est difficultatis in ea alia opinione, oritur ex varijs Eminentissimorum Cardinalium Declarationibus, & ex nonnullis Summorum Pontificum Brevibus, quę videntur adversari, & de quibus multus est apud modernos Authores sermo; ast circa Ordinariũ approbaturum, nisi nunc impeditus esset, Oratoria per Cruciatę Bullam concessa, vt vltra supra memoratos agnoscit Martinus de Ledesma 1. p. 4. quæst. 24. articulo 3. dub. 1. nullæ extant Declarationes Cardinalium, nullæque Pontificũ Bullæ, quæ vel in speciem probẽt, non posse quemcumque Ordinarium.

SECTIO XVI.

Intercalaris alia discussio de habentibus potestatem consecrandi Ecclesias, altaria, & vasa sacra, ad celebrandas, & audiendas Missas.

190 RESPONDI prælaudati Authoris adversus me obiectionibus circa privilegium Bullæ Cruciatæ ad Oratoria privata. Cui digressioni adiungere aliam decrevi circa id, quod præsefert titulus; pervenerunt enim ad me manuscriptæ impugnationes eorum, quæ dixi Disp. 17. ex num. 75. agens post eundemmet Authorem de materia illa, cogitque veritatis investigandæ amor vel firmare ea amplius, si vera sint, vel corrigere, si falsa. Sic autẽ me geram, vt, vitandę longitudinis causa, non referã verbatim impugnationes, sed repetendo meas conclusiones occurram adnotatis contra illas.

191 Itaque dixi primò in n. 76. functionem sacram consecrationis Ecclesiæ ex iure cõmuni spectare priuativè ad solum Episcopum, esseque actũ Ordinis Episcopalis; & ab ipso indelegabilem alteri nõ Episcopo. Licet autem à Papa delegari queat, attamen nec Ascanius Tamburinus ibi citatus, anteàque in num 61. nec Castillentus in Polyanthea Seraphica V. *Consecratio Ecclesiæ*, Diff. 1. §. *Dico primò*, neque ego tunc, aut modò post diligentissimam investigationem invenire potuimus, fuisse hucvsque delegatam alicui siue Abbati benedicto, siue potienti iurisdictione quasi Episcopali in vtroque foro; quæsivique permultos viros notitiosissimos, an vnquam vidissent, aut audissent consecratam Ecclesiam per non Episcopum? responderuntque constanter, non visum, neq; auditum à sæculo. Prima assertionis pars probata est à me ex Canonibus in num. 10. D. 23. & pro ea legantur Azor parte 1. Lib. 10. C. 26. q. 10. p. 2. Lib. 9. C. 4. quæst. 1. Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi, Allegatione 27. num. 1. Lib. 2. de Iure Ecclesiastico vniverso C. 2. num. 30. & seqq. Iacobus de Graffiis parte, & L. 2. Decisionum Aurearum C. 15. num. 8. Ludovicus de Miranda tomo 2. Directorij quæst. 39. art. 1. Conclus. 3. Sylvester V. *Consecratio* 2. quęst. 1. Machadus Lib. 4. parte 6. Tract. 7. Documento 4. numero 1. & 2. qui allegant multos alios, quin referant vllum dissentientem, nec ego repererim.

192 Secundò, ad consecrationem altarium, & vasorum sacrorum extendi primã partem assertionis præcedentis. Recensui plurimos Authores; nuncque addo Quartum parte 1. tit. 20. dub. 2. V. *Dico secundò*, Mascarenchas Tract. & D. 5. C. 7. num. 326. Et ne innumeris allegationibus fiam prolixus, satis sit dixisse, post achibitã magnam diligentiam non esse à me lectum aliquem modernum, qui discordet, neque ab impugnatore adductum contra me, nisi Stephanum Bauny, quẽ

ego

ego citavi num. 79. Sed ad id vt consecratio altarium, & vasorum esset in Episcopo ex mente Bauny actus iurisdictionis. Quod etsi admitteretur, nō inde sequitur quidpiam contra secundam conclusionem nostram, stat enim, vt quod est actus iurisdictionis Episcopalis, pertineat ex iure communi ad solum Episcopum privativè, sitque ab ipso indelegabile alteri non Episcopo, vt absolutionem ab hæresi occulta multi censent non posse ab Episcopo exerceri per alium. Præterea sensus Bauny est satis obscurus, modò enim videtur agere de potestate consecrandi altaria, & vasa, modò de potestate benedicendi vestes, vt constabit legenti Tractatū 6. q. 17. V. *Sacrari autem*, & sequentem, pag. 299.

193 Ex antiquis afferuntur contra me Sylvester, Tabiena, & Armilla, quia ego eos allegavi apud Azorem p. 1. Lib. 10. Cap. 28. quæst. 2. sed tacetur, quod addidi, nempe Azorem conari conciliare eos cum receptissima sententia; de quo ille non curaret, si ipsi videretur, posse iam contraria grata esse. Sed expedit explorare dicta illorum Authorum: & in primis Sylvestri, qui V. *Benedictio*, num. 5. refert ex Cardinali, posse ab Abbatibus, qui Pōtificalia insignia gestent, præscribi consuetudine consecrationē vasorum, atque adeò hanc non esse actum Ordinis Episcopalis; ipse autem Sylvester non adhæret Cardinali, sed Geminiano censenti oppositum; & fortè Cardinalis explicādus est, vt Tabiena, ad quem transeo, & qui V. *Abbas* valde diffusè tractat de hoc puncto in n. 12. vbi cum tradidisset, consecrationem altarium, & vasorum esse ex Institutione Ecclesiæ actum Ordinis Episcopalis, inquit in Conclusione 5. [Quæ sunt Ordinis secundo modo, id est, ex institutione Ecclesiæ, non possunt præscribi per quamcumque consuetudinem, privilegium, commissionem, nisi sit à Papa; & Episcopus non potest illa committere.] In Conclusione autem 6. ait, [Abbates, & aliqui alij Sacerdotes habent, vt possint benedicere vestes, & alia, quæ pertinent ad cultum diuinum ex authoritate Papæ. Hæc conclusio patet primò, quia ex iure habent quædam istorum, puta conferre Ordines minores; & aliqua alia habent ex consuetudine approbata à Papa, quia possunt benedicere vestes, & alia, quæ ex consuetudine faciunt; & fortè habēt privilegia, quæ essent inspicienda.] Quibus in verbis Tabiena loquitur de consuetudine, nō vtcumque, sed derivata ex privilegio Pontificio, quia in re tam gravi, non est credendum fuisse vsurpatam propria authoritate, & continuatam multo tempore, tacentibus, & consentientibus Prælatis; sed putandum potiùs est, originem habuisse in concessione facta à Papa. Et eodem modo loquitur Armilla V. *Abbas*, §. 8. inquiens, [Abbas potest consecrare Ecclesias, vel altare, cœmeteria reconciliare, consecrare oleum ad infirmos, benedicere Moniales, consecrare Corporalia, benedicere vestes, & vasa, & calices, & omnia, quæ ad Dei cultum appropriātur, si habeat à Papa ex commissione, vel ex iure, vel ex privilegio, vel ex consuetudine scita, & approbata per Papam.] Sic Armilla, & satis clarè.

194 Non ergo ab antiquis Summistis asseritur, alios, quàm Episcopos, posse ex se, & ex munere suo consecrare altaria, & vasa. Id quidem sicut & consecratio Ecclesiarum *reseruatur Episcopo* ex vi officij, *tanquam Principi totius Ecclesiastici Ordinis*, vt ait S. Thomas 3. p. quæst. 82. art. 1. ad 4. & vt Odo Episcopus Parisiensis in Synodicis Constitutionibus C. 4. de Sacramento confirmationis, *Solius Episcopi est dedicare Ecclesias*, & vt Concilium Hispalense 2. C. 7. [Presbytero illicita consecratio est altaris, & constitutio. In diuinis enim litteris, præcipiente Domino, solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnixit, vtiq; quia Summus Sacerdos Dei erat, sicut scriptum est, Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius. Ideoque id, quod tantùm facere Principibus Sacerdotum iussū est, quorum typum Moyses, & Aaron tenuerunt, Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figurā, arripere non præsumant. Nam quanvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispēsatio, quædam novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint :: sicut constitutio altaris, benedictio, vel vnctio: siquidem nec licet eis Ecclesiam, vel altare consecrare :: Hæc omnia illicita

ta sunt Presbyteris, quia Pontificatus apicem non habent: quem soli deberi Episcopis authoritate Canonum præcipitur; vt per hoc, & discretio graduum, & dignitatis fastigium Summi Pontificis demonstretur.] Hactenus ex Hispalensi Concilio, quod sic decrevit, quia relatum ipsi fuerat, [Venerandissimum quondam Agapium, Cordubensis Vrbis Episcopum, frequenter Presbyteros destinasse, qui, absente Pontifice, altaria erigerent, Basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum id præcepisse Virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum; & statim à Sæculari militia in Sacerdotale ministerium delegatum.

221 Et Sanctus Isidorus eiusdem Hispalensis Civitatis Antistes, & qui tanquàm Metropolitanus præsedit eidem Concilio, inquit C. *Perlectis* 1. Distinctione 25. *Ad Episcopum pertinet Basilicarum consecratio, vnctio altaris.* Concilium Agathense relatum C. 3. *Ministrare* 6. quæstione 26. *Consecrare altare Prebyter non præsumat.* Concilium Carthaginense C. 6. iuxta lectionem Balsamonis, & Zonaræ, *In prioribus Synodis hoc fuisse constituta meminimus, vt templorum consecratio à Presbytero non fiat.* Concilium Vvormatiense sub Adriano Papa II. C. 8. *Benedictio, vel vnctio altaris à Presbyteris minimè fiat. Similiter non liceat eis Ecclesias cõsecrare.* Concilium Pictavense sub Paschali II. Papa, anno 1109. iubet, *vt nullus vestimenta Sacerdotalia, vel altaris vtensilia præter Episcopum benedicere præsumat.* Qui Canones addendi sunt allegatis à me in numero 25. Disp. 24. & in numero 10. Disput. 23. pro competente solis Episcopis ex munere ordinario consecratione altarium, vasorum, & Ecclesiarum.

222 Atque ita recenter probat D. Doct. D. Franciscus Ramos del Manzano Lycæi Salmantini olim maximum decus, nunc Supremi Senatus Castellæ præclarissimus Consiliarius in Discursu (qui certè dignus est cedro) ad Sanctissimum Dominum N. Alexandrum VII. Papam, propositione, & §. 4. num. 147. & 158. folio 96. & 99. Quãquam verò ex C. *Tabernaculum* 2. C. *Sicut* 11. de Consecratione, Distinctione 1, dicat, *summa* saltem *exigente necessitate*, licuisse olim Corepiscopis (de quibus non constat, num fuerint Episcopi, vel tantùm Presbyteri honorabiliores) sacrare Ecclesias; ast addit, fas id non fuisse [ex vi consuetudinis, aut consensus Episcoporum, sed ex dispensatione vniversalis Ecclesiæ id tunc approbantis; sicut nũc eidem Ecclesiæ, eiusque visibili capiti indulgere, & approbare liceret.] Quæ additio firmat magis sententiam nostram; quidquid sit de intelligentia C. *Tabernaculum*; in quo verba *summa exigente necessitate*, putabam ego referri non ad consecrationem à Corepiscopis, sed ad celebrationem Missæ in Ecclesijs non consecratis ab Episcopis, prohibita tunc, & antea consecratione à Corepiscopis. Sic mihi persuadebant tum Glosa Verb. *Necessitate*, tum verba illa posteriora eiusdem C. *Tabernaculum*, *Et hoc, si summa necessitas agere compulerit*, tum ea alia Can. *Sicut*, *Nisi summa coegerit necessitas*, *Nisi pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas legem non habet.* Vterque Canon desumptus est ex Epistola 1. Felicis IV. Papæ C. 1. cuius magnam partem transcripsi in numero 2. Disput. 23. Initium autem huiusmodi est, *De Ecclesiarum consecratione, & de Missarum celebrationibus non alibi, quàm in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota noui, ac veteris Testamenti præcepta.* Alteri cogitationi occasionem dedit, quòd parenthesis post *Corepiscopis* in C. *Tabernaculum* plus iusto est protensa in editionibus Gratiani, cum debuisset claudere solam hanc orationem, *qui sæpe prohibiti sunt.*

223 Sed inquis, si soli Episcopi possent ex se, & ex munere suo consecrare altaria, & vasa, sequeretur, vt, cum ex commissione, & privilegio Pontificio valeant tot alij plures numero, minor esset multitudo habentium potestatem ordinariam ad consecrationem altarium, & vasorum, quàm habentium delegatam à Pontifice. Id autem videtur singulare quid. Ego tamen nec vestigium singularitatis dispicio. Compara Guardianos solos Franciscanos, qui non aliunde, quã ex privilegio gaudent potestate benedicendi ornamenta, cum Episcopis,

qui iure ordinario, & ex vi officij potiuntur ea potestate, addeque Abbates Pontificijs insignibus fulgentes, & quoscumque Superiores præditos iurisdictione spirituali in vtroque foro, (in quibus pro hac comparatione vt agnoscas potestatem ex vi muneris ad ornamentorum benedictionem, permitto) & Guardiani soli Fracisci erunt plures numero. Quid, si accedant Dominicani, & cæteri Religionum Mendicantium Prælati? Omitto alia exempla, quæ cuivis se se offerent.

224 Adhuc vrges, rarum est, & paucorum nō Episcoporum posse ex privilegio dispensare Sacramentum confirmationis, provt delibavi in numero 67. Disput. 27. exornatque eruditè nunquam satis commendandus Dom. Doct. Ramos supra, numero 156. & 157. Ideo autem rarum est, & paucorum non Episcoporum, quia ministrandi eius Sacramenti potestas est privativè propria Episcoporum. Cum ergo in tot alijs vltra Episcopos detur potestas ad consecranda altaria, & vasa sacra, sequitur, eam non esse privativè propriam Episcoporum, & in illis tot alijs non esse ex privilegio, & cōmissione Pontificis Romani, sed potiùs ex munere suo. Respondeo, raritatem privilegij de dispensatione confirmationis à non Episcopis non inde ortam, quòd ea dispensatio esset vtcūque privativè propria Episcoporum, sed quia ipsorum tanquam Ministrorum ordinariorum esset privativè propria ex institutione diuina, & quia nō vrget frequens necessitas, vt meris Sacerdotibus committatur à Papa ministerium extraordinarium eius Sacramenti. Vtraque autem hæc ratio deficit in nostro casu, nam potestas ad consecranda altaria, & vasa est privativè propria Episcoporum ex institutione tantùm Ecclesiæ. Et necessitas, vt aliqui Sacerdotes non Episcopi consecrent altaria, & vasa, sæpe premit, Ideoq; providè à Sede Apostolica nonnullis Sacerdotibus non Episcopis fuit concessa ad id facultas. Et tu ipse debes fateri, si legas integram Sectionem 8. Disputationis nostræ 27. his de causis fuisse à Papa multò pluribus indultum privilegium ad consecrationem prædictorum, quàm ad dispensationem Sacramenti confirmationis.

225 Hæc à ratione contra me sunt obiecta. Sed & ego à ratione etiam sic denuò insurgo. Primò, quia si in Sacerdotibus non Episcopis, quales sunt Abbates benedicti, aut Prælati Ecclesiastici donati insignibus Pontificalibus, & gaudentes iurisdictione spirituali in vtroque foro, reperitur ex officio potestas consecrandi altaria, & vasa. Ergo, nisi sit potestas Ordinis, valebunt eam delegare. At non est potestas Ordinis, quia illi non habent alium Ordinem Sacerdotali superiorē; non est autem Sacerdotalis Ordinis illa potestas, alioqui competeret omnibus Sacerdotibus, & alioqui Prælati illi, nisi constet de prohibitione Ecclesiæ, valerent delegare eam potestatem Sacerdoti cuicumque, sicut potest vnus Episcopus in sua Diœcesi delegare alij Episcopo, vt in ea consecret Ecclesiam. Vndenam autem constat de ea prohibitione in iure Canonico? Dices, constare respectu Episcoporum, & proinde etiam respectu illorum aliorum Prælatorum. Sed contra, quia in Episcopis ea potestas est Ordinis, at in illis alijs Prælatis esset iurisdictionis, vt probavi; ex prohibita autem delegatione potestatis Ordinis non fit recta illatio ad prohibitionem delegandę potestatis iurisdictionis.

226 Insurgo secundò, si ille argumentandi modus, quo fautor contrariæ partis vtitur, nimirùm præfatis Prælatis ex iure communi licent omnia, quæ Episcopis, si excipiantur exigentia potestatem Episcopalem, qualis non est consecratio altarium, & vasorum, siquidem multi Episcopi, vt Abbates Benedictini, & Cistercienses, possint exercere eam ritè, & legitimè, si, inquam, modus ille argumentandi esset convincens, sequeretur, licere etiam eisdem Prælatis ex iure, officioque communi, & ordinario, concedere Indulgentias, nam harum concessio fit frequenter à multis non Episcopis, vt ab Abbatibus Benedictinis, Cistercienſibusque, & à Superioribus Religionum Mendicantium, quod compertum est ex praxi, & ex Comp. nostrorum privilegiorū V. *Indulgentia* §. 9. 10. & 15. Atqui Consequens non

est

est verum, vt ostenditur ex C. *Accedentibus* 12. de Excessibus Prælatorum, qui cum non sint Episcopi, *non contenti suis finibus manus ad ea, quæ sunt Episcopalis dignitatis, extendunt, concedendo Indulgentiarum litteras, & similia præsumendo, vnde contingit interdum, quòd vilescit Episcopalis authoritas apud multos.* Circa quem Canonem, & circa rationem non agnoscendi in Abbatibus, & in Prioribus gaudentibus quasi Episcopali iurisdictione potestatem ordinariam elargiendi vllas Indulgentias legantur Suarez tomo 4. in 3. partem Disput. 55. sect. 4. Barbosa de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 88. num. 17. Si ergo Consequens non est verum, neque erit conuincens modus ille argumentandi. Vt cui expromptè responderi possit, non competere iure ordinario, & vi muneris Prælatis iurisdictione quasi Episcopali præditis omnia, quæ Episcopis, præter exigentia potestatem Episcopalem, si extra hæc computentur cuncta illa, quæ exercentur à nõ Episcopis, nam prædictis Prælatis non competit ordinaria potestas concedendi Indulgentias; quarum concessio iuxta arguentem non erit in Episcopis è potestate ordinaria, pertinensq; ad Ordinem Episcopalem ex constitutione Ecclesiæ, siquidem multi non Episcopi exerceant eam cõcessionem. Et absolutè dicendum est, quidquid exequuntur alij inferiores Episcopis, non esse extra ordinariam potestatem Episcoporum, si alij ex cõmissione, & ex privilegio speciali Romani Pontificis exequantur, vti accidit in Indulgentijs nonnullis, quas cõcedunt Benedictini, Cistercienseſque Abbates, Superioresque Religionum Mendicantium, & similiter in consecratione altarium, & vasorum, quam faciunt Abbates Benedictini, & Cistertienses, similesque alij.

227 Vbi notandum est, Romanum Pontificem cõcessisse nonnullis Prælatis iurisdictione quasi Episcopali gaudentibus, vt possint vti Pontificalibus, benedicere solemniter, & concedere Indulgentiam populo ad solemnem benedictionem præsenti, non secus ac faciunt Episcopi. De quo privilegio consulendi sunt Chrysostomus Henriquez In Summarijs privilegiorum Militum de Calatrava, & Alcantara pag. 504. & 514. necnon Pater Mendus Disquisitione 7. de Ordinibus Militaribus quæstione 6. ex numero 60. Qui in quæst. 12. numero 123. & 124. advertit, non fuisse absolutè necessarium privilegium ad insignia Põtificalia, & ad solemnem benedictionem, secus verò ad concessionem Indulgentiæ post benedictionem, vt prænonuerat in quæstione VI. numero 63.

228 Id secundum conforme est doctrinæ, ex qua proximè desumpsi argumentationem. Sed qui iudicaret, illos Prælatos posse ex iure communi consecrare Ecclesias, quidni admitteret, posse etiam concedere vni anni Indulgentiam, quam potest exinde Episcopus in consecratione Ecclesiæ iuxta C. *Ex eo* 14. de Pœnitentijs, & remissionibus? Nam illud ius respexit ad consecrationis solemnitatem factam ab Episcopo: quam si facere queant illi Prælati, cur non erunt participes eiusdem iuris ad elargiendam Indulgentiam vnius anni pro die dedicationis Ecclesiæ? Sed quidquid sit de hac de deductione ex Antecedenti, cui ego non assentior, scripsi consultò *solemnitatem factam ab Episcopo*, etenim, qui per se non consecret, requit concedere illam vnius anni Indulgentiam visitantibus die consecrationis ipsam Ecclesiam. Ita (ni fallor) habetur in præcitato C. *Ex eo*, cuius verba sunt, *Decernimus, vt cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia vltra annum, siue ab vno solo, siue à pluribus Episcopis dedicetur.* Ita etiam videtur supponi à DD. quanquã P. Mendus quæst. illa 6. n. 64. dicat, [Etiam si Episcopus non benedicat populo, nec sit in Ecclesia præsens, potest concedere, vt visitantes eo die (nempe dedicationis) ipsam Ecclesiam, vnum annum Indulgentiæ lucrentur. An voluit dicere, Episcopum post discessum è templo posse eo die, quo illud cõsecravit, elargiri Indulgentiam vnius anni? nam de die anniversario dedicationis, cuius celebritati non debet esse præsens Episcopus, vt concedat Indulgentiam, sermo ibi non est, siquidẽ talis Indulgentia debet non excedere XL. dies præscriptos in allegato Cap.

Ex eo.

229 Primum illud de priuilegio Pontificio in Prælatis iurisdictione quasi Episcopali pollentibus non necessario per se ad Pontificalia insignia, & ad solemnem benedictionem nunc à me non discutitur. Si per se non est requisitum, non inde infertur contra me, neq; esse necessarium ad consecrationem altarium, & vasorum, quandoquidem ad hanc desit textus iuris communis; secus ad ea alia, vt vult Machadus Lib. 4. parte 5. Tractatu, & Doc. 3. num. 1. & P. Mendo supra, q. 12. num. 123.

230 Ex quibus omnibus deducitur, si qui non Episcopi habeant potestatem consecrandi altaria, & vasa, debere derivari ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ. Vnde ego in n. 77. Disp. 27. suspendi iudicium circa aliquos, quia periculosum vtrinque erat, inficias ire, vel affirmare, fuisse illis concessum tale privilegium, & quia, vt in simili causa ait P. Suarez tomo 4. ad 3. p. Disp. 55. sect. 6 num. 6. spectabat ad quæstionem de facto, ad quam respondere non erat mei instituti generalis, eaque penderet ex Papæ voluntate, quam consulendam volui, seu privilegium ipsam manifestans. Et soleo quidem cautè agere in hac materia priuilegiorum, scriptis, & testatis cupiens habere fidem, non contentus aliorum dictis ob discrimen addendi quidpiam, quod non sit indultũ à Summo Potifice, vel adimendi quidpiam, quod sit indultum.

231 Ais, me potuisse Salmanticæ modico labore quærere, & perlegere ea privilegia. Respondeo, fore me dignum reprehensione, si obfirmatè fuissem inficiatus quæ non vidissem. At tantùm dixi, me nec posse negare, neque affirmare; monuique, vt examinarent illi, quorum interfuisset. Ad hęc: legeram Chrysostomum Henriquez, & in eo non inveni nisi pag. 504. V. *Prior*, privilegia benedicendi ornamenta, reconciliandique templa; pag. 513. V. *Diploma Honorij III.* petendi consecrationem altarium à quocumque Antistite. Quis crederet, diligentissimum Collectorem omissurum fuisse illud aliud insigne priuilegium de consecratione altarium, & vasorum? Imò nõ parùm fuit, quòd non negaverim illud, præsertim cum opus non esset favore Papæ, vt procurarent cõsecrationem altarium à quocumque Episcopo, qui per se ipsos possent exequi eam. Et tale privilegium formale videbitur adhuc non fuisse concessum, nam neque prolatum est à P. Mendo supra, quæst. 12. numero 126. neque ab illo ipso, cui respondeo. Optimus modus terminandi quæstionem esset, in medium producere istiusmodi privilegium.

232 Si verò non exter formale, sed virtuale, quatenus præfati Prælati participes sint privilegiorum concessorum Abbatibus Cisterciensibus, inter quæ vnum est ad consecrationem altarium, & vasorum. Tunc verò considerari debet, an ob desuetudinem communicandi in eo privilegio, opus sit abstinere ab inchoando vsu eius, sicut prudenter Pater Mendo supra, quæst. 12. num. 123. monet, requiri forsan speciale indultum Pontificium, vt denuò induant insignia Pontificalia ijdem Prælati, si hucvsque incesserunt sine ipsis: & sicut P. Lessius in Resolutionibus variorum casuum conscientiæ, V. *Priuilegium*, Cas. 1. scripsit, quosdam Abbates, quibus Iulius II. Papa dedit privilegium consecrandi altaria, & qui iamdiu eo vsi non sunt, non posse in posterum vti, quia per non vsum longi temporis amiserunt illud, Episcopis contra Abbates præscribentibus, si aliquoties occasio fuit vsus, & abire est permissa, vocato Episcopo ad altarium consecrationes. De quibus addit ibi Pater Lessius, adeò dependere ab expresso privilegio Pontificio in Abbatibus, vt neminem repererit, qui eis attribuat facultatem ad ipsas. Quod intelligo ex vi consuetudinis; ex qua Abbates insignibus Pontificalibus ornatos posse consecrare vasa sensisse Cardinalem Zabarellam retulerat proximè, vt & Angelus V. *Calix*, alijque antiqui, & moderni. Sed ego, lecto Cardinali in Clementinam *de Statu Monachorum*, C. *Atendentes 2. §. Statuimus*, num. 3. observo, non loqui de consecratione vasorum, sed de benedictione vestiũ. Et siue de hac sola, siue de illa etiam sit intelligendus, sumit ibi consuetudinẽ

modo

modo explicato in n. 193. post Suariũ tomo 4. de Religione Tract. 8. Lib. 2. C. 30. num. 6. addentem num. 8. esse in confesso apud omnes non esse nunc concessas Abbatibus iure, vel consuetudine consecrationes, quæ fiunt cum vnctione chrismatis. Consentit Ascanius Tamburinus tomo 1. de Iure Abbatum Disp. 22. quæsito 1. num. 4. & 5. D. 23. quæsito 1. num. 4.

233 Præterea circa privilegium illud virtuale perpẽdi etiam debet, non satis esse, quòd præfati Prælati communicent vtcumque in privilegijs Cistertiensium, sicut non satis est respectu Superiorum è Religionibus Mendicantibus, & è multis etiam Canonicis Regularib⁹, admissis à Summo Pontifice ad participanda Cistertiensium privilegia, quia illud privilegiũ est adeo peculiare, vt sub vniversali clausula non censeatur comprehendi; nec in generali concessione intelligũtur ea, quæ sunt specialiter reservata, & de quibus facienda est specialis mẽtio: quia item non pertinet ad spiritualem vtilitatem, vel ad conveniens regimen Religionis, sed potiùs ad quãdam Abbatum præeminentiam, quæ non videtur ita accomodata statui aliorum Religiosorum: & quia in iure nomine Abbatum significatur peculiaris dignitas non competens Superioribus aliarum Religionum. Sic ferè Suarez supra, C. 29. num. 28. in simili causa, videndusque est Ascanius Tamburinus supra Disp. 2. quæsito 8. num. 7. Hæ autẽ rationes num etiam valeant quoad præfatos illos Prælatos? dignum est attenta consideratione.

234 Insuper in præfatis Prælatis desuetudo inveterata consecrandi altaria, & vasa argumentum esset magni momenti, vt posset quis inferre, eos non agnovisse concessam sibi facultatem ad id per viam communicationis privilegiorum, vt in Superioribus Religionum Mendicantium ratiocinatur P. Suarez loco citato. Ac sanè null⁹ est, qui testetur de vsu in illis alijs Prælatis. Si tamen eum habuerint, meî animi non est, religionem, seu scrupulum injicere, cum enim sint homines pietate, & sapientia præstantes, quis cogitet, continuasse eum quasi per manus absq; ratione, & authoritate sufficiente?

235 Et vt iam finiam, non obest, quod contra me retorquetur, scilicet quod dixerim in numero 78. si Monachus Cistertiensis (vt debere fieri contenditur ab Abbate Morin undensi) præficiatur in eo Monasterio, vbi nunc præficitur Frater Clericus, controverti adhuc posse, an talis Monachus valeret consecrare altaria, & vasa? Nam vt non valeret, facit, quòd non esset Abbas, sed Prior: & vt valeret, facit, quòd haberet similem, & parem dignitatem, quam Abbates Cistertienses in suis Monasterijs. Viderique queat nimis accidentale, si vocaretur Prior, & non Abbas. Non obest, inquam, id retortum contra me, qui neque pro vna, neque pro altera parte sententiam tuli, sed conceptis verbis inquiens, rem esse vtrinque altercabilem, reliqui eam in medio, vt docti alij viri iudicarent; sæpeque servo modum hunc in punctis difficilibus, nihil, aut parùm examinatis a Maioribus. Et licet secundo, vltimoque loco, ponam partem de facultate Monachi Cistertiensis ad consecranda altaria, & vasa, si præficeretur ei Monasterio, non ideo ipsam præ prima eligo, nam regula illa de approbata ab Scriptore opinione, quam postremò refert, non quadrat huc, cum ego non scribam referendo præcisè sententias, sed exprimendo quid sentiam (quale quale illud sit) qui autem sic scribit, si aliquando inquit, quidpiam esse disputabile in vtramq; partem, longè abest, vt tunc approbet vnam partem præ alia, sed suspendit suum suffragium, quo adusque vel ipse comparet maiorem lucem ad vincendam difficultatem, vel alij præeant applaudẽdo magis vni parti, quàm alteri.

236 Sed permitto, fuisse à me approbatam vltimam: quid inde? Monachus ille Cistertiensis gauderet simili, & pari dignitate, qua Abbates Cistertienses in suis Monasteriis, eiq; dignitati apud Cistertienses annexa est ex privilegio Pontificio facultas consecrandi altaria, & vasa; vnde sive ille Monach⁹ vocaretur Abbas, sive Prior, gauderet facultate, qua cæteri Abbates Cistertienses, maximè si in eo Monasterio haberet aliquos subditos Cistertienses. Quod explicari potest exẽplo eorum, qui è Societate præficiun-

tur Rectores Seminarijs, aut Convictorijs Sæcularium iuvenum non pertinentibus ad Societatis dominium, nam ad eos, si soli Provinciali immediatè subdantur, extendi privilegium benedicendi ornamenta sacra non minus, quàm ad Præpositos, & Rectores Domorum, & Collegiorum Societatis, probat sapientissimè Cardinalis de Lugo L. 4. Responsorum moralium dub. 39. Vt autem hinc non infertur, si Seminarij Rector crearetur aliquis Sacerdotum Sæcularium, fore, vt etiam posset benedicere ornamenta; ita neq; minus consequenter dubitatum à me fuisset de Fratris Clerici prædicto Monasterio præfecti potestate ad consecranda altaria, & vasa, etsi eam concessissem in Monacho Cistertiensi. Et ratio discriminis obscura non est, nam de privilegio Abbatũ Cistertiensium constat, indeque probabiliter esset ratiocinatum ad Superiorem Cistertiensem habentem similem, & parem dignitatẽ, siue sub nomine Abbatis, siue Prioris; ast de privilegio Fratris Clerici Prioris tot sunt fundamenta dubitandi, quot antea proposui, atque expendi.

SECTIO XVII.

Regressio ad causas excusantes à præcepto audiendæ Missæ.

211 TRACTAVIMVS omnia ferè, quæ pertinent ad legitimam excusationem audiẽdæ Missę petitam ex impotentia, quam vocant spiritualem. Sed vt omnia omnino pertractata maneant, sciendum est, excusari quem posse ab impletione præcepti de auditione Missæ ob ignorantiam invincibilem siue facti, quia nimirùm ignoret, hunc diem esse festum; siue iuris, quia scilicet ignoret, impositam esse obligationem audiendi Missam diebus festis (quæ ignorantia rarò potest esse invincibilis in hominibus adultis, & sanæ mentis) vel quia ignoret, eam obligationem vrgere hoc die festo, concurrentibus talibus circumstantijs. Ratio est, quia ignorantia invincibilis excusat à peccatis contra præcepta, vt in Materia de Actibus humanis communiter traditur.

212 Imò vincibilis ignorantia præcepti de audiendo Sacro, vel diei festi excusabit à peccato lethali non auditionem Sacri, quanquam ignorantia proveniat ex gravi negligentia, dummodò non sit crassa, seu supina, affectataque, & dummodò ignorans ita sit dispositus, vt si sciret præceptum, vel diem esse festum, non omitteret auditionem Sacri. Ratio est, quia eiusmodi ignorantia excusat à lethali violatione præceptorum iuris humani; ad quod ius spectat præceptum audiendi Missam. Remittimus probationem prioris partis rationis istius in Tractatum prænominatum.

213 Hinc qui bona fide putat, se habere sufficiẽtem causam, vt omittat auditionem Sacri, etiamsi causa nõ sit re ipsa sufficiens; aut qui bona fide putat, non defuturam Missam in alio templo, ideoque omittit audire in altero, quanvis in alio posteà non reperiat Missam, reus non est peccati lethalis. Loquorque de fide, quæ sit culpabilis, ortaque ex gravi negligentia, & non tantùm de fide innixa opinioni probabili; est namq; eadem ratio eius fidei, ac ignorantiæ culpabilis, respecta præceptorum iuris humani. Quæ de ignorantia dixi, extendas, velim, ad oblivionem, & inadvertentiam naturalem siue circa præceptum audiendæ Missæ, siue circa diem festum, nam oblivio, & inadvertentia nihil, vel parùm differt ab ignorantia.

214 Transeo iam ad excusationem ex capite impotentiæ corporalis. Et quidẽ cum ad impossibile nemo teneatur, certum est, excusari ab auditione Missæ eum, cui desit copia Missæ, eo quòd desideretur Sacerdos, aut deficiant necessaria ad validam, licitamve celebrationem. Est etiam certum, excusari eum, qui simpliciter impotens est corporaliter, vt si in vinculis detineatur, aut in lecto iaceat graviter ægrotans, quin possit surgere, vt ad tẽplum eat, nec è lecto possit audire, aut è vinculis; item si templum adeò distet, vt à pedite, aut equite nequeat adiri.

215 Sed rogas, quanta distantia ab Ecclesia excuset absolutè, ne obliget præceptum adeundi Ecclesiam,

&

& audiendi Missam? Respondeo, non posse determinatè assignari talem distantiã; sed attendendum esse circumstantijs personarum, temporis, & viæ. P. Suarez D. 88. sect. 6. V. *Tertium genus*, ait, [Excusatur quis ab audienda Missa, si necessarium illi sit, longum iter, v. g. vnius leucæ peditem conficere: idemque est, quanvis non sit tãta distantia, tamen est aliqua notabilis; & aliunde tempestates ingruunt, & pluuiæ, ita vt, prudenter rem considerando, notabile censeatur detrimẽtum.]

216 Henriquez Lib. 9. C. 25. §. 10. inquit ex Navarro L. 2. Consil. in 2. de Ferijs, [Rustici, aut operarij valentes, & robusti, non excusantur, eo quòd per leucam distent ab oppido, vbi celebratur, nisi tempore nivis, aut pluviæ magnæ.] Videntur hi Authores loqui de leuca Hispana legali continente tria millia passuum cõmuniũ, seu tria milliaria Italica. Ad quæ respiciens Bonacina Disp. 4. quæst. vltima puncto vltimo, n. 12. scribit, [Eum, qui longiùs distat ab Ecclesia, excusari, si commodè nequeat Missam audire, vt si per sex, vel septem milliaria distet: in quare diiudicanda opus est prudentia, habita ratione loci, temporis, & personę, fieri enim potest, vt qui tempore sudo, & sereno non excusatur ob spatium duorum milliarium, excusetur tempore nivis, aut magnæ pluviæ.]

217 Cæterùm Dicastillus Tract. & D. 5. dub. 10. n. 184. & 185. sic fatur, [Ego sanè virum alioquin sanum tempore sudo, & sereno non puto excusari duobus tantùm milliaribus distantem à loco Missæ, id enim facilè ab huiusmodi hominibus animi gratia solet percurri pedestri itinere. Quòd si sint nobiles, & prædivites homines, faciliùs id præstabunt equo, vel curru, vel lectica; eaque distantia sæpe in amplioribus Civitatibus intra vrbem ipsam percurritur. Vnde si fortè contingat, in similib⁹ locis plura esse templa, & loca interdicta, longiùsque distare Ecclesiam aliquam intra vrbem, vel in subvrbijs liberam ab Interdicto, tenebuntur etiam fœminæ, secluſa gravi Cœli intemperie eò ire, quanvis si fœminæ alioquin delicatæ sint, & alicuius authoritatis, nec facilè possint habere currum, lecticam, aut sellam gestatoriam more gentis, non iudicarem teneri ire vltra vnum milliare Italicum. Secus vero de fœminis mediæ, aut infimæ plebis, quæ sunt his laboribus assuetæ, & non dedecet, eas longiùs ire; maximè intra vrbem, id affirmarem. Generaliter tamen loquendo, tempore hyemis, aut æstus fœminas, quæ vltra mediam leucam etiam legalem, id est, vltra mille quingentos passus, distant ab Ecclesia, vel loco Missę, non puto obligari; nisi fortè fœminæ rusticæ sint, quæ non min⁹, quàm eiusdem farinę viri solent huc, illuc discurrere levibus de causis, etiam ad longiùs spatium; quando autem pluit, aut ningit notabiliter, vix, imo ne vix quidem, etiam tales fœminas, aut viros obligarem ad quærendum Sacrum intra mediam leucam. Itaque absolutè iudicio prudentis relinquendum est, expensis circumstantijs.] Sic Dicastillus; cuius conclusio placet mihi; atq; adeò neque duæ leucæ in itu, & reditu pedestri (quantò minus equestri, aut rhedario) per se excusant ab obligatione, neque hanc per se important; sed attendẽdum est ad multas circumstantias, vt iam significavi. Et pro multis ex eis conducet legere Vlpianum *leg. Non exigimus 2. ff. Si quis cautionibus.*

218 In Montanis Hispaniæ, vt in Asturijs, Gallęcia, Vizcaya vidimus templa multùm remota à villis, domibusve solitarijs complurium ex Paræcianis; & aliquando rogati, num per se tenerentur omnes Paræciani diebus præcepti frequentare Ecclesias ad audiendum Sacrum? Respondimus, teneri per se, quia cum Episcopi, & Prælati, gregi sibi commissę salubriter gubernandæ valde intenti, non curent de construendis alijs in Paræcia templis, signum est (nisi ob paupertatem, similemvè rationabilem causam non liceat) tantam non esse distantiam vnici templi, quod extat, vt prudenter iudicetur, Paræcianos aliquos, attenta conditione hominum mõtanorum deobligari per se ab adeunda Ecclesia, & audienda Missa diebus Dominicis, aut festivis. Et hæc de importentia, quæ corporalis dicitur, & est simpliciter importentia.

219 Devenio ad importentiam, quæ est secundùm quid, & moralis,

ralis, & quæ tunc adest, quando Missa audiri non potest absque magna difficultate, aut labore, vel absque iactura boni alicuius, cuius æstimatio sit saltē mediocris. Et tunc quidem huiusmodi impotentia excusat ab auditione Sacri, nam præceptum Ecclesiæ cum ea moderatione, & benignitate latum, & receptum est, vt non requiratur causa admodum gravis ad excusandum; & Ecclesia, vtpote pia mater, non vult obligare cum incommodo nostro, quod sit momenti valde notabilis.

246 Vnde infertur primò, non teneri ad audiendum Sacrum, qui, si ad templum vadat, timet probabiliter sibi occasionem proximam peccandi lethaliter, ruinamque spiritualem. Secundò, non teneri, qui probabiliter timet detrimentum corporale, aut temporale, quod considerabile sit, in vita, sanitate, membris corporis, honore, re familiari, & in negotijs ad eam spectantibus.

247 Quodnam autem sit detrimentum corporale, aut temporale considerabile, gravéq; saltem mediocriter, decernendum est boni, prudentisque viri iudicio, habita ratione tēporis, loci, & personæ, aliarumq; circumstantiarum, si quæ aliæ huc referunt. Potestque in genere dici, detrimentum, cuius timor probabilis removet ab alijs actionibus pro humana vita vtilibus, æqualisque, aut minoris laboris, quàm Missæ auditio, sufficiēs esse ad excusandum huiꝰ omissionem. Quo indicio vtendum esse respectu valetudinarij, an teneatur egredi domo ad Sacrum audiendum, ait Suarez Disput. 88. sect. 6. V. *Secundum caput*, si enim timor reincidendi, vel periculū aggravandi notabiliter infirmitatem, retardandivè convalescentiam impedit domo exire ad negotia æqualis, vel minoris laboris, signum est, timorem talis detrimenti esse iustam causam excusationis ab egressu ad Sacrum audiēdum. Huc deservit quod Iulianus *leg. Quæsitum* 60. *ff. de Re iudicata* ait, *Morbus sonticus existimandus est, qui cuiusque rei agendæ impedimento est. Litigantibus porrò quid magis impedimento est, quā motus corporis contra naturam, quem febrem appellant? Igitur si rei iudicandæ tempore alter ex litigatoribus febrem habuit, res non videtur iudicata. Potest tamen dici, esse aliquam & febrium differentiam, nam si quis sanus aliis, ac robustus, tempore iudicandi leuissima febre correptus fuerit, aut si quis tam veterem quartanam habeat, vt in ea omnibus negotijs supersedere soleat, poterit dici morbum sonticum non habere.* Sic Iurisconsultus. Quare vt morbi aliqui, non autem omnes, excusant, quo minꝰ quis ad iudicium vocatus sistat se coram iudice, sic in nostro casu.

248 Ast Ioanni de Dicastillo supra, num. 173 non videtur ea regula omnino certa, [Multi enim sunt ægrotantes, aut valetudinarij, qui in rebus suo vel sensui, vel appetitui gratis multò maiores labores ferendo sunt, quàm in rebus alioquin spiritualibus. Nam eo ipso quòd ab his appetitus abhorret, multò magis natura laborat, atque adeò multò magis patitur, quàm si laboraret in alijs negotijs, aut rebus placidis, & gratis secundùm appetitū, & sensum.] Sic ille. Cæterùm cavere oportet, ne nimis indulgeatur appetitui, & sensui, seu ne contra rationem appetitus, & sensus repugnet. Videmus certè aliquos multùm delicatos ad actiones spirituales, diviniq; obsequij; cum tamen sint valde fortes ad opera, quæ sibi commoditatem, & recreationem corporalem afferunt.

249 Respectu viri, aut fœminę nobilis, cui deest decens comitatus, aut vestitus, solet esse indicium legitimæ excusationis ab audienda Missa in templo, ad quod se conferat, si ob defectum comitum, aut vestium contineat se domi alijs diebus; aut etsi prodeat, sed cum magno rubore, & premente necessitate gravi quærendi victum. Et carens quidem decenti vestitu, iuxta qualitatem suæ personæ, perinde reputatur, ac si esset in vinculis. Nam *in vinculis etiam eos accipimus, qui ita alligati sunt, vt sine dedecore in publico patere non possint*, vt ait Vlpianus *leg. In eadem* 10. *ff. Ex quibus causis.*

250 Notat verò Dicastillus suprà, num. 176. non esse facilè damnandos eos, qui in eo habitu, in quo extra Ecclesiam discurrunt, non audēt in Ecclesia apparere: [Mihi enim cōstat (ait is Author) in aliquibus oppidis etiam inter mediocris fortunæ personas esse vsu receptum, diebus festis, vt Sacro, vel solemni, vel privato assistant, meliusculè, imò multò me-

liùs

liùs se ornare, quàm cum per plateas, & forum discurrunt. Imò sæpissimè vidi homines maioris, aut mediocris notæ in his oppidis communibus sine pallio discurrere, aut in eo habitu, & ornatu, in quo ne ad modicum quidē tempus apparere auderent in Ecclesia; sicuti & fœminæ honestæ plures in his oppidis sæpe solent sine velo, seu amictu, quem Manto appellant, discurrere per plateas, quæ nullo modo sic auderent Sacro interesse.] Hæc Dicastillus. Et Gentiles ipsi curabant, suis præsentiæ esse vanis Sacrificijs cultiori veste. Vnde illud Senecæ L. 7. qq. naturalium Cap. 30. *Egregiè Aristoteles ait, nunquam nos verecundiores esse debere, quā cum de Dijs agitur. Si intramus templa cōpositi, si ad Sacrificiū accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimur*, &c.

251 Sed superius Dicastilli dictum videtur limitandum, nisi scilicet plebeij viri, aut mulieres vellent ad Ecclesiam ire cum eo habitu, & ornatu, quo homines, & fœminæ illustres; irrationabile namque est, vt vxor sartoris, aut tonsoris prætendat excusationem, ne die festo ad Ecclesiam pergat auditura Sacrum, quia non potest ibi tantam sui ostentationem facere, quantam vxores equitum, virorumq; nobilium. Habeatur ergo consideratio de statu personæ cuiuscumque, & vt excusatio sit rationabilis, defuturus est vestitus, cum quo honestæ, & moderatæ personæ conditionis eiusdem solent ad templum prodire.

252 Advertendum hìc est, fœminam, cui deest vestitus, aut comitatus, qualis decet suum statum, etsi non teneatur quærere vestem mutuatam pro die festo, aut pedisequam, si alijs diebus se contineat domi, quia ea caret ob paupertatem suam, secus ac illa alia matrona, de qua loquutus sum in num. 202. sed tamen teneri interesse Sacro, si secretò possit summo manè, vel in templo remoto à populi cōcursu.

253 Similiter ille, cui occurrunt gravia negotia non sine periculo notabilis damni in mora, debet præmittere auditionem Missæ, si prævideat, ea superventura esse; vel debet anticipare eorum gestionem, aut procurationem, posteaq; audire Sacrum, si hac industria negotijs benè consulat. Similiter qui iter agit, vultq; socios habere, à quibus vel suppeditentur expensę, vel deferantur onera, vel monstretur via, vel fugentur latrones, tenetur ad auroram audire Missam, si tūc celebretur, & hac ratione valeat comitatum itineris non amittere

254 Et aliquibus adeò molestum est sine socio longum iter, vt ob solam istam causam eis liceat omittere Missæ auditionem, si socius expectare nolit. Ita Castro Palao parte 4. Tract. 22. puncto vltimo, num. 4. inquiens post Henriq. infra, [Excusatur viator, qui, si Missæ adsisteret, perderet comites in via, qui itineris longi tædiū non leviter levabant; quibus amissis, timet: cum gravi tædio iter conficere.] Hactenus Castro Pal. loquutus, vt & nos, de gravi, non de levi, tædio, de longo, non de brevi, itinere. Et hoc præcisè non est sufficiens excusatio ab audienda Missa, etiamsi sit per totum diem, imò etsi sit continuatum per multos; ferturque proverbio Hispano, *Por oyr Missa, y dar cebada, nunca se perdio jornada*, id est, audiendo Missa, & pabulo bestiæ dando, nunquam iter est impeditum; vtunturq; Itali simili proverbio, commendato à Nigrono nostro ad Regulam 2. Communium S. I. num. 7. Et Sanctus Bernardinus Senensis tomo 2. Serm. 55. art. 2. C. 3. pag. 867. refert illud sua ætate vulgare,

Non charitas opes, nec Missa minuit iter.

Quare vltra iter siue inchoandum, siue prosequendum requiritur alia excusationis causa, vt si toto mane expectandum esset in diversorio non sine sumptibus, & incommodis, aut si valde longa diversio è via esset facienda ad audiendam Missam. Aitque Henriquez infra, excusari [mercatorem, vel agasonem cum iumentis onustum, aut vectorem equorum, seu armentorum, qui faceret magnam iacturam negotij, vel magnas expensas, si in hospitio prope Ecclesiam maneret, vbi mane in festo Missam audiat, ideoq; pernoctat in agro, aut parvo hospitio, vbi minores expensas faciat: aut magnas esset facturus, si Missam, quæ dicitur prope meridiem, expectaret.] Sic Henriquez.

255 Qui immediatè tradit esse

esse excusatos cursores pedestres: & vniversim de illis inquit Caietanus in Summa V. *Festorum violatio*, [Ex hoc quod publica vtilitas huiusmodi exigit artem, excusandos non solùm à labore, sed etiam ab omissione Missæ, in qua frequenter incurrere hos oportet.] Assentiar Caietano, & Henriq. si faciendo moram in auditione Missę nō possit absque magna difficultate cursor, aut veredarius pacto pervenire tēpore ad locum, quò mittitur.

256 Nautas, & navigantes excusat etiam Henriquez: quod intelligo, si Missa non celebretur in naui, neque possint appellere ad terram, vbi audiant eam. Si verò in navi dicatur Missa sicca, non datur per se obligatio ad eius auditionem, vt notavi n. 27. Sed addit Paez in Repet. ad C. *Missas* de Cons. distinct. 1. num. 165. [Navigantes nolentes audire Missam siccam (remoto contemptu) non excusantur ab aliquo peccato, ratione illius laudabilis consuetudinis, vel magis ratione scandali, quod licet acceptum videatur, ratione tamen subiectæ materiæ non omnino excusabit.] Quę additio vtilis etiam num erit, si in navigationibus gentis alicuius observetur iam consuetudo illa.

257 Respectu molitoris vtitur Bonacina Disp. 4. quæst. & puncto vltimo, num. 6. alio indicio, vt quoties molitori licet laborare in die festo, liceat etiam non audire Sacrum, [nam necessitas, quæ ipsum excusat ab opere servili, potest etiam excusare à Missæ auditione, si Missam nequeat audire, non intermisso opere, & labore.] Citat Bonacina Suarium, vt & Castro Palao supra, atque Dicastillus supra, num. 178. & Trullench Lib. 3. in Decalogum Cap. 1. dub. 7. num. 6. Sed in Suario non lego, secus in Henriquez Lib. 9. C. 25. §. 10. allegato etiam à Dicastillo, & à Leandro Tractatu, & D. 2. quæst. 44. consentientibus. Ego verò dissentior cum Castro Palao, & Trullench supra, nisi intermissio foret causa detrimenti gravis in re temporali, aut nisi tanta esset farinæ necessitas, vt vel brevi tempore cessare nō posset molendinum absque notabili incommodo confluentium ad illud. Certè excusatio ab opere servili (ob ingruentem necessitatem, vt in C. *Licet* 3. de Feriis) non infert necessario excusationem ab auditione Missæ, nam prior illa non debet semper esse per totum diem, sed potest esse tantùm per aliquas diei horas, ita vt sine gravi iactura deputari queat liberum tempus ad auditionem Missæ; sicque solet fieri in messe segetum, & in vindemia, etsi enim messoribus, & vindemiatoribus sæpe permittatur laborare diebus festis; at excipitur tempus, quo Sacrum audiant. Vbi noto, non esse obligationem conducendi viginti v. g. messores, si tot, & non paucioribus, conductis, succurretur sufficienter necessitati, quin opus esset laborare diebus festis, aut nonnullos ex messoribus omittere auditionem Missę, quia præceptum de auditione non obligat ad hoc medium, vtpote quod extraordinarium sit.

258 Quam ob rationem in pari casu cum scripsisset Dicastillus n. 179. [Excusantur Pastores ouiū, quas si relinquant sine custode, probabile periculum nōcumenti est; monent tamē Authores, illos debere curare, vt, facta inter se conventione, nunc vnus, nunc alius ad Missam pergat,] subiungit, [Quod sanè ita videtur consulēdum, non tamen videtur peccatum, si non faciant; nec enim ex vi præcepti Missę videtur quis obligari ad subeundum onus custodiendi oves alterius Pastoris, vt ille alter sibi rependens vicem, liberum faciat illi tempus audiendi Missam; nec enim videntur huiusmodi media ordinaria, ad quę solùm obligantur homines ex vi præcepti.] Huc vsque Dicastillus. Ex quo non desinam exarare quæ sequuntur, [Quando autem sunt duo, tresve Pastores gregis eiusdem, qui necessarij nō sunt ad custodiendum gregem pro illo tempore, debent Missam audire. Quòd si sunt plures Missæ diversis temporibus, omnes debent audire, permutatis officijs vicissim custodiendi gregem, & eundi ad Missam.] Nec plura de impotentia morali, nam quanvis ad multos alios casus descendere possemus, prompta cuivis erit eorum resolutio ex cæteris, quos attigimus.

SECTIO

SECTIO XVIII.

Aliæ excusationum causæ.

259 QVÆ reduci queunt ad impotentiam moralem. Prima est charitas erga proximum, vt ei subveniatur, vel evitetur eius damnum in re non levi, nam propter charitatem conveniente omittitur, quod propter eandem est introductum, provt refert P. Suarez Disp. 88. sect. 6. V. *Quartum caput* ex S. Bernardo aiente in Lib. de præcepto, & dispensatione C. 4. *Nonne iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Sicut è regione iniquum proculdubiò foret, si statuta pro salua charitate contra charitatem tenerẽtur.* Adde C. *Conquestus* 5. de Ferijs, Ibi: *Nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat.*

260 Ad charitatem pertinent opera misericordiæ siue corporalis, siue spiritualis erga proximum; & ob ea nõ solùm potest, sed etiam debet omitti auditio Missę, quando ea cadunt sub præceptum, quia præceptum charitatis vrgentius est, quàm præceptum audiendi Missam. Quando verò opera charitatis non cadunt sub præceptum, ita vt licet non præstarentur, non peccaretur lethaliter, attendendum est, num ea sint valde vtilia proximo, qui aliàs patietur grave incommodum, num item nequeant in aliud tempus differri absque tali incõmodo; & tunc quidem fas erit omittere auditionem Missæ, quia præceptum de auditione non obligat in huiusmodi circumstantijs, sicut neque obligat, quando ego ipse, si interim Sacro, habiturus sum considerabile detrimentum (quod tamen vitare nõ tenear ex præcepto charitatis erga me ipsum) potest quippe charitas convenienter me movere, vt proximum diligam, sicut me ipsum.

261 Sed quæstionis, est, an obvitandum proximi scandalum, quod proveniat non ex mera malitia, sed ex fragilitate, passione, aut ignorantia, excusetur quis ab auditione Sacri, v.g. an fœmina possit se domi continere, ne, si exeat ad Ecclesiam, videatur, & cõcupiscatur ab adolescente, à quo perditè se amari novit? Difficultas hæc sedem suam habet in Tractatu de Scandalo. Dicemus tamen nonnihil in præsentiarum. Et primò quidem, non teneri fœminam in eo casu ad continendum se domi, & ad omittendum audire Sacrum, tum quia scandalum illud non est datum, sed arreptum voluntariè; nec sequitur per se, sed per accidens ex actione fœminæ; charitas autem non obligat ipsam, vt abstineat ab actione, quæ aliàs est licita, & ad quam alioquì habet ius, eo quòd proximus abvsurus sit tali actione, tunc enim ruina spiritualis non in fœminam, sed in adolescentem verteretur. Tum quia siquidem damnum illud spirituale sumatur voluntariè ab adolescente, non tenetur ex charitate fœmina illud præcavere cum detrimento suo corporali, & spirituali, quatenus privet se libertate exeundi in publicum, & fructu percipiendo ex auditione Missæ. Tum præterea quia inde sequeretur, mulieres pulchras vix posse ornare se, egredi q; domo, timebunt enim ferè semper, & non imprudenter, ne ab aliquo turpiter appetantur.

262 Dicimus secundò, posse quandoque fœminam in eo casu, & similibus excusari ab auditione Sacri, nam & potest cedere suo iure ad exeundum domo, & convenienter moveri charitate ad non audiendam Missam, vt impediat proximi peccatum, alias committendum ex infirmitate; quæ in circumstantia haud immeritò censetur, non vrgere præceptum audiendi Sacri, etsi enim damnum peccati incurrendum sit voluntariè ab adolescẽte, at huic difficile valde erit, non incurrere illud, consulereque bono suo spirituali. Addidi, posse *quandoque*, nã semper nõ poterit, quippe si adolescẽs sæpe succumbat tentationi, tribuendum potiùs id erit malitiæ meræ, quã fragilitati.

263 Ex dictis infertur, non esse licitum omittere die festo auditionem Sacri ob maiorem præcisè vtilitatem siue tui, siue proximi capiendã ex actione, quæ cum auditione Sacri sit incompossibilis, quia opera, quę sũt consilij, & ex quibus proveniet aliquãdo maior vtilitas, quin ex eorum carẽtia sequatur notabile detrimentum siue tui, siue proximi, immeritò anteferrentur

feruantur operibus præcepti. Vnde ob concionem audiendam fas non est, omittere auditionem Sacri, si quidem ordinariè de consilio tantùm sit audire concionem. Ita Theologi communiter contrà Angelum V. *Feriæ*, n. 45. cuius opinionem secutus est S. Bernardinus, vt refert Baptista Travamala in Summa Rosella V. *Dominica*, n. 5. atque, se mirari de eius subtilitate. Sed S. Bernardinus tomo 2. Serm. 10. art. 3. Cap. 2. ex pag. 492. vbi de hac materia agit, potest explicari in sensu, de quo postea. Narrat autem Henriquez supra, Fratrem Lupum, celeberrimum Prædicatorem Franciscanum avorum nostrorum memoria, compulsum esse Romæ retractare Angeli opinionem, quam è suggestu tradiderat nimio fervore correptus. Ab huius nominatissimi Concionatoris ardoribus in voce, & in actione manst apud Hispanos, appellare *Lobadas* vehementia Prædicatorum siue verba, siue facta. Porro Henriquez approbat quod quidam aiebant, scilicet [ob audiendum sermonem excusari quosdam à Missa, vt si in regione hæreticorum quidam non discant necessaria fidei explicitæ, nisi audito hoc sermone, qui cum Missa festi concurrit, præsertim, si Prælatus compellat præcepto, vt eam concionem à viro Catholico audiant: At communiter in regione Catholicorum vix vrget præceptum audiendi statim concionem à viro etiam optimo, quin differri possit in aliud tempus. Nec est omittenda Missa præcepti pro audienda concione, quę est de consilio.] Hactenus Henriquez, & nos cum ipso.

264 Similiter ob confessionem, aut communionem faciendam solum ex consilio non licet omittere auditionem Sacri. Apposui *ex consilio solùm*, tum quia si fieri debeat ex præcepto, quin valeat differri commodè in aliud tempus, quod cum Missa concurrat, nō modò licebit omittere auditionem Sacri, sed illicitum etiam erit, nō omittere, quia præceptum de confessione, aut communione prævalet, vtpote diuinum, præcepto auditionis Sacri, vtpote humano. Tum quia si ex carentia confessionis, aut communionis, dum adhuc non instat eius præceptum, sequeretur non tantùm omissio operis intrà consilij terminos, sed etiã considerabile aliquod detrimentum spirituale, quod difficulter reparari posset, liceret omittere auditionem Sacri, vt colligitur ex superioribus, docetque in terminis Fagundez L. 2. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 9. num. 12. adhibens exemplum [in Iubilęo, in festo aliquo, quando conscientia nimis gravata est, & lōgum tempus præcessit, quo non fuit quisquam confessus, vel in aliqua tentatione, & in alijs casibus similibus.] Concluditque, desiderari in hac re iudicium prudentis.

265 Rogabit quis, an sicut ob timorem probabilem damni gravis temporalis fas est non audire Sacrum die festo, ita etiam ob spem probabilem lucri notabilis temporalis? Hęc quæstio tractari solet circa exercitium operum servilium in diebus festis; sed æquè potest discuti circa non auditionem Missę. Et verò Caietanus in Summa V. *Festorum violatio*, inquit, [Indulsit Ecclesia (vt patet in C. *Licet* 3. de Feriis) vt halecia, quæ quodam tēpore transeunt, capere liceat in festo. Et pari ratione non solùm alios pisces transitorios, sed quomodolibet reperiē occurrat transitorium aliquod lucrum, aggredi licitum est, tanquam huiusmodi lucrum cessans damnum reputetur.] Ita ille subscriptus à Thoma Sanchez Lib. 5. Consiliorum C. 21. dub. 19. à Diana parte 2. Tractatu 15. Resol. 34. à Thoma Tamburino Lib. 4. in præcepta Decalogi C. 3. §. 2. num. 8. à Pasqualigo in Decis. 285. qui allegant multos alios. Sed P. Suarez tomo 1. de Religione Tractatu, & Lib. 2. C. 33. num. 9. Castro Palao Tract. 9 Disput. vnica, puncto 10. num. 3. pluresque ante, & post ipsos sentiunt cōtrarium, & ego cum eis, nam in Can. *Licet* habitus est respectus ad publicam vtilitatem, & non ad privatam; illa autem, & non hæc æquivalet necessitati, ratione cuius, & non præcisè lucri cessātis potest esse licita inobservantia præcepti: alioquì quivis artifex licitè posset quovis die festo laborare pro mercede diurna, cuius amissionē reputet non mediocre nocumentum, cum tamen non comparatio lucri ex mercede diurna, & ex quacumque occasione extraordinaria sit gravamen, quod secum afferatur ab ipso præcepto non laborandi die festo. Præterea in C.

Licet

Licet, Pontifex vtitur indulgentia, & potestate dispensatiua, ait enim, *indulgemus*, & relaxat obligationem, imponens onus eleemosynæ: quod vtrumque etsi factus in ordine ad finem illes caſus, non tamen ad dissimiles, quales ad lucri priuati. Quare vt summùm poterit in hoc dissimili laborari defectu, dispensatione accedente, si ecclesiæ incommodum sit vtde magnum.

266 Secunda excusationis causa est obedientia iusta erga parentes, aut superiores, aut Dños. Tenentur quidē hi curare, ecclesiæ, subditi, famuli, vel servi audiant Sacrum, nam *si quis suorū, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*, vt inquit Apost. 1. ad Timoth. 5. V. 8 & vt S. Ambrosius transcriptus a Gratiano C. *An putatis* 14. Dist. 88. *An putatis, illum ieiunare, festos, qui primo diluculo non ad Ecclesiā vigilat, non BB. Martyrum sancta loca requirit, & surgere nō curat seruulos, dispon'tes ante canei producit, latrus, syluasq; perlustrat? Seruulos, inquam, secum pertrahit, furtaq; magis ad Ecclesiam festinantes, & voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nescions, rectius se futurum tam de suo delicto, quàm de peruersione seruorum.* Hæc ibi S. Ambrosius, quæ ius statuto nostro accommodari possunt satis aptè.

267 Cæterum si occurrat ministerium, quod necessarium sit iuxta communem, & ordinarium viuendi modū, vel iuxta contingentes morales, & rationabiles occasiones, & in eo occupētur famuli à Dño, quo tempore audituri erant Sacrum, tunc nec Dñs peccat præcipiendo, nec famuli parendo, quia illa est gravis & rationabilis causa, & moralis necessitas. Supponimus namq; nec Dominum posse differre, aut non sine notabili incommodo, ministerium illud in aliud tempus, nec famulos posse, aut non sine extraordinaria diligentia præuenire tempus opportunum audiendo Sacro. Esset vero extraordinaria diligentia, surgere valde diluculò, detraherēque de somno secundùm rationem modica ex parte non modicā.

268 Si Dominus absque vrgenti necessitate velit occupare famulum tempore Missæ, tenetur famulus non obtemperare, sed subterfugere, vt audiat Missam, tametsi leue aliquam rixam, aut diriculum reprehensionem timeat, quia Ecclesiæ præceptum maioris momenti est, quàm vt ob parvum incommodum omittenda sit eius adimpletio. Sed oportebit admonere priùs herum, petereque tempus ad Sacrum audiendum. Casu autem, quo famulus timeret gravem iram, turbationem q; Dni, aut nocumentum aliquod notabile, aut quod dimittendus è domo esset, excusaretur ab audiendo Sacro, quia non censetur Ecclesia velle obligare cū tanto discrimine, aut detrimento. Demum si herus frequenter, & quasi ex consuetudine occupet Missæ tempore famulum, debet hic deserere illum, nacta oportunitate, quærereque alium Dominum, aut modum viuendi, si cōmodè reperturus sit, vt vtilitatem propriam cum obseruantia Ecclesiastici præcepti componat.

269 Ad secundam excusationis causam reuocatur, si quis iusto Superioris præcepto cogatur non exire domo, vel cubiculo in pœnam alicuius delicti, aut securitatem suæ personæ. Idemque est, si quis fide data viro nobili, maximèque iuramento, ex causa necessaria, & iusta se obstrinxerit ad non egrediendum domo, aut cubiculo, id enim tantùm potest quis propriè, quod iure potest.

270 Tertia excusationis causa est officium, cum quo non stat, aut non sine magno incōmodo, damno, aut periculo publico, vel priuato aditio Ecclesiæ ad Sacrum audiēdum. Qui autem tale officium exercent, nō tenentur deserere illud, ne impediantur ab auditione Sacri, quia à quocumque exerceatur ob bonum Reipublicę, non magis, aut non sine æquali inconuenienti, poterit adimpleri præceptum Ecclesiæ. Hinc milites custodientes ciuitatem, aut castrū non ligantur hoc præcepto, si omnes simul sint necessarij ad custodiam, nam si non sint necessarij, deturque copia multarum Missarum, debebunt hi pergere ad Sacrum, dum illi manent in excubijs, aut etsi vna tantùm Missa celebretur, debebunt hi pergere vno die, & illi alio. Quibuscum limitationibus, & similibus indicaris supra, ferendum iudicium est de cæteris officijs.

271 Quarta excusationis causa est consuetudo, quæ rationabili de causa sit introducta, & legitimè præscripta, vt enim consuetudo huiusmodi potest vim legis obtinere, sic etiam obro-

gere, aut temperare legem contrariam. Et addit Henriquez supra, §. 12. consentiente Dicastillo supra, n. 219. id verum esse in consuetudine non audiendi Sacrū, [quanvis nesciatur, an sit quadraginta annorum.] Imò iuxta plures quanvis non esset nisi decennalis, dummodò esset non interrupta, sufficeret, vt cum alijs probat Castro Palao Tract. & D. 3. punct. & §. 2.

272 Sed notandum est, consuetudinem posse esse variam pro varietate locorum, & personarum. Vnde consuetudo, quæ in vno loco, aut respectu vnius personæ excusat, non excusabit in alio loco, aut respectu alterius personæ. Notandum etiam est, præfatam cōsuetudinem posse esse in vno loco, aut respectu vnius personæ per plures dies, & in alio, aut respectu alterius personæ per pauciores.

273 Ex his iudicandum est de fœminis, quæ ante nuptias, & quæ post mariti mortem per integrum, aut a medium annum, vel vnum mensem non adeunt Ecclesiā, vt Missam audiant: quāquam S. Bernardinus tom. 2. Serm. 10. art. & C. 3. pag. 494. dicat, *se non videre, quomodò legitimè excusentur à mortali culpa.* Sed quid, si quæ domo non exeunt ad id, soleant exire ad alia nō æquè sacra, nec vrgentia, imò & ad profana spectacula, choreas, ludos, aut saltem soleant præbere se videndas ad fenestras, & portas? Navarrus in Enchiridio C. 21. n. 9. inquit, [Nec ferenda videtur consuetudo illa, qua nobiles puellę nūquàm ad Missam, nec ad concionem, antequàm nubant, egrediuntur, maximè si ad alia nuptiarum, vel ludorum festa ducantur, aut fenestræ eis permittantur. Quanvis excusentur, si à parentibus prohibeantur :: Sed non illi, nisi saltem aliquot solemnioribꝰ festis Missas eis domi, vel foris permittant.] Suarez D. 88. sect. 6. V. *Sextum caput*, ait, [Licet consuetudo hæc simpliciter damnari non possit, tamen magna prudentia moderanda est, &, quoad fieri possit, auferenda; præsertim, vt Nauarrus notat, omnino suadendum est, vt saltem solemnioribꝰ festis huiusmodi virgines Missam audiant. Nam perpetuò illam omittere, intolerabile, & hominibus Christianis indignum est.] Bonacina D. 4. quæst. & punct. vltimo num. 26. scribit, [Excusari puellas nobiles, quę non consueverunt, aut nō permittuntur, Missam audire, donec nuptui tradantur. Verùm si huiusmodi puellæ soleant domo exire ad ludos, aut choreas, aut spectacula, aut se exhibeant videndas ad fenestras, æquitati consentaneū est, vt etiam exeant ad Missam audiendam :: Non tamen damnare sub mortali, vbi recepta est consuetudo non exeundi, vt patet ex ratione allata in propositione,] scilicet quòd [sicut consuetudo potest legē inducere, ita etiā potest eam moderari, & abrogare.] Ita tres illi Authores, & cū primo consentit penè ad verbum Henriquez supra.

274 Mihi videtur, vel nullibi extare tam oppositas consuetudines, vel non esse laudabilem, neq; dignam tolerari ab Episcopis eam, qua virgines nobiles, & nubiles prohibentur prodire solùm ad Ecclesias. At si de more rationabili sit, ne domo vnquàm egrediantur, tunc matres etiam, quæ ad illas custodiendas domi remaneant, excusabuntur ab audiendo Sacro, si timeant aliquid honestati, & bonæ famæ filiarum contrarium, vt notant Navarrus, Henriquez, Suarez supra, & Bonacina ibidem num. 2. Satius foret, si matres secum deferrent filias ad templa remota à populi, adolescentumque concursu, & cum illis statim post finitā Missam reverterentur, sic enim nullum periculum timeri prudenter posset. Atque ita monent Paez ad C. *Missas*, n. 187. & Castro Palao Tract. 22. D. vnica, punct. vltimo, num. 7.

275 Nonnullis in locis consuetudo fert, vt mulieres post partum, etiamsi perfectè convaluerint, abstineant per aliquot dies ab ingressu in Ecclesiam, docetque Innocentius III. in C. *Vnico* de Purificatione post partū, *non esse improbandam earum deuotionem*, si procedat *ex veneratione* erga templum, & nō ex obseruantia ritus Mosayci. Vbi ea consuetudo non sit, debent puerperę, postquàm convaluerint, adire Ecclesiā diebus festis, vt Missæ interfint; licebitque, tametsi contra consuetudinem sit, adire, præsertim, si nullum inde scandalum sequatur. Videatur Canon *Simulier* 1. Dist. 5.

276 Prægnantes fœminas non excusat ab audiendo Sacro consuetudo, quia non datur. Poterit verò damni periculum

riculum excusare, si ex egressu ad templum timeatur probabiliter damnum notabile.

277 Tempore quo fœminæ profluvium patiuntur, si debilitatem, aut ægritudinem non sentiunt, neutiquam excusantur ab adeundo templo, & audiendo Sacro ob consuetudinem, quia communiter non est introducta, & tolerata à Prælatis. Quod si alicubi ea consuetudo esset introducta ob speciem religionis, & reverentiæ erga templa, æquum esset, vt a Prælatis non toleraretur; advertit namque S. Gregorius Magnus relatus C. *Ad eius verò* 3. Dist. V. [Mulierem, dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi Ecclesiam intrare non debere, quia ei naturæ superfluitas in culpam reputari non debet, & pro hoc, quod invita patitur, iniustum est, vt ingressu Ecclesiæ privetur. Novimus namq; quod mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, post tergum Dñi humiliter veniēs vestimenti eius fimbriam tetigit; atq; ab ea statim sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit vestimentum Dñi tangere, cur etiam, quæ menstrua patitur sanguinis, ei nō liceat, Ecclesiam intrare? Si enim ea benè præsumpsit, quæ vestimētum Dñi in languore posita tetigit, quod vni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ suæ vitio infirmantur?] Hactenus S. Gregorius.

278 Sed oppones subsequentia proximè verba hęc [Sanctę quoque communionis mysterium in eisdē diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumpserit, laudanda est; sed si susceperit, non est iudicanda.] Sic ibi. Quod si mulieri menstruatæ licet non accedere ad Eucharistiam, licebit etiam non accedere ad audiendū Sacrum. Contra tamen, tum quia ex vno non sequitur aliud, maior enim dispositio mentis, & corporis requiritur ad vnum, quàm ad aliud, tum quia S. Gregorius non loquitur de accessu ad Eucharistiam, quo tempore cadit sub præceptum, sed quo voluntarius est. Nec nos loquimur de accessu ad audiendum Sacrum in diebus professis, sed in festis.

279 Et hęc de causis excusantibus siue certò, siue probabiliter; quarum aliqua si concurrat, fas est omittere auditionem Sacri die festo, quin necessaria sit consultatio cum alio, neque dispensatio obtenta à Superiore. Si enim causa certò excuset, omittitur auditio ex certa conscientia; si probabiliter excusat, omittitur ex probabili; cuivis autem licet sequi certam conscientiam, & probabilem, quando etiā opinio opposita sit magis probabilis, aut magis tuta, vt docent multi in T. de Conscientia. Quod si aliquando dubites, an hic, & nunc concurrat causa certa, probabilisve, nec per te ipsum possis ferre iudicium, consulere debes bonum, peritumque virum, cuius determinationi acquiescas, & à quo discas præcepti interpretationem, quæ non est actus iurisdictionis, sed doctrinæ iuxta §. *Constat autem ius nostrum, vers. Responsa prudentum, Instit. de Iure natur.* Si verò non adsit alius, quem consulas, aut consultus maneat etiam dubius, inquit Dicastillus supra n. 174. loquens de ægroto, aut valetudinario, an incurrat periculum morbi, exeundo è domo ad Missam audiēdam, non posse licitè exire, ne se exponat periculo gravioris morbi, quilibet enim tenetur prospicere sibi in re gravi, diligeretque se. Sed multis probabilis est vtraque pars, cum agitur de periculo dubio proprij damni. Pertinet punctum hoc ad Tract. præindicatum. Legatur Castrus Palaus Tract. 1. D. 3. punct. 13. n. 16.

280 Qui Author in Tract. 3. D. 6. punct. 5. n. 10. docet, non esse opus dispensatione, non solùm quando quis dubius est positivè, & latè, sed etiam quando dubius est negativè, & strictè, num obligetur, necne lege in particulari casu, etiamsi cum maiori propensione in assensum probabilem de indigentia dispensationis, quia præsumptio stat pro libertate contra vim legis, nec debet quis censere se ea adstrictum, quandiu de ipsa sibi non cōstet certò. Sed Mascarenhas Tract. & D. 6. C. 12. n. 548. cum aliis, quos citat, agnoscit tunc necessitatem dispensationis, applicatque doctrinam de lege in communi legi speciali Ecclesiasticæ de audiendo Sacro. Sed & istud punctum spectat ad Tract. præfatum, vel ad alium de Legibus.

281 Et ex eo notum est, quod in n. 4. obseruaui de potestate Summi Pontificis ad dispensandũ in hoc præcepto. Habere etiam eam Episcopos, & Prælatos Religionum, vt dispensent valide, & licitè cum suis subditis (vbicumque sint siue illi, siue hi) ne audiãt Missam præceptam iure communi, quando in casu particulari fuerit dubia sufficientia causæ ad ipsos excusandos, deducit latè Mascarẽhas supra, n. 556. & addit in n. 557. posse itidem Parochum dispensare in casu particulari, & in causa dubia, si ad Episcopum, aut ad Vicarium generalem recursus facilis non detur.

282 Cæterùm ex anteà dictis liquet, quàm peritè dixerit Suarez D. 88. S. 1. in fine, dispensationem in hoc præcepto neque esse vsitatam, neque expedientem, quia si causa, quę interuenit, excuset certò aut etiam probabiliter, nõ opus est dispensatione; totque sunt causæ, tamque ampla facultas agnoscitur ab Authoribus, vt alia præter illa omnia in hac re desiderare, videatur alienum ab animo fideli, & religioso. Si verò causa sit dubia, retulimus probabiles Doctorum opiniones, iuxta quas necessaria non est dispensatio, vt sine peccato omittatur auditio Missę. Laudari tamen deberet petitio dispensationis, seu potiùs licẽtiæ ab Ordinario, si aliquando tempore messis, aut vindemiæ audienda non esset Missa à messoribus, aut à vindemiatoribus, sic enim conuenienter iretur obviàm scandalo, & maiori cum securitate procederetur.

283 Poterat de Episcopis disputari, an quando nulla causa iusta detur, queant valide dispensare, sicut potest Papa, in præcepto iuris communis de auditione Sacri à suis subditis, quãquàm neq; Papa, neq; Episcopi queant licitè dispensare, vt siue nunquàm, siue semel, aut iterùm sine causa omittatur auditio illa? Agit de hac difficultate Mascarenhas supra, num. 553. & 554. sed cum ea sit cõmunis ad omnia præcepta iuris communis, remittimus ipsam ad illum Tract. de Legibus.

284 Et Sectionem hanc claudimus adnotando verba quædam Cãietani in Summa V. *Festorum violatio*, vbi sic ait, [Et hìc esto prudens admittendo pro rationabili causa (nõ audiendi Missam) omne motiuum rationi humanæ consentaneum, etiam si non fuerit vrgens: quoniam deficiente, & subsistente ratione, quę illius conditionis personas, libenter ad Missam euntes, inducere videtur ad omissionem Missæ, in tali casu non incurritur peccatum mortale, quanuis, si minus sufficiens sit ratio, peccetur venialiter:: Et ratio est, quia non formaliter agitur contra præceptum, nec vsque adeò materialiter intervenit transgressio, vt redeat peccatum in naturam suæ formę.] Cãietanum sequitur Bernardus de Nieva in Summario manuali informationis conscientiæ Christianæ, titul. 46. V. *Y quanto al primero*, folio 131. sed cautiùs dixit, etiam si motiuum non fuerit valde vrgens, & necessarium, nam si non sit vrgens, peccabitur mortaliter ab omittente Missæ auditionem, siquidem præceptum obliget per se sub culpa lethali, vt fatentur duo hi Authores, ideoque causa excusans ab illius adimpletione debet esse gravis, & vrgens in existimatione saltem non adimplentis. Quod si in ea etiam non sit sufficiens, delinquetur mortaliter, vt infertur ex dictis, etsi Cãietanus, & Nieva dicant, non fore nisi peccatum veniale.

285 Debet itaque, ne graviter peccetur, causa esse vrgens, sufficiensque, vt existimata, quanuis non debeat esse tam vrgens, quàm aliç, quç requiruntur, ne non adimpletio quorundam aliorum præceptorum siue Ecclesiæ, siue Decalogi sit culpabilis lethaliter. Id voluit dicere Arriaga etiã D. 57. sect. 5. num. 29. cum scripsit, [Præsentia in templo, & sine vlla attentione interiori ad mysteria Missæ (vt diximus sufficere ad satisfaciendũ ei præcepto) non videtur esse res tanti momenti, vt magnam valdè requirat difficultatem ad hoc, vt sine peccato possit omitti.] Sic Arriaga. Sed tamen cum præceptum de assistentia ad Missam, etsi absque attentione interna, versetur circa materiam gravem, & procedat ex Eccles. voluntate obligandi graviter, vt ipsemet Arriaga docuerat S. 1. n. 8. discursus posterior parùm mouere potest, nisi supposita benigna interpretatione præcepti Ecclesiæ tradita à Doctoribus, notaque ipsi Ecclesiæ, & non reprobata.

SECTIO

SECTIO XIX.

Tres quæstiones de præcepto audiendi Missam.

286 QVÆRITVR primò, an qui cum, vel sine legitima excusatione, omittit audire Sacrum die præcepti debeat fundere aliquas orationes ad Deum loco Sacri, exhibere ve Deo aliquem alium cultū? Affirmavit Scotus in 3. Dist. 9. q. vnica, art. 2. V. *Pro tempore*, inquiens, *Etsi aliqua necessitas excuset ab executione huius actus, quē determinauit Ecclesia, necesse est implere illum in aliquo æquiualente, vt saltem die illo specialiter deputato cultui diuino aliquis actus habeatur relatus immediatè in Deum ad eius reuerentiam. Vtrùm autem aliquo alio tempore teneatur quis ad actum huius præcepti, scilicet ad actum adorationis, præter quàm in tempore illo determinato, primò in lege naturæ, & postea in lege Mosayca in Sabbatho, & iam tempore Euangelij in die Dominico? dubium est; tamen hoc est certum, quòd istis diebus saltem videtur adoratio aliqua necessariò exhibenda.* Hęc Scotus, cui adhęsere Angelus V. *Feriæ* num. 43. & S. Bernardinus Senensis tomo 2. Serm. 10. art. & C. 3. pag. 494. & tomo 3. Serm. 2. Aduentualis de Christiana vita, artic. 1. C. 2. pag. 9. Ioannes Nider in Præceptorio diuinæ legis, præcepto 1. C. 5. lit. *G*. Sed etsi id sit consulendum, non tamen cadit sub præcepto, nam quod latum est ab Ecclesia de Missa audienda neq; absolutè petit id, neque sub conditione, quòd Missa non fuerit audita. Et præceptum sanctificandi festa non petit nūc vltra auditionem Missę nisi vacationem ab operibus seruilibus, & à quibusdam alijs. Quare obligatio illa gratis cogitatur.

287 Quæritur secundò, an transgressoribus præcepti de audienda Missa sit iure communi Ecclesiastico imposita aliqua pœna? Respondeo, in C. *Missas* haberi, vt ab Episcopo publicè confundantur, qui die Dominico Missam integram non audierint, præsumendo egredi ante benedictionem Sacerdotis. Vnde non est pœna iure lata, sed ferenda, consistens in publica correctione, quam præcesserit secreta, nec suffecerit, vel in excommunicatione, si ad emendationē satis non fuerit publica reprehensio. Et quidem in Concilio Iliberritano Can. 21. iussum fuerat, *vt si quis in Ciuitate positus, tres Dominicas ad Ecclesiam non accessisset, pauco, seu potiùs tanto tempore abstineret* (à communione scilicet corporis Xpti) *vt correptus esse videretur.* Alluſit ad hūc Canonem Osius Episcopus Corduben-sis, cum in C. 14. Concilij Sardicensis dixit, *Memini, superiore Concilio fratres nostros constituisse, vt si quis Laicus in ea, qua commoratur Ciuitate, tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas, nō celebrasset conuentum, communione priuaretur.* Ita iuxta editiones Dionysij Exigui, & Isidori Mercatoris. Et illud *non celebrasset conuentum* idem est, ac non conuenisset (vt in Græco textu, C. 11. legitur) ad Missæ celebritatem. Ex vtroque autem Concilio Iliberritano, & Sardicensi confectus est is Canon 81. Trullanus, *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel eorum, qui in Clero enumerantur, vel Laicus, nullam graviorem habens necessitatem, vel negotium difficile, vt à sua Ecclesia absit diutissimè, sed in Ciuitate agens, tribus diebus Dominicis in tribus septimanis, vnà non conueniat, si sit quidem Clericus, deponatur, si verò Laicus, excommunicetur.* Reperies recentiora alia Concilia concordia apud Ioannem Filesacum de Origine Paroeciarum, C. 6. pag. 619. & 625.

288 Sed nota ex dictis in num. 28. hanc excommunicationis pœnam non posse iam ab Ordinarijs imponi, si Missa, quæ non auditur in Ecclesia Parochiali propria, audiatur in Ecclesia Regularium, vti potest, & solet audiri iuxta priuilegia Summorum Pontificum & iuxta receptam consuetudinē totius Ecclesiæ; nequeunt autem licitè, neq; valide Ordinarij decernere excommunicationis pœnam derogando priuilegijs Summorum Pontificum, & receptæ consuetudini totius Ecclesię. Legantur Busembaū in Medulla Theologiæ Mor. L. & T. 3. C. 1. dub. 4. Gibalinus Disq. 1. de Censur. q. 2. Consectario 7. vbi expressè ait, Paroecianū, qui ex contemptu sui Paroeci audiret alibi Missam, peccaturum quidem contra præceptum naturale de exhibenda obseruantia Superioribus spiritualibus, non tamen contra præceptum Ecclesiæ de audienda Missa; id quod ab aliquibus sentiri testatur Pe-

trus à S. Iosepho in Opusculo de Ecclesiæ præceptis C. & art. 1. V. *Notandum tamen*; & ego nonnullos retuli in num 29.

289 Quæritur tertiò, num ieiuni debeant esse, qui audiunt Missam præceptam? ita significare videtur S. Bernardinus Senensis inquiens tomo 3. in Aduentuali de Inspirationibus Serm. 37. pag. 359. *Oportet, quòd homo audiat omni die Dominico, & in omnibus festis præceptis vnam Missam integrã adminus, ieiuno stomacho, alioquin non euitat peccatum mortale.* Sed crediderim, S. Bernardinum commẽdare illud de ieiuno stomacho vt quid pertinens ad cõsilium, & perfectionem. Sic etiam S. Vincentius Ferrerius Serm. vnico in Octava Corporis Christi tomo Sermonum æstivalium pag. 360. dixit, *Ergo est Missa audienda deuotè in quolibet die festo, & Dominico. Quæ deuotè auditur, seruatis quatuor conditionibus Prima, quòd Missa audiatur ieiuno stomacho*, &c. Authores quidem sæculi Christiani decimiquinti, in quo vixit vterque Sanct⁹, nusquam tradunt, viguisse tunc obligationem ieiunij ante Missam auditam.

290 Videtur tamen viguisse antiquioribus temporibus. Nam in vita S. Valerici Abbatis die 1. Aprilis apud Surium legitur, [Contigit vero duos germanos venire ferijs Beatissimi Pontificis Martini, quos ille obiurgans dixit: Miror, quã temeritate ausi fueritis, ante Missarum solẽnia bibere. At illi culpam fatentes suã, veniam petebant, & emendationẽ pollicebantur.] Theodulphus Antistes Aurelianensis in Epistola ad Clerum suæ Diœcesis C. 46. volebat admoneri populum, [vt ante publicum peractum Officium ad cibum nõ accederet; & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam Missarum solemnia, & prædicationem audituri convenirent.] Scripseratq; in num. 39. [Solent plures, qui se ieiunare putant, mox, vt signum audiunt ad nonam, manducare: qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante mãducaverint, quàm vespertinum celebretur Officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, siue vespertinis Officijs, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, vt ad Missam convenire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, ieiunium absolvere debet.] Sic Theodulphus, siue ex se, siue ex Concilio, non Chalcedonensi, vt apud S. Thomam 2. 2. q. 147. art. 7. sed Cabilonensi iuxta Gratianum C. *Solent* 50. de Consec. Dist. 1, & Ivonem parte 4. C. 45. siue ex Silueriõ, seu potiùs Liberio Papa apud Burchardum Lib. 13. Cap. 12. quanquam hic Canon non referatur a Binio inter alios ad ieiunia spectantes, & penes Codicem vetustum librorum 16. C. 9. & 10. attributos Liberio Papæ. Cuius sanctitatẽ (vt id obiter notem) cõmemorari à SS. Ambrosio, Basilio, Athanasio; & ab omnibus Martyrologijs tradit Ludovicus Iacob in Bibliotheca Pontificia Libro 1. pagina 153. Ideoque & ipse, multique alij vocant Sanctum, vt ego quandoque appellavi; sed certè, cum in Martyrologio Romano nullam eius mentionem reperiã, mallem abstinuisse à titulo Sancti, prout fecit Baronius, etsi anno 367. referat, eius memoriam tanquam Sancti cultam fuisse à veteribus, extareque in nonnullis Martyrologijs.

291 Cæterùm cuiuscumque sint verba illa, expedit legere, quę circa Canonem *Solent* adnotavi num. 44. Disput. 21. inde enim compertum est, diebus ieiunij priscos Christianos non edisse, neque bibisse nisi post Missam, & vespertinum Officium peractum, aut saltem post nonam, & alijs diebus non nisi post Missam, celebratam aliquot anteà horis. Hinc S. Paulinus in Natali septimo Sancti Felicis cecinit.

Nostis eum morem, vt ieiunare solemus
Ante diem, & sacro libatis vespere Sacris
Quisque suas remeare domos. Tunc ergo solutis
Cœtibus, à templo Domini, postquã data fessis
Corporibus requies sumpta dape, cœpimus hymnis
Exultare Deo, & Psalmis producere noctem.

Videsis Ioannem Valterium Viringum Lib. 3. de Ieiunio, & abstinentia, Cap. 2.

292 Sunt & alia monumenta antiqua auditæ Missæ à ieiunis. Sanctus

ctus Ambrosius in Serm. 34. sic fatur, *Dicite mihi, interrogo vos, qui in Quadragesima prandetis, si non in conscientijs vestris rei estis, quod, abstinente toto populo, vos soli contra præceptum Domini deuoratis; si non vobis rubor est, cum exitis in publicũ, ne quis vobis ieiunus occurrat: aut si non cogitatis, cum ad Ecclesiam proceditis, quẽ ad modùm pacem Episcopo porrigatis, ne fortè ipso spiritu osculi vestri vos reprobet? Quod si hæc non cogitatis forsitan, vehementer erratis.* Burchardus etiam Lib. 19. Cap. 5. fol. (mihi) 279. inter alia, de quibus Confessor interrogaturus sit Pœnitentem, proponit id, *Fecisti, quod quidam facere solent? Post prandium padunt ad Missam, & ipsi saturi, & vinolenti, à Sacerdote pro populo offerente, signum pacis accipere præsumunt. Si fecisti, tres dies in pane, & aqua pœniteas.*

293 In Concilio Bracarensi I. C. 16. subodorari est aliquod vestigiũ, dicitur enim ibi, *Si quis quinta feria Paschali, quæ est Cœna Domini, hora legitima post nonam ieiunus in Ecclesia Missas non tenet; sed secundùm sectã Priscilliani, festivitatem ipsius diei, ab horã tertia, per Missas defunctorum, soluto ieiunio, colit, anathema sit.* Supponit hic Canon, solitum servari ieiunium, quoadvsque Missa fuisset celebrata. Circa phrasim *tenere Missas* consulatur num. 93. Præterea Concilium Autisiodorense C. 19. ait, *Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono post acceptum cibum, vel poculum Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missæ dicuntur, stare.* Non loquitur de omnibus, qui assistunt Missæ, sed de Presbytero, Diacono, & Subdiacono. Quia tamen loquitur de eis, quando etiam non navant operam Missæ, sed solummodo sunt præsentes, ideo videri poterit comprehendere cæteros Clericos, insuperque Laicos. Atque ita existimat Vicecomes volumine 3. Observationum Ecclesiasticarum Lib. 2. de antiquis Missæ ritibus Cap. 5. Sed alij potiùs dicent, exceptionem Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi firmare regulam in contrarium; maximè cum in exceptis militet specialis ratio, quia scilicet susceperuri erant Eucharistiam; qua obligatione non tenebantur Concilij Autisiodorensis tempore inferiores Clerici, Laicique præsentes.

294 Vnde si quis cogitet, legem ieiunij in audientibus Missam tãdiu prevaluisse, quandiu de more fuit, vt omnes, qui interessent Sacrificio, participes eius fierent, degustado Cælestes dapes, & huiusmodi vsu cessante, primùm in Laicis, deinde in Clericis minoribus, posique in maioribus non sacrificantibus, desiviße legem illam, quæ lata fuisset non ratione Missæ audiendæ, sed communionis sacræ percipiendæ, talia cogitanti assentiar non coactè. Sic si Concilium Tridentinum iussisset id, quod in votis habuit Sess. 23. Decreto de Reform. C. 13. vt Subdiaconi, & Diaconi altari ministrantes perciperent communionem diebus saltem Dominicis, & solemnibus, obligatio iplorum ad ieiunium nõ esset ob servitium in Missa exhibendum, sed ob communionem percipiendam diebus illis. Et ob eam etiam sublequutam immediatè post baptismum accedebãt ieiuni, qui baptizabãtur, etsi pueri, aut infantes essent, vt splendidè, & plenè probat Vicecomes L. 4. de antiq. baptismi ritibus C. 14. & antea L. 3. ex C. 6. vsque ad 9. ipsique Ministri baptismi debebant esse ieiuni, vt constat ex C. *Vt Episcopi* 7. de Cons. Dist. 5. & ex Concilio Parisiensi sub Gregorio Papa IV. L. 1. C. 33. quem vsum renovari cupijt Synodus Moguntina sub Archiepiscopo Sebastiano anno 1549. C. 16. Ministrisque confirmationis iniungebatur ieiunium in C. illo *Vt Episcopi*, sicut & confirmandis in C. *Vt ieiuni* 6. eadem Dist. An quia post confirmationem porrigebatur eis divina alimonia?

SECTIO XX.

Vtrùm audientes Missam teneantur assistere in statu gratiæ?

295 ITA videtur sentire Sanctus Ioannes Chysostomus, quãdo Homil. 3. in Epist. ad Ephes. ait, *Non es oblatione, aut cõmunione dignus? Igitur neque precatione.* Et inferiùs, *Quomodo cum manseris, de mensa ista non participas? Indignus sum, inquis. Indignus es igitur & ea communione, quæ in precibus est.* Idem videtur fuisse sensus veteris

teris Ecclesiæ, quæ peccatores excludebat è Missa fidelium, *Qui in peccatis sunt*, ait idem S. Doctor, *primùm ejiciuntur. Quemadmodùm enim ad mensam accumbente hero, non licet ijs, qui illum offenderunt, inter ministros adesse, sed è medio abiguntur; ita & hoc loco dum effertur oblatio, dum Christus, atque agnus ille Dominicus immolatur. Quando audis, precemur pariter omnes, dum vides sublata vela, tum cogita, Cœlum ipsum sursum referari, Angelosque descendere. Quemadmodùm igitur nemini eorum, qui initiati non sunt, adesse licet, ita neque initiatis, si sordidi fuerint.* Sic S. Chrysostomus. Estque satis nota disciplina Ecclesiastica antiqua, vt post lectionem Scripturarum, clamante Diacono, *Sancta sanctis*, pellerentur è templo non modò peccatores notorij, sed etiam pœnitentes, Energumeni fideles, & Catechumeni, *ad ea enim, quæ deinceps sequuntur Sacrificia, spectaculaque, nequaquam hos conuocat, sed perfectos perfectorum oculos*, vt aiebat S. Dionysius Areopagita C. 3. de Ecclesiastica Hierarchia, contemplatione 3. §. 6. postque in §. 7. declarat, quàm iusta de causa removerentur peccatores impœnitentes, *Nam si supermundialis illa sacrorum diuinorum celebratio, etiam dum pœnitentes, tametsi quòdam eius compotes, repellit, non nisi sanctissimo quoq; admisso; quin etiam proclamat: Ego ad deiformitatis culmen propter suam imperfectionem non assurgentibus inuisibilis, & incommunicabilis existo (arcet enim purissima vox ista quoque illos, qui rebus diuinissimis dignè communicantibus coniungi non possunt) adeoq; magis eorum, qui passionibus exagitantur, turba profana erit, & ab aspectu, communioneque sacrorum aliena.*

296 Ad hæc: homo tenetur die festo procurare remissionem peccati mortalis, cuius sit conscius, vt cēsent Scotus in 3. Dist. 27. quæst. vnica, art. 3. V. *Quantùm* ad 2. Angelus V. *Feria*, num. 41. Tabiena V. *Charitas* q. 20. Nicolaus de Nysse in Resol. Theologorum Tract. 5. parte, & portione 3. quæst. 1. de Charitate fol. 443. Nicolaus de Orbellis in 3. Dist. 27. Viguerius in Institutionibus C. 16. §. 4. V. 11. Petrus de Soto in Institutione Sacerdotum Lect. 13. de Sacramēto pœnitentiæ, Marsilius in 4. quæst 12. art. 1. fol. 576. Eius autem obligationis non alia conuenientior ratio finalis assignari potest, quàm vt homo se disponat ad id, vt sine peccato, & dignè assistat Missæ præceptæ die illo. Refertque Azor tomo 1. Lib. 7. C. 6. quæst. 1. non defuisse, qui senserint, nullum præceptum adimpleri posse in statu peccati mortalis, atque adeo neq; præceptum audiendi Sacrum. Tandē præsentia in præfato statu ad rem tam sacram, & diuinam, quàm est Missæ Sacrificium, videtur continere gravem indecentiam, irreverentiam, & deordinationem. Atq; ita affirmant Neoterici aliqui innominati apud Ioannē Martinon Disputatione 40. sect. 10. num. 119.

297 Sed ipse sapienter, & latè eos refellit ex num. 120. vsque ad 129. Ego brevior ero. Et impugno primò, quia præceptum de præsentia ad Missam in statu gratiæ non est Ecclesiasticum, si quidem status ille sit quid merè internum, & nullatenus requisitum ad esse siue physicum, siue morale præsentiæ imperatæ ab Ecclesia; quare neque directè, neque indirectè potest cadere sub præceptum Ecclesiæ status ille. Rursus neque est diuinum positivum, nusquam enim in sacris litteris legitur. Neque item est naturale, non enim apparet, vnde ex ipsa rei natura debeat præsentia sola ad Missā esse in illo statu; & alioqui præsentes Christo existenti in propria specie debuissent immunes à culpa lethali comparere coram eo, cuius personam, & reverentiam ei debitam noscerent. Non sic autem comparuit Magdalena, neque alij, de quibus fit mentio in Euangelio; & tamen Christus eos non repulit, sed potiùs quæsivit, & invitauit, vt ad se accederent, dicens, non esse Medico opus valentibus benè, sed malè, neque se venisse vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quòd si peccassent lethaliter comparēdo coram ipso cum conscientia culpæ mortalis, sequeretur (quod absit) invitatos fuisse à Christo ad eiusmodi peccatum. Impugno secundò, quia cum admodùm difficile sit, vt quoties fideles audituri sunt Sacrum siue ex præcepto, siue ex devotione, præexistant in statu gratiæ, vel in eo se de novo cōstituant, fieret, vt multi deterrerentur ab audiendo Sacro, ne antiquis peccatis

tis adijcerent novum aliud. Tertiò, quia contraria opinio est præter, imò contra fidelium persuasionem, & doctrinam Theologorum; estque levibus innixa fundamentis, vt iam ostendo.

298 Nam ad S. Chrysostomum dico, intelligi debere servata proportione, vt sicut ad communionem Eucharistiæ necessarius est status gratiæ, ita ad reliqua Missæ decens sit, & conueniens in præsentibus. Si hæc interpretatio non placeat, restat dicere, S. Doctorem loquutum esse concionatoriè, & exaggeratoriè, vt nonnunquam alias.

299 Ad morem antiquum Ecclesiæ, quæ peccatores eijciebat è Missa fidelium, respondeo, fuisse quidem exclusos notorios, scandalososq; in grauissimis quibusdam sceleribus. Sed non fiebat exclusio, quia ipsi peccaturi erant interessendo Missæ, sed in exemplum, terroremq; aliorum, & in pœnam, confusionem, medicinamque commissorum anteà criminum; & quia plerique perseverantes ad finem vsq; Missę solebant accipere Eucharistiam, cuius communio nec licita esset peccatoribus illis impœnitentibus, nec concedenda à Ministris Ecclesiæ. Fuerunt etiam expulsi peccatores pœnitẽtes solemniter, de quibus tamen non præsumebatur permanere iam in statu peccati mortalis, sed potius obtinuisse à Deo veniam: quare quòd excluderentur, non potest attribui ei causæ de evitanda occasione peccandi lethaliter ob præsentiam ad Missam fideliũ in statu peccati mortalis, sed alijs causis, quæ ex dictis, & ex dicendis colligentur satis.

300 Et quidem olim non imponebatur pœnitentia solemnis nisi ob grauissima quędam scelera, eaque notoria, & scandalosa. Imò, vt innotescit ex S. Ioanne Climaco, gradu 15. iam suo tempore *Ecclesia Catholica hæreticos quidem, cum hæresim priorem toto animo repudiassent, atque anathematizassent, suscipiebat ad sanctorum mysteriorum communionem; & vt idoneos admittebat; eum verò, qui in fornicationem lapsus fuerat, confitentem, atq; peccatum ipsum omnino deserentem introrsus suspiciens, per annos aliquot eum à venerandis, immaculatisque mysterijs ex traditione Apostolica separare permittebat.* Et S. Basilius in Epist. ad Amphilochium Can. 34. aiebat, *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque conuicias publicare quidem patres nostri prohibuerũt, ne conuictis mortis causam præbeamus, eas autem stare sine communione iusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ*, si possent scilicet stare sine communione, quin sequeretur scandalum, aut suspicio apud maritos de inhonesta ipsarum vita. Sufficiant hæc duo testimonia, vt constet, fuisse aliqua delicta enormia, notoria, & scandalosa, pro quibus non fuerit imposita solemnis pœnitentia, neq; pœna ejectionis ex Ecclesia: fuisse item aliqua externa occulta, pro quibus etsi nondum fuisset persoluta pœnitentia secretè iniuncta, non ideo nefas erat adesse sacrosancto Missæ Sacrificio. Non igitur prohibebantur interesse, qui solemnem pœnitentiam agebant, quia præcisè peccarant mortaliter.

301 Et quis neget, vltra peccata, pro quibus solemnis indicebatur pœnitentia, fuisse etiam quondam admissa à fidelibus alia mortalia tũ interna, tum externa occulta? Quis item inficietur vltra pœnitentiam solemnem viguisse etiam olim aliam publicam, aliam privatam, & secretam: illamq; exercitã fuisse in facie Ecclesiæ sine multa solemnitate, potuisseq; imponi à mero Sacerdote, vt & ab hoc fieri reconciliationem, iterari à pœnitente, peragi à Clerico; & hanc iniũctam fuisse, sciente tantùm Sacerdote, ac pœnitente? Omitto allegare iura, sunt enim passim obvia, & scitissima, collectaque à DD. tam antiquis, quàm recentibus, & ex antiquis affatim à bono Doctore Salmanticensi Ioanne Benaventano in Tract. de Pœnitentijs edito à filio suo Doct etiam Salmanticensi Didaco Benaventano, regnantibus Ferdinando, & Elisabetha. Cum igitur soli solemniter, non autem alij pœnitentes excluſi fuerint è Missa fidelium, sequitur, causam exclusionis non fuisse præcisè peccata mortalia; sed quia Ecclesia voluit sic se gerere cum solemniter pœnitentibus, vti nũc se gerit cum excommunicatis denunciatis non toleratis, quos nunc non admittit ad consortium quoad oblationem, & celebrationem Sacrificij incruenti, quanquam possit contingere,

vt

vt qui non admittitur, obtinuerit iam à Deo statum gratię per contritionem, ante absolutionem excommunicationis obtentam ab Ecclesia.

302 Præterea non omnes solemniter pœnitentes arcebantur à Sacrificio Missæ, nam qui erant in quarto pœnitentiæ gradu, permittebantur consistere, & aggregari alijs fidelibus ad orationem, & ad interessendum Sacrificio Missæ, vnde eorum gradus dicebatur *sistasis*; vetabantur tamen offerre panem, & vinum, suscipereque Eucharistiam. Vnde S. Basilius in Epist. tol. ad Amphilochium Can. 22. scripsit, [Ei, qui mulierem vel vi, vel clā à se vitiatam habet, necesse est fornicationis pœnas imponere: est autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus supplicium. Oportet autem eos anno primo à precibus expelli, & ipsos desiere ad fores Ecclesię. Secundo autē ad auditionem admitti. Tertio admitti ad pœnitētiam. Quarto ad congregationem cum populo, abstinētes ab oblatione; deinde ei permitti boni (id est, Eucharistiæ) communionem.] Consonant Concilium Ancyranum Can. 6. & Sozomenus Lib. 7. Hist. Eccles. C. 15. Quæ communio in oratione, & in præsentia ad Missam sine participatione Eucharistiæ appellabatur communio sine oblatione, vt videre est C. 17. *De viro* 12. q. 2. C. 41. *Si quis dederit* 24. quæst. 1. C. 15. *Latorem* 33. quæst. 2 C. 8. *Miror* 17. q. 4. C. *Eos, quos* 118. de Consec. Dist 4. & alibi tam in iure Canonico, quàm in Concilijs. Quapropter antiqua Ecclesia maiorem requirebat puritatem cōscientiæ ad communionem in Eucharistia, quàm ad eam, quæ præcisè consistebat in orationibus, & in assistentia ad Missam. Hactenusq; nemo vel somniavit, conscium peccati mortalis debuisse, quantumvis sibi contritus videretur, non accedere ad audiendā Missam absque præmissa Sacramentali cōfessione, cuius copiam haberet, cum tamen in antiqua Ecclesia debuerit conteri, &, habita copia Confessoris, præmittere confessionem qui Eucharistiam esset percepturus, vt compertum est ex Concilio Tridentino Ses. 13 C. 7. & ex eius historia nuper provulgata ab Eminentissimo Cardinali Sfortia Pallavicino, p. 1. L. 12. C. 2.

303 Insuper probabile est, quosvis pœnitentes adstitisse Missæ Feria V. maioris hebdomadæ, & deinceps vsque ad Octavam Paschæ. Nam S. Thomas in Supplemento 3. p. q. 28. art. 3. in Corpore refert verba hæc ex Concil. Agath. *In Cœna autem Dñi quolibet anno à suis Presbyteris in Ecclesiam reducuntur pœnitentes solemniter, & erunt ibi vsq; ad Octauas Paschæ, ita tamen quòd non communicabunt, neq; pacem accipient: & sic fiet quolibet anno, quousque aditus Ecclesiæ est eis interdictus.* Quæ verba satis exprimunt id, quod dixi, esse probabile. Sed Gratianus C. *In capite* 64. Distin. 50. Burchardus Lib 19. C. 26. Ivo parte 15. C. 45. alia referunt ex illo Concilio, nempe *In sacra autem Domini Cœna rursus ab eorum Decanis, & eorum Presbyteris Ecclesiæ liminibus repræsententur.* Huiusmodi autem lectio est valde diversa, & non confert ad probādam auditionem Missę à pœnitentibus in illis diebus. Quia verò in vulgatis Concilij Agathensis Codicib⁹ non extat hic Canon, non possumus iudicare, vtra lectio sit præferenda alteri. Si diebus illis pœnitentes donati sint Eucharistia quasi ex indulto, vt Martinonus D. 55. de Pœnitentia, sect. 1. n. 8. persuadet sibi motus Epist. 1. Innocētij Papæ I. ad Decentium Eugubinum Episcopum C. 7. relato C. *De pœnitentibus* 17. de Cons. Dist. 3. à fortiori sequeretur, interfuisse tunc Missis. Sed crediderim, Innocentium eò respicere, vt V. feria ante Pascha sit terminus, in quo finiantur præscripti anni pœnitentię, plures, aut pauciores iuxta qualitatem criminum. Etenim ex iuribus multis, & Concilijs constat, durante pœnitentiæ solemnis tempore, nisi periculum mortis occurreret, privatos fuisse pęnitentes communione Eucharistiæ.

304 Vlteriùs, qui post solemnem pœnitentiam relabebantur in grauissima quædam flagitia notoria, & scandalosa, non admittebantur rursus ad solemnem pœnitentiam; hæc enim non fiebat nisi semel in vita, sed à Sacrificio Missæ non repellebantur, vt probatur apertè ex Epist. 1. Siricij Papæ ad Himerium Tarraconensem C. 5. relato C. 12. *De his verò* 33. q. 2. vbi dicitur, [De his verò non incongruè Dilectio tua Apostolicam Sedem credidit

didit consulendam, qui acta pœnitentia, tanquàm canes, ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludricas voluptates, & nova coniugia, & inhibitos denuò appetivere cœcubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionē filij prodiderunt. De quibus quia iam suffragium non habent pœnitendi (scilicet solemniter) id duximus decernendum, vt sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacrę mysteriorum celebritati, quanvis non mereantur, intersint: à Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, vt hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & alijs exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quas tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiā talibus pollutionib⁹ devinxerunt, seruandam esse censemus.]

305 Omitto, Clericos non subijsse solemnem pœnitentiam, nisi abstatu Clericali deponerentur; quare etsi peccarent, agerentque pœnitētiam siue secretam, siue publicam assignatam pro ipsis, non vetabantur adesse Sacrificio Missæ. Et hęc de pœnitentibus, fusiùsque, quàm cogitabam; sed quia in hoc Tractatu poterant desiderari, ideo visum est occasione argumenti aduersariorum communicare Lectoribus; quanquàm fatear, Bellarminum Lib. 1. de Pœnitentia, Dionysium Petavium in Tract. de Pœnitētia publica, & præparatione ad communionem, Ioannem Martinonum D. 55. de Pœnitentia, & Disput. 40. de Euch. sect. 10. Ludouicum Cellotium L. 6. de Hierarchia, & Hierarchis ex C. 17. vsque ad 23. Illustrissimos Antistites Aurelianensem, & Vaurensē, illum in Obseruationibus sacris, & in antiqua Ecclesiæ politia circa administrationem Eucharistiæ, hunc in Examine libri de frequenti communione, D. Ioannem Antonium ab Otalora in Lib. de Irregularitate proueniente ex pœnitentia publica, & solemni tam accuratè collegisse omnia, quę ad veteris Ecclesiæ pœnitentes pertinent, vt de communione, seu societate cum alijs fidelibus concessa, aut negata circa Sacrificium Missę vix potuerim afferre aliquid, quod iam ab ipsis nō fuerit adnotatum.

306 Et inter alia diligenter animadversa ab Aurelianensi, subticēdum illud a nobis non est, quod habet Lib. 2. Obseruatione 24. scilicet pœnitentes tertij gradus, qui Græcè dicebatur *Ypoptosis*, id est, Latinè substratio, aut subiectio, & qui simpliciter, & absolutè nomine pœnitentium significabatur, etsi non interfuerint Missę fidelium, tamen electos nō fuisse vnà cum Catechumenis, sed paulò post. Nam in Concilio Laodiceno C. 19. dicitur, [Oportere seorsùm primùm, post Episcoporum sermones, Catechumenorum orationem peragi; & postquàm exierint Catechumeni, eorum, qui pœnitentiam agunt, fieri orationem: & cum ij sub manum accesserint, & secesserint, fidelium preces sic fieri,] &c. S. quoque Basilius in Epist. ad Amphilochium C. 56. ait, [Qui sua sponte interfecit, & postea pœnitentia ductus est, XX. annis Sacramento non communicabit. XX. autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet quatuor annis deflere stans extra fores Oratorij, & fideles ingredientes rogans, vt pro eo deprecentur, suam iniquitatē pronuncians. Post quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ijs egredietur; septem autem annis, cum ijs, qui in substratione orant, egredietur. In quatuor annis solùm stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps. Ijs autem expletis, erit Sacramentorum particeps.] Sic Sanct⁹ Basilius.

307 Quare quando in Concilio Agathensi C. 60. & in Epaunensi C. 29. legitur, [Lapsi, id est qui in Catholica fide baptizati sunt, si prævaricatione damnabili post in hæresim transierint, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos annorum multitudine breviata, pœnitentiam biennij conditione infrascriptæ obseruationis imponimus, vt præscripto biennio, tertio sine relaxatione ieiunent, & Ecclesiam studeant frequentare. In pœnitentiū loco standi, & orandi humilitatem ita noverint obser-

obseruandam, vt etiam ipsi, cum Catechumeni egredi commonentur, abscedant. Hoc si obseruare voluerint, constituto tempore admittendis ad altarium obseruatio relaxetur. Quòd si ardua, vel dura fortè putaverint, statuta præteritorum Canonum implere debebunt.] Intelligendum est vnum, & alterum Concilium de recessu pœnitentium tertij gradus tam paulò post exitum Catechumenorum, vt ferè eodem tempore egressio vtrorumq; esset. Nisi cui magis placeat distinguere cum Bellarmino Lib. 1. de Pœnitentia C. 22. inter Catechumenos audientes, & competentes, dicereque, pœnitentes tertij gradus expulsos fuisse à Sacrificio fidelium simul tempore, ac Catechumenos competentes, cum quibus excipiebantur tum ad audiendum, tum ad orandum; & iam anteà fuisse expulsos Catechumenos audiētes, cum quibus ad audiendum admittebantur pœnitentes secundi gradus. Et sic poterit conciliare Concilium Laodicenum, & S. Basilium cum Concilijs Agathensi, & Epaunensi. Vnde cum de Catechumenis dicitur in Concilio Arausicano I. Can. 19. *Nunquam admittendos esse etiam inter domesticas orationes*, explicari potest de audientibus, non autem de competentibus. Quanquàm ex prœcitato Canone nihil firmū habeatur, nam alia lectio inquit, *non nunquam*, & alia, *Ad baptisterium Catechumeni nunquam admittendi.* Sicut itidem C. 20. est satis anceps ob varietatem lectionum, quarum vna huiusmodi est, *Segregandi, informandique sunt Catechumeni, vt se renuncent, & signandos, vel benedicendos semotim offerant eos fideles*; altera verò, *Ad fidelium benedictionem, etiam inter domesticas orationes, in quantum caueri potest, segregandi, informandiq; sunt, vt se renuncent. Ad signandos, vel benedicēdos se, semotè offerunt.*

308 Sed quidquid sit de intelligentia horum Canonum, Catechumenos quoscumque (vt ad id, quod de ipsis obijcitur, iam respondeamus) fatemur, non fuisse admissos ad Missam fidelium ex tempore oblationis. Sed in causa non fuit, quòd præsumerentur existere in statu peccati mortalis. Vt enim ait Origenes Homil. 3. in Numeros, [Non omnes, qui in Catechumenis numerantur, alieni sunt, & expertes Spiritus sancti. Inuenio enim in Scripturis diuinis nonnullos Catechumenorum dignos habitos Spiritu sancto. Cornelius Catechumenus erat, & antequàm ad aquam veniret, meruit accipere Spiritum sanctum. Nolo dubites, & nunc esse in populo Catechumenorum aliquos Cornelios, ad quos dici possit, quia misericordia, & orationes tuæ ascenderunt in Cœlū.] Hucvsque Origenes; facileque est ex Disp. 17. à num. 9. desumere multa argumenta ad probandum, Ecclesiam veterem alienam fuisse à persuasione de omnium Catechumenorū adultorū pravo statu. Quapropter eorum à Missa fidelium exclusio revocanda est in aliam causam, in id nempe, quòd Ecclesia voluerit non committere ipsis spectanda, & audienda sacratissimæ Missæ mysteria, vt quæ suprema sint religionis Christianæ, prout iam notavi in illa D. 17. n. 25.

309 Quoad Energumenos posset dici cum S. Thoma 3. p. q. 80. art. 9. ad 2. S. Dionysium loqui de illis qui nondum erant baptizati, sed adhuc Catechumeni. Et eodem modo intelligi potest S. Clemens Romanus L. 8. Const. Apost. C. 6. vbi post dimissionē Catechumenorum producuntur Energumeni, vt pro eis oretur ante Missam fidelium, & facta oratione, clamat Diaconus in Cap. 7. *Exite Energumeni.* Ego tamen magis propendeo, vt putem, sermonem esse in S. Clemente, & in S. Dionysio de Energumenis baptizatis, nam de Catechumenorum ordine, & classe vt distincta loquutus iam fuerat S. Dionysius, & S. Clemens de Catechumenis audientibus, quos inter, & competentes ponit Energumenos. Præterea in C. 78. vel 79 Apostolorū dicitur, *Si quis Dæmonem habeat, Clericus non efficitor; sed si dignus fuerit, efficitor.* Vbi Balsamon sic interpretatur, [Qui à Dœmone correptus est, ratione, ac mente priuatus est, atque idcirco vel in Clerum cooptari, vel cū fidelibus precari, hoc Canone prohibetur, ne fortè si aliquid mali, aut inhonesti egerit, ac Dœmoniacas voces emiserit, populum Dei conturbet, ac Officium diuinum impediat. Postquā autem ad se redierit, si dignus fuerit inuentus, etiam Clericus fiet.] Sic Balsamon, reddens optimam rationem

exclu-

exclusionis Energumenorum etiam baptizatorum, si tales sint, vt soleant arripi à Dæmone; nam si huius vexatio omnino deberit, vti irregulares non manebant iuxta C. præcitatum Apostolorum, & iuxta Gloss. in C. 3. de Irregularitate q. 2. Conſect. 9. & Bartholomeum à Angelo Dialogo 5. §. 180. & 183. ita neque ejiciebantur è Missa fidelium, neque impediebantur, vt cum ipsis funderent preces.

310 Quia vero Timotheus Patriarcha Alexandrinus quæsitus tertio loco, [Si quis, cum sit fidelis, à Dæmone corripiatur, debetne esse sanctorum mysteriorum particeps, an non?] Respondit, *Si mysterium non enunciet, nec vllo alio modo blasphemet, sit particeps. Sed non singulis diebus, sufficit enim, si statis solum temporibus*, notat Balsamon, Timotheum loqui de eo, qui per dilucida intervalla furore corripitur, & scit eo tempore, quo resipuit, diuinorum Sacramentorum mysteriũ; at Canonem Apostolorum loqui de eo, qui est perpetuo furiosus; si autem de eo etiam, qui per intervalla, non permittere, vt in Clerum coopteur. Legendusque est idem Balsamon ad q. 4. quorundam Monachorum tempore Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani, & Alexij Comneni Imperatoris.

311 Et licet Energumenis quibuvis alicubi vetita sit Eucharistia, vt in Hispania, provt colligitur ex Concilio Iliberritano C. 29 quod Cõcilium Can. 36. excipit finem vitæ, & in Monasterio S. Theodosij, provt constat ex eius vita apud Surium die 11. Ianuarij, pag. 250. & in nonnullis alijs Monasterijs, de quibus Germanus Monachus apud Cassianum Collat. 7. C. 29. tamen in multis locis non fuit omnino negata, nam Concilium Arausicanum I. C. 14. inquit, *Energumeniam baptizati, si de purgatione sua* (scilicet per exorcismos in Ecclesia) *curent, & se solicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimodè communicent, Sacramenti ipsius virtute vel muniẽdi ab incursu Dæmonum, quo infestantur, vel purgandi, quorum iam ostenditur vita purgatior.* Et Serenus Abbas apud Cassianum supra, C. 30. testatur, *Se nunquàm meminisse, Energumenis interdictam communionem sacrosanctam à senioribus; quin imò, si possibile esset, etiã quotidie eis impartiri eam debere censebant.*

312 Narraturque à S. Prospero L. de promiss. & prædict. dimidij temporis C. 6. collatam fuisse Carthagine Eucharistiam cuidam iuvenculæ nationis Arabæ, quæ à Dæmone correpta erat. Quo in casu dignum adnotatione est, eam iuvenculam suscepisse brevem tinctam particulam corporis Dni, quam cum traijcere non valeret, calix salutaris gutturi eius est applicatus, *quod vt factum est, statim, vt locum, quem Diabolus obsederat, Saluatoris imperio reliquit, Sacramentum, quod ore gestabat, cum laude Redemptoris transplutisse puella clamauit.* Addit que S. Prosper, *Hinc lætitia, hinc voces in gloria Dei, quod post octoginta, & duos dies, Diabolo expulso, puella de potestate fuerit erepta inimici. Oblatio itaq; rursum gratiarum actionis pro ea fit, Sacrificioq; percipiens certam partẽ, prisco est reddita vsui.* Quæ personæ non sacrificantis iterata communio, & non per modum Viatici, in secunda Missa eiusdem diei ablq; exemplo est in antiquitate Eccles. quia communicare sæpiùs in eadem die, nunquã fuit in Ecclesia vsitatum, vt advertebat Suarez D. 69. S. 3. V. *Ad* 2. Sed hoc omisso, Pius I. Papa relatus C. *Communiter* 3. Dist. 33. non tine emphasi scripsit, *Eos, qui aut in terram arrepti à Dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferũtur, debere non se ingerere indiscussè Sacramentis diuinis*, significans non fuisse penitus reiectos à communione, sed potiùs admissos, si præcessisset discussio, qua caveretur periculum irreverentiæ contra Sacramentum Eucharistiæ.

313 Tandem Energumenis fuisse quondam ministratum Sacramentũ confirmationis, eoq; sæpe fuisse liberatos à Dæmone, probat Basilius Leg. in Repet. de præfato Sacram. p. 5. C. 1 p. 12. ex S. Gregorio Nazianz. Orat. 1. in Iulianum, Lactantio L. 4. Instit. divin. C. 27. Prudentio in Apotheosi, S. Bernardo in vita S. Malachiæ. Minimè verò Ecclesia Energumenis contulisset illud Sacramẽtum, quod in suscipiente prærequirit statum gratiæ, si existimasset, eos omnes indiscriminatim existere in statu peccati mortalis. Quibus ex discursibus satis liquet, quàm enerve sit argumentum, quod ex disciplina veteri Eccles. petebatur ad probandam specialem obligationem gravem non intercessendi Missæ cum conscientia culpæ lethalis.

314 Reliqua validiora non sunt. Nam sententia illa Scoti, Angeli, & aliorum, de quibus in num. 296. vera non est, vt in Tract. de Pœnitentia docent communiter Authores, & aliqui ex illis alijs cõtenti sunt, si peccator atteratur etiam extra Sacramentum; quę attritio non sufficit ad remissionem peccati mortalis. Permissoq;, & non concesso, veram esse eam sententiam, non restringitur a suis patronis ad tempus Missæ audiendę, sed extenditur ad quodcumq; diei festi siue matutinum, siue vespertinum, siue ante, siue inter, siue post Missam audiendam. Nonnullique ex eis significant, obligationem, quam colendi Deum inducit præceptum sanctificandi festa, adimpleri nunc sufficienter a quovis homine siue iusto, siue peccatore, si Missam religiosè audiat, & vacet ab operibus servilibus, & à quibusdam alijs prohibitis per Ecclesiam.

315 Illud, quod ex aliquorum innominatorum apud Azorem iudicio refertur, non ita est, nam Azor solummodo tradit, fuisse, qui senserint, generatim nullum præceptum per actum, qui sit per se malus, impleri. Quod iudicium, etsi communi consensu sit refutatum, vt refutatur idem Azor, extra rem affertur, aliud enim est, non impleri audiendæ Missæ præceptum v.g. per auditionem ex fine pravo leviter, vel graviter, & aliud non impleri per auditionem factam in statu peccati habitualis lethalis, sed citra commissionem novi peccati actualis in ipsa auditione, eo quod non intendatur malus finis. Primum dicebatur ab illis Authoribus, quorum meminit Azor, non autem secundum Non nego, Dionysiũ Cistercien sem in 1. Dist. 17. q. vnica, art. 3. Conclus. 1. & seqq. fol. 30. dicere sine assertione, & sine præiudicio aliorum, non posse nisi ab homine existente in gratia adimpleri vllum præceptum divinum. Sed de præceptis Ecclesiæ nullatenus id dicit. Et quoad divina etiam vocatur eius opinio multùm dura, & parùm rationabilis ab Almaino in Tract. 2. de differentia inter Theologales, & Morales virtutes, C. 8. folio 43. vbi abundè eam refutat.

316 Postrema ratio manet satis enodata ex probatione nostræ sententiæ, neque enim est, cur præcisè assistere Sacro cum conscientia culpæ gravis, quin circa illud agas quidpiam vt Minister consecratus, & deputatus, contineat vllam indecentiam, irreverentiam, & deordinationem; sicut neque vllam continet, si præcisè videatur ab homine peccatore corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus. Legatur S. Thomas 3. p. q. 80. artic. 4. Gabriel Biel Lectione 50. in Can. Missæ, lit. O. P. Q. Ac sanè inter merè præsentem Missæ, & Sacerdotem sacrificantem, manifestissimum versatur discrimen, nam Sacerdos per se, & ex officio consecrat corpus, sanguinem que Christi, & proinde conficit Sacramentum, præterea ministrat sibi, recipitq; illud: quare Sacerdos celebrans in statu culpæ mortalis peccat graviter multis de causis, seu titulis, qui in merè assistente celebrationi non militant. Vnde Sacerdotem præfatum committere plura peccata sacrilegij, aut vnum cum pluribus malitijs specie morali diversis, sententia est Francisci Mayronis in 4. Dist. 8. q. vnica, art. 7, Ioãnis de Lapide in Resolutorio dubiorũ occurrentium circa celebrationẽ Missarum Cap. 2. art. 3. dub. 6. Petri Cirueli in Expositione Missalis Romani, L. 1. C. 9. Suarij Disp. 67. sect. 1. V. *Nihilominus*, Villalobi Tract. 8. Diffic. 30. num. 5. & aliorum apud Aversam q. 10. de Eucharistia sect. 1. V. *Quintò demùm*, apud Ruiz in 3. p. quæst. 64. art. 1. in 2 p. Tractatus dub. 1. V. *Sequitur secundò*, pag. 508. & apud Trollench Lib. 3. de Sacramentis Cap. 8. dubio 20 num. 2. Quanquam nulli etiam censeant, non esse nisi vnum peccatum mortale sacrilegij Ita Azor tomo 1. Lib. 10 Cap. 31. q. 10. & 11. Henriquez L. 8. C. 4 in fine, C. 45 §. 2. Petrus de Ledesma C. 33. de Euch. Conclus. 2. Diffic. 1 §. *Digolo* 1 pag. 302. Emmanuel Rodericus in Summa C. 247. Conclus. & num 26. pag 440. Fagundez in 2. præceptum Ecclesiæ, L. 3. C. 5. n. 8. aliíq; apud Dianã p. 2. T. 14. Resol. 24. apud Malcarenhas T. & Disput. 4. Cap. 2. num. 152. quibus addi potest Sanctus Bonaventura in 4. Distinct. 13. in expositione textus. dubio 1. V. *Respondeo dicendum.* Moventurque, quia omnes illæ rationes versantur contra religionem Sacramento, & Sacrificio Eucharistico debitam

bitam, & reperiuntur in actionib⁹ subordinatis, directilque ad confectionē, & consumptionem Sacramenti, Sacrificijque eiusdem Eucharistici; quare moraliter reputantur pro vna actione.

317 Quæ opinio mihi arridet, dummodò pro praxi supponatur, prefatum Sacerdotem non satisfacturum suæ obligationi, si postea in Confessione dicat, se in statu peccati suscepisse, aut ministrasse Eucharistiā, quia alterutrum potest absq; eō sacrificante fieri; sed debere dicere, se celebrasse in peccati statu, aut alijs verbis significare illud sacrilegium à se vt sacrificante perpetratum; quod etsi vnum sit, sed diversę speciei ab eis alijs seorsim commissis, multòque gravi⁹. *Nam si necessariò fatemur, nullum aliud opus adeò sanctum, ac diuinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc tremendum mysterium, quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, vt quàta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate peragatur*, vt ait Concil. Trident. Sess. 22. in Decreto de observand. & evitādis in celebratione Missæ; qua authoritate vtitur appositè Sauslayus in Panoplia Sacerdotali parte 2. Libro 1. C. 5. art. 1. § 2. vt probet, Sacerdotem non tantùm vt communicantem, sed etiam vt sacrificantem teneri esse in gratia. Porrò quanvis *omnis Sacerdos tunc sibilicitum sacrificare sciat, quando à malis actibus vacat*, prout dicitur in Concilio Tolet. XIII. C. 10. æquum tamen est, vt considerata tanti divini mysterij, quod conficit, dignitate æmuletur, quà possit, Angelorum sanctitatem, imò & ipsius Christi, cuius vices, personamque gerit ea in functione sacratissima.

318 Et hæc de Sectione ista; in qua etsi breviter à ratione refrauerimus innominatos illos, quorum mentionem Martinonus fecit, diffusè tamen satisfecimus eorum argumē⁹; non ob difficultatem, quam continerent, sed ob antiquitatis Ecclesiasticæ circa assistentes Sacrificio Missæ monumenta; quibus expromendis, valdeque ad peritiam Canonum vtilibus, occasionem darent. Poterat etiam in præsentiarum agi de locis, vnde antiquitus fideles in templis audiebant Sacrum, viri separati à mulieribus, adulti a pueris, innupta à nuptis, maritatę à viduis, Clerici à Laicis, & ab vtrisque Monachi. Sed de his locorum diuisionibus consulendi sunt Iosephus Vicecomes Volumine 3. Observationum Ecclesiasticarum Libro 2 de antiquis Missæ ritibus ex C. 30. vsque ad 47. Franciscus Bernardinus Ferrarius Lib. 2. de ritu sacrarum Ecclesiæ Catholicæ concionum Cap. 14. Theophilus Raynaudus in Heteroclitis spiritualibus circa Deum, Christum, ac Coelites sect. 2. punct. 7. num. 11. & 12 quanquam enim scitu digna sunt, sed non desiderandæ (ni fallimur) ad vllius Canonis intelligentiam, nec nos habemus addendum quidpiam, quod momenti considerabilis sit; quare si quis eas desideret, adeat prælaudatos Authores.

319 Et hæc etiam sint satis de Disputatione ista; in qua omnibus dicere, eum, qui die festo non audivit Missam siue ex causa rationabili, siue sine illa, non teneri loco eius fundere ad Deum preces aliquas vocales; & qui prævidit impedimentum audiendi Missam die festo, non obligari ad anticipandam in alio die auditionem; & qui siue inculpatè, siue culpatè omisit audire Missam die festo, non teneri ad supplendam omissionem per auditionem in alio die sequenti; & quando festum transfertur quoad Officium Ecclesiasticum in alium diem, non eo ipso transferri præceptum de audiēda Missa, sed relinqui in illo, in quem incidit festum. Nā quatuor ista certa sunt, & citra controversiam. Primum quidem, quia præceptum de audiēda Missa ad id tantùm inducit obligationem, & non ad aliud loco Missæ, si hæc non audiatur. Secundum, & tertium, quia Missæ præceptum respicit diem festum vt terminum, in quo incipit, & in quo finitur, & Missæ auditio est onus affixum tali diei. Quartum, quia ita fert praxis, declaratioq; Ecclesiæ. Quare ad aliam Disput. Deo auspice, transeamus.

*

DISPVTATIO XXXI.

DE IVSTO MISSAE STIPENDIO.

1 HAEC DISPVTATIO (QVÆ præsentis Tractatus postrema erit, & multæ, atque vtilis doctrinæ ad praxim ferax) debuit à nobis non omitti, cum eam exigat tum Operis suscepti perfectio, tum modernorum Theologorum exemplum, atque vsus, etsi de ea agi etiam posset in Tract. de Simonia; cuius tamen quæ propria sunt à nobis non nisi primoribus labris delibabuntur.

SECTIO I.

Stipendium Missæ est licitum per se, caret Simoniæ labe, debeturque ex iustitia.

SVPPONENDVM est, posse à Sacerdotibus licitè per se accipi stipendiũ pro celebratione Missarum, vtpote pro ministerio exhibito in bonum fidelium, *dignus est enim operarius cibo suo*, vt inquit Christus Matthæi C. 10. V. 10. & vt Lucæ C. 10. V. 7. *dignus est operarius mercede sua*; atque vt S. Paulus 1. ad Cor. 9. à V. 7. *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi, Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An non propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniã debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? Sed non vsi sumus hac potestate; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum.*

2 In Concilio etiam Agathẽsi relato Causa 1. quæst. 2. Can. 10. dicitur, [Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundùm seruitij sui meritum, per ordinationem Canonum à Sacerdotibus consequantur.] Legatur præterea C. 1. antecedens ab illis verbis, [Clerici quoque, quos pauperes, aut volũtas, aut nativitas fecit cum perfectione virtutis, vitæ necessaria siue in domibus suis, siue in congregatione viuentes accipiant, quia ad ea accipienda non eos cupiditas ducit, sed cogit viuendi necessitas. De talibus videtur dicere

dicere Apostolus, Qui in Sacrario operantur, quę de Sacrario sunt, edant, & qui in altario deserviunt, cum altario participant, qui nisi hoc de contemptoribus facultatum suarum vellet intelligi, nunquam sequutus adiũgeret, Ita & Deus ordinavit ijs, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. De Evangelio vivunt, qui nihil proprium habere volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, non suorum, sed communium possessores. Quid est aliud de Evangelio vivere, nisi laborantem inde, vbi laborat, necessaria vitæ percipere?] Sic ibi. Nec plura accumulo ad rem omnino certam comprobandam, nempe Sacerdoti sacrificanti licitum per se esse lege tum naturali, tum divina Christi recipere stipendium. Praxis etiam Ecclesiæ vigens nunc temporis manifesta est.

3 Illud verò arduum est explicatu, qui datio, & acceptio stipendij pro Missæ celebratione careat Simonię crimine, videtur enim intervenire emptio, & venditio rei spiritualis (qualis est oblatio Sacrificij) pretio temporali. Placet nobis cõmunis modus explicandi, quatenus scilicet stipendium detur, & accipiatur post celebratum Sacrificium, aut ante celebratum in pactum deducatur, non vt pretium operis, reique spiritualis, neque item vt pretium laboris necessariè annexi ad ipsum opus, remq; spirituale, sed vt subsidium ad sustentationem Ministri sacrificantis.

4 Non igitur pretio temporali æstimatur Sacrificij oblatio, neque labor cum ea coniunctus necessariè, sed stipendium cõceditur, aut promittitur in finem sustentationis Ministri, licet concedatur, aut promittatur habita ratione Sacrificij oblati, aut offerendi ex obligatione in bonum, fructumque spiritualem concedentis, aut promittentis stipendium ipsum. Neq; item pretio temporali emitur, atque venditur fructus ex Sacrificio applicãdus, sed stipendium datur, accipiturq; in sustentationem Ministri, quanquàm sub obligatione applicandi fructum ei, qui largitur tale stipendium, deducta etiam in pactum applicatione, nam qui præbet stipendium, petit ex huiꝰ obligatione sibi fructum Sacrificij. Neque præterea temporali pretio emitur, venditurque obligatio ad applicationem Sacrificij consideratam præcisè tanquam actionem sacram; imò etsi applicatio consideretur cum oneribus corporalibus peraccidens annexis, non emitur, neq; venditur obligatio ad eã, sed stipendium adhuc tribuitur, & admittitur titulo sustentationis. Neque vlteriùs Sacrificium emitur, venditurque ad quæstus temporales, nam inter hos non computatur sustentatio Ministri, neque stipendium designatũ ab Ecclesia ad finem sustentationis cõparandæ ex designatione etiam Ecclesiastica per actionem sacrificandi. Neque demum hæc ipsa actio emitur, venditurque, sed gratis datur iuxta præceptum Christi apud Matthæum, C. 10. V. 8. *Gratis accepistis, gratis date*: quod præceptum comprehendit Sacerdotes, vtpote *Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, vt loquitur Paulus 1. ad Cor. 4. V. 1. Et quidem Ecclesiastica phrasi in materia Simoniæ non dicuntur emi, vendique actiones personę, quando pro illarum exercitio datur, accipiturque sustentatio solùm personæ, sine qua exerceri nequeunt, seu quando datur, accipiturque stipendium ad sustentationem, & quicquid necessarium est ad eas actiones.

5 Quapropter iustum est debitum sustentationis Sacerdotis sacrificantis, poteſique absque Simoniæ crimine, & labe exerceri spiritualis actus sacrificandi, obligatis vi illius fidelibus, in quorum vtilitatem spiritualem cedit, vt conferant stipendium, subsidiumque sustentationis. Huc facit illud S. Augustini loquentis de Prędicatoribus divini verbi Lib. de Pastoribus Cap. 2. [Qui non possunt facere quod Paulus, vt manibus suis se transigant, accipiant de lacte ovium, sustentent suam necessitatem, sed non negligant ovium infirmitatem, non hoc sibi quęrant tanquam commodum suum, vt ex necessitate suæ penuriæ videantur annunciare Evangelium, sed hominibus illuminandis præbeant lucem verbi veritatis :: Si ergo tibi lucerna accenderetur in domo, nonne adijceres oleum, ne extingueretur? Porrò si lucerna accepto oleo non luceret, non erat planè digna, quæ in candelabro po-

neretur, sed quæ continuò frangeretur. Vnde ergo vivitur, necessitasis est accipere, charitatis est præbere, nõ tanquàm venale sit Evangelium, vt istud sit pretium eius, quod sumunt, qui annunciant, vnde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedẽ illis, qui sibi in charitate Evangelij serviunt; non expectent illi mercedẽ, nisi vnde & isti salutem.] Hactenus S. Augustinus. Videatur etiam S. Hieronymus in Epistol. 2. ad Nepotianum de Vita Clericorum, & Sacerdotum, C. 5.

6 Sed advertendum est, etsi donatio pecuniæ in sustentationẽ Ministri cum pacto applicandi Missam pro donante, non sit Simonia ex natura rei, neq; ex iure Ecclesiæ positiuo (quod nunc vigeat) nihilominus extendendum id non esse ad quamcumque aliã materiam, nam in ea, quæ est Beneficiorum Ecclesiasticorum, quælibet conatio rei temporalis cum pacto prohibita est, & Simoniaca iure Ecclesiastico, quanvis fieret ob finem sustentationis parandæ tibi, qui Beneficium reddis; & in pluribus materijs spiritualibus donationes temporalium rerum siue onerosę, siue gratuitę pro ipsis consequendis sunt saltem quoad externum forum Simoniacæ, & vt tales ab Ecclesia vetitæ, ac punibiles, præsumitur namque, fieri pro spiritualib⁹ in commutationem, aut præseferunt speciem quãdam negotiationis. Legesis exempli ergo statuta à Concil. Tridentino Sess. 21. Decreto de Reform. Cap. 1. circa gratis omnino faciendam cuiuslibet Ordinis collationem.

7 Cęterùm in materia applicationis Missarum permittit nunc, imò & approbat Ecclesia ob finem sustentationis Ministrorum donationes tã gratuitas, quàm onerosas pro ea applicatione comparanda. Sed excipiendo, ne fiat pactum, aut conventio in novis Missis, quia cum adhuc non sit taxatũ per Episcopos, nec per consuetudinem stipendium iustum illarum, accipient novi Sacerdotes occasionem quærendi magna stipendia. Ita intelligit Mascarenhas Tract. 5. D. 2. Cap. 5. num. 85. Concilium Tridentinum Sess. 22. Decreto de Observandis, & evitandis in celebratione Missæ, dũ iubet, vt prohibeant Episcopi *cuiusuis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis nouis celebrandis datur.* Sed fortè Concilium loquitur de oblationibus non ponte factis ad Missas novas. Videantur Navarrus in Miscellaneo 56. de Oratione num. 3. Gutierrez in qq. Canonicis Lib. 1. Cap. 29. Barbosa in Collectaneis ad Sess. illam num. 1. & 2.

8 Ex dictis colligitur, fidelem promittentem Sacerdoti stipendiũ Missæ teneri ex iustitia commutativa ad illud tribuendum, impleta conditione Missæ pro se applicatæ, & vicissim Sacerdotem ex eadem iustitia teneri, accepto stipendio, ad Missam applicandã, offerendamq; pro fideli, à quo accepit illud, proindeq; Sacerdotem teneri ad restitutionem, si accepto stipendio, Missam non applicet; è contra vero teneri fidelem, si applicata Missa à Sacerdote, non solvat huic stipendium promissum: consequenterque authoritate legitimi Iudicis (nempe Ecclesiastici, vt advertit Fragosus de Regimine Reipublicæ Christianæ parte 1. L. 2. Disp. & §. 4. membro 9. num. 366.) posse alterutrum cogi ad standum suæ obligationi ex iustitia commutativa, quam vtrinque inducit pactum initum formaliter, vel virtualiter, explicitè, vel implicitè, fidelis enim dat stipendium, vt Sacerdos faciat pro ipso Sacrum, vel quia fecit post petitionem, & conventionem, & Sacerdos facit ex petitione, & conventione, vt fidelis det, vel quia dedit stipendium.

9 Poterat hìc nonnemo quærere, an sit peccatum grave contra iustitiam commutativam omittere vnũ Sacrum, pro quo dicendo acceptum est stipendium? Sed isti quæstioni iam satisfeci in Disputatione 19. ex num. 81. Eritque operæpretium legere Alfonsum de Leone de Officio Capellani q. 1. sect. 3. num. 28. & 32. anteàque sect. 2. num. 17.

SECTIO

SECTIO II.

Ex declarato ad Missæ stipendium titulo suborta duo dubia deciduntur. Primum quoad Sacerdotes diuites, secundum quoad pauperes.

10 IAM verò cum dixerimus, Missæ stipendium accipi titulo sustentationis, insurgit duplex dubium. Primum, an Sacerdotes, qui habent ex bonis siue patrimonialibus, siue Ecclesiasticis, vnde sustententur congruè, possint accipere stipendia pro Missis, ad quas non tenentur ratione officij, & Beneficij? Videtur enim, non posse, si quidem deficiat ille sustentationis titulus. Sed nihilominus dicendum est, posse, quia Sacerdos vti non celebrat Missam vt dives, sed vt Sacerdos, ita non nisi vt Sacerdos refert stipendium, estque per accidens, vt aliunde habeat, vnde alatur, & adhuc non debet stipendijs suis militare (vt nec dives, qui militiam secularem profitetur) viuereque de suo, & non de altari, deque eius fidelis eleemosyna, in cuius gratiam, & vtilitatem seruit, confertque suam operam. Sed fatendum est cum Aversa quæst. 11. sect. 17. V. *Admittendum tamen est*, posse in hoc incurri aliquando notam auaritiæ iuxta conditionem rei, & Sacerdotis diuitis.

11 At inquit Caietanus 2. 2. quæst. 100. art. 2. 3. & 4. [Sacerdos habens, vnde secundùm suum statum honestè viuat, si ex pacto vult stipendium sustentationis, cõvincitur, quòd mendax est, conueniendo de stipendio necessario, sine quo nõ potest commodè in Sacerdotio seruire, quoniam sine illo stipendio potest hoc commodè facere. Vnde conuincitur, quòd conuenit non de stipendio sustentationis, sed de stipendio operarum suarum.] Contra tamen, quia Sacerdos dives paciscitur de stipendio, non vt necessario ad sustentationem sui, sed vt ad eam debito, si ipse velit applicare, reservãs cætera bona, quæ possidet, vt de eis disponat pro suo placito in alios vsus.

12 Nostræ resolutioni, quæ communis iam est, & constans inter Theologos, favet S. Thomas Quodlib. 6. art. 10. loquens de decimis debitis Sacerdoti etiam diviti, ex quibus cõuenienter arguitur ad stipendia Missarum, & reddens manifestam rationem à priori, ideoque libet transcribere eã ex integro. Inquit itaque S. Doctor, *Sicut Philosophus docet in 5. Ethicorum, Medium iustitiæ accipitur non solùm quoad nos, sicut in cæteris virtutibus, sed etiam secundùm rem, quia scilicet in aliis virtutibus attenduntur diuersæ conditiones personarum, secundùm quas medium diuersificatur, sicut circa cibos, quod est multum vni, est paucum alteri, vel moderatum; sed in iustitia non variatur medium secundùm diuersas personæ conditiones, sed attenditur solùm ad quantitatem rei. Qui enim emit rem aliquam, debet tantum soluere, quantũ valet, siue à paupere, siue à diuite emat. Reddere autem debitum est actus iustitiæ, & ideo ad hoc, quòd alicui reddatur, quod ei debetur, non refert, vtrùm sit dives, vel pauper. Decimæ autem Sacerdotibus debentur in communi quidem secundùm ius naturale. Naturalis autem ratio dictat, vt illi, qui pro populo in spiritualibus laborant, à populo stipendia suæ sustentationis accipiant.* Sic ibi S. Thomas.

13 Quanquam in 4. Dist. 25. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula 1. ad 4. discordare videatur à nobis in materia stipendij Missarum, ait enim, *Facere pactionem de Missa celebranda est Simoniacum semper. Si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.* Sed S. Doctor loquitur tempore, quo de iure Ecclesiastico illicitum, & Simoniacum erat facere pactum de stipendio pro dicendis Missis, maximè à Sacerdotibus habentibus aliunde congruam sustentationem. Redibit sermo de hoc puncto in decursu Disputationis. Interim legatur Sanchez Lib. 2. Consil. C. 3. dub. 11.

14 Porrò autem ex superiori ratione decidendi colligitur, Sacerdotem posse accipere tria stipendia in die Natalis Domini pro tribus Missis, quę dicat. Est etiam alia ratio, quia scilicet ad totius integri anni sustentationem computantur non solùm singularum

larum Missarum singulis diebus celebratarum stipendia, sed etiam tria illa vno die. Ita Cardinalis de Lugo D. 21. sect. 1. num. 19. Sed inquies, iuxta C. *Sufficit* 53. de Cons. Dist. 1. *quipro pecunijs vna die præsumunt plures facere Missas, non euadunt damnationem.* Respondeo, sermonem ibi esse de die, in qua alias non licet Sacerdoti nisi vnam Missam celebrare; & adhuc non esset Simoniacum accipere pro secunda pecunias, dummodò non vt pretium spiritualis fructus Missæ, sed vt stipendium sustentationis. Sic non est Simonia accipere duplicatam pecuniæ quantitatem, aut maiorem solita pro vna Missa si accipiatur vt stipendium sustētationis, estò sit iniustitia in circumstantijs, de quibus posteà. Atque ita optimè notavit Sanchez supra, num. 6.

15 Alterum dubium est, an Sacerdos, qui aliunde non habet, vnde vivat, possit pro vna Missa tantum accipere stipendium, quantum sufficiat ad congruam sui diurnam sustentationem? Videtur enim posse, cum stipendium accipiatur titulo congruæ sustentationis. Et ita quidem est, si rātum stipendium gratis, sponteque donetur; quod non eget probatione; imò etsi Sacerdos paciscatur de tanto stipēdio, dummodò alter sciens, & volens consentiat in largitionem stipendij, quod maius sit assignato vel per Superioris legem, vel per consuetudinem, æstimationemve communem. Nam stipendium, quod, & nōmaius, debeat respondere vni Missę, non est præscriptum ex natura rei; licitaque est attentio ad integram sustentationem, vt ex conventione partium volentium, & consentientium præstetur Sacerdoti celebranti, quin hic cogatur victum aliunde quærere.

16 Difficultas igitur est, num Sacerdos iure suo possit, si pauper sit, commodam sui diurnam sustentationē sumere ex plurium Missarum depactarum stipendijs, casu quo stipendium respondens vni Missæ non sit sufficiens ad eam sustentationem? Nō loquimur de Sacerdote, qui passurus sit extremā necessitatem, nisi vna Missa satisfaciat pro plurib⁹ stipendijs iustis, tunc enim nemo negabit, licitum ei esse accipere tot stipendia, quot satis sint ad excutiendam illam necessitatem; ac tunc oportet, vt per alias orationes compēset eo modo, quo potest; vt suadet ex Lezana Tamburinus L. 3. de Missa C. 1. §. 3. num. 13. & quod de extrema dictum est, extenditur satis probabiliter ad valde gravem à Francisco de Lugo Lib. 5. C. 12. quæst. 4. num. 29. si nequeat aliter Sacerdos providere sibi de necessarijs, nam graviter indigentem posse etiam surripere aliena ab obligato subvenire ipsi de bonis omnino superfluis vitæ, & statui, sententia est multorum, probatorumque Doctorū, grataque nobis cum Gaspare Hurtado Disp 5. de Charitate Diffic. 10. & 11. si ille ferat secum onus restitutionis, casu quo ad pinguiorem fortunam deuenerit: quo gravamine præfatus Sacerdos non carebit; sed interim decētius, suaviusque medium erit, succurrere sibi per stipendia Missarum, quàm per iniectas manus occultas in facultates alienas. Loquimur itaque de Sacerdote, qui solùm constitutus est in necessitate, paupertateque communi.

17 Et respondemus negativè, quia etsi Missæ stipendium detur, & accipiatur titulo sustentationis, nō tamen debet ex eo solo peti integra sustentatio diurna, nec ad id habet ius Sacerdos, neque in id expressè, aut tacitè consentiunt conferentes stipendium, neque id vult Ecclesia, quæ attendens ad sustentationem Ecclesiasticorum decrevit, vt nullus ordinetur sine Beneficio, aut patrimonio; quòd si secus fiat, alatur ab Episcopo, qui ordinaverit, vt constat ex C. *Non liceat* 1. C. *Episcopus* 4. C. *Cum secundùm Apostolum* 16. C. *Tuis* 23. de Præbendis, & ex Concilio Tridentino Sess. 21. C. 2. de Reform: quæ item decrevit, vt si post Ordinationem pauper fiat, *paret sibi victum, & vestimentum artificiolo, vel agricultura*, vt dicitur C. *Clericus* 3. Distin. 91. nusquamque reperire est, vt totam diurnam sustentationem Sacerdotis revocarit Ecclesia ad stipēdium pro Missa quotidiana. Et quanvis concedat, Religiosos initiari Sacerdotes titulo paupertatis; sed mens eius non est, vt Religiosus Sacerdos solo stipendio Missæ quotidianæ sustentetur, ita vt si iustum vnius Missę non sufficiat, assumātur ab ipso, aut a Superiore alia ad victum, vestitum, habitationem, supellectilem,

lectilem, libros, &c. medijs namq; subsidijs reddituum, aut fructuũ, aut eleemosynarũ erogatarũ a fidelibus supponit, paranda esse, quę necessaria sint vltra iustum vniuscuiusque Missę stipendiũ. Insuper ex opposito sequeretur, vt Sacerdos etiã dives licitè posset quod pauper, non secus ac docuimus, posse licitè pro stipendio Missam dicere: & à simili sequeretur, fas etiam fore militi, venditori, & mercenario ob paupertatem communem accipere quidquam vltra iustum salarium, pretium, & mercedem. Videantur Salmeron tomo 9. in Evangelia Tract. 33. pag. 344. Dicastillus D. 4. dubio 19 copiosè, & luculenter difficultatem hanc examinantes.

18 Nobis abundè sit Decretum editum per Sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini, & confirmatum ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo, anno 1625. die 21. Iunij, in cuius §. 2. traditur, *Vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, &c. Sacra Congregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ità vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin imò grauiter peccent, & ad restitutionẽ teneantur.* Quibus in verbis sermo est *de præscriptione Missarum facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd si tribuens eleemosynam numerũ Missarum celebrandarum non præscripserit, tũc tot Missæ celebrari debent, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem suæ Ciuitatis, vel Prouinciæ*, vt declaravit postea eademmet Sacra Cõgregatio. Et quãuis *Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarũ, ac temporum*, pariter declaravit, *Sacerdotes accipientes stipendiũ minus congruum, teneri Missas illis ab offerente præscriptas celebrare.* En comprehenditur à fortiori noster casus.

19 Sed dices, vt Decretum istud nõ comprehendit casus extremę, & valde gravis necessitatis, sic neque communis. Verumtamen disparitas est perspicua, siquidem derogaret iuri naturali, si illos casus comprehenderet, secus, si hunc. Dices rursus, si salaria Notariorum legibus antiquis designata non sat sint ad honestè viuendum, possunt ipsi supra taxam accipere quãtum prudentia, & modestia requirat. Ergo similiter poterũt Sacerdotes pro quotidiana Missa tantum stipendium supra præscriptum desumere à multis, qui eam petant, vnus inscius alterius, quantum conveniens sit ad decentem sui sustentationem. Respondeo cum Diana parte 11. Tractatu 1. Resol. 24. contra Caramuelem in Theologia fundamentali, fundamento 59. §. 2. num. 1256. pag. 618. transeat Antecedens, & nego Consequentiam, nam si fas est, quod in Antecedenti, inde sanè, quia taxa antiqua non sit iam iusta, & competens; at stipendium, supra quod dicimus non licere Sacerdoti pauperi reportare maius, est iustum de præsenti, vt supponimus. Præterea commoda sustentatio Sacerdotis non reuocatur ab Ecclesia ad stipendium Missæ quotidianę, vt paulò antea notabamus; secus cõtingere in Notarijs asserent, qui annuant Antecedenti, nam eorum sustentationem ex voluntate Reipublicę, aut Principis deuolui affirmabunt in exercitium diligens sui officij

SECTIO III.

Ex Decreto Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini circa stipendium Missarum deducuntur multæ illationes.

20 IAM ex verbis exaratis præfati Decreti colligitur resolutio cõplurium casuum. Et primò illius, qui fuit olim non modicè controuersus de Sacerdote accipiente duo, v. g. stipendia, non conficientia nisi vnum iustum. Plures enim Doctores asserebant, satisfactum iri celebrando vnam Missam. Repugnabant alij, & meritò, quia Sacerdos eo ipso quod promittat duas Missas, tenetur ex fidelitate, & eo ipso quòd nec fraude, nec metu,

metu, nec necessitate extrema, aut valde gravi inductus, coactusve accepter duo stipendia, quæ sciat esse pro duabus Missis inæqualia, cedit iure suo, obligaturque ex iustitia ad duas Missas ratione duplicis salarij acceptati sponte, & non invitè; deestque fundamentum, vt præsumatur invitus contraxisse; & dum non repugnat, sed admittit nota incongrua, exiguaque stipendia contrahit expressè, vel saltem tacitè.

21 Vnde præsertim post Decretum illud Dicastillus scripsit minus advertenter in loco præcitato n. 358. [Est etiam aliud genus repugnantiæ in prædictis Authoribus. Nam Henriquez, & Rodriguez dicunt, Sacerdotem pauperem posse accipere pro vna Missa duo, aut tria stipendia, quando exigua sunt, quæ illi dantur. Si enim per exigua intelligant minora, quàm lege, aut consuetudine taxata sunt, verissimum est.] Sic ille. Sed incertissimum esse iam, imo & falsum, si Sacerdos in paupertate communi promiserit expressè duas Missas, cognita tenuitate eleemosynæ, alijque Sacerdotes de facili invenirentur, qui eodem stipendio se ad eas obligarent, debuisset dici à Dicastillo.

22 Hinc si Sacerdos pecuniam charta involutam accipiat a petente quatuor Missas v. g. & Sacerdos postea advertat, eam non attingere ac summam iusti stipendij, non tenebitur is ad totidem Missas, quia nec expressè, neque tacitè consensit minori salario; quare poterit ad ratam diminuere numerum Sacrorum, monito eo, qui postulavit, vel etiam non monito, si iustā causam silendi habeat. Ita Alfonsus de Leone q. 8. de Officio Capellani sect. 4. Aversa quæst. 11. sect. 17. V. *Et similiter* cum Fraxinello, Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 12. q. 5. num. 51. Nec plura de illatione prima, etsi possem addere multa alia siue ad eam magis comprobandam, siue ad refutandas opiniones, quæ ante Decretum Sacræ Congregationis circumferebātur; sed esset labor iam parùm vtilis. Quare contentus reddidisse cōvenientem rationem primæ illationis, pergo ad alias.

23 Secundò colligitur, fas non esse Sacerdoti, qui accepit duo stipendia pro duabus Missis, offerre vnā tantùm, quæ peragatur die festo, aut solemni, imò etsi celebretur ritu solēni, is enim casus continetur etiam tacitè in illo Decreto. Addo, Missā diei festi, aut etiam solemnis non exigere æstimatione communi duplum stipendium, neque quoad fructum ex opere operato esse æquè vtilem danti stipē, ac duæ Missæ diei feriati. Et quanvis Missa ritu solemni celebrata exigat ratione Officiaturæ maius stipendium, si Sacerdos accepit duo cum obligatione duarum Missarum, non satisfaciet vnica solemni, hic enim vrget illud Decreti, *Quantumcumque incongrua, & exigua stipendia collata fuerunt, aut conferentur.* Excipe, nisi prudenter præsumatur, non esse invitum illum, cui promisisti duas Missas privato ritu celebrandas.

24 Tertiò colligitur, Sacerdotem, applicata pro stipendio Missa, quoad partem fructus à Christo relictā Sacerdotibus, vt eam applicent, haud posse licitè pro altero stipendio eandē Missam dicere, applicādo fructum, quē ipsemet ex opere operato Sacrificij participare valeret. Nam etsi casus nō exprimatur in illo Decreto, tamen cōprehenditur tacitè in ipso, vt potè prohibente generaliter, ne ex vna Missa ferantur duo stipendia. Præterea si Sacerdos posset licitè stipendium reportare ob applicationem fructus responsuri sibi ex opere operato Sacrificij, quidni etiam possent alij concurrentes cum Sacerdote ad offerendum? Eadē enim apparet horum, & illius causa.

25 Adhæc: fructus prædictus est incertus tum in se, quippe à multis Doctoribus negetur, tum quoad applicationem erga alias personas, nam multi etiam Doctores inficiantur, applicabilem esse erga alias. Requirit item statum gratiæ ex parte Sacerdotis; dubiaque est eius quantitas: qui autem stipendium confert, non vult, nisi contrarium exprimat, exponere illud tot periculis. Et alioqui pro satisfactorio fructu ex opere operantis Sacerdotis, qui nō conscius peccati lethalis applicaret eum alteri, posset sibi reservare tertium stipendium, nam huius modi fructum esse applicabilem alteri citra dubium manet; quòd verò ille alius sit applicabilis, dubitatur valde. Alioqui etiam

etiam Sacerdos, qui se probabiliter putet iustiorem, & devotiorem alijs posse assumere plus, quàm alij, referens, stipendium ratione applicationis fructus specialissimi, ita vt cum alij reportent duas drachmas v.g. ille vindicet sibi tres.

26 Contrariam sententiam nostræ tuentur Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 2. C. 16. ex num. 7. vsq; ad 15. Leander parte 2. de Sacramentis Tract. 8 Disput. 4. q. 10. Thomas Hurtadus p. 1. Resol. Moral. Tract. 2. C 4. Resol. 17. ex num. 170. vsque ad 177. licet in priori Antidoto, §. 15 p. 5. pag. 154. dicat à se retractandam in Apodigmate, quod de se ipso parat, cum tamen pagina illa 154. scripsisset, [Hoc explico doctrina, quæ apud me est certa, videlicet, quod Sacerdos possit alteri applicare partem, quæ sibi obvenit ex opere operato; imo & quòd pro ista applicatione possit aliud stipendium assumere.] Si hæc doctrina de alio stipendio est sibi certa, cur fidem spondet de palinodia canenda? Si consultatione quadã sua motus fuit Vrbanus VIII. Papa ad Decretum de Celebratione Missarum, vt ipse provulgat num. 182. Resol. illius 17. mirum est, tradidisse in illa Res. doctrinam, quam vt adversam ei Decreto conscientia ipsa cogat revocare. Præfati tres Authores allegant alios. Quorũ omnium rationes sunt satis, superq; à me enodatæ in Disput. 15 per totam Sect. 1. à Patre Bardi in Selectis Moralibus Lib. 10. q. 12. ab Angelo Maria Verricelli In qq. Moral. T. 2. q. 29.

27 Sed post hæc scripta prodijt novissimè decisio istius controversiæ. Est autem huiusmodi, vt eam integram Lectoribus meis cõmunem faciam, acceptam ex Vrbe.

Declaratio Sacræ Congregationis Concilij SS. D. N. Alexandri Papę VII. iussu edita super II. Decreto eiusdem Congregationis de celebratione Missarum.

VM Auctores nonnulli scriptis suis, etiam Typis editis, asseruerint, Sacerdoti pro alio Missam, recepta eleemosyna, celebranti licitum esse, aliam eleemosynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus, seu valoris eiusdem Sacrificij ipsimet celebranti debitam (specialem nuncupatam) applicet: ac proinde hũc casum sub Decreto Sacræ Congregationis Concilij, prohibente duplex pro vnica Missa stipendium, seu eleemosynam recipi, non esse comprehensum:

Propterea Sacra Congregatio Eminentissimorum, ac Reuerendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, quæ, auctoritate sibi per Apostolicam Sedem specialiter attributa, sedulò curat, ne a Sacerdotibus circa celebrationem sacrosancti Missæ Sacrificij, vnde in nos vberrima diuinæ liberalitatis munera deriuantur, auaritiæ labes vlla, aut suspicio contrahatur, antedictam assertionem maturè examinauit; eademque

prorsus

prorsus reprobata, sub die 25. Ianuarij 1659. censuit,

Nulli Sacerdoti licitum esse præfata ratione, siue prætextu aliam eleemosynam accipere, præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur. Ac proinde casum hunc esse comprehensum in Decretis aliàs per eandem Sacram Congregationem Concilij editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro vnica Missa recipiatur.

Quam Sacræ Congregationis sententiam ad Sanctissimum Dominum nostrum Alexandrum Papam VII. relatam, Sanctitas sua sub die 29. eiusdem mensis approbauit; & Decretum publicari, atque ad Episcopos, & Generales Regularium Ordinum transmitti iussit; vt ipsi doctrinam huiusmodi per suos Pœnitentiarios, & Confessarios, ac Lectores respectiuè insinuari, doceri, atq; in Tractatibus Moralibus per eosdem imprimendis euulgari, pastorali vigilantia curent.

F. Card. Paulutius Præf. Gratis etiam quoad scripturam.

Loco ✠ Sigilli.

C. de Vecchijs Episcopus Clusinus S. C. C. Secr.

Anno Dñi N. Iesu Christi 1659. Indict. 12. Pontific. autem Sanctiss. in Xpo. Patris, & D. N. D. Alexandri diuina prouidentia Papæ VII. anno eius quinto, die verò 27. Octobris, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Carolum Franceschinum Sanctiss. D. N. Curs.

Ioseph Marcheratus Curs. Mag.

28 Decisio clarissima est. Sed non omittam notare, vocari à S. Congregatione fructum *specialem*, quẽ appellare *specialissimum* solent Theologi post Scotum Quodlibeto 20. existimato à multis penè divino, vt testatur Adrianus Quodlibetica q. 8. §. *Tertiò restat*, lit. *A.* pagina 166. Audiatur pro multis vnus Suarius D. 79. V. *Secundò inquiri*, [Primus huius Sacrificij fructus dicitur specialissimus, & videtur esse ille, quem diximus respondere Sacerdoti vt priuatæ personæ. Secundus dicitur specialis, & videtur esse ille, quem Sacerdos applicare debet ei, pro quo specialiter offerre tenetur. Tertius dicitur generalis, vel generalissimus, & hic est, quem omnia Ecclesiæ membra participant :: Illam verò diuisionem primus omnium videtur inuenisse Scotus Quodlib. 20. quem sequutus est Gabriel, & postea recentiores.] Sic Eximius Doctor. Fortè nũc Romæ apud Theologos præ valuit, vt nominetur fructus *specialis*, qui *specialissimus* antea dicebatur, etsi non defuerint, qui *specialem* appellarint, vt Pellizarius in Manuali Regular. tomo 1. Tractatu 5. sect. 3. numero 57. Marchinus Tractatu 3. de Ordine parte 2. Capite 13. numero 6: & cum de re, mente que Sacræ Congregationis constet, non est, cur de nomine anxiemur.

29 Rursus noto, etsi in hac Declaratione sermo sit de parte fructꝰ, seu

seu valoris Sacrificij Missæ debita celebranti, deque ea vt applicabili à Sacerdote pro alio fideli, non ideo Sacrã Congregationem approbare opiniones, quæ talem partem fructus ex opere operato Sacrificij, applicabilitatemque eius fructus à Sacerdote pro alio fideli agnoscunt, neque reprobare cõtrarias, quas ego sequor in Disput. 15. sect. 1. fauente Matcarenhas Tract. 5. Disput. 4. C. 5. num. 205. vltra innumeros alios ibi citatos. Nam Sacra Congregatio eò solùm respicit, vt declaret, non licere ex prætextu illius fructus, vt pro alio applicabilis à Sacerdote, duplicatum ferre stipendium, quidquid sit de opinionibus versantibus circa illum fructum. Præterea Sacra Cõgregatio loquitur de fructu respondente celebranti; & in mea, omniumque sententia respondet ei in statu gratiæ fructus satisfactorius ex opere operantis, & ab eo potest applicari pro alio fideli; vnde Sacra Congregatio comprehendens tam hunc fructũ, quàm eum alium specialem, seu specialissimum ex opere operato versantem sub opinionibus tam in se, quàm in applicabilitate, edidit Declarationem superiorem. Non secus ac quia fructũ nescio quem ex opere operato cõmunionis Eucharisticæ dixerunt nonnulli esse à iusto Sacerdote celebrante, vel à Laico cõmunicante applicabilem pro alio (quos ego in illa Disput. 15. sect. 1. & alibi sæpe refutavi, patrocinante Fagundez Lib. 4. in 3 præceptum Ecclesiæ Cap. 2. num. 6. & nuper sapientissimo Martino Esparza parte priori de Sacramentis quæst. 70. vltra plures recensos ibidem) si in posterum prodirent (provt vehementer timendum est) qui inde arriperent ansam novi stipendij, & Sacra Congregatio huiusmodi prætextum declararet illicitum, non idcirco authoritate sua confirmaret applicabilitatem illius fructus communionis Eucharisticæ ex opere operato pro alio.

*

SECTIO IV.

Aliæ Illationes.

30 QVARTO colligitur, Sacerdotem, qui ab vno fideli accepit stipendium, vt faceret Sacrum in honorem alicuius Sãcti, aut ob impetrãdum felicem aliquem successum, & ab alio accepit alterum stipendium, vt Missam pro defuncto diceret, minimè satisfacere vnica Missa, cuius impetrationem applicet intuitu vnius stipendij, & satisfactionem intuitu alterius. Leander supra, quæst. 11. inquit, certissimum ferè id esse post Illud Decretum, cum tamen quæst. 10. dixisset, probabile esse oppositum illationi proximæ, stante etiam illo Decreto. Ecquis cohærentiam non desideret? Ac sanè abstrahendo ab illo Decreto, potior elucebat ratio, vt satisfieret per vnam Missam in isto casu, quàm in alio, quandoquidem certiores sint fructus impetrationis, & satisfactionis, quàm fructus celebranti respõsurus ex opere operato. Cæterùm animus, & mens conferentium stipendiũ ea est, vt quidquid fructus ex Missa intuitu stipendij & sub obligatione iustitiæ applicari potest, derivetur in ipsos, vel in eos, pro quibus petunt Missam celebrari. Est, inquam, ea mens, nisi verbis contrarium exprimatur, aut ex non levibus indicijs conijciatur.

31 Quintò colligitur, illicitum esse vindicare sibi pro vna Missa duplex stipendium, alterum pro obligatione applicandi fructum fideli viuo, alterum pro obligatione applicandi Indulgentiam (cuius privilegium habeat Sacerdos) fideli mortuo: & similiter illicitum esse celebranti in altari privilegiato, aut habenti privilegium, vt vbicumque Sacrum faciat, possit applicare Indulgentiam ad extrahẽdam è Purgatorio animam, arrogare sibi duplex stipendium pro vna Missa celebrata in altari privilegiato, aut cũ applicatione Indulgẽtiæ. Quod intelligendum est, quando qui confert stipendium, non convenit de applicatione Indulgentiæ, de maioriq; eleemosyna, neq; consentit expressè, aut prudenter non præsumitur consentire.

Illationis huius eadem est probatio, quæ superiorum; accedit que, alienũ esse à Summorum Pontificum mente, vt ex Indulgentijs, quas pro defunctis elargiuntur, temporale lucrum quæratur, augeaturque Missarum stipendium ex ipsorum Sacerdotum voluntate, atque arbitrio.

32 Occasione prædicti Decreti quæsitum fuit postea à Sacra Cõgregatione, *An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnico Missæ Sacrificio vtrique oneri satisfacere?* Respondet autem Congregatio *Ad 4. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas etiam pro alijs Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.* Ita tunc, & eisdem ferè verbis anno 1629. Loquiturque Congregatio de ea Missa, quam ex iustitia teneatur Sacerdos ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij applicare specialiter, seu speciali intentione pro suis Parochianis, aut pro Fundatorib⁹ Capellę, aut pro ijs, qui legatum, vel salarium designarunt, mandaruntve. Videantur quæ scripsi Disput. 19. sect. 2. ex num. 16. vsque ad 23. sect. 3. ex num. 75. vsque ad 77.

33 Si Sacerdos secus fecerit; & acceptis duobus stipendijs, non dixerit nisi vnam Missam, applicando illam pro duobus, qui contulerunt stipẽdia, tenetur ad restitutionem ob violatam iustitiam cum damno aliorum, vt declaratur in Decreti §. 2. Restitutio autem fiet, vel dicendo novam Missã, applicandoque eam pro duobus, vel reddendo singulis dimidiam partem stipendij, quod à singulis accepit, monendoque de Missa non integrè, sed dimidiatè à se applicata; primusque modus commodior est, & facilior, præsertim quando permanet finis, ob quem applicanda erat Missa; nam cum res integra sit, potest servari pactum initum. Quanquam verò Sacerdos bona fide, aut ex probabili apud se opinione processerit tunc, cum secus fecit, tenetur postea cognita veritate restituere vno ex modis præfatis, non quidem ratione iniustæ acceptionis, sed rei acceptæ; tenetur, inquam, nisi per impotentiam exculetur.

SECTIO V.

De distributione stipendij.

34 SACRA Congregatio in eodẽ Decreto, *volens omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere, prohibet* in §. 4. *Sacerdoti, qui Missam susceptt celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.* Quibus verbis satis significatur (dissentiente Tamburino Lib. 3. Cap. 1. §. 5. num. 6. post Bordonũ) gravitas materię, & voluntas Legislatoris graviter prohibentis ex motivo proposito, & ex defectu tituli ad retinendam residuam pecuniam, vt iam olim dixit Viguerius in Institutionibus C. 16. §. 3. V. 16. in fine, & cum eo Salmeron Tract. 33. in Evangelia pag. 343. tomi 9. licet aliquando retentio partis stipendij queat esse solum modo peccatum veniale ob modicissimam partem retentam, vel ob leviss imam speciem, quam præseferat, damnabilis lucri, turpisque negotiationis.

35 Declaravit autem postea Congregatio §. *Ad 8.* non esse intelligendum suum Decretum de Beneficiario in ordine ad redditualia stipendia, nam nisi aliter cautum sit in Beneficij fundatione, poterit Beneficiarius, dato alijs iusto stipendio, reservatoq; sibi excessu, committere Missas celebrandas. Eademque est de Capellano, (cui fas sit per alium celebrare) ratio, etsi Congregatio non habuerit de eo sermonem, sed tantũ de Beneficij Rectore, qui potest per alium celebrare. Et ratio exceptionis est, quia retentio excessus honestatur ex titulo Beneficij, aut Capellaniæ, abestque species turpis lucri, damnabilisque negotiationis quærendi multitudinem Missarum, ex quibus quæstus fiat a commẽdantibus eas alijs, tradito minori stipẽdio, quàm quod ipsi procuraverint, & acceperint. Huicque turpi lucro exterminando, aut in posterum pręcavẽdo intendit Congregatio.

Decla-

36 Declaravit item §. *Ad 7.* Congregatio, non comprehendi suo Decreto Administratores Ecclesiarum, nam si hę non habeant alios redditus ad expensas necessariò subeundas in celebratione Missæ, poterunt illi, curando, ne diminuatur numerus Missarum, detrahere aliquid ex stipendio ad prædictas expensas. Quam facultatem extendam censeo (favente praxi in Hispania) ad Collectorem, & Distributorem Missarum ab Ordinario assignatũ, est namque illius opera necessaria ad breviorem Missarum expeditionem, estque æstimabilis pretio, quanquam valde exiguo tum ob parvam solicitudinem, quam requirit, tum ob Missarum distribuendarum multitudinem, ex quarum singularum stipendijs si aliquid sibi retervent, summa magna ipsis respondet, vel quę sufficiat in sui laboris compensationem. Debet tamen cũrari, vt salvus maneat numerus Missarum, quæ ab offerentibus eleemosynas exiguntur, vt in simili casu de Administratoribus Ecclesiarum animadvertit Congregatio.

37 Scio, in aliquibus Diœcesibus pro defunctorum Missa deputari æreum Regalem & dimidium, ex quo certa pars retinetur à Collectore, & Sacrista, certa alia à Parocho, vel Vicario ob ius Parochiale, aut ob Responsa quædam, quæ recitant pro Defunctis, vnde vnus tantùm Regalis residuus est, qui conferatur Missam celebraturo. Et is tenebitur numerum Missarum non diminuere, si pro vnaquaque acceptet vnum Regalẽ, etiamsi vt datus immediatè à fideli Missam petente non sit stipendium congruum in eis Diœcesibus. Videtur tamen esse vt distributus per Collectorem, quando quidem detractio dimidij Regalis fiat scientibus, & consentientibus Episcopis. Ast si non reperiantur Sacerdotes, qui admittant exiguum illud, liceat ne minorare summam Missarum, vel potiùs perdenda sit merces laboris impẽsi à Collectore, & detrahenda emolumẽta Sacristæ, Parochi, aut Vicarij? iudicent alij. Ego suaderem, vt nihil defalcaretur de Regali, & dimidio, ne Sacerdotibus mercenarijs assumentibus onera Missarum detur ocasio imminuendi numerum cum damno animarum suarum. Poteruntque Episcopi alia via gratificari Collectoribus, habentque Parochi, aut Vicarij subsidia alia Ecclesiastica ad suam sustentationem, & Sacristę suum salarium. Si verò status tẽporis non ferat, vt de eleemosynæ integritate quidpiam constituatur, prudentia, & consilio suo rem dignam gerent Episcopi decernendo augmentum stipendij vsque ad duas drachmas pro Missis testamento relictis, & ad Parochiales Ecclesias pertinentibus, sic enim etsi quid adimatur in Collectoris, & cæterorum vtilitatem, manebit nihilominus quantitas, ob quam soleant se obligare ad Missas Presbyteri stipẽdiarij.

38 Quæres obiter, an Sacerdos, qui vt celebret ex legato annuo, vel ex eleemosynis manualibus, cogitur emere sacras vestes, candelas, &c. possit licitè augere stipendia Missarũ, vel ipsarum numerũ diminuere? Marchinus Tract. 3 de Ordine p. 2. C. 16. num. 20. & Leander D. 4. q. 13. respondent, posse, quia aliàs esset peioris conditionis illis Sacerdotibꝰ, qui nihil insumunt, nisi laborem celebrandi, & quia, detractis detrahendis, minima merces præfato Sacerdoti relinqueretur. Sed mihi videtur respondendum cum Tamburino L. 3. C. 1. § 5 num. 9. talem Sacerdotem posse pacisci de maiori stipendio; at si non paciscatur, sed cum stipendio communi suscipiat obligationem viginti v.g. Missarum, non posse licitè ad minorem numerum reducere, etsi enim stipendium sit incongruum, attentis expensis in luminibus, vino, hostia, &c. obstat Decretum Sacræ Congregationis, quominus pauciores Missas dicat, nisi prudenter præsumatur, eum, qui, traditis quadraginta Regalibus, imposuit onus viginti Missarum, non exacturum tot Missas, si prænovisset sumptus, quos facturus esset Sacerdos in emendis necessarijs.

39 Tamburinus suprà, §. 3. à num. 100. obligat Capellanum ad cõquirenda altari necessaria, si redditus Capellaniæ sufficiant ad Missas designatas, & ad sumptꝰ dictos, pertinent enim ad ipsum omnia Capellaniæ onera; estque æquum, vt sentiat incommoda, sicut sentit commoda. Iudicat autem is Author, redditus esse sufficientes ad Missas, si pro harum singulis

respondeat stipendium taxatum ab Ordinario, vel quod est iustum medium, aut fortè supremum in æstimatione communi respectu Capellanorũ. Vtinam ipsi amplectantur istam doctrinam!

40 Decreti verba transcripta initio Sectionis non exprimunt prohibitionẽ, ne, quando Sacerdos manuale recipit stipendium superius iusto, & taxato, retineat sibi partem, tradito iusto, & taxato alijs, quibus Missas dicendas commendet. Quare possent intelligi prohibere tantùm, ne de iusta stipe quidpiam detrahatur ijs, quibus Missæ dicendæ committuntur, si illas nolit, aut nõ valeat celebrare, qui prio eleemosynam admisit. Et meritò quidem id prohiberetur ob iniuriam irrogãdam alijs, non transmisso ad ipsos iusto stipendio. At non id tantùm vetatur, sed etiam prius illud, licet tacitè in verbis exaratis, & omnino clarè in responsione *Ad* 9. circa Decretum anteà vulgatum.

41 Quæ prohibitio (vt taceam dici à Marchino supra, C. 32. n. 8. se audivisse non esse acceptatam in multis Italiæ locis, neque in ipsa alma Vrbe à multis Collegiatis Ecclesijs) videtur primo adspectu non esse rationabilis. Nam Sacerdos, cui, vt ipse celebret, datum est stipendium maius iusto, & qui stipendij factus est proinde dominus, nulli infert iniuriam, tradẽs iustum stipendium alteri Sacerdoti, cui committit Missarum celebrationem, & retinens sibi residuum. Si cui enim inferret iniuriam, maximè vel ei, qui contulit maius stipendium, petijtque Missas, vel ei alteri Sacerdoti, cui totum stipendium non distribuitur. Non priori, quia hic liberaliter donat excessum, & quia non patitur vllum detrimentum, etsi enim stipendij maiori quantitati fructus *Sacrificij* per se ex opere operantis respondeat; at fructus pensatur ex quantitate primitùs concessa, & ex affectu tunc habito ad Sacrificium; quare nullo fructu frustratur fidelis, si Sacerdos posteà non tradat alteri totum stipendium. Non posteriori, quia huic non negatur aliquid, quod ad ipsum pertineat ex voluntate fidelis donantis stipendium, & quia quod ipsi distribuitur stipendium, iustũ absolutè est, & congruum.

42 Inquies, voluntatem fidelis concedentis stipendium esse, vt totum illud cedat in comm odum celebrantis, & in eius sustentationem, vult enim ipsi singulariter gratificari, excitareque illius animum cumulatiori stipendio, vt magis recorderur, & vt libentiùs, atque alacriùs se gerat. Sed contra, quia nisi eam voluntatem exprimat, optimè intelligitur concedi stipendium, vt Sacerdos per se, vel per alium celebret, & vt ex illo sustentetur celebrans per se, vel per alium; quicquid sit, an totum stipendium, vel sola quædam pars, sed quę iustam quãtitatem pertingat, reddatur Sacerdoti substituto; imò quicquid sit, an Sacerdos substitutus velit gratis absque vllo stipendio obligationem alterius Sacerdotis implere.

43 Inquies rursus, non apparere ęquum aliquem titulum reservãdi residuum iusti stipendij, supponitur enim, nullũ adesse titulum industriæ. Sed contra, quia æquus titulus est donatio liberalis residuæ partis vltra iustum stipendium facta à fideli petente Missas. Neque inconveniens est, vt ex donatione liberali ditescat Sacerdos, etiamsi per se ipsum nunquam celebret. Et confirmatur exemplis Rectoris Beneficij, & Capellani potentium celebrare Missas per alios, nam ex titulo donationis liberalis factæ à fidelibus, & à fundatore Capellaniæ valent retinere maiorem quantitatem stipendij, tribuendo congruam conductitio Sacerdoti celebranti vice ipsorum.

44 Neque est eadem ratio de illo, cui Missarum eleemosynę traduntur absque dominio, vt curet Missas celebrari per alios, is enim reseruans excessum iusti stipendij, etsi quãtitatem congruam distribueret, irrogaret iniuriam tam concedentibus, quàm Sacerdotibus celebraturis Missas, quia retineret excessum contra voluntatem dominorum intendentium, vt ab eo solùm dispensentur eleemosynę, & quia denegaret Sacerdotibus totam, quæ ad illos pertinet, summam ex voluntate dominorum eorundem.

45 Nihilominus valde rationabilis est prohibitio præfata ex motiuo assignato in Decreto, scilicet ob speciem turpis lucri, cuius de causa dixit

dixit P Suarez Disp 86. sect 3. in fine, [hæc veluti commutatio habet speciem turpis lucri, & ideo consulendo non est, sed potiùs corrigenda, quo adfieri possit; quòd si non possit, erit toleranda.] Ad quæ Eximij Doctoris verba respexisse Sacram Congregationem, credibile valde est. Porrò turpe illud lucrum multo esset detestabilius, si quis dedita opera quæreret pinguiores Missarum eleemosynas, vt stipendij retento excessu committeret alijs Sacerdotibus Missas, quarum obligationem ipse in se suscepisset. Hæc namq; esset negotiatio nimiùm sordida, & prorsus indigna Sacerdote, nam *Domini Sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari*, vt dicitur C. *Virum Catholicum* 6. Dist. 47. & vt in Concilio Cabilonensi sub Carolo Magno C. 6. *Animarum salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet*: atque vt in Concilio Aurelianensi II. C. 3. *Sacerdotem nefas est, aliqua cupiditatis venalitate corrumpi.*

46 Vnde censeo, tam eum, qui ex quasi officio, & de industria, quam qui casu semel, aut bis retineret excessum, fore obnoxium restitutioni vi Decreti illius: quodiustissimè potuit gravamen hoc imponere in pœnã damnabilis lucri, etsi præcisè spectato iure naturæ non facilè appareat caput, vnde oriatur restitutionis obligatio, nec facilè respondeatur inductioni allatæ superiùs. Sic ex iure Ecclesiastico antiquo pretium receptum pro præsentatione, collatione, confirmatione Beneficiorum subiectum est restitutioni ante iudicis sententiam, quãuis iure naturæ non deberet restitui.

47 Sed inquires primò, num possit Sacerdos retinere sibi excessum stipendij iuxti, si alter Sacerdos, cui Missas committat, condonet illum omnino sponte, & liberè, non autem ex metu, ne, si non condonet, non cõmittantur ipsi Missæ illæ, vel aliæ in posterum, quo fiat, vt egestatem patiatur? Respondeo, posse, quia Decreto illo non prohibetur exercitium liberalitatis, & spontanea condonatio ex parte eius, qui suscipit obligationem dicendi Missas, quas alius Sacerdos debuisset dicere; sicut neq; prohibetur, quod plus est, scilicet ne ego absque vllo stipendio, sed totum illud tibi remittens celebrem ex amicitia Missas, ad quas peragendas tu tenebaris ob acceptum stipendium.

48 Inquires secundò, an si amicus aliquis nõ præcisè intuitu suffragij Missę, sed etiam persona cet ingens stipendium Sacerdoti, possit hic commendare Missam alteri, cui tradat iustam stipendij quantitatem, reservãs sibi residuam? Respondeo, posse, si manifestò constet, aut satis probabiliter præsumatur de donatione liberali excessus intuitu personæ, & titulo amicitiæ. Pellizarius in Manuali Regular. tom. 1. Tract. 6. Cap. 3. num. 22. satis prudenter apponit aliam conditionem, scilicet auctus stipendium non sit datum sanctiori, & devotiori Sacerdoti, vt ipso celebrante maior proveniat fructus ex opere operantis in eum, qui eleemosynam fuit elargitus.

49 Inquires tertiò, vtrùm si tibi detur dominium pecuniæ stipendiariæ cum obligatione quærendi Sacerdotes, qui tot Missas dicant, & quibus solvas stipendium, possis aliquam huius partem retinere ob periculum, cui te exposuisti, vt in quocumque eventu totidem Missę dicantur, etiam si opus fuerit, plus stipendij dare, quam acceperis, aut etiam si tota pecuniarũ summa amittatur absque tua culpa, & tu adhuc maneas obligatus ad Missas? Respondeo, non posse vi Decreti illius, nisi deducatur expressè in pactum cum eo, qui tibi dat dominium stipendiariæ pecuniæ. Et tale pactum vix excusandum erit ab specie turpis lucri. Poterit tamen nonnunquã contingere, vt valde commodum sit donanti pecunias ad Missas, vt si de proximo timeatur, valorem monetæ pragmatica sanctione minuendum. Res est, in qua cautissimè procedi debet.

50 Inquires quartò, an si sis testamenti executor, cureisque per industriam extraordinariam, vt Missæ à testatore relictæ dicantur in alia Diœcesi stipendio minori, quàm dicerentur in ea, in qua testator obijt, possis tibi retinere residuam partẽ stipendij? Respondeo, non posse vi Decreti prædicti, rationisque, quam exhibet. Et licèt procurare possis, vt in alia Diœcesi Missæ dicantur, si aliud testator non disposuerit, ex hac industria vltrò à te

exhibita non licet reportare fructum, est enim officium, quod si suscipiatur, debet præstari gratis. Quare teneris tantum stipendij distribuere pro Missis, etsi plures dicendę sint in alia Diœcesi, quantum testator designavit. Ita Antoninus Diana parte 10. Tract. 16. Resolutione 68. contra Pellizarium in Manuali Regularium tomo 1. Tract. 6. C. 3. num. 23. & contra Thomam Tamburinum Lib. 3. Cap. 1. §. 5. numero 16.

51 Inquires quintò, an si testamentarius reperit Sacerdotem, qui cum sciat, testatorem reliquisse pro singulis Missis duas drachmas, velit vltro suscipere onus Missarum sub stipendio vnius tantùm, possit tutò in conscientia testamentarius retinere sibi alteram drachmam? Respondeo, non posse. Ita Franciscus de Lugo Libro 5. Cap. 12. q. 5. num. 30. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Lib. 3. C. & num. 10. Aversa q. 11. sect. 17. V. *Tenentur etiam*, quia defunctus percipiet maiorem fructum operis operātis ex quantitate simul eleemosynæ, seu ex toto stipendio tributo celebrātibus. Hæc tamen ratio ineffica est, nam ille fructus proportionatur cum integra quantitate, quam ab initio deputavit testator. Petenda igitur ratio est ex Decreto illo Sacræ Congregationis. Et quanquam reperiatur vnus, aut alter Sacerdos, qui minori stipendio sit contentus, aut qui se contentum ostendat, vt testamentarius Missas ei præ alijs committat; at cæteri omnes libentissimè amplexabuntur totum stipendium.

52 Inquires sextò, an præfatus executor possit licitè consentire, vt Missa, pro qua dat stipendium ex dispositione testatoris, offeratur simul pro alio, qui dederit etiam stipendiū, eo quòd tam executor ille, quàm alter putent nō reportari minorem fructum ex Missa à duobus, pro quibus applicatur, quàm si pro vno solo illorum offerretur? Respondeo, neutiquàm posse, quia eius nō est disponere de pecunia stipendiaria ex ea opinione. Potuisset quidem testator, non secus ac pro vna Missa, designare stipendium superans longè stipendia duarum. Licebitque Sacerdoti accipere vnum, & alterum stipendium integrum pro Missa vnica à duobus, qui expressè consentiant, atque adeò non sint inviti etiam tacitè; vti communiter esse qui dant stipendium, supponit Sacra Congregatio, & merito; proindeque non loquitur, neque prohibet in casu extraordinario consensus expressè præstitus ab offerentibus duplicatam stipem pro vna Missa.

SECTIO VI.

De tempore, intra quod celebrare debet, qui stipendium recepit.

53 PROHIBET quidem Sacra Congregatio in illo Decreto §. 8. ne accipiantur eleemosynæ manuales, & quotidianæ pro Missis, nisi oneribus ante susceptis satisfecerint, vel (vt in Declarationibus eiusdem Decreti *Ad* 11. *&* 12. explicatum fuit) nisi intra modicum tempus possint omnibus satisfacere; vel qui dat eleemosynam, sciat, & consentiat, vt differatur celebratio toto illo tempore, donec alijs satisfiat. Quæ prohibitio eò dirigitur, ne diu differatur celebratio Missarum, quarum obligatio imposita est ex iustitia sub stipendio tradito, vel promisso: & vt mora in debitis temporalib⁹ persolvendis peccatum est, & grave, præsertim si ex ea sequatur damnum notabile creditoris, ita in hoc negotio, quod maioris momenti est. Non sufficit autem modicū tempus, vt debitor Missarum arguatur esse in mora.

54 Sed quodnam sit modicum tempus? Exiliimo cum Petro Navarra Lib 2. de Restitutione C. 2. n. 368. pag. 171. relinquendum esse arbitrio boni viri, & conscientiæ, commoditatique honestæ Sacerdotis, attendendumque esse fini, ob quem petuntur Missæ, alijsque circumstantijs. Nam si postuletur Missa ad impetrandam salutem extremè ægrotantis, aut felicem eventum vrgentis alicuius negotij, differatque Missam per duos, aut tres dies, non satisfacis intentioni petentis eam, dantisque stipendium, contingitque, vt infirmus iam sit mortuus,

aut

aut independenter ab impetratione Missæ evaserit mortis discrimen; & si militer vt negotium malè successerit, aut si benè, sed absque Missæ impetratione. Præterea quando pro defuncto postulatur vna tantùm Missa, quia ad plurium stipendium deest facultas, & tu procrastinas celebrationem ad quatuor, vel quinque dies, defraudas proculdubio intentionem petentis Missam, desiderantisque quantocyùs subveniri animæ, si in Purgatorio patiatur, quæ diutiùs ibi manebit, vt potè destituta aliis suffragijs. Et in his casibus, cæterisque id genus peccabis graviter aut leviter, provt magna, aut exigua fuerit dilatio sine legitima causa, & provt fuerit finis intentus in Missis peritis, harumque numerus, teneberisque ad restitutionem stipendij, nisi aliud constet, aut probabiliter præsumatur de voluntate largientis stipẽdium.

55 Aliqui dicunt, posse simul suscipi quinquaginta, vel sexaginta Missas celebrandas, & non plures, eo quòd totidem dies modicum tempus; quando pro Missis, quæ celebrandæ suscipiuntur, non est conventum de diebus determinatis. Sed quid si simul habeas obligationem sacrificandi pro alijs tertio quoque die ratione Capellaniæ? Quid, si postulans ducentas Missas, præbensque anticipatò stipendiũ; velit solummodò, vt spatio vnius anni satisfacias, & tu possis commodè? In priori casu quinquaginta Missæ sunt nimis multæ; secus in posteriori ducentæ. Alij dicunt, posse per se differri medio anno, sicut artificibus laborantibus in re aliqua magni momenti solet ad illud tempus anticipari pars pecuniæ. Cæterùm & non rarò solet ad vnũ, pluresque annos præsolvi. Quare hinc non potest firmum indicium desumi. Alij ampliant ad tres annos, quia hoc spatio terminãtur vt plurimùm officia Regularium. Quæ consideratio Peyrini in notatione *Ad §.* 10. Declarationũ Sacræ Congregationis, pagin. (mihi) 289. impertinens est, nam in eo § non est sermo de modico tempore respectivè ad Regulares præ alijs, sed communiter, & generaliter ad omnes. Quare concludo, vix præfigi valere certam, & statam regulam, determinatumque Missarum numerum, & non benè accommodari huc designationes modici temporis in alijs materijs, siquidem quod pro vna est modicum, pro altera est immodicum, & ideo in hac de Missis recurri debet ad iudicium, arbitriũque prudentis, bonique viri, qui attendat ad circumstantias, de quibus suprà.

SECTIO VII.

Quodnam sit iustum Stipendium Missæ?

56 NOTO primò, cum stipendiũ Missæ detur titulo sustentationis, consonat rationi, si medium æqualitatis in hac re libretur respectivè ad sustentationem Sacerdotis, licet non ad totam eam perpendi debeat iuxta dicta superiùs. Vtcunque ex natura rei definiri nequit, quantum stipendium & non plus, nec minus respondeat vni Missæ, attenta lance iustitiæ. Inquies, definiri posse, considerato labore, & tempore insumpto a Sacerdote in celebratione Missæ. Contrà, nam stipendium non conceditur pro labore intrinseco, consumpto que per se cum Sacrificio, neque item pro tempore ad illud per se necessario, alioqui concederetur, & acciperetur pro ipsomet Sacrificio, quà est actio sacra, & spiritualis, tum quia *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inuenditum derelinquit*, vt habetur Can. 7. *Si quis obiecerit* 1. q. 3. Tum etiam, quia labor intrinsecus, & tempus per se necessarium ad Missã non habent aliam æstimationem quàm ipsamet Missa; si ergo illa æstimabilia sint pretio temporali, erit & hæc. Quæ sequela absonantissima est. Tum præterea, quia si vendere Beneficium Ecclesiasticum laborat Simoniæ vitio ob annexionem, quam illud habet cum Officio divino, & si hoc nõ habeat mutuam cum illo, erit à fortiori Simoniacum vendere laborem, & tempus prædictum, siquidem cum Missa gaudeant mutua connexione. Contra rursus, nã stipendium non debet commensurari illi soli labori, & tempori, quo Missa dicitur, hæc enim, seu officium Sacerdotis impedit eum per magnam diei

partem

partem ab alijs multis operibus, quibus posset faciliùs sibi victum quærere, vt observat appositè Cardinalis de Lugo D. 21. sect. 2. num. 25.

57 Restat igitur, vt iustum stipendium deputetur, ac taxetur lege Summi Pontificis, vel Episcopi intra, aut extra Synodum, vel æstimatione communi; & non singulari huius, aut illius personæ, provt de iusto pretio rerum temporalium venalium solet animadverti. Communis æstimatio cognoscetur exinde, quòd ordinariè obligatio celebrãdi suscipiatur in Oppido, Ciuitate, Diœcesi sub tanta, vel tanta stipe, etiamsi alibi sub maiori, vel sub minori. Hinc vnus Regalis est iustum stipendium in illo loco, & duo, aut vnus, ac dimidius in illo. Potestque nunc tanta, vel tanta quantitas esse iustum stipendium in hoc loco, & postea ibidem non nisi maior, vel minor.

58 Sicut verò iustum pretium rerum temporalium venalium non cõsistit in indiuisibili, sed admittit latitudinem aliquam, atq; adeò assignabile est pretium supremum, medium, & infimum, ita in stipendio iusto Missæ potest considerari latitudo aliqua. Sicut item rerum temporalium venalium iustum pretium decrescit ob copiam vendentium, & raritatem ementium, crescit autem è contra ob raritatem vendentium, & copiam ementium, ita pariter euenire potest in Missæ iusto stipendio. Quæ sunt obseruatu digna, præsertim quando sola æstimatione communi istud pensatur. Si enim magna sit multitudo Sacerdotum, qui de eleemosynis Missarum victum quærant, & quę distribuantur eleemosynę, sint paucæ, tunc iustum stipendium nõ debebit tantum esse, quantum, si vice versa Sacerdotes rari forent, & eleemosynæ copiosæ.

59 Rursus noto, legem taxantem stipendij iusti, etsi obliget, ne Sacerdos, etiam Regularis, exigat maius vt debitum, & ne fidelis tribuat minus vt non vltrà debitum, nihilominus non obligare, ne Sacerdos, si sponte, atque vltroneè velit, condonet partem debiti stipendij iusti, & ne fidelis, si item gratis velit, donet vltrà debitum. Lex namque illa eò spectat, vt præcludat ex Concilij Tridentini admonitione Sess. 22. in Decreto de Obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ aditũ iniquis exactionibus, & retributionibus, non verò, vt in pecuniæ exercitium liberalitatis ex parte siue Sacerdotum, siue fidelium. Sanchez in fine cit. Cor. duba, & Aragone excipit casum, [in quo Clerici a Laicis cogerentur variis modis palliatis remittere partẽ eleemosynæ destinatæ; vel si oriri soleant fraudes, lites, & tyrannides, tunc etiam posset Episcopus statuere, vt Clerici nihil remitterent stipendij.]

60 Ex his venit intelligendus S. Thomas 2. 2. q. 100 artic. 3. ad 3. cum scripsit, *Illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicuius, nisi solueret certam pecuniæ quantitatem, quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autẽ licita esset ordinatio, quòd omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur, quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet speciem exactionis; secunda autem habet speciem gratuitæ recompensationis.* Sic Angelicus Doctor; iuxta cuius mentẽ ait Sanchez in Consilijs L. 2. C. 3 dub. 13. num. 2. primam ordinationem fore illicitam, sed non Simoniacam, non enim respiceret pecuniam illam vt pretium funeris, sed vt in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ. Et iuxta eandem S. Thomæ doctrinam intelligenda sunt statuta quarundam Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum exeundi ad pompam funebrem, si tanta, & non minor, pecuniarum summa detur, quia id expedit ad ipsarum Ecclesiarum decentiam, & authoritatem, necnon ad tot Ministrorum sustentationem. Quæ quidem statuta non debent obesse, quominus Capitulum tedere possit iure suo, & sine tanto stipẽdio, imò & sine vllo exire ad pompam funebrem.

61 Reuocandum hic est in memoriam, si Sacerdos semel acceptarit stipendium minus iusto respondente duabus v.g. Missis penes æstimationem cõmunem, vel penes taxam præscriptam à lege, teneri tunc dicere duas Missas promissas, applicareque totum earum fructum illi, à quo voluntariè recepit inæquale stipẽdium. Ita supra, conducetque legere Dianam parte 10. Tractatu 16. Resol. 71. Reuocandum etiam

etiam est in memoriam, ineſſe obligationem teſtamentario, hæredi, aut legatario tribuendi tantum ſtipendium illis, per quos dicī Miſſas curat, quantum deſignavit teſtator, etiamſi illud excedat æſtimationem communem, aut taxam. Ita etiam ſupra.

62 Sed rogabis, an ſi quis inteſtatus decedat, & bonorum ipſius quinta pars in Eccleſiā recidat ad ſuffragia animæ, poſsit Parochus ſingulis Miſsis dicendis pro defuncto deſignare octo Regales, vbi duo ſunt iuſtum ſtipendium iuxta communem æſtimationem, vel iuxta legem? Methymnæ Campi conſultus de hoc caſu reſpondi negativè ex Sacræ Congregationis Declarationibus §. *Ad* 2. *& Ad* 5. nam *Ad* 2. dicitur, *ſi tribuens eleemoſynam, numerum Miſſarū celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſæ celebrari debent, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.* Rurſus *Ad* 5. *Vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundū morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.* Sic vtrobique. Et rationem reddidi, quia id perinde eſſet, ac ſi ab hærede habente obligationem dandi ſtipendium ad viginti Miſſas, quin legator præſcripſerit ſtipendij quantitatem, exigeret Parochus Regales octo pro vnaquaque Miſſa; quæ exactio foret procul dubiò iniuſta; eatenuſque deſervit æſtimatio communis, vel lex taxans ſtipendij iuſti, quatenus ratione vnius, vel alterius illicitum ſit exigere, extorquereve vltra illud, vixque citra ſcandalum fieri poteſt, vt de quātitate ſtipendij, adeòq; magna, cōtendatur, vt ait Sāch. In Conſil. L. 2. C. 3. dub. 11. n. 10. Et in caſu, de quo conſultus fui, non magis liceret deſignare octo Regales, quā mille pro ſingulis Miſsis, ſi arbitrio Parochi relinquenda eſſet deſignatio, & non æſtimationi communi, vel legi. Præterea defunctus fraudaretur fructu complurium Miſſarum, quæ poſſent pro ipſo dici, habito reſpectu ad quintam ſuorum bonorum partem, & ad ſtipendium ſingulis reſponſurum, ſi Parochus diſtribueret duos Regales pro ſingulis; quæ præſumitur pluſquam probabiliter eſſe volūtas defuncti. Nihil ominus neſcio quo conſilio, factum aliter eſſe, audivi.

63 Tertiò noto, ſtipendium reſponſurum Miſsis dicendis ex obligatione Beneficij, aut Capellaniæ poſſe eſſe maius, quàm ſolitum manuale, & oportere, vt maius ſit, tum quia ea obligatio, cum ſit perpetua, digna eſt ampliori ſtipendio, tum quia ſic Beneficiarius, aut Capellanus magis allicietur ad exequendam ſuam obligationē, tum quia non rarò impeditur ab obtinendo alio Beneficio, aut Capellania incompatibili, vnde haberet ampliores redditus, & ſæpe ab eleemoſynis manualibus valde pinguibus, impeditur etiam ab alijs functionibus, induſtrijs, & medijs, quibus poſſet ſibi ſuſtentationem comparare.

64 Hinc Sacra Congregatio attentiſsimè decrevit, non teneri Beneficiariū ad tradendum totum ſtipendium illis, quibus interdum committit Miſſas, quas ipſe poteſt per alium celebrare. Eadem que eſt de Capellano ratio, ſi per ſe non ſit obligatus, vt ſupra dicebam. Sed ſi teneatur per ſe determinatè celebrare, videantur quę dixi num. 63. Diſp. 19. Quanquam fatear, Theologos modernos communiter deobligare Capellanum in vniverſum à traditione totius ſtipendij. Ita cum alijs Cardinalis de Lugo Diſp. 21. de Euchariſtia ſect. 2. num. 30. Franciſcus de Lugo L. 5. C. 12. q. 7. num. 73. Tamburinus L. 3. C. 1. §. 5. num. 10. Granadus Controv. 6. de Euch. T. 14. D. & num. 10. Averſa q. 11. ſect. 17. V. *Sextò*, Diana p. 2. Tract. 14. Reſ. 11. Quartus in Appendice de Sacrif. Miſſæ q. 4. punct. 1. Diff. 3. V. *Tertiò*, Maſcarenhas Tract. 5. D. 2. C. 8. num. 116. Machadus tom. 2. L. 4. p. 1. Tract. 12. Docum. 10. num. 1. Pellizarius in Manuali Regular. tomo 1. Tract. 6. C. 3. num. 25. Arriaga D. 56. ſect. 2. Subſ. 3. num. 24. Mendus Diſq. 9. de Ordinibus Militaribus q. 5. num. 43, etſi magis videatur ſignificare, vt & Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 10. dubio 5. num. 2. id, quod diximus in illo num. 63. Confirmamus autem denuò illud, quia à Rectore Beneficij petitur argumentum ad Capellanum à modernis Theologis; at Sacra Congregatio in Declarationibus §. *Ad* 8. loquitur de Beneficij Rectore, qui poteſt, ſeu cui licet, celebrare Miſſam per-

per alium. Ergo sub eisdem terminis, & non sub alijs facienda est ampliatio ad Capellanum. Vnde in casu legitimę excusationis à celebrando per se, vt in casu morbi, fas erit, si tradat alteri iustum stipendium, reservare quod superest, non enim tunc retinet ex lucri cupiditate, sed vt se alat tempore ęgritudinis, quare ei non debet vitio verti retentio residui, vt benè advertit Arriaga supra.

65 Qui Author non liberat Capellanum ab obligatione substituēdi alium pro celebrādis Missis, si morbus protrahatur vltra mensem; sic enim præsumitur de voluntate Fundatoris, & de eius affectu ad suffragia Missarum, quibus si careat vltra mensem, cedit in grave ipsius detrimentum, quin teneatur diutiùs sustentare non laborantem in sui commodum; secus si morbus sit brevior, vtpote qui per se contingat vel non rarò etiam in hominibus robustæ naturæ; quando ergo Fundator nihil in contrarium expressit, supponitur noluisse obligare in infirmitate paucorum dierum. Ita Arriaga in illo num. 24. & in 21. Subs. 2. Sed de hoc puncto iam nos abundè tractavimus num. 38. 39. & 65. Disp. præcitatæ.

66 Illud singulare disquiritur ab Arriaga, an si Fundator instituat Capellaniam, vt Capellanus sacrificet in Xenodochio tempore etiam pestis, qua si inficiatur, det alteri salarium, vt ibidem celebret, teneatur Capellanus ad id, necnon quando Fundator tātùm exprimat conditionem amittendi Capellaniam, si Capellanus tempore contagionis non faciat Sacrum in Xenodochio? Respondet autem, teneri Capellanum ad distribuendum in primo casu, non in secundo; in primo quidem, quia scienti, & volenti non fit iniuria: sed non in secundo, quia esset iniquum deserere Capellanum in pestifera lue, cui Fundator eum directè exposuit, & quia censendus est velle, vt in præmium talis expositionis retineat stipendium Capellanus, si contagium trahat, prout facilè potest contingere. Quæ rationes non militant in casu, quo Capellanus contraheret morbum occasione celebrandi Missā præscriptam à Fundatore sine respectu ad tempus pestis, aut ad id, vt se exponat ægritudini Capellanus, tunc namque imputare sibi is debet damnum infirmitatis, si prævisso periculo voluit celebrare, cum non teneretur; & quanuis non prævideret periculum, non est cur, sibi etiam non imputet damnum illud, vtpote non annexum celebrationi. Hæc Arriaga in num. 23. Subs. 3. Sed prima ratio, quam pro secundo casu assignat, persuadet mihi, pro primo non esse sustinendam, sed rescindēdam à Iudice competènte conditionē ibi propositam, etsi sciens, & volens consenserit in illam Capellanus, nam vt non esset iniqua, & contra ius, esset tamen nimis dura, quando saltem Capellanus non haberet commodè ad sui alimoniam, & curationem, si partem stipendij traderet alteri Sacerdoti. Habeat æqui, bonique Lector digressionem istam, ob casus non obvios, quos continet.

67 Sed percontabitur quis, an Capellanus, cui fas sit non celebrare per se, possit alij, cui iustum stipendiū tradat, commendare Missas suę Capellaniæ, & ipse celebrare ad intentionē eorum, qui eleemosynas manuales pinguiores contribuant, v.g. quatuor argenteos pro singulis Missis, cum ipse non nisi vnum, & dimidium conferat substituto ad Sacra Capellaniæ? Pater Mendo suprà respondet affirmativè, quia Capellanus ille satisfacit obligationi suę, si celebret per alium, & dato iusto stipendio, qualis est argenteus vnus, & dimidius; lucrum autem maius, quod reportat, retinendo sibi dimidium argenteum, est licitum, vtpote proveniens ex titulo Capellaniæ. Sed contra, quia non tantū refert illud lucrum, sed etiā alterius dimidij argēntei, in quo excedit eleemosyna manualis, quam ipse recipit, & posset excedere in pluribus, si pro vnaquaq; Missa invenerit quatuor argenteos v. g. Præterea si dedita opera, & de industria quærantur eleemosynæ manuales pinguiores, vtrumq; lucrum est damnabile in Capellano committente alijs Sacra Capellaniæ, dato minori stipendio, etsi iusto. Videantur scripta superiùs cir. ca §. 4. Decreti Sacrę Congregationis.

SECTIO

SECTIO VIII.

De augmento stipendij ex authoritate Summi Pontificis.

68 PROGREDIMVR amplius, & disquirimus, an ex Summi Potificis dispẽsatione possit respectu aliquorum augeri Missarum stipendium vltrà id, quod communiter iustum est, & sufficiens, ita vt qui tali privilegio fruantur, satisfaciant vnica Missa v. g. accepto duplo stipendio, cum tamen alij non satisfacerent, nisi duas dicerent? P. Azor parte 3. L. 12. C. 6. q. 5. existimat, [non posse occurrere iustam causam, vt Summus Pontifex huic, vel illi Ecclesiæ, vel Monasterio facultatem concedat plures eleemosynas accipiendi in futurũ, & vnum tantùm Sacrificium offerendi pro illis, qui dederint. Aliud enim est, numerum Sacrificiorum, quæ defuncti facienda curarunt, restringere; aliud verò facultatem tribuere, vt in futurùm plures solito eleemosynę accipiãtur. Nam primum iusta de causa fieri potest, eo quòd cursu temporis vel Clericorum, vel Religiosorum numerus diminuatur, vel aut Ecclesiæ, aut Monasterij reditus tenuiores reddantur, aut deniq; impensæ maiores fiant. In secundo verò casu satis esset constituere, vt eleemosynæ, quę Sacerdotibus sacrificaturis erogantur, si tenues esse videantur, maiores in posterum erogentur.] Hucusque Azor.

69 Cui adhæret D. Castillus, inquiens Tract. 5. D. 4. Dub. 17. num. 328. non posse de facto concurrere iustas causas, ob quas faciat Pontifex, [vt si spectata communi æstimatione pro vnoquoque Sacro quis obtulit sufficiens stipẽdium, & vult sibi dici multa Sacra, satisfaciat eius intentioni, & voluntati Sacerdos, vno tantùm Sacro peracto, vel pancioribus; esset enim pecuniam ab illo accipi contra suam voluntatem, quam iustè, & licitè potest habere; nullaque est causa illam mutandi.] Sine causa autem rationabili non potest mutare voluntatem fidelium disponentium de suis bonis tẽporalibus, nam potestas Summi Pontificis non est in destructionem, sed in ædificationem, nec ipse est dominus bonorum temporalium ovium suarum sed dispensator ex rationabili causa ad finem supernaturalem.

70 Si dicatur, rationabilem causam esse indigentiã Monasteriorũ, aut Communitatum, vt eo modo commodiùs alantur. Contra ex Dicastillo, [quia non est fas velle, vt aliqui pauci, & non volentes, sed sæpissimè expressè renuentes alant, oblatis suis stipendijs pro Missis, integrè, & omnino eos Sacerdotes, qui non nisi vadè parùm laborant in eorum commodum.] Contra rursus ex Granado infra, quia non apparet, [quomodo possit Pontifex dispensare cum Religiosis, & cõcedere, vt non impleatur iusta voluntas hominis, qui, collata stipe, petijt Missam: alioqui omnes contractus iusti inter viventes possent passim à Papa rescindi, non expectata contrahentium voluntate, ita vt ab vno contrahentium tolleretur pecunia, & daretur alteri, quod certè dici non debet.] Sic Granados, loquiturq; de voluntate fidelis vivi, a quo possit postulari, vt liberet Religiosos ab obligatione tot Missarum, quot iniunxerit, tradito iusto, & competente stipendio.

71 Si iterùm dicatur, fideles nullum detrimentum pati, nam per vnam Missam possunt comperire tantũ fructus quoad impetrationem, quantũ per duas; & fructus quoad satisfactionem supplebitur ex intentione Pontificis Summi per thesaurum Ecclesiç, per Indulgentias, & gratias concessas illi Religioni, vel Conventui, Confratribusque, ac Benefactoribus, necnon per communicationem bonorum operum illius Religionis, vel Conventus. Contra primò, quia stipendium non datur pro fructu Missæ, sed titulo sustentationis. Si autem ad hanc minus stipendiũ est iustum, & sufficiens, eoque minori contenti sunt cæteri Sacerdotes, & fideles non intendunt dare maius aliud, videtur esse contra iustitiam designatio maioris stipendij. Contrà secundò, quia fideles non modò expectunt fructum Sacrificiorum, pro quibus stipendia offerunt, sed etiam honorẽ, qui ex illis provenit Deo, & Sanctis. At honor est maior, quò plura sunt Sacrificia. Contra tertiò, quia quæ dicuntur

cuntur de tanto fructu quoad impetrationem per vnam Missam, quanto per duas, & de supplemento fructus quoad satisfactionē per thesaurum Ecclesiæ, &c. sunt incerta, multisque periculis, aut contingentijs (vt ita loquar) exposita.

72 Sed his non obstantibus, si Summus Pontifex tale concedat privilegium, præsumi debet concessisse ex rationabili, iustaque causa, præsertim cum sustentatio, quę est titulus stipendij, magnam admittat latitudinem, possitque Pontifex ob merita, atq; obsequia Religionis, vel Conventus erga Ecclesiam attendere, vt ex Missarū stipendijs habeant Religiosi commodiorem, & abundantiorem sustentationem. Cęterùm continget ferè semper, vt si huiusmodi privilegium in notitiā fidelium deveniat, recusent cōtribuere privilegiatis stipendia pro celebrandis Missis. Legantur Luisius Turrianus in Censuris Theologicis Centuria 4. dub. 80. Granadus Controversia 6. de Euch. Tract. 14. D. 11. num. 7. & 8. Henriq. L. 9. C. 22. §. 7. Suarez D. 86. sect. 4. in fine.

73 Quæ olim fuere id genus privilegia, revocata sunt Decreto Sacræ Congregationis §. 3. & in Declarationibus §. *Ad* 6. dicitur, intelligēdam esse revocationem quoad Missarum onera suscepta post privilegia. De quibus agit latè Bruno Chassaing p. 2. de Privilegijs Regul. Tract. 8. Cap. 1. propos. 9. non benè inquiens, Decretum illud non facere legem. Sed vt omittam, editum esse, & publicatum ex authoritate Papæ, sequeretur magna confusio, & perturbatio in Ecclesia Dei, si præsente, & sciente Papa assequeretur Sacra Cardinalium Congregatio revocari à se ex eius authoritate privilegia illa, & re ipsa non sit illis derogatum, Summusque Pontifex taceat, nihilque in alterutram partem declaret. De iisdem privilegijs tractat Thomas Tamburinus Lib. 3. C. 1. §. 4. ex num. 2. vsque ad 13. contenditque, eò tantùm respexisse, vt taxarent Missas ad rationem iusti stipendij.

74 Cæterùm post Decretum Sacræ Congregationis editum, & confirmatum authoritate Vrbani VIII. is ipse anno 1626. die 13. Iulij, cum Cōuentus Ianuensis Minimorum gravat⁹ existeret Missarum legatis perpetuis, quorum aliqua exigua, & oneri ex illis emergenti imparia erant, reduxit legata huiusmodi ad rationem scutorū quinquaginta monetæ Romanæ pro qualibet quotidiana Missa. Quod privilegium extendi ad cætera Monasteria Ordinis Minimorum, & ad aliorum Ordinum communicantium in privilegijs, asserunt Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 2. Cap. 20. num. 6. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 12. quæst. 9. num. 96. Andreas Mendo Disq. 9. de Ordinibus Militaribus quæst. 5. n. 40. multique alij. Sed dicendum est cum Lezana, quem citat, & sequitur Diana parte 10. Tract. 16. Res. 67. & cum Thoma Tamburino supra, num. 16. & 17. non extendi, est enim reductio, quā in casu singulari, & pro Conventu particulari fecit Summus Pontifex, non secus ac solet concedere boni alicuius immobilis venditionem, quæ fiat in Monasterio aliquo particulari, & pro casu aliquo singulari; nec ideo licet extendere hanc concessionem ad alia Monasteria siue eiusdem Ordinis, siue diversi communicantis in privilegijs.

75 Idem Vrbanus VIII. anno 1639. die 6. Augusti indulsit, vt Fratres Minores Conventuales in primo eorum Capitulo Missas, quas haberent nondum reductas annuas quotidianas, reducere possent ad rationem sexaginta scutorum annuorum. Sic refert ex Lezana Tamburinus supra, num. 15. atque optimè in num. 17. fuisse privilegium, quod valuit pro primo tantùm Capitulo, & non amplius, & quod similiter in alijs Religionibus participantibus valere tantùm potuit pro primo Capitulo siue Generali, siue Prouinciali post eius concessionem. Legatur Pellizarius in Manuali Regular. tomo 1. Tract. 6. C. 3. num. 18.

SECTIO IX.

De potestate reducendi ad minorem numerum Missas dotatas.

76 CVM sæpe expediat, Missas, quæ ex antiqua obligatione dicendæ essent, reducere ad minorem numerum, extat in Concilio Tri-

Tridentino Sess. 25. C. 4. de Reform. sequens animadversio, *Contingit sæpe in quibusdam Ecclesijs tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, vt illis, pro singulis diebus à testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri; vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeò tenuem esse, vt non facilè inueniatur, qui velit, huic se muneri subijcere, vnde depereunt piæ testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta Synodus cupiens, hæc ad pios vsus relicta, quò plenius, & vtiliùs potest, impleri, facultatem dat Episcopis, vt in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia, in prædictis Ecclesijs, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire; ita tamen vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata et ad pios vsus reliquerunt* Sic ibi. Atque ita vna ex duabus causis potest fieri Missarum ad minorem numerum reductio, altera multitudinis Missarum, & paucitatis Sacerdotũ, altera tenuitatis stipendij; deberque, quando celebretur ex reductionis iure, fieri commemoratio defunctorum, qui eas Missas dotarunt; fiet autem sufficienter, si in Collectis, aut in secundo *Memento* comprehendantur.

77 Loquitur Concilium generaliter de Missarum dotationibus relictis tam ante, quàm post ipsummet Concilium, & dispositio æquè erat necessaria pro vtrisque. Testantur de hac praxi aliqui, & alij de opposita; referuntque nonnulli Declarationem Cardinalium, vt solùm liceret ad minorem numerum reducere Missas ante Concilium dotatas. Sed credendum est, inquit Castro Palao Tractatu 22. Disput. vnica, puncto 15. numero 4. cum Nicolao Garcia, decisionem vel fuisse singularem, vel contrariæ consuetudine esse abrogatam.

78 Concilium loquitur expressè de Missis ex varijs defunctorum relictis, & non de positis in fundatione Ecclesiæ, vel Beneficij, vel Capellaniæ, & ita non comprehendere has declararunt Cardinales, prout alij qui Authores narrant; licet eadem videatur esse ratio de Missis posterioribus, ac de prioribus.

79 Loquitur Concilium expressè de Missis, & non de alijs defunctorum suffragijs; sed intelligendum etiam esse de Anniversarijs, & Officijs pro defunctis, etiam si non habeant annexas Missas, aiunt multi apud Dianã parte 2. Tractatu 14. Resol. 5. & apud Brunonem Chassaing parte 2. de Priuilegijs Regularium Tract. 8. Cap. 1. propos. 8. V. *Nec putes*, præeuntibus nonnullis Cardinalium Declarationibus, de quibus Nicolaus Garcia tomo 2. de Beneficijs parte 7. Cap. 1. num. 131. pag. 18. Favet idemtitas rationis, vt benè notat Marchinus T. 3. de Ordine p. 2. C. 19. n. 4. Consulendiq; sunt Fragoso p. 2. de Repub. L. 8. D. 19. §. 7. ex n. 12. Tamb. L. 3. C. 1. §. 2. n. 5. & 6. Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegat. 29. n. 4.

80 Concilium loquitur de Episcopis sub nomine dignitatis, quin requirat industriam determinatæ personæ, loquiturque de potestate reductionem semper in futurum; quare eorum potestas ordinaria erit, & proinde delegabilis alteri, vt reductionem faciat in Synodo Ita agnoscit Tamburinus supra §. 2. n. 6 qui in 8. notat cum Bordono, vt & Pellizarius in Manuali Regul. tom. 1. T. 6. C. 3. n. 62. potestatem Episcopi extendi etiam ad onera Missarum in Monasterijs Regularium suæ Diœcesis, si Regulares vellent ad Episcopum recurrere, sicut iuxta Clementinam de *Testamentis* ratio de executionibus testamentorum per Religiosos exigi poterit ab Ordinario loci.

81 Sed & ante Concilium Trid. potuerunt Episcopi iure communi si concurreret aliqua ex causis predictis, reducere ad minorem numerum Missas positas in fundatione Ecclesiæ, vel Beneficij, vel Capellaniç; potuerunt-que sine Synodo Diœcesana. Quod vtrumque traditur à permultis Authoribus. Et ijdem docent à fortiori, potuisse de iure communi ante Concilium Trid. minuere sine Synodo numerum Missarum ex varijs legatis relictarum; & Concilium circa has, & illas Missas nõ restrinxisse potestatem Episcoporũ, sed declarasse quam non adeo expressam habebant iuxta C. *Cum accessisset*

8. C. *Cum M. Ferrariensis* 9. C. *Ex parte* 12. de Constitutionibus, C. *Quoniam* 9. de Vita, & honestate Clericorum, præscripta conuenienti forma diminutionem fieri in Synodo Diœcesana, quin requirat eius consensum. Et hanc formam seruari debere post Concilium Tridentinum quoad Missas ex variis defunctorum relictis alij affirmant, alij negant, etiam vbi recepta sunt omnia Cõcilij Decreta de Reformatione.

82 Ibis tutissimus media via, si dicas, extra casum vrgentis necessitatis seruari debere (vt licitè saltem procedatur) formam præscriptam à Tridentino, non autem in casu necessitatis vrgentis, si nimirùm Synodus Diœcesana non sit citò congreganda; & quotannis quidem cogendam, statuerat Concilium Sess. 24. C. 2. de Reformatione, quod statutum paucis in Diœcesibus seruatur. Scripta hucvsq; in hac Sect. sunt intelligenda, spectato præcisè tum Concilio Tridentino, tũ iure communi.

83 Nunc post Decretum Sacræ Congregationis extat aperta prohibitio §. 1. *Ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium* (nempe Tridentinum) *imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur; quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.* Quorum verborum attento tenore, non prohibentur Episcopi ad minorem numerũ reducere Missas, Ecclesiæ quidem iam relictas, sed nondum acceptatas ab ea ob eleemosynæ tenuitatem, nam ante acceptationem non possunt dici onus impositum. Ita cum Marchino. & alijs Diana p. & T. 6. Res. 16. Franciscus de Lugo L. 5. C. 12. q. 9. n. 96. Tho. Tamburinus L. 3. C. 1. §. 2 n. 9. addens n. 10. sufficere acceptationem factam à primo Sacerdote, quando Ecclesiæ non relinquitur immediatè legatum Missarum; ac proinde non valere, quòd alter, qui succedat, primo mortuo, causetur tenuitatem legati.

84 Neque item prohibentur minuere numerum Missarum, quarum onus impositum sit ante Tridentinum, & non in limine fundationis. Ita Diana ibidem cum eodem Marchino, & Franciscus de Lugo n. 94. cum Raphaele Aversa, necnon Tamburinus supra, n. 7. & 8. expressiùs, quam cæteri, dicens, cavendum esse, ne, quanvis ante Tridentinum, sit tamen impositum in limine fundationis Beneficij, vel Capellaniæ, & non relictum per modum meri legati.

85 Neque item prohibentur ad minorem summã redigere alia defunctorum suffragia, & Officia, solum enim est sermo de Missarum oneribus. Ita Diana p. illa 6. T. 7. Res. 40. cum Merolla contra Novarium, & Tamburinus supra n. 5. Neque ex negata facultate ad reducenda Missarum onera sequitur, fuisse negatã ad alia Officia, sunt enim illa quid maius, & principalius, quam hæc. Cæterũ ex data facultate ad illa colligitur dari & ad hæc, vtpotè ad quid minus, & accessorium, vt dicebam in num. 79.

86 Neque demum prohibentur reductionem ad minorem numerum facere Missarum, quando Fundator expressè significavit, se id velle casu quo redditus fundationis decrescerent. Ita enim declaratum est à Sacra Congregatione in §. *Ad* 1. Sed in his omnibus praxis Romanæ Curiæ consulenda erit. Quæ autem laudati Authores dixere, posse fieri nũc ab Episcopis sine recursu ad Sedem Apostolicã, potuerũt fieri, aut nõ fieri sine Synodo Diœcesana iuxta varias DD. sententias supra indicatas.

87 At à Generalibus Ordinum, & Abbatibus non poterunt fieri sine Capitulo Generali, quia ipsis ante Tridentinum non inerat facultas de iure communi ad reducendas Missas in minorẽ numerum, & facultas à Tridentino concessa est sub ea forma, vt in Capitulis Generalib⁹ fiat reductio Missarum relictarum ante Concil. Trid. & non impositas in limine fundationis Ecclesiæ, vel Beneficij, vel Capellaniæ, quanvis à multis asseratur, potestatẽ Abbatib⁹, & Generalib⁹ Ordinum communicatam à Trid. extendi ad Missas dotatas post ipsum, & ad positas in Ecclesiæ, vel Beneficij, vel Capellaniæ fundatione, dũmodò reductio fiat in Capitulis Generalibus.

ralibus. Quam conditionem necessariã esse sentiunt communiter Doctores apud Dianam p. 2. T. 14. Res. 4. dissentiente Brunone Chasiaing parte 2. de Privilegijs Regul. Tract. 8. Cap. 1. propos. 8. vbi non benè allegat pro se Ludovicum de Miranda tomo 1. Directorij Prælatorum Regular. quæst. 41. art. 24. vt constabit legenti Mirandam, nec fundat sufficienter Bruno illam in Abbatibus, & Generalibus Ordinum potestatem ex iure communi. Fuerunt aliqua privilegia concessa Generalibus Ordinum ad reductionem Missarum, quin mentionem faciant de Capitulo Generali, imò neque de tempore visitationis, vt illud Leonis X. pro Minimis anno 1523. die 23. Iulij, & incipiens, *Exposcit dilectorum*, & illud Iulij II. pro iisdem anno 1508. die 27. Martij, & inchoans *Sacer ordo*, quod etsi loquatur de visitatione, sed addit, *vel alias*. Cæterùm huiusmodi privilegia iam sunt revocata; quanquam deservire valerent, vt, in casu quo à Generalibus Ordinum fieri possit reductio Missarum, non deberet fieri in Capitulo Generali, neque tempore visitationis, vt notat Pellizarius in Manuali Regular. tomo 2. Tract. 9. C. 8. sect. 2. num. 82.

88 Addit Bruno vbi supra, Provinciales Ordinum posse etiam extra Capitula Provincialia facere reductionem Missarum, quanquã fateatur, neminem à se lectum, qui de Provincialibus specificè sic senserit quoad faciendam eam extra Capitula, & ideo meliori iudicio suam sententiam subijcit. De Provincialibus in Capitulis innuit Castro Palao Tract. 22. Disp. vnica, punct. 15. num. 3. & ipse Bruno ex Barbosa refert hanc Declarationẽ Cardinalium, *Religiosi, qui, ob paupertatem Sacerdotum, Missarum oneri satisfacere nequeunt, in suis Capitulis Prouincialibus, prout magis expedire iudicauerint, prouidere poterunt*. Huiusmodi Declarationẽ non reperio in Barbosa. Et iam, vbi receptum sit Decretum Sacræ Congregationis quoad id, quod statuit §. 1. de recursu ad Apostolicam Sedem pro reductione Missarum, cessat quæstionis anxietas circa potestatem Provincialium siue intra, siue extra Capitula.

89 Similiter vbi illud admissum sit, extra controversiam manet, non posse Regem, neque eius Ministros reducere ad minorem numerum Missas in testamentis, & in Capellæ etiam Sæcularis fundatione relictas. Independenterque à §. 1. eius Decreti probat Castro Palao supra num. 6. contra Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Lib. 3. C. 7. num. 16. & 17. esse id supra Sæcularem, & propium potestatis Ecclesiasticæ, cum respiciat rem summè spiritualem, quale est Sacrificium Missæ, & personas Ecclesiæ præcipuas, quales sunt Sacerdotes, quibus stipendium ob Missæ celebrationem designatur. Lege-sis Theologiæ Moralis consultissimum Theologum; sed nota, doctrinam Fagundezij potuisse habere locum in Senatu Regio Ordinũ Militarium Hispaniæ respectu Missarũ celebrandarum à Religiosis Fratribus in suis Monasterijs, & Collegijs, nam iurisdictio illius Senatus erga eos Ordines est Ecclesiastica, & Regularis, vt adstruit P. Mendo Disq. 7. quæst. 3. indeque Disq. 9. quæst. 5. num. 40. ait, illum Senatum posse reductionem Missarum exequi in Monasterijs, & Collegijs præfatis, si privilegium Minimorum, de quo in numero 74. participetur, vt ipse putat, ab alijs Religionibus.

SECTIO X.

Multi casus explicati, in quibus authoritate priuata non potest fieri reductio Missarum ad minorem numerum.

90 DEDVCITVR ex dictis, non posse Sacerdotem privatum reducere Missas ad minorem numerum, quando decursu temporis augeatur stipendium Missarũ supra id, quod initio fuit assignatum iuxta taxã consuetam, aut quando decrescant fructus domi, agri, census pro stipendio dari ad celebrãdas Missas singulis annis. Nam hæc reductio pertinet ad Episcopos iuxta Concilium Trid. qui eis vel concessit novam facultatem ad ipsam, vel declaravit magis quam habebant iure communi. Vt quid enim requireret authoritatem Episcoporum, quan-

do eleemosynæ tenues iam sunt pro Missis celebrandis, si privati Sacerdotes gauderent potestate ad huiusmodi reductionem? Præterea Sacra Congregatio ex consensu, & approbatione Summi Pontificis restrinxit Episcoporum potestatem datam, vel confirmatam à Concilio Tridentino, voluitq́; vt ab Apostolica Sede immediatè dependeret reductio, aut moderatio, vel commutatio Missarum, sic enim magis prospicitur vltimis defunctorum voluntatibus, & potentiùs obviàm itur excessibus, abusibusque, qui timeri queunt in hoc negotio grauissimo; quòd superat authoritatem privatæ personæ, vt docet Azor tomo 3. Lib. 12. C. 6. quæst. 4. & antea tomo 2. Libro 6. C. 24. quæst. 6. ornariq́; potest multis ex Perez de Lara Lib. 1. de Anniversarijs, & Capellanijs, Cap. 14 Et pro deductione tota legantur Diana p. 7. Tract. 12. Resol. 22. parte 10. Tract. 16. Resol. 65. Quartus in Appendice de Sacrificio Missæ quæst. 4. puncto 2. Difficul. 5. Alfonsus de Leone de Officio Capellani quæst. 5. sect. 14. numero 237. Pellizarius in Manuali Regul. tomo 1. Tract. 6. C. 3. num. 43. & 44. contra Franciscum Bordonum in Consilijs Regul. tomo 1. Resol. 25. Aversam quæst. 11. sect. 18. V. *Quòd si post*, Franciscum de Lugo Lib. 5. Cap. 12. quæst 9. num. 97. Vidalem in Arca Vitali, Inquisitione 2. de Iustitia.

91 Qui aiunt, posse fieri à privato Sacerdote reductionem Missarum per commutationem ex æquitate, & iustitia in proposito casu; non autem per dispensationem; & hanc committi Episcopis in Concilio Tridentino: sed in Decreto Sactæ Congregationis revocari ad Sedem Apostolicam. Contra tamen primò, quia si reductio eo modo fieri potest à privato Sacerdote, frustra Concilium Tridentinum desiderat authoritatem Episcoporum, & consultationem in Synodo Diœcesana, vt maturiùs fiat. Secundò, quia tam Concilium loquitur, quàm casus procedit de Missarum ad minorem numerum reductione, & non de omissione omnium earum. Quare ea reductio tam erit commutatio vt facta ab Episcopo, quàm vt facta à priuato Sacerdote, vel è contra tam erit dispensatio vt facta ab hoc, quàm vt facta ab illo. Concilium etiam loquitur, & casus procedit, quando certò constat de tenuitate eleemosynæ pro Missis celebrandis. Ergo reductio eiusdem conditionis erit quoad rationem intrinsecam commutationis, vel dispensationis, siue vt ab Episcopo, siue vt à privato Sacerdote præstita. Contra tertiò, quia Sacra Congregatio decernit recursum ad Sedem Apostolicam *pro reducendis, aut moderandis, vel commutandis Missis, etiam quando legatum sit tenue, vt non sit, qui velit, onus illi iniunctum subire*, provt dicitur in §. 1. Decreti, & in Declarationum §. *Ad* 1. Quibus in verbis notandum est, iuberi recursum pro commutatione Missarum; item quando causa sit manifestè iusta, vti est tenuitas legati: præcipique absolutè, & simpliciter præfatum recursum, vt reductio fiat per modum siue dispensationis, siue commutationis; nam visum est, expedire, vt iudicium de æquitate, & iustitia in tali reductione reservaretur Sedi Apostolicæ.

92 Nec quòd re ipsa detur æquitas, & iustitia, vt fiat talis reductio, (cum quælibet dispositio intelligatur rebus sic stantibus, & non alteratis *leg. Quòd Seruius ff. de Condition. caus. dat.*) confert priuato Sacerdoti potestatem, & iurisdictionem, vt per se faciat eam; nec aliud probat, quàm quod Sedes Apostolica quæsita debeat eam facere; aut Episcopus, si ob impedimentum aliquod adiri nequeat Sedes Apostolica. Neque obligatio recurrendi ad Sedem Apostolicam derogat iuri naturali. Et confirmatur ex admissis ab Authorib. opinionis adversæ, nominatimque à Marco Vidale, nam si voluntariè, & spontaneè acceptatum sit Missarum legatum, quod tenue sit respectu numeri Missarum præscriptarum, requiritur recursus ad Sedem Apostolicã, vt postea Missæ reducantur ad minorem numerum, etsi æquitas, & iustitia suadeat hanc reductionem; quia adsit rationabilis ratio, vt quod semel placuit, amplius displicere debeat, si nimirùm acceptatum sit legatum ex fiducia ad sustentationem Ministrorũ in alijs Ecclesiæ bonis, quæ iam perierint. Hoc in casu infringuntur omnia argumenta Vidalis, siquidem ipse numero 5. 18. 27, & seqq. dicat, repetatque

tatque, necessarium tunc esse præfatũ recursum ob §. 2. Decreti Sacræ Congregationis, nisi cogente paupertate ad missum sit legatum; qua in conditione convenit cum Peyrino tomo 3. C. 1. circa Constitutionem Pyrrhi numero 26. Sed ea conditio displicere debet conveniente ad scripta in præcedentibus, nisi sit paupertatis extremę, aut valde gravis, excedentisque magnoperè communem.

93 Inquies adhuc, si totus census designatus pro Missis pereat absq; culpa eius, cui est obstrictus, possunt eius authoritate privata omitti omnes Missæ. Ergo si pars pereat absque culpa eiusdem, poterunt omitti illę, quæ respondeant parti, quãdoquidem pars sit eiusdem naturæ cuius est totum, *l. Si gręge legato ff. de legatis* 1. idemque sit ius de toto quoad totum, quod est de parte quoad partem, *l. Quæ de toto ff. de Rei vendic.* Et evanescente, aut decrescente legato, quod relictum sit cum onere, debet hoc ex toto, vel ex parte diminui, remittendumque est onus pro rata, si cum eo hæreditas relicta tollatur ab alio pro parte, vel defalcetur, diminutisque redditibus in tributis, locatis, diminuuntur & onera, *leg. Ei, qui amplius ff. de Donat. leg. Plautius ff. de Condit. & demonst. leg. Hi, quos C. de Alluvionibus, leg. Omnes pensitare C. de Annonis, & tributis; Cap. Propter sterilitatem 3. de Locato, & conducto,* aliisque similibus apud Perez de Lara supra Cap. 15. ex num. 1. vsque ad 15. Concedo Antecedens cum Tamburino L. 3. C. 1. §. 3. num 89. Pellizario supra, num. 46. & 47. cum Fraxinello allegante Honcalam, & cum alijs passim, negoque Consequentiam, quia etsi potuisset præscribi recursus ad authoritatem superiorem, vt ex eius approbatione omitterentur omnes Missæ in casu Antecedentis, tamen de facto non est præscriptus, vt manifestum erit expendenti verba Concilij Tridẽtini, & Decreti Sacrę Congregationis; secus in casu Consequentis. Et per se patet, iudicium, & prudentiam, quæ requiritur, vt moderatio Missarũ fiat, manente aliqua parte census, neutiquã esse necessariam, vt, deficiente toto censu, desistatur ob omnibus Missis.

94 Inquies rursus, non esse facilem recursum ad Summum Pontificem tum ob distantiam multarũ Prouinciarum, tum ob paupertatem eorũ, qui ratione census habent obligationẽ ad Missas, tum quia vno anno redditus sunt sufficientes, alio insufficientes pro præscripto numero Missarum, si fructus agri, aut domus vno anno, & non alio benè respondeant, aut si grauatus censu solvat integrè vno, & non alio anno. Respondeo, vt distantia nõ tollit necessitatem recurrendi ad Sedem Apostolicam pro alijs negotijs, sic potest non tollere pro hoc. Et vt paupertas non sit excusationi, dicitur in Declarationibus §. *Ad* 1. a Sede Apostolica *absque vlla impensa esse id statuendum, quod magis in Domino è re esse iudicauerit.* Si verò notabiliter difficilem esse cum recursum contingat absolutè, tunc adeundus est Episcopus; quòd si nec is possit adiri, licebit privato Sacerdoti diminuere numerum Missarum, vt docet Castro Palao Tract. 22. D. vnica punct. 15. num. 6 sed addens, contingere ægrè posse, vt ad Ordinarium aditus sit præclusus.

95 Circa difficul. illã de inæqual. reddituũ penes diversos annos norare oportet cum Perez de Lara supra, C. & num. 15. Tamburino num. 96. Pellizario num 48. citante Fraxinellum, & Rodriguez, non eo ipso quòd redditus vno, aut altero anno decrescant, æquũ esse, vt Missarum numerus diminuatur, nam si redditus alijs annis sunt superabundantes, longèque excedunt consuetum stipendium manuale Missarum, consonat rationi, vt defectus vnius, aut alterius anni compensetur excessu aliorũ, & vt hic cedit in tuum commodum, sic ille cedat in tuum incommodum, nam idem operatur oppositum in opposito, quod propositum in proposito *leg. Si ex toto* in principio, *leg. Quod in rerum §. Quòd si post ff. de Legatis* 1. *leg. Si pater, §. Contra quoque, ff. de Legatis* 3. conformeque est æquitati, vt reguletur incommodum à commodo, *leg. secũdùm naturam ff. de Regulis iuris, leg. Et si contra* in fine *ff. de Vulgari, & pupillari substitutione,* ibi: *vt quemadmodùm portio, quæ per bonorum possessionẽ accesserit, auget legata, ita & hìc, quæ abscesserit, minuat.* Et in contractibus quidem commune est, contrahentes manere expositos lucro, & damno, sicq; servatur æqualitas; in qua inest bona

fides, vt ait Iason *leg. finali num. 99. C. de Iure Emphyteutico, argum. l. Sed & milites ff. de Excusationibus tutorum, l. Non solàm §. Vno ff. de Ritu nuptiarum*: nemoque debet lamentari de lege æquali, vt inquit Aymon Craveta Consilio 195. num 5. favetque textus in Cap. *Quanto* 16. *de Censibus*.

96 Quapropter si semel, aut iterùm contingat diminutio reddituum, non sunt Missæ redigendæ ad pauciores; vt neque, si raro incremẽtum accidat illorum, hę sunt augendę. Contrariorum enim eadem est ratio, ac disciplina, *leg. Sequitur* in principio *Institutæ de His, qui sui, vel alieni iuris sunt*. Similiter quando industria tua, labore, & expensis illi creverint siue raro, siue ordinariò, augendę hę etiam non sunt; sicut neque sunt diminuendæ, quando illi culpa tua decreverint. At si incrementum citra industriam tuam sit iam ordinarium ob abundantiores fructus agri frugiferi legati, vel ob maius pretium, quo nunc venales sint, tunc datur obligatio adijciendi Missas, argumento textus in C. *Transmisse* 33. de Verborum significatione, vt tenent supra Perez de Lara num. 18. & 19. Tamburinus num. 92. Pellizarius num. 41. nisi stipendium ipsarum Missarum auctum etiam sit communiter, provt cum Romano in Consilio 369. num. 31. monet Rodriguez tomo 4. Summæ C. 52. num. 10. nam in eo casu vnum augmentum compensabitur alio, servabiturque æqualitas inter vtrumque: vel nisi is, qui reliquit legatum, voluerit, & significaverit, non debere celebrari plures Missas, sed excessu reddituum in animo sibi esse benefacere legatario, vel participare plus de fructu Sacrificiorum.

97 Hinc decidunturvarij casus, de quibus P. Mendo Disquis. 9. de Ordinibus Militar. q. 5. ait enim n. 41. Si legatum sit ducentorum ducatorum annuatim pro triginta Missis in singulos annos, etiamsi temporum decursu centum tantùm aurei nummi percipiantur, non esse diminuendum numerum Missarum, quia pro obligatione perpetua ad triginta sufficiens est, & commodum stipendium. Sed si legatũ fuerit tale, vt vnus, aut dimidius nummus aureus responderet quotidianæ Missæ, & postea (subintelligo, ordinariè) non respondeant nisi duę drachmę, fas erit redigere Missas ad pauciores, quia obligatio perpetua Capellaniæ digna est maiori stipendio. Non declarat P. Mendo, cuius authoritate sit facienda reductio ad minorem numerum. Sed non posse fieri authoritate privata, satis liquet ex superioribꝰ; & ad primum casum oportet addere limitationem, nisi legator expressérit aliud, scilicet vt decrescentibus copiosis illis redditibus, nõ triginta, sed pauciora Sacra fierent annuatim.

98 Rursus idem Author in n. 42. inquit, quando non sit instituta Capellania, sed relictum legatum certorum reddituum cum onere tot Missarum, non designata quota stipendij pro vnaquaque, si redditus decrescant, (subintelligo, ordinariè) & ita, vt salarium pro singulis Missis non superet summam, quæ in eleemosynam manualem vsuveniat conferri, tunc ex authoritate Pontificis, vel habentis facultatem ad id, esse diminuendum numerum Missarum. Quæ doctrina conformis est traditæ à nobis supra.

99 Sed addit prælaudatus Author, si instituta sit Capellania, & designatus numerus Missarum, præfixaque summa salarij, quatuor v. g. drachmarum pro singulis Sacris, tunc, si redditus decrescant, posse authoritate privata Missas reduci ad pauciores, quibus respondeat stipẽdium quatuor Regalium. Ego tamen contentus non essem reductione per authoritatẽ privatam, nisi Fundator Capellaniæ expressisset, non esse peragenda plura Sacrificia, quàm ea, quibus singulis respondeant quatuor drachmæ; nam si iussisset, fiant centum Sacra, ad quæ relinquo redditus sufficientes, vt singularum salarium sint quatuor Regales, existimo in isto casu Decreta Concilij Tridentini, & Sacræ Congregationis Cardinalium habere locum, nec posse authoritate privata fieri reductionem. Quòd si ita non decernatur, aperitur porta satis patẽs, vt eludatur necessitas recursus ad authoritatem superiorem; dicetur enim, Fundator reliquit censum, cuius redditus erant tot, vel tot, ex quibus vnicuique Missæ respondebant tot, vel tot drachmę; ast iam temporum cursu, & varietate, diminutoque censu, non respondent

nisi

nisi pauciores: sufficit ergo privata authoritas, vt non nisi illæ Missę fiant, quibus respondeant Regales, qui ab initio. Qui discursus valebit semper, ac aliud non sit expressum in fundatione Capellaniæ, nisi approbetur nostra existimatio. Vbi adverte ex Sacra Congregatione in Declarationibus §. *Ad* 1. *Si in ipsa Beneficij* (seu, quod perinde est, Capellaniæ) *erectione cautum fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus Missarum reducere, ac moderari, legem hanc fundationis esse validam, & obseruandam*, nec opus esse recurrere ad Sedē Apostolicam.

100 Sed quæres, an si hodie anticipatè acceperis ducentos Regales argenteos in eleemosynam manualem pro centum, & viginti Missis faciendis, & cras edicto Principis decrescat argenti valor, ita vt ducenti Regales argentei non respondeant in stipēdium iustum, & commune nisi centum Missis, possis dicere non nisi has centum vel debeas centum, & viginti sine facultate licita ad reductionem in minorem numerum? Marcus Vidal in Arca vitali Inquis. 2. de Iustitia, num. 20. censet, te non obligari nisi ad centum, quia ante eas celebratas habes stipendium tanquàm in deposito; & ideo, si illud pereat, vel decrescat sine tua culpa, non tibi, sed domino perit, vel decrescit. Non acquiesco, quia communiter non traditur stipendium in depositum, sed in dominium Sacerdotis cum onere peragendi Missas, & cum obligatione restituendi illud, si eas non celebret. Quare passim videmus, Sacerdotes mercenarios, quibus anticipatè traditur salarium, disponere de eo, antequàm absolvant commēdata Sacrificia. Si aliquis ita accipiat, vt declaret non haberi à se nisi vt in deposito, quoadvsque faciat Sacra intra præscriptum tempus, poterit amplecti responsum Marci Vidalis; sed expediet monere de stipendij decremento eum, qui illud tradidit, & de paucioribus Missis, quibus illud iam respondet, nisi præsumatur per se intellecturus.

101 Consequenter ad proximè dicta, si accepisti pro centum Missis celebrandis ducentos Regales argēteos, & interim crescat argenti valor, ita vt ducenti illi argentei respondeāt iam Missis centum, & viginti in stipēdium iustum, & commune, si, inquam, accepisti per modum depositi, debebis vel restituere augmētum pecuniæ, vel addere Missas; sicut enim in damnum domini pecuniæ, & non in depositarij culpa carentis vergit diminutio pecuniæ, ita augmentum debet cedere in vtilitatem domini, & non in depositarij, qui industriam suam non interposuit; si verò acceptisti comparando dominium (vt ordinariè fit) non tenebaris addere Missas, nec reddere augmētum, hoc enim tunc cedit in tuum cōmodum. Et casu quo acceperis quasi in depositum, dominusque pecuniæ non petat augmentum, poteris prudēter præsumere, contentum fore illum, si Missas addas. Legatur ipsemet Vidal in num. 22. & 23.

102 Quæres rursus, num si quis reliquerit centum nummos aureos pro centum Missis in aliquo templo celebrandis ad singulos annos, teneatur hæres, data capacitate hæreditaris, supplere illam eleemosynam, casu quo ibi stipendia Missarum compararint posteriori tempore incrementa, vellatis sit curare reduci per legitimam potestatem Missas ad minorem numerum? Respondeo, satis esse hoc secundum, nisi ex testatoris verbis aliud constet, aut colligatur, quia scilicet numerum Missarum principaliter exp essierit, aut intenderit. Quòd si testator dixerit solummodò, *distribuātur centum aurei in eleemosynam pro Missis*, non tenebitur hæres supplere quātitatem, neque curare reductionem ad minorem numerum Missarum per legitimam potestatem, sed satisfaciet elargiendo centum aureos, etiam si posteriori tempore non dicantur centum Missæ, sed pauciores.

103 Casu autem quo testator numerum earum principaliter intendens non designet quantitatem pitantię (vt vocant) debebit hæres solvere consueram tempore executionis, etiā si maior sit, quàm illa, quæ tempore dispositionis currebat, dummodò stet conditio prænorata de capacitate hæreditatis. Sed si è contrario minor sit tempore executionis, quàm dispositionis, satisfaciet solvendo minorem. Considerare tamen convenit, num ob negligentiam hęredis insolvendā quā-

titate

titate legata ad Missas fuerit prorogata executio, tunc enim ob damnum illatum defuncto tenebitur solvere maiorem, etiamsi in hæreditate non detur capacitas, sed in alijs bonis, quæ aliunde possideat. De hac quæst. consulantur Honcala Opusculo 3. art. 18. Tractus 2. de Valore Missæ, Barbosa p. 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 29. num. 7. Diana parte 2. T. 14. Res. 17. Aversa quæst. 11. sect. 18 V. *Si autem*, Thomas Tamburinus L. 3. C. 1. §. 3. ex num. 72. vsque ad 85. Quartus in Appendice de Sacrif. Missæ quæst. 4. punct. 2. Difficul. 5. in fine, Hieronymus Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diffic. & dubio 10. Philibertus Marchinus Tractatu 3. de Ordine parte 2. C. 19. num. 22. C. 22. per totum, Alfonsus de Leone q. 5. de Officio Capellani sect. 14. & alijs antecedentibus, ac subsequentibus, Perez de Lara Lib. 1. de Anniversarijs, & & Capellanijs C. 15. per totum, Castrillentus in Poliãthea Seraphica Theologiæ Moralis V. *Capella*, Difficultate 9. qui & alios consulendos citant.

104 Ex ijs autem, quos ego citavi, & nunc consului, monet Tamburinus num. 97. etsi stipendium Missarum sequenti tempore decrescat, sed in centu centum nummorum aureorum legato ad Missas non videatur legaror intendisse aliud quàm vt census responderet Missarum numero, & vice versa, tunc dari obligationem ad augendum earum numerum; secus si designando numerum ipsarum, & personam, à qua sint celebrandæ, videatur intendere, vt pinguiori stipendio tanquam Capellanus, aut ad instar illius perfruatur. Sed de isto casu iam supra, & omitto alios concernentes, de quibus præcitati Authores, ne huc transferam Tractatus de Capellanijs, & legatis pijs.

105 Quæres iterùm, an si in recuperanda ex Petro stipe centũ Missarum celebrandarum fecerit Sacerdos expensas aliquas, & postea idem Petrus non credita, sed tradita pecunia cẽtum alias commendet, possit Sacerdos occultè compensare sibi expensas illas per diminutionem numeri Missarum posteriorum, vt si centum esset celebraturus, redigat iam eas ad nonaginta v. g.? Peyrinus tomo 3. Cap. 1. circa Constitutionem Pyrrhi num. 27. censet, licitum esse eum modum compensationis, si Sacerdos non valeat alio reparare certum, & liquidum damnum, quod iniustè passus est in expensis factis. Consentiunt Lezana in Summa, V. *Missa*, num. 43. cui Diana parte 10. Tract. 16. Res. 66. adiungit Pellizarium tomo 1. Tract. 6. C. 3. num. 59. aitque ex Tamburino Lib. 3. C. 1. §. 3. n. 103. sententiam Peyrini admittendam à se in vno casu, quando videlicet posteriores Missæ dicendæ essent in bonum illius, qui solutionem stipẽdij priorum distulit, non verò, quando in bonum tertij, vt infirmi alicuius, aut animæ existentis in Purgatorio, carentisq; culpa non redditi salarij priorum Missarum sine expensis creditoris. Et hoc idem dixit Pellizarius, etsi Peyrino associetur à Diana.

106 Ego consulerem Sacerdoti, vt, quantùm fieri possit, recusset in hoc negotio vti compensatione occulta, detrahendo de numero Missarum. Sed ratio, quam pro secundo casu afferunt Tamburinus, Pellizarius, & Diana, non videtur mihi admodùm efficax, nam damnum diminutionis Missarum, quæ dicendæ essent pro alio tertio innocente, tribueretur non Sacerdoti vtenti iure suo compensationis occultæ, sed Petro, qui nomine tertij pactum inivit de posterioribus Missis, & non solvit constituto tempore stipendium priorum; quare damnum illud erga tertium esset à Sacerdote nõ per se, sed peraccidens. Et similia alia damna erga tertium non facere per se illicitam compensationem occultam, facilè est ostendere ex Tract. de Iustitia, vt si creditor accipiat, vel retineat sibi pecuniam, quam debitor mittit alteri ex dono nondum acceptato, imò & quam mittit alteri in solutionem debiti, vt docet Cardinalis de Lugo tomo 1. de Iustitia D. 16. n. 10. & 11. si cõcurrant aliæ conditiones requisitæ ad licitam compensationem occultam.

107 Vbi non tacebo, cum sit vna earum ex consensu omnium, vt id, quod accipias, sit debitoris, aut tuum, non verò alterius, consequens hinc esse, vt, si stipendium posteriorum Missarum sit in bonis tertij, pro quo Petrus petat Missas, non possit Sacerdos compensare sibi occultè ex illo. Neque item

irem tacebo, in casu licitæ compensationis ex stipendio posteriorum Missarum non obstare Decretum Sacræ Cõgregationis §. 2. præcipiens, *vt absolutè tot Missæ celebentur, quot ad rationẽ attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.* Nam, vt peritè, & ingeniosè ait Pellizarius supra num. 51. [Sacra Congregatio loquitur de Missis debitis ex stipendio; cum tamen in præsenti casu Missæ, quæ modo dicto omittuntur ad faciendam iustam compensationem, nõ possint dici debitę ex stipendio, quantumvis solutum fuerit stipendium ipsis respectivè correspondens; quippè quod, dato iure compensationis, fictione, vt ita dicam, iuris non censetur solutum pro Missis, sed in compensationem damni alias iniustè illati; & consequenter quoad inducendam obligationem celebrandi dictas Missas perinde se habet, ac si revera non fuisset solutum.]

SECTIO XI.

Delibantur, aut prætermittuntur alia puncta, de quibus sermo habetur in Sacræ Congregationis Decreto. Quod an sit vbiuis receptum? examinatur.

108 APPONVNTVR in præfato Decreto cõditiones quędam, quæ servari debeant in suscipiendis perpetuis Missarum oneribus, vt quòd bona mobilia, vel pecunia pro illis data deponantur apud ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum eadẽ investiendi quàm primùm in tot bonis immobilibus frugiferis cum expressa mentione oneris. Sic in §. 5. Quæ bona si posteà authoritate Apostolica alienari contigerit, reinvestienda sunt modò, quo anteà. Sic in §. 6. Videturque mihi cum Diana parte 10. Tractatu 16. Resol. 77. aliisque, quos allegat contra Peyrinum, non sufficere, si pecunia investiatur in antiquis bonis Monasterij, aut Communitatis immobilibus, & frugiferis, quantumvis sint exempta à quocumque alio onere, Cõgregatio enim eò respexit, & verba id non obscurè significant, vt novo oneri novum commodum, novique fructus respondeant.

109 Ast si onus sit tantùm ad centum annos, quorum singulis diebus Missa celebretur, videtur Bordono, Tamburino, Pellizario, & Lezanę, nõ esse perpetuum, de quo loquitur Congregatio, nam spatium centum annorũ non est perpetuum in favorabilibus; ideoque tunc pecuniam non debere investiri. Sed reclamant Aversa quæst. 11. sect 17. V. *Quòd si*, & Diana supra, quia nisi pecunia investiatur, onus Missarum fiet intolerabile successoribus. Vtrumque apparet mihi probabile. Sed circa investituram pecuniæ faciẽdam iuxta Decretum Sacrę Congregationis legantur Marchinus Tractatu 3. parte 2. C. 15. inscripto per errorem 16. ex num. 28. Tamburinus Libro 3. C. 1. §. 6.

110 Præterea Sacra Congregatio decernit, vt onera perpetua Missarum non admittantur ab Ecclesiasticis Sæcularibus sine Episcopi, vel Vicarij Generalis, à Regularibus sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedẽda. Sic in §. 7. Additque in §. 9. debere Superiores prædictos non concedere eam licentiam, nisi ante ipsis cõstiterit, onera suscepta, & suscipienda proportionata esse redditibus. Qui §. non exposcit explicationem, & quam desideres pro 7. invenies in Tamburino supra §. 7. vt & pro 8. in quo iubetur, vt non admittantur eleemosynæ novæ manuales, & quotidianæ pro Missis celebrandis, nisi satisfactum iã sit oneribus anteà impositis; iubetur etiam, vt auferantur ab Ecclesijs capsulæ cum inscriptione illa *Eleemosynæ pro Missis*: pro 8. inquam, reperies commodam explanationem in eodem Authore §. 9. & 10.

111 Vlteriùs Sacra Congregatio ex §. 10. vsque ad 14. inclusivè præscribit multa ad euitandum, ne Religiosorum numerus maior sit, quam qui ali possit redditibus, & eleemosynis consuetis locorum Regularium. In §. autem 15. præcipit Congregatio sub pœna privationis officij, vocisque activæ,

actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendæ Superioribus localibus cuiusque Monasterij, Conuentus, ac Domus Regularis, vt curent, & efficiant, vt in perpetuum, sexto quoq; mense, id est, feria 2. post primam Dominicam Aduentus, & feria sexta post Octauam Corporis Christi præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur. Circa quod præceptum videndus est Pellizarius Tract. 6. C. 3. num. 11. & 12.

112 Sed cum ex hoc Decreto, suborta essent viginti dubia, eaq; proposita fuissent Sacræ Congregationi, prodierunt postea Declarationes, seu Responsiones eiusdem Congregationis ad illa; quarum Declarationũ pleraque retulimus in superioribus. Et tam Decretum, quàm Declarationes seguntur iam in Magno Bullario Romano, tomo 4. ex pagin. 88. loco 45. Constitutionum Summi Pontificis Vrbani VIII. ex cuius authoritate specialiter sibi attributa, & eiusdem confirmatione, mandato, & consensu explicito sunt illa confecta, edita authenticè, & promulgata sufficienter à Congregatione Sacra. De quibus omnibus dubitari non potest. Quare audiendus non est Bruno Chassaing inquiens p. 2. de Privilegijs Regul. Tract. 8. Cap. 1. propos. 8. V. *Hic sub*, tanti ponderis non esse, vt Concilio Tridentino præualeant in ijs, quibus ei aduersantur; & addens propos. 9. V. *Colligitur* 3. non facere legem: quod vtrumque dictum conforme est alteri huius Authoris p. T. & C. 1. propos. 3. vbi ait, etsi Papa confirmet Decreta Cardinalium, si tamen non pronunciet in sua persona dicendo, *volumus, & decernimus*, &c. nullam imponere obligationem, sed esse tantùm doctrinalia, & magnæ authoritatis. Sed relictis alijs rationibus contra Brunonem, quę prudentia, aut bonum regimen Ecclesiasticum ferat, vt Romæ in præsentia Papæ, ipso consulto, & approbante edantur à Sacra Cõgregatione Cardinalium Decreta, quorum verba significent obligationem, & tamen non sint nisi apparentia, seu Illusoria quoad importandam eam obligationem, vimque legis?

113 Porrò huiusmodi Decretum de Celebratione Missarum confectum, editum, & promulgatum absdubio fuit ex animo, vt extra Italiam etiam obligaret, nam vbi voluit Congregatio, solam Italiam, & Insulas adiacentes comprehensas iri, expressit satis clarè, vt in §. 10. de computandis redditibus cuiuscumque Conventus, & mittendis eos Romam: & cum dubitatum fuisset circa §. 14. de non recipiendis Conventibus Regularium, nisi competenter sustentari possent duodecim Fratres, *num haberet locum in Italia dumtaxat, ad quam erat restrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiã extra Italiam*? respondit Congregatio, *habere locum extra Italiam*. Ita in §. *Ad vltimum*.

114 Quod ergo superest difficultatis est, num istud Decretum receptum sit, & acceptatum? Marchinus Tract. 3. p. 2. C. 22. num. 8. testatur ex auditu, non seruari in multis Italię locis, & in ipsa etiam alma Vrbe à multis Collegiatis Ecclesijs Decretũ quoad §. 4. Peyrinus tomo 3. Cap. 1. circa Constitutionem Pyrrhi num. 29. ad finem, testatur etiam ex auditu, [practicari in Regno Siciliæ, quòd pro Missis receptis ante Decretum satisfiat per priuilegium Collectarum, &c. & quòd cum ista limitatione fuit ibi acceptatum; receptis verò post istud Decretum integrè satisfit.] Circa quam attestationem reponit Tamburinus L. 3. C. 1. §. 2. num. 3. intelligẽdam esse tunc temporis, cum scripsit Peyrinus, [& fortasse solùm in sua Religione Minimorum, nam apud Sacerdotes Sæculares iam nunc acceptatum in omnibus esse communiter animadverto.] Sic Tamburinus Siculus, & Peyrinus est Genuensis, Marchinus autem Novariensis, Itali omnes, aut ex Insulis adiacentibus.

115 De Hispania nostra ait Thomas Hurtadus in Resolutionibus Moralibus tomo 1. Tract. 2. C. 4. Res. 16. num. 164. pag. 69. [à multis viris doctis, & religiosis audivi totum hoc Decretum non esse vsu receptum. Sed quousque clarè constet, non esse vsu receptum, pro illo standum est, vt fiat possessio obligationis.] P. Andreas Mendo Disq. 9. de Ordin. Milit. quæst. 5. num. 44. similiter inquit, [Vbi fuerit acceptatum Vrbani Decretum, non remanet locus huic dubitationi. De acceptatione dubitari audivi, saltem generali, sed dum de oppo-

sito

posito non constet, acceptatum fuisse est tenendum.] Castro Palao Tract. 29. Disp. 5. de Censuris punct. 8. §. 3. num. 15. scribit, [Ad extremum alicui non videbitur improbabile, hæc Sacræ Congregationis Decreta, cum rationi & æquitati conformia sint, vim legis saltem extra Italiam non habere, quia illis deficit requisita publicatio, & communitatis acceptatio, & iurisdictionis à Pontifice in totam Ecclesiã concessio, vti indicat Bonacina tom. 3 D. 4. quæst. 2. punct. 11. in fine. Quod an verum sit, aliis iudicandum remitto.] Sic Castro Palao. Sed Bonacina in toto illo puncto 11. nihil de suo loquitur; quia tamen in num. 19. retulit vltimum Dubium propositum Sacræ Congregationi, & Declarationem ad illud, de quibus nos in num. 113. inde motus est Castro Palao ad ea, quę scripsit, & Gibalinus in Synopsi Censurarum V. *Missa* 1 pag. 478. transcripsit Castrum Palaum, non lecto tunc loco Bonacinæ. Et quidem hoc Decretum Sacræ Congregationis fuit satis promulgatum non modò intra Italiam, sed etiam extra, vt constat ex Scriptoribus Hispanis mentionem eius facientibus continuò, ac prodijt; aliquos eorum notat Hieronymus Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Dis. 10. dubio 2. num. 15. Ortum etiam fuit ex concessa in totam Ecclesiam iurisdictione à Summo Pontifice, vt dixi in numero 113. & nisi ex concessa ab eodem in Italiam iurisdictione emanasset, neq; ibi haberet vim legis. Quare solùm restat, vt dubitetur, an fuerit acceptatum extra Italiam & in Hispania?

116 Ægidius Trullench L. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 11. num. 10. inquit, [Quia non constat de eo Decreto iuridice, & authenticè, vt probat quidam Doctor, nec sit vsu receptum in hoc, & in alijs in dicto Decreto contentis, nec executioni mandatum, vt visum fuit in dicta Synodo Valentina anni 1631. ideo eo non obstante, in dicta Synodo decreta, & facta fuit Missarum reductio. Etenim communiter receptum fuit, Legem, Constitutionem, Morum proprium, aut Decretum vsu non receptum, in totum, aut in parte, non obligare pro ea parte, qua non est receptum: Dictum autem Decretum Congregationis non esse in his partibus vsu receptum, maximum argumentum est, quòd in eo, multa alia circa acceptationem, & celebrationẽ Missarum, & Religiosos continentur, quæ non sunt vsu recepta.] Hieronymus Garcia supra, num. 16. affirmatè tradit, non esse saltem ex integro admissum in Hispania; constareque id ex vsu, & praxi, nam ab Episcopis, & Prælatis Regularibus fiunt in Synodis, & in Capitulis Generalibus reductiones Missarum, quin recurratur ad Sedem Apostolicam, & alia etiam fiunt, quæ ei Decreto adversantur.

117 Addo, nec bis, nec semel legi in Communitatibus Religiosorũ, vti in eo præcipitur, certumque me esse, sæpe Episcopos in Civitatibus, vbi vixi, aliosque, de quibus notitiã comparavi, reduxisse Missas ad minorem numerum in casibus, in quibus iuxta Decretum deberet pro reductione adiri Sedes Apostolica. Num autem alicubi Hispaniarum ex integro observetur, (quod laude dignum foret) me latet.

118 Sed quanvis quoad ea, quæ sunt velut directiva, & quæ coarctant facultatem alias competentem ex iure siue communi, siue Concilij Tridentini, non sit constans observantia Decreti apud Hispaniam; nihilominus doctrinalia, quæ continet, in magna sunt æstimatione tã apud Scriptores; quàm apud quoscumque alios viros doctos, & pios, vtpote quæ iudicentur innixa securioribus, & probabilioribus opinionibus, valdeque maturè deliberata. Ego sanè ad illa, velut ad Cynosuram direxi totum huius Disputationis, imò & Tractationis cursum; quòd si inscienter, vel minimo spatio, deflexerim, paratus sum relegere viam. Ita tamen ad illa respexi, vt non cæcè captivarim intellectum in obsequiũ Decreti, sed vt curarim, sententias, quibus subscripsi, confirmare rationibus. Tales hæ fuerunt tenui meo iudicio, vt, independenter a Decreto; me afficerent, & traherent in opiniones præhabitas.

*

SECTIO

SECTIO XII.

De Missæ stipendio prohibito Sacerdotibus Religiosis Societatis Iesu.

119 IN reliqua parte huius Disputationis agam de materia, quam præmonstrat titul. Sectionis, agamque latiùs, quàm sperare posset Lector. Sed si è nostra Societate Iesu sit, referet, (ni fallor) grates; si extraneus sit, inveniet multa, quæ cēsebit digna diligenti examine, &, vt spero, nòn culpabit nostram operam.

120 Igitur Noster Gloriosissimus P. S. Ignatius in Examine primo, ac generali ijs omnibus, qui in Societatem Iesu admitti petunt, proponendo, C. 1. sic fatur §. 2. & 3. [Finis huius Societatis est, non solùm saluti, & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare, sed cum eadem impentè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere. Ad hūc finem meliùs consequendum tria vota in ea, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis emittuntur; sic paupertatem accipiendo, vt nec velit, nec possit redditus vllos ad suam sustētationem, nec ad quidvis aliud habere. Quod non tantùm in particulari de vnoquoque, sed etiam de Ecclesijs, & Domibus Societatis professæ est intelligendum. Nec etiam (quanvis alijs sit licitum) pro Missarum Sacrificijs, vel prædicationibus, vel lectionibus, vel vllius Sacramenti administratione, vel quouis alio pio officio ex ijs, quæ iuxta suum Institutum Societas potest exercere, stipendium vllum, vel eleemosynam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorū dari solent, ab alio, quàm à Deo (ob cuius obsequium omnia purè facere debent) possunt admittere.] Rursus parte 4. Constitutionum C. 7. §. 3. ait Sanctus Patriarcha, [Proprium esse nostræ professionis, nullum temporale præmium accipere pro spiritualibus ministerijs, in quibus iuxta nostrum Institutum in proximorum auxilium occupamur.] Insuper parte 6. Cap. 2. §. 7. repetit S. Pater, [Omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint, se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt; nec postulando, nec admittendo stipendiū, vel eleemosynas vllas, quibus Missæ, vel confessiones, vel prædicationes, vel visitationes, vel quodvis aliud officium ex ijs, quæ Societas iuxta nostrum Institutum exercere potest, compensari videatur; vt sic maiori cum libertate possit, & proximorum ædificatione, in diuino seruitio procedere.] Demùm parte 10. §. 5. inculcat, [Quia paupertas velut propugnaculum est Religionibus, vt eas in statu suo, & disciplina conservet, & à compluribus hostibus defendat (vnde etiā Dæmon enititur illud varijs rationibus evertere) refert plurimùm ad cōservationem, & augmentum totius huius corporis, procul admodùm omnem avaritiæ speciem ablegasse, nullus redditus, vel possessiones, vel stipendia pro verbi Dei prædicatione, lectione, aut Missis, aut administratione Sacramentorum, aut demùm rebus quibuslibet spiritualibus (vt est in 6. parte dictum) admittendo, nec ad suam vtilitatem redditus Collegiorū applicando.] Ex quibus omnibus satis constat, prohibitum esse in Nostra Societate Sacerdotibus Religiosis tam privatim, quàm in communi stipendia Missarum accipere; quanquam nec respectu Nostrorum, nec externorum iustum sit, neque Simoniacum.

121 Nostra autem Congregatio V. Generalis Decreto 29. in impressis Antuerpiæ anno 1635, & in MSS. 41. necnon Canone 1. postquàm vehementer omnibus Societatis commendasset exactissimam observationē grauissimæ Constitutionis non accipiendi aliquid pro ministerijs Societatis tanquàm stipendium, vel eleemosynam in compensationem, quia nimirùm ea observatio, ad maiorem ædificationem, & paupertatis nostræ sinceritatem, & puritatem retinendam pernecessaria est, vetat omnino, *ne vllus Superior, ac ne ipse quidem Præpositus Generalis in ea dispenset.* Nuperque anno 1657. die 14. Iulij R. admodùm P. N. Generalis Goswinus Nickel, qui nūc ad clavum Societatis sedet, scripsit in Epistola quadam ad Provinciales, si quis in Societate Superior (quod non credit)

credit) prætenderet ratione aliqua, posse suis subditis concedere facultatem ei Constitutioni contrariam, revocari à se, & adimi è vestigio talem potestatem.

122 Enimverò disputatum fuit seriò, & per plures dies à præcitata Congregatione (& non à 2. vt infra aiunt Suarez num. 9. Pellizarius num. 132.) num in Societate receptio stipendij pro ministerijs sit contra votum paupertatis nostræ, vel solùmmodò contra Constitutionem, & Regulã prohibentem citra culpam etiam venialem, vt magis perfectè, & cum maiori proximorum ædificatione votum paupertatis servetur à Nostris? Post seriam tamen, & longam disputationem nihil in alterutram partem definivit, aut declaravit Congregatio, & ad hodiernum vsque diem adhuc sub iudice lis est.

123 P. Suarez tomo 4. de Religione Tract. 10. L. 4. C. 8. num. 11. inquit, [Hæc controversia mihi dubia est, & disputationis gratia facilè potest pro vtraque parte defendi. Ego verò non auderem, peccati mortalis damnare eum, qui præcisè in hoc delinqueret absque conscientia erronea, nisi aliunde ageret contra votum.] Suario propendenti in partem negantem adhærent Tannerus tom. 3. D. 6. q. 3. dub. 4. n. 115. Pellizarius tom. 1. T. 4. C. & S. 2. n. 132. T. 5. C. 9. S. 3. n. 53. vbi non benè citat prosè Molinã.

124 Nam is Tract. 2. de Iustitia D. 687. ex n. 3. Petrus à Navarra L. 3. de Restitutione C. 1. p. 3. Dubitatione 2. n. 183. Henricus Henriquez L. 9. Cap. 22. §. 3. in margine, littera *P.* Emmanuel Rodriguez tomo 3. Regularium quæstionum in 29. art. 13. & in Summa p. 2. C. 31. num. 8. Petrus Ribadeneyra de Instituto Societatis C. 6. pag. 53. Fagundez L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 7. n. 1. & 2. Paulus Layman L. 4. Tract. 10. C. 8. §. 2. n. 17. Lezana tom. 1. Regul. qq. C. 21. num. 4. Bartholomæus à Sancto Fausto in Thesauro Religiosorum L. 8. q. 128. n. 2. Mascarenhas T. 5. D. 2. C. 5. n. 88. allegans P. Toletum, quem confundit cum Petro à Navarra Toletano, Granadus Controv. 6. de Euch. T. 14. D. 10. n. 6. Alfonsus de Leone q. 8. de Officio Capellani S. 20. n. 204. Petrus Anellus Persicus de Officio Sacerdotis L. 2. C. 7. n. 46. Tho. Sanchez tom. 2. Operis Moral. in præcepta Decalogi L. 7. C. 28. n. 6. Ferd. de Castro Palao p. 3. Operis Moral. T. 16. D. 3. punct. 11. n. 4. esse contra votum paupertatis in Societate promissæ admittere stipendium, vel eleemosynam ad compensationem ministeriorum, quæ ex eiusdem Societatis Instituto exercentur, affirmant tanquàm probabili, verius, ac securius. Quæ sententia est valde cõformis verbis primo loco trãscriptis ex Examine. Nam paupertas, de cuius voto fuerat proximè sermo, extenditur ad id, ne Nostri possint cõparare stipendium pro functionib. spiritualibus sui Instituti.

125 Quanvis verò opposita sententia approbaretur, non ideò non delinqueret contra paupertatis votũ Sacerdos Religiosus Societatis, qui cum à Superiore haberet facultatem accipiendi pecunias ex Sæcularib., admitteret illas, quæ in stipendium Missarũ à se celebratarum, aut celebrandarum concederentur. Ita Suarez n. 11. Sanchez n. 7. & 9. cum Navarra, & Rodriguez, necnon Palaus n. 3. Pellizarius n. 133. alijque præcitati. Et ratio est, quia pecuniarum acceptio in stipendium Missarum fieret sine Prælati consensu nedum expresso, sed etiam tacito, & interpretativo; eaque est talis conditionis, vt notabiliter, & substantialiter cẽsenda sit diversa ab acceptione pecuniarum, ad quam Sacerdos Religiosus Societatis habeat à suo Superiore expressam, vel tacitã, interpretativamve licentiam. Imò talis est cõditionis, vt nec Præpositus Generalis possit licitè, & fortè nec validè, dare facultatem ad ipsam. Videantur Suarez n. 13. & Pellizarius num. 134.

126 Notat verò Sanchez n. 8. si paupertatis voto in Societate promisso comprehendatur abstinentia ab stipendij pro Missis acceptione, fore peccatum lethale vel duorum Regaliũ pro vna Missa acceptionem, etsi duo Regales non sint materia sufficiens ad lethale peccatũ contra votum paupertatis, si pro alia re, aut gratis reciperentur absque licentia. Movetur, quia vna Missa est materia gravis spiritualis prohibita ex paupertatis voto sub stipendio dici, & duo Regales sunt stipen

dium, quod respectu vnius Missæ non reputatur quasi leve, vti reputaretur vnus quadrans æreus v.g.

127 Sed responderi posset, voto paupertatis prohiberi graviter quantitatem, quæ non levis sit, sed gravis absolutè in materia eiusdem paupertatis, suppositâ semper gravitate rei cuiuslibet spiritualis, provt contraponitur temporali, nam ad paupertatis votum non pertinet respicere directò rem vllam spiritualem, & sacram, id enim sic respicere spectat ad virtutem religionis, & alioqui paupertatis votum directò respiceret omnem rem spiritualem tanquàm gravè, & recusaret stipendium quodcumque tanquàm grave; non secus, ac virtutis religionis respectu, ne vnum pro altero in pretium commutetur, omnis res spiritualis, est gravis, etiam quæ in se sit parvi momenti, & quodcumque bonum temporale est grave, prohibitumque graviter, etiam quod in se levissimum sit, vt meritò fatetur Sanchez in illo numero; cum tamen neget, non dari respectu voti paupertatis stipendium, quod leve sit, & rem spiritualem, quæ gravis non sit. Quare non facilè adducar, vt assentiar adnotationi propositę ex tanto Doctore, cui est expressè contrarius P. Molina supra, necnon Alfonsus de Leone supra, num. 205.

128 Dum autem P. Suarez supra, num. 6. ait, [Circa sextam observantiam occurrit similis difficultas, an recipere aliquid pro ministerijs præcisè ex hoc capite sit contra votum paupertatis, & consequenter in materia gravi sit peccatum mortale?] Dumque P. Henriquez supra inquit, [Peccat mortaliter Religiosus Sacerdos Societatis, si exigat stipem in materia gravi.] Intelligo vtrumque, suadente id contextu, de materia gravi ex parte stipendiariæ quantitatis, provt quantitas est gravis absolutè in ordine ad votum paupertatis; est autem in Societate sic gravis illa, quæ si furto auferretur, sufficeret ad perpetrandum peccatum mortale contra septimum Decalogi præceptum, provt declaratur in C. 17. Ordinationum Præpositorum Generaliũ Societatis; ad quam quantitatem non accedunt communiter duo Regales.

129 Fateor, Suarium tom. 3. de Religione L. 8. C. 6. num. 9. Castrum Palaum D. 3. præcitata, puncto 20. num. 3. sentire, posse gravem esse violationem religiosæ paupertatis, quin simul sit gravis violatio iustitiæ, & minorem quantitatem sufficere ad priorem, quàm ad posteriorem, nam prioris gravitas desumitur ex infidelitate non exequendi promissa Deo, quæ infidelitas, vtpote divini cultus omissio, contenta est ad sui gravitatem minori quantitate, quàm quæ requiritur ad posteriorem violationem, vtpote quæ solùm sit læsio proximi in bonis ad vitam necessarijs. Ex gravium horum Authorum sententia potest promoveri ea alia Thomæ Sanchez. Sed nec is ad ipsam respexit, nec nobis vacat ferre de ipsa iudicium.

130 Illud ego in hoc loco notabo, quod mihi videtur satis simile vero, scilicet etsi voto paupertatis nõ adstringeretur Sacerdos Religiosæ Societatis ad non admittendum stipendium Missarum, fore, vt absque peccato mortali non posset aliunde illud admittere in quantitate saltem notabili, exinde nimirùm, quòd exclusio stipendij sit vnum è substantialibus Instituti, aut ad ea quàm proximè accedit, & maximè attinet ad commune Religionis bonum. Videtur autem Religiosus graviter obligari ad seruanda ea, quæ sunt substantialia, aut accedentia quàm proximè substantialibus Instituti, & quæ summoperè faciunt pro communi bono Religionis. Hinc Suarez supra, n. 13. loquens de Præposito Generali Societatis ante Decretum Congregationis V. Generalis in superioribus memoratum, inquit, [Etiam ante hoc Decretũ existimo non potuisse sine gravi culpa in hac materia dispensare, moraliter, seu regulariter loquendo, quia oporteret causam esse valde gravem, quę vix potest in tali materia occurrere. Nec novum videri debet, quòd Superior possit peccare mortaliter, iniquè dispensando in Constitutione, quę per se non obligat ad peccatum mortale, quia dispensatio illa est maximè contra bonum commune Religionis, præsertim in re tam gravi. Est etiam contra obligationem fidelitatis, & iustitię, ad quam Superior tenetur ex officio suo.] Hæc

Suarez,

Suarez, quæ de particulari quocunq; Sacerdote Religioso Societ. non abs re intelligi possunt, servata proportione.

131 Non dixi determinatè, esse unum è substantialibus Instituti nostri exclusionem stipendij, nam etsi in Decreto 58. ex impressis, & 74. ex MSS. Congregationis 5. Generalis declarentur ea esse in primis, quæ in formula, seu regula Societatis Iulio III. Summo Pontifici proposita, & ab eo, alijsque eius successoribus confirmata, continentur; at ea exclusio non habetur in formula primùm oblata anno 1540. sed in alia auctiori oblata anno 1550. & aliquis contendere posset, Cõgregationem V. Generalem loquutam fuisse de priori typo Instituti nostri; & neque illam Congregationem, neque alias, neque Præpositos Generales hactenus declarasse pertinere secundo loco ad substantialia.

132 Sed rogabit quis, an si Sacerdos Religiosus Societatis careat necessarijs ad vitæ sustentationem, vt victu, aut vestitu, possit tunc ex Missarum stipendijs subvenire suæ necessitati? Respondeo, debere tunc recurrere ad Superiorem, penes quem residet cura providendi subditis de necessarijs. Quod si Superior non valeat, aut non velit succurrere subdito, debet is petere potiùs facultatem ad mendicandum, ipsique à Superiore concedi, quàm vti remedio stipendiorum ex Missis. Nam in Societate omnes debent *parati esse ad mendicandum ostiatim, quando vel obedientia, vel necessitas id exiget*, vt instruimur à Sancto Patre Nostro Ignatio parte 6. Constitutionum Cap. 2. §. 10. Si verò nec mendicando subveniatur necessitati, nec sit alius modus honestus, & decens, quo victus, aut vestitus habeatur, licebit in casu necessitatis valde gravis, certiùsque extremæ, recipere stipendia Missarum, quippe necessitas careat lege, vt in proverbio est. Vbi oportet advertere, necessitatem ordinariam, & communem, qualem patiuntur Sacerdotes pauperes, non sufficere, vt in Societate manus porrigãtur ad stipendia Missarum, vt enim in Examine generali ait N. S. Patriarcha Capite 4. §. 26. [Sui victus, potus, vestitus, & lecti rationem, qui Societatem sequi velit, sibi persuadeat fore, vt pauperibus accommodatam, eique quæ vilissima erunt ex ijs, quæ domi sunt, ei tribuentur, propter ipsius maiorem abnegationem, & spiritualem profectum; & vt ad quandam æqualitatem, & veluti mensuram in omnibus perveniatur.] Rursus parte 3. Constitutionum Cap. 1. §. 25. [Diligant omnes paupertatem vt matrem, & iuxta mensuram sanctæ discretionis suis temporibus eius effectus aliquos experiantur.] Item Cap. 2. §. 3. [In ijs, quæ ad victum, & vestitum, & habitationem, & alia corpori necessaria pertinent, curetur cum divino auxilio, vt quamvis sit, in quo probetur virtus, & sui ipsius abnegatio, non desit tamen, quo sustentetur natura, & ad divinum obsequium, laudemque conservetur; habita convenienti ratione personarum in Domino.] Quapropter iuxta mentem Sanctissimi Fundatoris necessitas communis, & ordinaria non debet censeri aliena à vita Sociorum, vt ob eam putent, acceptionem stipendij pro Missis, alijsve ministerijs esse sibi licitam. Et qui non contenti victu, vestitu, vtensilibusque vitæ moderatæ, quam servat Societas, assumerent clam illud ad redundantia quædam, vt ad cupedias, assamque farinam, prætextu necessitatis, ij timere deberent rationem, quam Deo reddituri essent. Sed tales homines arceat longè Deus sit posterum ab hoc Ordine!

133 Vt vero exactè servetur Constitutio de non recipiendo stipendio, & ne vel in speciem laedatur, nulla sunt in Societate sanctè, & prudenter ordinata. Referam nonnulla. Et in primis parte 6. Constitutionem Cap. 2. §. 8. [Vt omnis avaritiæ species eviteretur, præcipuè in pijs ministerijs, quibus ad animarum auxilium Societas vtitur,] precavet S. Pater Ignatius, [ne vlla sit in Ecclesia arca, in quam eleemosynæ ab ijs, qui ad concliones, Missas, vel confessiones, & reliqua spiritualia, ad eam conveniunt, conijci soleant.] Et in 2. Congregatione Generali Canone 23. dicitur, *Non sit arcula in nostris Ecclesijs ad eleemosynas accipiendas pro alijs, cum pro nobis omnino necesse sit, eam poni non posse, vt non rem tantùm euitemus, quæ nobis prohibita est; sed rei illius omnem speciem.* De quo

Canone loquitur Franciscus Sacchinus 3. parte Historiæ Societatis Libro 1. numero 42. Et simile quid vniuersaliter statutum est à Sacra Congregatione Cardinalium anno 1625. in Decreto de Celebratione Missarum §. 8. & in Declarationibus §. *Ad* 14. Deinde Canone 10. Congregationis 1. Generalis dicitur, *Non expedit, vt Capellaniæ, quibus inseruiunt Clerici Sæculares, quos Nostri possint eligere, in nostris Ecclesijs erigantur*; ideo nimirùm non expedit, quia *ex earum Capellaniarum censibus Collegia augeri posse viderentur*, provt proponitur Decreto 134. eiusdem Congregationis. Tertiò, in Canone 7. Congregationis 6. Generalis admonentur Confessarij, Concionatoresque Principum, quomodò se gerere par sit, *ne vllum in Societatis ministerijs paupertatis nostræ puritas detrimentum patiatur*. Quartò, R. admodùm P. N. Generalis Franciscus Piccolomineus in Epist. data ad Societatem an. 1651. die 24. Iunij hæc habet inter alia, [Missarum obligationes, quibus certa respondent stipendia, in nostris Collegijs, præstentur non à Nostris, sed per externos Sacerdotes. Quòd si obligationes illæ annexæ sint Monasterijs, Prioratibus, Collegijs Sæcularium, vel alijs Beneficijs Ecclesiasticis vnitis alicui Collegiorum nostrorum, vel Domorum Probationis ad augmentum fundationis eorundem, atque ita quidem ex consequente deuolutæ sint ad nos, tunc iudicatum est, suffragantibº Patribus Assistentibus, & compluribus Theologis (quibus hoc punctum diligenter expendendũ commisi) posse, salva paupertate nostra, eiusmodi Missas per Nostros celebrari. Nihilominus tamen, quod alias in similibus monuit P. Claudius Prouincialem Lusitaniæ 1581. 1. Septembris, & 1582. 28. Maij, videant Prouinciales, vbicumque sint istiusmodi obligationes, ne graues sint, & nimiùm ijs Nostri onerentur, ita vt nequeant satisfacere Sacris, ad quæ tenentur ex nostro Instituto, tunc enim satisfiat ijs per Sacerdotes externos, attributo his congruo salario ex redditibus supradictorum Monasteriorum, Prioratuum, vel Beneficiorum Ecclesiasticorum.] Hactenus in eis litteris. Et quæ de obligatione rigorosa, atque ex iustitia ad Missas, aut alia suffragia manet in Collegijs nostris, si his à Pontifice Summo vnitum sit Beneficiũ aliquod Ecclesiasticum gravatum tali onere, leguntur etiam in PP. Suarez Lib. 8. Cap. 3. num. 3. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Lib. 3. Cap. 10. num. 5. Mascarenhas Tract. 5. Disp. 1. Cap. 4. num. 81. Prolixum foret alias omnes ordinationes persequi. Eis ergo relictis, decidamus nonnullas difficultas obvias in praxi.

SECTIO XIII.

Expediuntur duæ difficultates circa stipendium Missarum vetitum in Societate.

134 PRIMA itaque difficultas est, an Sacerdos Religiosus Societatis teneatur restituere stipendium iam acceptum ob celebratum, aut celebrandum Sacrificium Missæ? Respondeo, non teneri ex iustitia, si habeat animum celebrandi, aut iam celebrarit, quia obligatio nõ accipiendi, neq; retinendi stipendij non est ex iustitia, & quia nusquam in iure Societatis contractus de stipendio irritus declaratur. Cæterùm ex voto paupertatis tenebitur Sacerdos ante celebratam Missam reddere stipendiũ ei, qui illud dedit, quia voto prohibetur admittere, & retinere, nec Superior potest facultatem concedere, vt licitè retineat sub obligatione Miss. sæ.

135 Sed quid, si Missa iam sit celebrata? Sanchez numero 11. Granadus num. 6. Bartholomæus à S. Fausto q. 129. num. 2. Persicus n. 52. Pellizarius n. 135. (allegans, sed non bona fide Molinam Disputatione 687. siquidem de hoc puncto taceat) sentiunt, teneri reddere danti, nec posse ex Superioris licentia expendere in pios alios vsus, tradereve ipsi Superiori, vt de illo pro suo libito conuenienter disponat, non secus ac idem Sacerdos tenetur ante celebrationem Missæ ad reddendum stipendium ei,

à quo accepit. Sed adest manifesta disparitas ex vno casu ad alium, nam dicta iam Missa non restat locus, vt adimpleatur votum non dicendi nisi gratis, & absque stipendio; & quanquam istud reddatur, nequit iam fieri, vt Missa sit gratis, & absque stipendio dicta. Sic quæ accipiuntur ob turpem causam, ō debent restitui operē impleto, etsi debeant ante opus impletum. Cuius exempli posterior pars cōstans est apud Theologos, & prior est valde communis, loquendo de iure tam naturæ, quā positivo, & loquendo de turpi causa etiam contra iustitiam.

136 Vnde iudico cum Petro Navarra, Henrico Henriquez, Emmanuele Rodriguez, & cum Tannero n. 115. Fagundez n. 2. Leone n. 211. Castro Palao n. 9 Sacerdotē Religiosū Societatis non obligari ex voto paupertatis ad restitutionem faciendam illi, qui stipendium est elargitus, si Sacerdos iam confecit Sacrum; sed posse quod negarunt Sanchez, & alij prænominati: quorum opinionem esse meliorem pronunciat Mascarenhas num. 88: quod an ita sit? relinquo Lectoris iudicio post collatas vtriusque opinionis rationes, postque discretum tempus ante, & post celebrationem; qua discretione suppositā, primus Castro Palao expressè docuerit, & ego post ipsum. Vnde Lectorem moneo, vt diligenter advertat tempus vnum, & aliud.

137 Addit Mascarenhas, se loqui de Religiosis solemniter professis, & de Coadiutoribus siue Spiritualibus, siue Temporalibus formatis Societatis, qui incapaces sunt adquisitionis dominij, non de alijs Religiosis eiusdem Societatis; cum enim è contra capaces sint adquirendi dominij, comparabunt validè, quanvis illicitè, dominium stipendij ob Missas, & ideo nō tenebuntur reddere illud danti, sed Superiori expensuro in vsus pios. Quę additio non placet mihi, in primis quia etiam non professi, & non formati tenentur antè celebrationē reddere stipendium danti, vt convincit ratio proposita in num. 134. licet admittantur comparare eius dominium.

138 Deinde, quia etsi meritò laudetur à Mascarenhas Cardinalis de Lugo, vt qui latè, & doctissimè in tomo 1. de Iustitia D. 3. sect. 4. tractet de capacitate ad dominium bonorum temporalium in non professis, & in nō formatis Societatis, nihilominus Eminentissimus Purpuratus nullatenus concedit, Religiosos non professos, & non formatos Societatis acquirere de facto dominium bonorum, quæ ipsis donantur, vel quæ ex ipsorum industria, & labore obveniunt; quin potiùs in tota illa sect. 4. negat id.

139 Tertiò, quia quanvis prædicti Religiosi capaces sint adquirendi dominium eorum bonorum, vt tamen licitè adquirant, opus est Superioris licentia ex doctrina Cardinalis de Lugo ibidem ob emissum paupertatis votum; & cum respectu quorumcumque bonorum illius generis dubitari possit, an prudenter, & licitè illā concederet, nominatim respectu bonorum ex stipendijs Missarum imprudenter, & illicitè, forsanque invalidè concessurum; dici debet iuxta tradita in Sectione superiori. Atque ita accuratè notavit Pellizarius tomo 1. T. 4. C. & sect. 2. num. 148. 151. 152. & 171.

140 Quarto, professi, & formati sunt quidem incapaces adquirendi non modo licitè, sed etiam validè dominium stipendij pro Missis, & quorumcumque bonorum temporalium, professi ob solemne votum paupertatis, formati ob simplex, adiuncta Ecclesiæ institutione, quæ non se extendit ad votum simplex paupertatis religiosæ promissæ post biennium ab Scholaribus, & Coadiutoribus non formatis; sed tamen sicut professi Sacerdotes alijs Ordinum, præter Minorum, adquirunt dominium stipendij Missarum Communitatibus suis, cur professi, & formati Societatis non adquirent similiter? Cur item ex Superioris facultate non poterunt illud expendere in vsus licitos, quos voluerint, sicut possunt illi alij? Certè ratio non est, quia Societas sit absolutè incapax dominij bonorum temporalium, nam nedum in Collegijs, & Domibus probationis, sed etiam in Domibus professis capax est, si in his excipias retentionem bonorum stabilium, quæ necessaria non sint ad habitationem, aut conuenientem recreationem, tenentur enim Domus professæ vendere illa. Ratio igi-

tur alibnde petenda est, nempe exinde quod Societati tam penes Collegia, & Novitiatus, quàm penes Domos professas, & tam penes personas particulares, quàm penes Communitatem est prohibitum stipendium ex Missis, siue manuale, siue perpetuum; quicquid sit, an stipendij tam manualis, quã perpetui illicitè accepti adquirerent, necne dominium Domus professę, Collegia, & Novitiatus? Quare abstrahẽdo à dominio stipendiariæ pecuniæ ex Missis celebratis à professis, & formatis Sacerdotibus Societatis, deberet Mascarenhas ratiocinari.

141 Quintò, ex titulo professi, aut formati Sacerdotis potest Collegium, aut Domus probationis, in qua ille degat, adquirere dominium census annui, qui legetur illi, fruique censu reddituum, vt docent Cardinalis de Lugo sect. 5. sequenti, num. 104. Pellizarius num. 124. loquentes de legato, quod non sit in stipendium Missarũ, quorum cum onere conferatur; nam huiusmodi legatum vt factum immediatè vel particulari alicui, vel Communitati non potest licitè acceptari à Collegio, aut à Domo probationis, vt vt sit, an si acceptaret, compararet eius dominium? vti comparat legatorum aliorum, & bonorum quorumvis tam mobilium, quàm immobilium. Ergo ex præciso defectu dominij in professis, & formatis non benè deducitur obligatio Societatis ad reddendum stipendium Missarum ei, qui dedit illud.

142 Secunda difficultas est, an consumpto ante celebrationem stipendio, & deficiente restitutionis copia, possit, aut etiam teneatur Sacerdos Religiosus Societatis ad Sacrum, cuius sub onere stipendium admisit? Respondeo, posse, quia celebrando nõ adquirit iam stipendium; & hinc infero, teneri, nam si potest, non est, cur non debeat satisfacere obligationi ex iustitia initæ ratione accepti stipendij. Ita Sanchez num. 25. Layman n. 20. Persicus n. 54. Pellizarius n. 146. Castro Palao num. 10.

*

SECTIO XIV.

Alia difficultas. Vbi de Missis, ad quas ex regula tenentur Sacerdotes Societatis, & an cum eisdem possent satisfacere obligationi ortæ ex stipendio?

143 TERTIA difficultas, an in proximo casu tam strictè teneatur Sacerdos ille celebrare pro eo, à quo accepit stipendium, vt hæc obligatio sit præferenda alteri, quam habeat celebrandi pro Fundatoribus Collegiorum, aut Domorum professarum, pro Benefactoribus vivis, & defunctis, pro Societate ipsa, pro obeuntibus in ea, pro intentione Præpositi Generalis aliorumque Superiorum Provincialium, aut localium, de qua obligatione sæpe est sermo in Cõstitutionibus, & in Canone 18. Congregationis 3. Generalis. Respondeo cum Castro Palao num. 11. priorem illam obligationem præponi debere huic posteriori, illa enim est ex iustitia, & proinde arctior, quàm hæc, quæ est ex simplici ordinatione regulę, aut Superiorum, vel vt summùm ex fidelitate erga Fundatores, & Benefactores, vt docent Suarez L. 8. C. 2. num. 5. Cap. 3. num. 3. Sanchez num. 23. Bardi p. 2. in Bullam Cruciatæ Tract. 4. C. 2. sect. 3. Tamburinus L. 2. de Missa C. 2. §. 9. num. 13. Mascarenhas Tract. 5. D. 1. C. 4. num. 81. Pellizarius Tract. 5. C. 9. Sect. 1. num. 12.

144 Sed Sanchez num. 25. Persicus num. 54. Pellizarius Tract. C. & sect. 2. num. 146. non favent nobis quãtùm ad Sacerdotes Religiosos, quia per vota abeis emissa adquisivit Societas ius in ipsorum voluntatem, cui iuri nequeunt derogare per contractum initum de stipendio sub obligatione celebrandi. Favent tamen nobis Sanchez, & duo alij quantùm ad Sacerdotes, Novitiatus tempore, aut anteà in sęculo ratione stipendij obligatos ad Missas, quia obligationi ex iustitia præiudicare non potest obligatio, quę proveniat ex statutis Religionis,

nis, seu quia nequit supervenire ista obligatio, si ea alia præsupponatur. Occurro argumento Patris Sanchez quoad Sacerdotes, qui post biennij vota contraxerunt obligationem iustitiæ ex accepto stipendio, & dico, Societatem adquisisse ius in ipsorum voluntatem, & vt faciant Sacra præscripta in Societate, si aliunde non obstet obligatio iustitiæ suscepta siue ante, siue post emissionem votorum.

145 Proposita difficultas videbitur, posse evitari, si vno, eodemque Sacro putetur qui vellet Sacerdos Religiosus satisfacturus obligationi tum ortæ ex stipendio, tum alteri derivatę ex ordinatione simplici regulę, aut Superiorum, vel etiam ex fidelitate, sed nullatenus ex iustitia. Hanc sententiam sequuntur Navarra Lib. & C. 2. de Restitutione, Dubitatione 6. n. 339. Lezana in Summa V. *Missa*, num. 22. Mascarenhas Tract. 5. Disp. 2. C. 7 num. CXI. Philibertus Marchinus T. 3. de Ordine parte 2. Cap. 17. Mendo Disq. 9. de Ordinibus Militaribus q. 5. n. 46 & 47. Garcia de Excellent. Sacerdotij Tract. 3. Diff. 10. dub. 4. num. 20. Quartus in Appendice de Sacrificio Missæ quæstione 2. puncto 20. quæstione 4. punct. 3. Difficultate 4. Thomas Hurtadus tom. 1. Resolutionum Moralium Tract. 2. C. 4. Res. 17. num. 178 & 183. Diana parte 6. T. 6. Resol. 9. §. *Notandum*, alijque, quos ipsemet Diana refert parte 10. Tract. 15. Resol. 43. parte 11. Tract. 7. Res. 27. Leander D. 4. quæst. 14. inquiens, Sacerdotem posse offerre Sacrificium pro eo, à quo accepit eleemosynam, & simul pro alijs ex charitate, gratitudine, aut liberalitate; & in q. 15. dicens, Sacerdotes Religiosos, qui ex vi suæ regulæ, & constitutionum tenentur offerre Sacrificium pro defunctis sui Ordinis, posse licitè offerre idem Sacrificium pro alio, à quo stipem acceperint. Leandrum transcribit Diana p. illa 10. Tract. 15. Resol. 43. approbatque eius doctrinam.

146 Idem tamen Diana parte, & Tractatu 4. Resolut. 196. adducta opinione asserentium vna Missa satisfieri pluribus personis Missam petentibus, dummodo ab illis non sit acceptum stipendium, sed gratis eis omnibus personis fuerit Missa promissa, addit, [Sed an probabiliter? iudicent alij, nam hæc opinio multis recentioribus non placet.] Nimirùm de more est huic Scriptori, toties retractare censuras de probabilitate, aut improbabilitate opinionum, quoties in Authores novos incidit, quorum iudicio se se accommodet. Idque in nostro casu videre rursus est, nam parte 5. Tractatu 14. Resol. 81. disputans, an Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum prosit singulis, ac si pro vno tantùm offerretur? & relatis opinionibus tam negante, quàm affirmante, multisque Authoribus pro vtraque, subiungit, [Notandum est tamen, quod si quis in hac secunda sententia affirmante stare vellet, duo notabilia corollaria ex ea posset inferre, primum, Sacerdotem vna Missa satisfacere pluribus petentibus vnam Missam, dummodo ab illis non sit acceptum stipendium, & ita docet Gaspar Hurtado vbi supra, Disp. 4. Diffic. 15. Secundum, eodem Sacrificio satisfacere & proprio voto, & pro eo, qui eleemosynam ad faciendum Sacrum dedit. Sed hæc primam sentētiam negativam sequentes minimè admittunt.] Sic ibi, & nihil vltrà quoad probabilitatem, aut improbabilitatem sententiarum, & corollariorum.

147 Illud de varietate Dianæ accipiatur vt à nobis dictum citra animum homini cum primis eruditissimo, & mirę lectitationis in Authoribus Moralibus concitandi vllam invidiam. Sed vtinam tanti Moralistę opera prodijssent in lucem publicam ea lege, vt solis viris doctis, & in Theologia Morali versatis communia essent! Hi enim caverent scopulos, in quos sæpe vidimus allisisse indoctos, Theologiæque Morali inassuetos, putantes, suadentesve indiscriminatim posse licitè fieri, aut nō fieri quidquid ex alijs refert Diana fieri, aut non fieri posse citra culpam, non expressis omnibus circumstantijs, sub quibus illi loquuntur. Nec plura de incidenti puncto, nisi & ista sint plusquam satis. Regrediamur ad institutum.

148 Et quidem si Missæ Sacrificium pro duobus, aut pluribus oblatum prodesse posset quoad impetrationem, & satisfactionem non minus cuilibet illorum, quàm si pro eo solo offerretur, satisfaceret Sacerdos ille Reli-

Religiosus (de quo est sermo) obligationi ex iustitia ratione stipendij accepti, quātumvis debitam Missam pro Fundatore Collegij, aut Domus professæ applicaret simul pro eo, qui stipendium dedit. Nam applicatio Sacrificij pro Fundatore nō impediret, quominus eiusdem Sacrificij pro stipendij largitore applicatio esset huic tam fructuosa quoad impetrationem, & satisfactionem, ac si pro hoc solo fieret. Igitur non impediret, quominus per illam alteram applicationem satisfaceret Sacerdos obligationi ex iustitia erga stipendij largitorem, siquidem ius ad integrum Sacrificij fructum maneret illæsum, atque indemne, nec posset hic rationabiliter esse invitus, vt cum applicatione pro se adiungeretur altera illa pro Fundatore, nullam sibi importans damnificationem, aut dispendium in Sacrificij fructu.

140 Inquies, eandem rationem militare, etiamsi Sacerdos offerat vnam eandemque Missam pro duobus, qui duo iusta stipendia tradiderint. Fateor; & ideo in Disputatione VIII. non suffragatus sum opinioni, quæ ad præsentem casum præassumitur ex multis, gravibusq; Theologis; sed qui cum eam defensent, negant mordicus sequelam de iustitia facta, rectaque, si pro duobus, qui duo iusta stipendia contribuerint, vnica tantùm Missa offeratur.

150 Inquies rursus, obstare Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium adductum, & expensum in superioribus. Respondeti potest, non obstare, cum non accipiatur stipendiū à duobus pro vnica Missa, nec intendatur, satisfacere per vnicam duplici obligationi ex iustitia, sed vni ex iustitia ob acceptum stipendium, & alteri ex decentia, & honestate, vel vt summùm ex fidelitate.

151 Idemque contingeret, casu quo Missa ex stipendio in impetrationem, & satisfactionem dicta applicaretur simul in gratiarum actionē ex voto concepto à Sacerdote; quanquàm si votum factum fuisset absolutè, & non reservando expressè potestatem applicandi pro alio impetrationem, & satisfactionem, non gereret se benè Sacerdos iudicio Thomæ Tamb. Lib. 3. C. 1. §. 3. num. 12. quia absolutè vovens Deo Missam abdicat à se regulariter eam totam, & veluti dat Deo; non ergo alteri dare potest. Sed respondeti potest, per votum Deo factum de Missa non intendi regulariter, nisi vt ea fiat in gratiarum actionem pro beneficio accepto à Deo, & vt cedat in eius laudem, atq; cultum, quippe respectu Dei, cui voveatur, nequit alium habere effectum; quare dum nō intendatur (quod raro continget) promittere Missam Deo, vt ipse ad suum solum placitum disponat de fructu tam impetratorio, quàm satisfactorio Sacrificij, licebit Sacerdoti disponere de vtroque hoc fructu. Ipseq; Tamburinus ibidem, num. 48. fatetur, si ei, qui absolutè vovit Deo Sacrum in gratiarum actionem de salute corporali, promittat Sacerdos illud, quod alteri absolutè donet in pœnarum remissionem, satisfactum iri formaliter, & sufficienter intentioni tam voventis, quàm Sacerdotis promittentis.

152 Sed adhuc contendit Pellizarius Tract. 6. Cap. 3. num. 40. debere sustineri indubitanter, quod Religiosus non possit recipere stipendium pro Missa, ad quam aliàs teneatur ex proprio voto, quia alioqui equivalenter reciperet duplex stipēdium pro vnica Missa, quatenus reciperet illud pro Missa, ad quam alio titulo sit obligatus, quod perinde se haberet, ac si recipiatur stipendium pro Missa, ad quam ex altero stipendio detur obligatio, cum finis intentus à Sacra Congregatione sit, vt petens Missam ex stipendio habeat totum valorem Sacrificij; quod tamen non eveniret in casu debiti valoris Sacrificij ex voto. Hæc tamen Pellizarij ratio parùm momebit in sententia, quæ nunc præsupponitur, nullo enim fructu Missæ frustrabitur, qui contulit stipendium, etiā si eadem ex debito voti applicetur pro alio.

153 Inquies iterùm, Constitutiones Societatis præscribentes, vt singulis hebdomadis v.g. celebretur à Sacerdote per Superiorem designato Missa pro Fundatore Collegij, aut Domus professæ, præsupponere, dicendā sic esse à Sacerdote Missam, vt totus huius fructus ex opere operato applicetur pro Fundatore, non secus ac si stipendium dedisset. Concedetur, præsupponi

supponi ita in Constitutionibus; & fore, vt ita fieret à Sacerdote, quatenus ab ipso totus Sacrificij fructus applicaretur pro Fundatore, licet totus etiam applicaretur pro largitore stipendij.

154 Replicabis, totus saltem Sacrificij fructus non applicaretur pro solo Fundatore; intentio autem, & voluntas Religionis est, vt totus pro eo solo applicetur. Non negabitur, illam esse intentionem, & voluntatem Religionis; sed dicetur, hanc procedere ex persuasione, quod nisi pro eo solo applicetur, non referet Fundator totum Sacrificij fructum. At nunc agitur ex contraria persuasione pluriū, probatorumque Doctorum, quod totus fructus Sacrificij pro pluribus oblati participatur æquè ab eis, ac si pro vno tantùm fieret oblatio. Ad hæc: præcipuum punctum in casu discusso est circa adimpletam à Sacerdote obligationem ex iustitia contractam ob acceptum stipendium; vt vt sit, an applicando eandem Missam pro Fundatore reportet hic totum fructum, nō aliter, ac si pro hoc solo applicaretur, vel an tantùm reportet aliquem, ad quem non habeat ius largitor stipendij, & qui sufficiat ad satisfaciendum obligationi ex decentia, & honestate, vel ex fidelitate erga Fundatorem, si talis fructꝰ, provt saltem Deo notus sit, intendatur à Sacerdote?

155 Simile quid dicitur à Navarra Lib. & C. 2. de Restit. dubitatione 6. num. 319. & 320. cum multis antiquis apud ipsum videndis, quādo quis Sacerdos simplici promissione, gratiosè, & absque stipendio duobus se obligavit ad Missam, satisfacere enim putant, etsi vnam tantùm celebret. Ex non adeò antiquis audiatur Emmanuel Sà, qui in editione integra V. *Missa*, num. 44. ait, [Qui debet Missam duobus, non satisfacere dicendo vnam, quidam aiunt; alij satisfacere dicunt, si ab illis nihil accepit pro Missa, aut si tantum pro eis adhibeat affectum, quantum si pro vno solo diceret, aut si nulli eorum totam Missam promisit: quorum mihi opinio non displicet.] Audiatur etiam Gaspar Hurtadus Disp. 4. Difficul. 15. V. *Quòd autem*, inquiens, [Ex hoc, quòd Sacrificium pro pluribus oblatum profit singulis, ac si pro vno tantùm offerretur, credimus (excepta iniustitia stipendij) vna Missa satisfieri pluribus petentibus vnam Missam, quia, vt advertit Ægidius art. 1. dub. 10. non est alia obligatio in Sacerdote, quam applicandi petenti Missam, fructum ex opere operato, seu ex institutione Xpi, qui non minus obvenit singulis, quam si vni tantùm applicaretur. Et non est obligatio applicandi fructum ex opere operantis:: qui minus obvenit singulis.] Sic ille transcriptus à Dic. Filio Tract. 5. Disp. 4. dub. 19. num. 364. ab Escobare de Mendoza Tractatu 1. Theologiæ Moralis Examine 11. C. 4. num. 100. pag. (mihi) 187. Et, vt ex verbis exaratis constat, eius doctrina non procedit, quando acceptum est stipendium ab vno ex iis, qui petunt Missam. Vnde hi Authores non benè citantur pro se à nonnullis Modernis relatis in num. 145. & minus benè Ægidius Coninch, quia eius meminit Hurtadus ad illud de obligatione applicandi tantum modo fructum ex opere operato Missæ, si hæc absolutè à Sacerdote petatur. Maiori cum fundamento allegatur Luisius Turrianus in Censuris Theologicis Centuria 3. dubio 10. Sed & hic advertit, considerādam esse intentionem eius, qui vovit, vel præcepit, vel in pœnitentiam Sacramentalem imposuit Missam, an scilicet intenderit, vt offeratur pro vna persona, & non pro alijs, vel non pro vna, sed etiam pro pluribus, quotquot voluerit offerens.

156 Posset quis addere P. Franciscum de Lugo Lib. 5. Cap. 12. quæst. 4. num. 37. pro sententia saltē Hurtadi, siquidem admittat, si duo petant Missam, vnus pro anima purgante, alter pro fœlici aliquo successu, posse Sacerdotem vnica Missa satisfacere duplici promissioni, quam gratis facit, intendens applicare satisfactionem ad petitionem vnius, & impetrationem ad petitionem alterius. Sed is Author alia via incedit, [Sufficit enim (inquit) in aliquo proprio sensu verba verificari, & cum animo promittentis convenire. Proprius autem sensus verborum est, petenti Missam ad impetrandum promittere Missam quoad impetrationem, & petenti pro defunctis promittere quoad satisfactionem.]

Ita

Ita Franciscus de Lugo loquens de promittente gratuito, & liberaliter; consentiuntque Tamburinus Lib. 3. C. 1. §. 3. num. 47. Pellizarius Tract. 6. C. 3. n. 30. & 31. Et hactenus nos in fauorem tentati modi pro superanda difficultate, de qua in hac Sectione.

157 Sed talis modus non arridet Cardinali de Lugo D. 19. sect. 12. num. 250. Francisco de Lugo Lib. 5. Cap. 12. quæst. 4. num. 38. Thomæ Tamburino Lib. 3. C. 1. §. 3. num. 11. Arriagæ Disp. 52. sect. 7. Subs. 2. numero 32. Sforziæ Pallavicino, dignissimo nunc Cardinali, in Conclusionib. Theologicis Lib. 8. num. 174. neque nobis, primò, quia minus conformis est Decreto Sacræ Congregationis Cardinalium, cuius finis videtur fuisse, vt ex Missa, ad cuius applicationem pro vno Sacerdos sit obligatus, non recipiat stipendium ab alio, qui prose, vel pro tertia aliqua persona applicationem postulet. Siue enim obligatio ad applicationem pro vno sit ex stipendio, siue aliunde, si posteà ex stipendio mouetur ad applicationem pro alio, iam stipendium est illicium, quod si defuisset, non cogitasset de applicatione pro alio, sed sincerè in applicatione pro illo vno stitisset. Secundò, quia sicut etsi probabilis sit opinio de Missa, quæ pro multis offerarur, æquè proficua quoad satisfactionem vnicuique, ac si pro eo solo offerretur, non est tamen probabilis in ordine ad id, vt pro vnica Missa plura stipendia à multis, pro quibus offeratur, accipiantur; ita debet nō reputari probabilis in ordine ad id, vt si ab vno reportetur stipendium, liceat æquè offerre eandem Missam pro alijs, qui illud non contulerunt. Nam si id posterius liceat, quinì licebit cōparare stipendia à multis, pro quibus æqualiter eadem Missa applicetur? Si enim absque iniuria Petri, qui dedit stipendium, potest Sacerdos æqualiter offerre Missam pro omnibus alijs, pro quibus ipsi libitum sit, offerre, non apparet, quæ iniuria Petri erit, neque quid ipsius interfit, quòd Sacerdos referat stipendium ab eis, pro quibus æquè, ac pro Petro offert. Ego hactenus non legi, neq; audiui discrimen, quod, sistendo intra ius naturale, quietare me potuerit, neque quod mereatur impugnationem.

158 Supposui, non esse probabilem sententiam de licito multiplici stipēdio accepto ex multis, pro quibus eadem Missa offeratur, nam ita sentiunt Moderni, contra quos disputo, excepto Thoma Hurtado relato num. 145. qui num. 188. ait, [Neq; contra iustitiam est, pro pluribus stipendiū accipere, & Sacrificium vnum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram :: Et existimo, quod etiamsi apponatur sacramentum de non applicando alteri, non tenear, quia est iuramentum de re illicita, & contra charitatem fraternam.] Sic ille post Decretum Sacræ Congregationis, etsi dixisset, Vrbanum VIII. motum forsan fuisse ex quadam consultatione sua ad illud edendum. Cum enim Ioannes Dominicus Montagnolus in quodā libello de Valore Missæ scripsisset, remoto Sæcularium scandalo ex Sacerdotum auaritia, posse sine peccato pro vna Missa plura à diuersis stipendia accipi, Hurtadus librum Montagnoli à censura, quam Iesuitæ illi imposuerant, liberavit, vt in offenso pede curreret, & forsan SS. D.N. Vrbanus VIII. qui tunc temporis Decanus erat Congregationis Indicis, ex libello præfato, & consultatione Thom. Hurtadi in scriptis præsentata, atque in archivo conservari iussa, occasionem sumpsit ad faciendum Decretum de Celebratione Missarum, quod initio sui Pontificatus edidit. Ita in num. 182.

159 Sed est narratio mirabilis. Et quicquid sit de demandata alicui Iesuitæ censura libri provulgati à Mōtagnolo, nescio, quàm solidè glorietur Hurtadus de eo à se vindicato, nā Lezana in Summa V. *Missa*, num. 10. scribens Romæ testatur, prohibitum esse à Sacra Congregatione Indicis, simulque assertioni de licito multiplici stipendio pro eadem Missa appendit hæc elogia, quòd scilicet à Bachone in 4. Dist. 20. quæst. 3. artic. 1. iam olim appellata fuerit erronea, ab Angle in 4. quæst. de Valore Missæ, art. 2 pagina 187. scandalosa, ab Honcala Opusculo 3. Tract. 2. art. 11. pag. 37. iniqua, & impia, & eorum, qui quæstum putant, esse pietatem. Ego abstineo ab his cēsuris, sed a Lectore peto, vt consulat

Ioan-

Ioannem Bernardum Diaz de Luco Episcopum Calagurritanum in Practica Criminali Canonica C. 30. Ferdinandum de Talabera Archiepiscopum Granatensem in Tractatu de Confessione, circa peccata contra Sacramentum Eucharistiæ, Sebastianum Perez Antistitem Oxomensem in Commentarijs ad ad 3. partem C. 25. & 27. de Sacrificio novi Testamenti: qui gravissimi Doctores, & non passim obvij addendi sunt alijs collectis a Marchino Tract. 3 parte 2. C. 16. seu potiùs 15. num. 11. & 12. Illud de impulso Vrbano VIII. ex consultatione Hurtadi ad Decretũ de Celebratione Missarum non intelligo, traditur enim ab hoc Authore in commendationem doctrinæ, quam consultatio recondita in publico chartophylacio ad perpetuam rei memoriam continebat, & quam repetit in verbis supra transcriptis. Ast eam doctrinam oppositã è diametro esse Decreto Vrbani VIII. dixit nuper Amadeus Guimenius in propos. 2. ex Tractatu de Sacrificio Missæ num. 7. adductis verbis Hurtadi. Quare si talis cõsultatio ad manus Vrbani pervenit, motus ex ipsa potiùs videbitur, vt Decreto suo caveret, ne doctrina præfata latiùs serperet.

160 Scripsi ad finem n. 157. si sistatur intra ius naturale, me non invenire sufficiens discrimen, ne ex duobus, pro quibus æqualiter applicetur Sacrum, liceat referre stipendium duplicatum, si licet, quando accipitur ex vno, offerre illud æqualiter pro alio, ex quo salarium nõ reportetur. Id, inquam, scripsi, non ignorans, posse peti discrimen exinde, quòd ne primum dicatur, obstat ius positivum; nempe Decretum Sacrę Congregationis; sed ne secundum dicatur, neutiquàm obest, siquidem in illo Decreto veteretur multiplex stipendium pro eadem Missa, non autem quòd vni obligationi provenienti ex stipendio, & alteri aliunde derivatæ satisfiat vnica Missa. Fateor quidem, non prohiberi expressè in eo Decretò, vt vnico Sacro satisfiat pluribus obligationibus, quarum vna nascatur ex stipendio; sed exinde quòd duplici obligationi ex stipendio vnica Missa satisfieri non posse declaretur in illo Decreto, infertur haud obscurè, non posse satisfieri vni obligationi ex stipendio, & alij aliunde emananti. Nam aut fiet iniuria Petro v. g. qui contulit stipendium, si offerendo Sacrum pro Paulo non offeratur ità specialiter pro Petro, ac si nulla alia adesset obligatio erga Paulum; aut non adimplebitur, quæ erga Paulum habeatur, si offerendo Sacrum pro Petro non ita offeratur specialiter pro Paulo, ac si Petrus non dedisset stipendium, nec iniecisset onus offerendi pro se. Ac sanè Sacerdos ad offerendũ pro Petro obligatus ex stipendio, & pro Paulo ex promissione liberali debet tã specialiter offerre pro vno, quã pro alio, nisi quòd pro vno debet ex iustitia, & pro alio ex fidelitate; Paulusque post Sacerdotis promissionem poterit manere tam securus de Sacrificio applicando specialiter pro se, quàm Petrus post collationem, aut pollicitationem stipendij. Quare si Paulus voluisset curare dici Sacrũ in satisfactionem suorum peccatorum, aut iniunctum ei fuisset à Confessore, vt curaret dici, posset tantam habere securitatem, si Sacerdos, quem fidelem putet, oppignoret suam fidẽ, quàm si Sacerdoti, quem iustitiæ observantem existimet, tradat stipendium.

161 Hinc infertur, Sacerdotem non satisfacere, si absolutè, & simpliciter applicet Missam pro Petro, qui stipendium est elargitus, & pro Paulo, cui ex liberalitate tantùm promisit, applicet sub conditione, quòd vera sit sententia de Sacro non minus vtili singulis oblato pro duobus, quàm si pro vno solo applicaretur. Nam vt obligationi ex iustitia non satisfaceret applicando pro Petro iuxta modum posteriorem, sic neq; satisfaciet obligationi ex fidelitate applicando pro Paulo iuxta modum eundem, nam applicationis modus, qui exigitur ab obligatione ex iustitia, idem requiritur ab obligatione ex fidelitate, quando petitur, & promittitur liberaliter Missa tam absolutè, ac quando petitur, & promittitur ex pacto stipendij. Et sicut iniustus esset Sacerdos, si petenti absolutè Missam, & danti stipendium applicaret illam sub conditione præfata, & non absolutè, ita erit infidelis, si promissa liberaliter Missa ei, qui absolutè postulavit, non applicet absolutè Missam, sed sub conditione illa. Sicut item

item obligationi ex stipendio non satisfacit Sacerdos sequendo opinionē, quæ ait, Sacrificium pro pluribus oblatum prodesse non minus singulis, quā si pro vno offerretur, ita neque satisfaciet obligationi ex fidelitate, si sequatur eandem opinionem. Cur namque opinio, iuxta quam licitè operari non potsit ex virtute iustitiç, sufficiet ad licitam operationem ex virtute fidelitatis? Etsi enim obligatio ex fidelitate sit minus stricta, ast opinio, quç probabilis non iudicetur, vt iuxta eam adimpleatur obligatio strictior, nequit iudicari probabilis, vt minus strictæ obligationi satisfiat, præsertim quando probabilitas, aut improbabilitas nō desumitur ex ordine ad eam minus, aut magis strictam obligationem: vti in præsenti accidit, quia quòd Missa oblata pro pluribus proficiat tantùm singulis, quantùm si pro vno solo applicaretur, non dependet ab eo, quòd oblatio fiat ex minus, aut magis stricta obligatione.

162 Similiter infertur ex dictis, Sacerdotem, qui Paulo Missam promisit liberaliter, sed absolutè, non satisfacere, si pro Petro, qui stipendiū dedit, applicet ex prima intentione, & pro Paulo ex secunda. Vt enim iustitia obligat ad offerendum pro Petro ex prima, ita fidelitas ad offerendum ex prima pro Paulo, si huic promisit Missam, etsi liberaliter, sed tam absolutè, quàm Petro, etsi sub stipendij contractu. Porrò iustitiam obligare ad id, quod dixi, dubitari non potest ab ijs, qui sciant, quid sit pro aliquo offerre ex intentione prima, aut secunda, &c. de qua loquutione iam ego egi in D. 8. num. 37. in D. 15. n. 47. Vnde Vazquez Disput. 231. C. 6. num. 40. Inquit, [Ratione incertitudinis, quç ex varijs opinionibus in hac re provenit, quisque debet primaria intentione, imò omnino pro eo sub conditione Missam celebrare, pro quo speciali obligatione offerre debet, ne fortè ex consortio aliorum aliqua parte fructus defraudetur.] Sic Vazquez; & omissis multis alijs Theologis modernis, atq; antiquis, addo solummodò Martinum de Frias Professorem emeritum Theologiæ in hac Academia, & pro Episcopo D.D. Franciscode Bobadilla Provisorem, Visitatoremque Generalem Diœcesis etiam huius Salmanticensis, qui in perdocto Tract. de Valore Missæ, edito ad annum 1528. vel paulò post, V. *Ad 2. quæstiunculam* fol. 61. scribit, [Non ex hoc decipiatur min⁹ peritus Sacerdos, existimans per talem applicationem illius Sacrificij in illis gradibus secundo, tertio, & sic deinceps, satisfacere illis, quibus talē applicationem facit, si alicui eorum tenebatur ad specialem Missam.] Ita Martinus de Frias, quem Deus in Cœlo fortunet, iudico namque fuisse illū Baccalaureum, aut Licenciatum, Vicariumque Frias, qui Salmanticæ paulò ante annum 1528. dimisit è carcere Sanctum Patrem Nostrum Ignatium, lata honestissima sententia de eius doctrina, atque vita laudabili, vt referūt Ribadeneyra L. 1. C. 15. Maffeus L. 1 C. 17. Vitæ S. Ignatij, Orlandinus L. 1. Hist. Societatis n. 61. & 62. etsi enim alter Frias, ilque Doctor vnà cum Doctoribus Isidoro, & Paradinas adsciti fuerint à Vicario Frias ad censuram ferendam de doctrina S. Patris; ast Author laudati Tractatus non se appellat Doctorem, sed titulis, quorum anteà memini, & dedicat eum Tractatum, adiunctosque alios eruditos, & pios vt Vicarius Episcopo, quem supra nominavi. Laudatur autem Martinus de Frias tanquàm vir tum doctus, tum probus, tum Magister suus à Doctore Honcala in Tractatu de eodem Valore Missæ, art. 18. fol. 43.

163 Redeo ad illud, vnde diuerti, & noto, per applicationem ex secunda intentione non satisfieri animo Religionis, quando præscribit, vt Sacerdotes vivi offerant Missas pro defunctis in eadem Religione, nam denunciat applicandas absolutè pro illis, proindeque eodem modo, & intentione, ac si ob eas esset reportatum, aut reportandum stipendium. Videantur aliæ rationes in P. Mendo supra, n. 47. Ea autem, quam adduxi, probat, Religiosum, qui, accepto stipendio, applicet eandem Missam ex prima intentione pro Sæculari, & pro defuncto sui Ordinis ex secunda intentione, non satisfacere convenienter obligationi stipendij, & ordinationi Religionis. Monetque prudenter Benedictus Remigius Noydens è religiosissimo cœtu PP. Clericorum Minorum in Praxi Curatorum

ratorum Tract. 5. C. 4. §. 7. num. 3. pag. 272. æquum non esse, vt ita fiat cum defunctis Ordinis, asseveratque, se non ausurum sic agere; quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & time, ne in qua mensura mensus fueris, remetiatur tibi.

164 Consentit nobiscum Quartus supra, punct. 20. quantùm ad id, ne eodem Sacro possit satisfieri oneri orto ex stipendio dato à Sæculari, vt pro se celebretur, & regulæ de oblatione pro defuncto Ordinis, quia hoc debitum est etiam iustitiæ, & duplici obligationi ex iustitia non potest satisfieri vnica Missa. Verùmtamen cum posterius debitum non oriatur ex stipendio, nec Religiosus sacrificans referat illud duplicatum, si iuxta Quartum potest obstrictus vni ex stipendio, & alteri ex promissione liberali liberare se per celebrationem vnicę Missę, cur non poterit similiter se expedire in casu proposito? Vel si non potest, vt ego cum Quarto censeo, debuisset ipse mecum dicere idem ipsum in illo altero casu. Etsi autem Quartus aggrediatur exhibere disparitatem, eo quòd obligatio ex simplici promissione non sit adeò stricta; sed huiusmodi disparitas iã est à me paulò anteà redarguta.

165 Quod à Quarto dicitur de obligatione Religiosorum ex iustitia ad Sacra pro defunctis Ordinis, etiam vbi regulæ citra culpam vllam mandant, vel vetant, vt in Societate, inde ab ipso probatur, quia Religiosus habet ius strictum iustitiæ ad participationem bonorũ spiritualium præscriptorum iuxta regulam vnicuique è Religione, siue vivo, siue defuncto, tradidit enim se potestati Religionis in eius obsequium, & ea vicissim se obligavit ad illum tractandum tanquã filium, præsertim in spectantibus ad salutem animæ, & ad participationem bonorum spiritualium, quę sunt designata pro vnoquoque in regula; & proinde hac supposita, resultat obligatio strictæ iustitiæ ex vi contractus implicitè iniri, quando trium votorum religiosorum facta fuit, & admissa nuncupatio. Sed Quartus omisit adstruere, quod necessarium prorsus erat, scilicet suffragiorum designationem in regula pro vnoquoque Religioso defuncto præstitam fuisse à Religione ex animo obligandi se ex iustitia erga Religiosum, & ab hoc fuisse factam traditionem sui in potestatem, & obsequiũ Religionis, cognito illo animo, & ex fiducia in illo. Vnde si Religio præscripsit suffragia ex charitate, pietate, liberalitate, atque gratitudine, & Religiosus carear prudenti, probabilique motivo, vt sibi persuadeat, designationem fuisse constitutam ex iustitiæ obligatione, provt vtrumque in Societate est compertum, ratio Quarti nihil convincit. Ad ipsum prope accedit Pellizarius tomo 1. T. 3. C. 6. S. 1. n. 33. inquiens, obligationem Religionis ad suffragia pro suis defunctis esse quasi ex iustitia, quia Religiosus, dum vivit, præstat suffragia suis Correligiosis defunctis, vt cum ipse moriatur, recipiat vicissim illa à Religione, nempe à Religiosis vivis, ex quibus Religio tanquam vnum corpus morale cõponitur. Ast & Pellizario defuit probandum, præstari à Religioso vivo pro defunctis suffragia ex contractu, vel quasi contractu oneroso, vt sibi mortuo rependãtur illa à superstitibus Religiosis. Quoquidem modo non præstantur in Societate, sed ex motivis proximè declaratis.

166 Cæterùm etsi Missarum applicatio pro defunctis Ordinis non sit debita nisi tantùm sub simplici ordinatione regulę, nihilominus magnoperè expedit, Religiosos vivos esse diligentes in celebrandis Missis pro socijs, qui è mortali vita excesserunt, vt cum ipsi diem suum clauserint, faxit Deus, vivos alios gratiam rependere patem; quòd si negligentes fuerint, timeant talionem. Expedit etiã valde, vt Religiones nullum apponant obicem, quominus pro suis defunctis applicetur à vivis fructus Missarum omnino certò, & independenter à Doctorum opinionibus; id quod fiet, si vivos relinquant expeditos ad Sacra pro mortuis, si non recipiant stipendia ad eadem Sacra, neque pro exteris iniungant primam intentionem, & pro domesticis secundam, aut æqualem pro vtrisque. Nam si Religio deserat suorum animas in calamitate Purgatorii, cum illi non habeant pecunias, vnde sibi ad Missas post mortem consulant, cumque consanguinei, & amici Sæculares deponãt curam suffragandi illorũ

animab⁹ ex fiducia in subsidia, quæ audiũt exhiberi à Religione, destituẽtur omni humana ope, aut certè suffragijs impensis specialiter pro eis. Quare me dóiet legisse in Marchino ad citatum C. 17. num. 9. Religiones, in quibus regula de suffragijs pro suis defunctis non obligat ad veniale, posse facilè gerere se sic, vt pro illis non offerant alia Sacra, quàm eadem ipsa, ad quæ pro Sæcularibus habent obligationem ex stipendio.

167 In nonnullis Ordinibus celebrantur ex regula, aut ex vsu antiquissimo quædam Missæ votivæ, vt de Beata Virgine, & quia non constat de Maiorum mente circa applicationem fructus, sed tantùm circa cultum specialem Deiparę, ideo P. Mendo supra, num. 48. ait, liberum esse celebrantibus offerre primariò, & secundariò pro quo maluerint; addit tamẽ in num. 40. [esse laudabile, vt præfatæ Missæ offerantur secundariò pro augmento, & bono Ordinis, & pro omnibus Regularibus ex ipso Ordine viuis, ac defunctis, quæ videtur posse præsumi intentio ipsius Ordinis illas Missas designantis, nec aliud iniungentis.] Sic ille. Sed mihi videtur, si possit præsumi, illam esse intentionẽ Ordinis, debere offerri primariò eas Missas pro augmento, & bono Ordinis, &c. Moveor primò, quia, vt idem Author scripserat num. 47. seu potiùs 46. [non solet de secunda intentione cogitare Ordo, aut Prælatus, cum Missã iniungit. Etenim quoties Superior indicit subditis, vt aliquam Missam celebrent, primariam Missæ oblationem exigit, cum secunda intentio solùm tendat in defectum primæ, & sæpissimè frustretur.] Moveor secundò, quia nisi Religio declaret contrarium, & relinqui à se vnicuique Sacerdoti liberam applicationem, censenda est velle consulere sibi, & suis omni meliori modo per applicationem fructus earum Missarum, quippe nemo præsumatur negligere proprium commodum, & præsertim quod spirituale est, nisi expressè significet oppositum. Moveor tertiò, quia in dubio de Ordinis animo circa applicationem earũ Missarum, debet melior esse conditio ipsius Ordinis possidentis ratione iniunctionis absolutę Missarum. Moveor quartò, quia si quis à Sacerdote petat absolutè Missam votiuam de B. Virgine, tradatque, aut promittat stipendium, tunc Sacerdos debet non modò Officiaturam Missæ in Deiparæ cultũ, sed etiam applicationem Sacrificij pro eo, qui tradit, aut promisit stipendiũ, si ipse non expressit, aut ex aliqua circumstantia non colligatur, non curari à se de applicatione. Ergo similiter putandum est de Religione, quando absolutè præscribit, vt Regulares celebrent Missam de B. Virgine.

168 Vbi non tacebo casum, de quo dudum rogatus fui. Quædam Religio sanctitate, & sapientia pręfulgens cupiebat reparari Monasterij cuiusdam templum valde necessarium ob concursum populi ad illud, sed deerat facultas, nisi iuvaretur stipendijs Missarum: actum est in Definitorio, num Superior Congregationis posset in ea ordinare, vt Missæ votivæ, quæ à singulis Religiosis vnaquaque hebdomada siue ex regula, siue ex consuetudine antiquissima dicendæ erant, omitterentur ad certum tempus, sicq; Religiosi expediti facerent Sacra pro cõtribuentibus eleemosynas manuales; quibus collectis neque difficulter, neque longo tempore instauraretur ędes sacra, fieretque id sine sumptibus cæterorum Monasteriorum, & sine iustis querelis, non enim in commune pecuniam conferrent, quam aliàs habitura essent? Sed cum Definitorum iudicia essent diversa, placuit exquirere consilium extraneorum. Non defuit, qui responderit, si potestas Superioris circa innovationem in Missis illis votiuis dubia erat, restare aliud medium, scilicet vt Religiosi facerent Sacra illa tum pro ijs, à quibus accepta fuisset merces, tum pro Ordinis intentione.

169 Cui industriæ ego non subscripsi ob dicta in hac Sectione; & nunc addo, obligationem ad illas Missas fuisse forsan ex voto Maiorum in honorem Deiparæ. At ei, qui exinde tenetur celebrare, non licet eiusdem Missæ de causa accipere eleemosynam ab alio, quanvis per votum nõ se obligaverit ad applicationẽ determinatã; non, inquam, licet, nisi ipse, cum vouit, intenderit expressè relinquere sibi optionem stipendij. Ita Thom. Sanchez

chez Libro 4. in Decalogum Cap. 15. num. 11. Bonacina Disput. 4. circa 2. Decalogi præceptum q. 2. punct. 6. n. 6. 7. & 8. Bartholomæus à S. Fausto in Thesauro Religiosorum Lib. 1. q. 169. Alfonsus de Leone quæst. 1. de Officio Capellani sect. 2. numero 20. alijque.

170 Dixi etiam tunc, non expedire, vt Religio pijssima, iuxtaque doctissima publico suo suffragio authoritatem conciliaret opinioni adeo incertę de licito stipendio à Sæcularibus accepto pro eadem Missa, ad quam ipsa alias se agnosceret, aut non negaret, se esse obligatam, vt applicaret eius fructum in diversum finem. Præterea timeri posse, ne Religiosi arripientes inde ansam similiter segererent circa Sacra pro defunctis Ordinis; ne item Sæculares certiores facti de præfata industria offenderentur, & avocarentur ab stipe conferenda, quæ responderet illis Missis, imò & reliquis alijs. Vt enim observat Dicastillus Tractatu 5. Disput. 4. dub. 19. num. 365. Religionibus, in quibus aliqua suspicio est, quòd similium opinionum praxis recepta sit, decrevere valde eleemosynæ Missarum, [plerique enim fideles id ipsum timentes, aut suspicantes renuunt, & refugiunt illis stipendia pro Missis celebrandis dare, & ad alias Religiones, vel Clericos etiam Sæculares recurrunt, de quibus non eadem suspicio est.] Tandem dixi, si Religio sincerè, & candidè permaneret in Sacris illis peragendis ad honorem Deiparæ sine respectu vllo ad stipendia, fore, vt à Deo sperare posset, quòd provideret, ne deficerent necessaria, imò & quòd abundantiora suppeterent ad reparationem templi. Quid autem censuerim de potestate Superioris ad dispensandum pro tempore in regula, aut consuetudine illarum Missarum, non spectat ad hunc locum.

*

SECTIO XV.

Duæ aliæ difficultates.

171 QVARTA difficultas, an Sacerdos Religiosus Societatis peccet, si Sacra faciendi pactum ineat cum Petro, dum modò hic stipendia conferat Paulo pauperi consanguineo ipsius Sacerdotis? Sanchez num. 15. Fagundez tomo 2. in præcepta Decalogi Lib. Cap. num. 7. & supra num. 2. Layman numero 20. Bartholomæus à Sancto Fausto quæst. 130. Mascharenhas num. 89. Pellizarius num. 137. Persicus num. 52. Alfonsus de Leone numero 208. respondent affirmativè cum Navarra, & Rodriguez; quia re vera pecunias illas suo Sacro adquirit sibi Sacerdos, & dat pauperi illi; & ita non potest dici, gratis facere Sacra; quod Constitutiones Societatis, iuxta quas paupertas vovetur, petunt.

172 Sed Castro Palao num. 7. respondet negativè, quia votum non obligat, nisi vt ipse Sacerdos, qui eo se ligavit, non admittat stipendium; & hac ratione gratis celebret, quatenus ipse non adquirat stipendium: vt vt sit, an alius adquirat. Et quia votum illud non violatur, nisi intervenlat acceptio, retentio, vel distributio pecuniæ. At in hoc casu Sacerdos neque accipit, neque retinet, neque distribuit pecuniam; solus enim Paulus consanguineus accipit, & retinet; distributio verò fit à Petro, nomine quidem suo, & non Sacerdotis; quare hic moraliter non dat, neque tradit aliquid Paulo consanguineo.

173 Verumtamen recedendum est à Castro Palao. Et vltra Authores relatos, quos sequamur, habemus Epistolam R. admodùm P. N. Claudij Aquavivæ scriptam an. 1614. die 22. Aprilis ad Patrem Alfonsum Carrillum Visitatorem Provinciæ Castellanæ, cuius exemplar legimus in Methymnensis Collegij libro MS. cõtinente responsa Patrum Præpositorum Generaliũ. Tenor Epistolę is est, [Nullus è Nostris faciat Sacra in satisfactionem eleemosynarum, quæ

ea de causa, & respectu suis consanguineis conferantur, est enim res admodũ aliena à nostris Constitutionib⁹, & à puritate exercendi nostra ministeria, necnon à paupertate, quam in hac parte profitetur nostra Societas.] Sic ibi. Vlteriùs à ratione insurgimus cõtra Castro Palao. Nam si Petrus non donat liberaliter pecuniam Paulo, sed ob pactum ex iustitia initum cum Sacerdote, ægrè intelligitur, Petrum nomine suo, & non Sacerdotis dare moraliter, tradereque pecuniam; ægrè item intelligitur, Petrum ex obligatione iustitiæ conferre pecuniam Paulo ob contractũ non cum ipso Paulo, sed cum Sacerdote factum, si Petrus non Sacerdotis nomine, sed suo conferat. Ponamus, Religiosum vendere Petro aliquem librum sub conditione, quòd Petrus conferat Paulo pretium libri. Nonne tunc pretium libri tribueretur Paulo nomine Religiosi? Meum namque quodammodo fit, quod mei causa fit, vt traditur *leg. Prætor ait ff. de Edendo*; & vt *leg. 2. ff. de Calumniatoribus*, no refert, an quis pecuniam acceperit, an alteri iusserit dari, nimirùm si pri⁹ eam expressè, vel tacitè acceptarit, provt advertit Sanchez L. 6. de Matrimonio Disp. 4. num. 7. & post eum Fagundez supra num. 4. Atque vt inquit Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiç C. 48. [Quod mea gratia datum est, ego accipio, quicumque is sit, qui accipit. Non enim omnia, quæ nobis vndecumque donantur, nostris manibus accipimus, sed etiam amicorum, & familiarium, &, vt semel dicam, eorum, quibus donator donat, vt nobis rem gratam faciat.]

174 Ad hæc: nisi votum paupertatis in Societate emissum obliget, ne ob Missam accipiat stipendium tum ipse Sacerdos Religiosus, qui eam celebrat, tum quivis alius, posset facillimè eludi vis voti de non accipiendo stipendio, nõ solùm iuxta modum propositum in difficultate, sed iuxta aliũ etiam, maximè abhorrentem, vt credo, ab intentione Nostri Patriarchæ Sancti, & Societatis. Posset namque vnus Sacerdos Religiosus Societatis pacisci de stipendio ob Missam à se celebrandam, cum conditione, vt stipendium concedatur alteri Sacerdoti Religioso eiusdem Societatis, & vice versa, tunc quippe neuter admitteret stipendium ob Missam à se celebrandam, sed vnus ob Missam alterius. Vnde intra ipsam etiam Societatem aperiretur patens porta ad victitandum ex stipendijs Missarum.

175 Cuius casus occasione adverto cum Pellizario in num. 140. Sacerdoti Societatis habenti licentiã comparandi octo Regales v. g. fas non esse quærere illos ex stipendijs Missarum, committereq; has Socijs quatuor Presbyteris, qui pro intentione erogantis octo illos Regales celebrent singuli vnum Sacrum, nã licet singuli Socij excusarentur à culpa gravi ob paruam materiç quantitatem; at commẽdans Missas non excusaretur, quia etsi quantitas adquisita ex vniuscuiusque Sacro sit modica, at ex singulorũ Missis percipere quãtitatem duorum Regalium cum animo advnandi ipsas, & perveniendi ad octo Regales, quæ est quantitas gravis, non potest non esse culpa lethalis. Quo patet disparitas ad illum, qui efficeret, vt multi eodem, aut diversis festis laborent, omnes quidem tempore notabili, sed singuli per se levi; qui iuxta Sanchez Lib. 1. in præcepta Decalogi Cap. 4. num. 12. non peccaret lethaliter, quia modica singulorum tempora minimè vniantur; & cuiuslibet labor non excedat culpam venialem.

176 Quinta difficultas, num idem Sacerdos Religiosus Societatis peccet, si in se suscipiat onus Missarum, quas dicere debebat alter per se, vel per alium ob acceptum, vel ob cõmissum sibi stipendium, quod distribuat? Respondeo primò cum Sanchez num. 24. Fagundez Capite illo 7. in præcepta Decalogi, num. 16. Persico num. 54. Pellizario numero 139. non peccare, si alter sit impotens factus ad dicendas Missas per se, vel per alium; per se, vt si multæ illæ sint, & non sufficiat vitæ tempus ad illas dicendas; aut si sufficiat, at nisi ipse accipiat de novo aliarum Missarum stipendium, carebit victu; per alium, vt si consumpto stipendio priùs tradito ad proprios vsus, vel ad aliorum Sacerdotũ, quibus distribueret cum obligatione faciendi Sacra, non habeat iam copiam compensandi, aut restituẽdi stiperdij. Ratio est, quia tũc censentur celebrari gratis

gratis ea Sacra à Sacerdote Religioso Societatis, siquidem tunc sit moraliter impossibile, vt alter, cuius onus suscipitur, det, aut restituat stipendium.

177 Confirmatur ex quadam Declaratione R. admodùm P. N. Claudij Aquavivæ olim facta circa Sacerdotem, qui obligatione Missarum ex recepto stipendio gravatus admissus fuit in Societatẽ. Declaravit enim P. N. Claudius, posse Missas illas dici nõ tantùm ab eo Sacerdote post biennij adhuc vota, sed etiam ab alijs Sacerdotibus Religiosis Societatis ex ordine Superioris, dummodò desint Sacerdotis gravati bona, quæ in stipendium Missarum erogentur Sacerdotibus Sæcularibus. De qua Declaratione testatur Sanchez num. 23. laudarque ipsam, vt & Persicus num. 53. atque Pellizarius num. 145. Qui tres Authores cõmodè advertunt, Sacerdotem illum ante vota biennij teneri facere ea Sacra debita ex stipendio, cum ad hoc iõ habeat vllum impedimentum; teneri etiam post vota, quia non potuit his se obligare in præiudicium obligationis ortæ priùs ex iustitia; tandemque teneri anteponere ea Sacra alijs præscriptis in Constitutionibus Societatis, vt qui fuerit in mora satisfaciendi obligationi ex iustitia ad ea Sacra, & vt qui ad alia præscripta in Constitutionibus nedum ex iustitia, sed neque sub culpa vrgeatur.

178 Respondeo secundò cum Sanchez num. 18. Castro Palao num. 8. Fagundez C. filio 7. in præcepta Decalogi num 15. Pellizario num. 139. Persico num. 54. Alphonso de Leone num. 203. licere Sacerdoti Religioso Societatis facere Sacra, ad quæ tenentur hæres, legatarius, aut Capellanus, ita vt ille non accipiat stipendium, nec paciscatur de eo tradendo alijs, sed retineri possit ab hærede, legatario, aut Capellano ad vsus, de quibus posteà. Probatur, tum quia in concionum ministerio (pro quo æquè non est fas Religiosis Societatis stipendium ferre) fit sæpe id, concionantur enim Nostri, & qui festivitatis curam gerunt, non cõferunt ipsis eleemosynam pro Prædicatore destinatam ab eo, qui festivitatis concionem dotavit. Tum quia, vt ait Sanchez, [Hæredes illi, Capellani, & loca pia non adquirunt dominiũ illius pecuniæ ratione horum Sacrorũ, (quæ celebret Sacerdos Religiosus Societatis) sed ratione tituli hæreditarij, legatarij, aut Capellaniæ, & solùm virtute eorum Sacrorum eximuntur onere illis titulis annexo faciendi ea Sacra; & sic merè gratis ea fiunt, quãuis peraccidens alij eximantur obligatione pecunias expendendi, vt ila fiant :: Nec obstat, testatorem iussisse dari stipendium siue solitum, siue solito maius pro illis concionibus, aut Sacris, quia re vera prima, & per se testatoris intentio est, vt Sacra illa, vel cõciones fiant; & accessoria, & peraccidens est iussio retributionis stipendij siue ordinarij, siue maioris. Quare inuento gratis faciente Sacra, vel conciones, eximuntur ab ea eleemosyna danda tanquam accessoria, & onere injuncto principali obligationi.] Ita Sanchez.

179 Qui videtur sentire, posse stipendium retineri ab hærede, legatario, aut Capellano, vt de eo liberè disponat in sui, aut aliorum vtilitatẽ. Sed ego suaderem, vt disponeret in aliquam piam causam ex voluntate interpretativa illius, qui stipendium designavit, nisi ipse hæres, legatarius, aut Capellan⁹ necessitatem patiatur, iuxta dicta in responsione prima. Suasi id ipsum circa collectam pro examine Clericorum Sæcularium ad Ordines, aut ad Beneficia, quando aliquis ex Nostris obit munus Examinatoris Synodalis; licet à nonnullis dubitetur, an sit proprium Societatis ministerij, pro quo non liceat accipere stipendiũ? de more tamen est, sæpeque commendato à NN. PP. Generalibus, non accipere, nec à Superioribus facultatem præberi. Suasi, inquam, id ipsum quæsitus Oveti ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino D. Bernardo Caballero de Paredes Episcopo Ovetensi, eximiæ virtutis, prudentiæ, & regiminis Antistite inter cæteros Hispanos. Securissimumque erit, reddere sportulam ipsi examinato; illam scilicet, quam Examinator Societatis recusauit.

180 Respondeo tertiò cum Castro Palao supra, & cum Maicarenhas Tract. 5. Disp. 2. C. 5. num. 90. licitum esse Sacerdoti Religioso Societatis facere ea Sacra, ad quæ dicenda,

vel ad procurandum, vt dicantur, tenentur ex manuali stipendio accepto Clerici privati, qui proinde poterunt illud sibi retinere. Ratio est, quia Sacerdos Religiosus Societatis neq; tunc recipit stipendium, neq; concedit his Clericis; sed hos habentes iam dominium stipendij sub conditione onerosa celebrandi, aut procurandi, vt celebretur ab alio, cui stipendium tribuant, liberat ab obligatione Missarum.

181 Refragatur Sanchez num. 19. & post ipsum Persicus n. 54. ac Pellizarius num. 139. Alfonsus de Leone num. 213. nam [cum huiusmodi Clerici non habeant ius aliquod, aut titulum eas pecunias comparandi, nisi mediantibus Sacris factis per hunc Religiosum, hęc Sacra ius illud, & titulum retinendi conferunt; ac proinde idem est, ac si Religiosus hic stipendiū illud acciperet, & illis daret.] Sed contrà primò, quia sicut hæreditas, legatum, aut Capellania hominis obligati ad Missas est titulus comparandi, retinendique pecunias, ita etiam donatio onerosa. Contrà secundò, quia qui sub cōditione onerosa tradit pecunias, is dat ius, ac titulum adquirendi, retinendique illas; & Sacerdos Religiosus Societatis faciens Sacra apponit solummodò conditionem, sine qua nō possent Clerici iustè comparare, aut retinere illas pecunias. Contrà tertiò, quia ex eo, quòd Sacerdos Religiosus Societatis daret ius, & titulum, causamque iustam adquirendi pecunias, & retinendi, non sequeretur, dare formaliter ipsas pecunias. Si contendas tamen, perinde id fore moraliter, ac si formaliter daret. Sit ita: sed tunc primæ, ac secundæ impugnationi fidendum omnino est.

182 Amplio tertiam hanc responsionem ad casum, in quo Clericus privatus non iam recepisset stipēdium, sed tantummodò haberet alteri obstrictam fidem præbendi illud, si tot Missas celebraret. Eadem namque valet vtrobique ratio, vt consideranti patescet.

183 Respondeo quartò cum Sanchez, & alijs supra, executorem testamenti, merumque distributorem, dispēsatoremve eleemosynę pro Missis non satisfacturum suæ obligationi, si reservet sibi stipendium, curetque, vt à Sacerdote Religioso Societatis celebrentur gratis Missæ. Ita colligitur ex dictis in Sect. V.

184 Cæterùm Sacerdos Religiosus Societatis non peccabit contra paupertatis votum, si Missas dicat gratis, & alter retineat sibi stipendiū, & ita indicat Castro Palao in num. 8. Inquies, alterum non comparare dominium pecuniæ nisi ratione celebrationis factæ à Sacerdote Religioso Societatis. Ergo hic moraliter concedit alteri stipendium. Nego Consequentiam, vt si tibi commissæ sint aliquæ pecuniæ expendendæ in consecutione dignitatis, aut officij à Principe, non censebitur Religiosus Societatis concedere tibi eas pecunias, si sua intercessione, nullis tuis sumptibus, obtineat à Principe dignitatem in favorem illius, qui tibi pecunias commisit.

185 Sed quænam obligatio remaneat in testamenti executore, pro cuius intentione Sacerdos Religiosus Societatis dixerit Sacra gratis, quę vt ipse executor procuraret dici, acceperat pecunias? P. Sanchez existimans, Religiosum Sacerdotem Societatis peccare per se contra votum paupertatis, si facit Sacra in hoc casu, distinguit peritissimè in num. 20. [Aut Religiosus Societatis Iesu ignorat stipendium illud pro eis Missis recipi, & tunc censeo, non posse alterum tuta conscientia retinere, quia id stipēdium adquirere non potest, nisi ex intentione faciendi Sacrum in illius stipendij compensationem, quia gratuita donatione non fit solutio rei debitæ. At Religiosus Societatis Iesu tantùm abest, vt velit suo Sacro stipendium alicui adquiri, peccans contra suum paupertatis votum, vt potiùs præsumatur oppositum velle; & sic cōtra eius voluntatem adquiretur eius stipendium. Si autem sciat, id stipendium recipi; at ignorat, sibi interdictum esse, facere Sacrum, vt alter id stipendium recipiat, existimo quoque, alterum retinere non posse, quia quod ex ignorantia, & errore procedit, est involuntarium, & sic non censetur id velle, vt peccans contra suum votum adquirat alteri stipendium. Si autem sciret, se peccare, & adhuc fecit illa Sacra, si Religiosus ille solis biennij votis ligatus sit, potest alter tuta conscientia stipen-

dium

dium retinere, quia cum hic solo voto simplici paupertatis ligatus sit, fuit capax illius stipendij sibi adquirendi, & transferendi in alium, quanvis in vtroque cõtra votum paupertatis deliquerit :: nec iniuriam irrogat danti pecunias, nec Superiori Religionis, cum illi non teneretur illas tradere. Et quãuis supra dixerimus, teneri reddere danti; id tamen est ex sola lege voti, quę non impedit translationem dominij in alterum. Si autem ille Religiosus, Professus, aut Coadiutor formatus sit, existimo, alterum nõ posse tuta conscientia retinere, quia adquirit ex huius tacita acceptatione, & donatione illi facta :: At Religiosi hi sunt incapaces dominij adquirendi, & transferendi in alterum. In omnibus autem his casibus, in quibus diximus, alterũ non posse, tuta conscientia, id stipendium retinere, debet illud in alia Sacra expendere, vel danti reddere.] Sic Sanchez loquutus ex penitissima notitia Instituti Societatis, & transcriptus à Pellizario in num. 143.

186 Quia tamen nos iudicamus, Sacerdotem Religiosum Societatis non delinquere contra paupertatis votum in proximo casu, idcirco dicimus, non aliam remanere obligationem in executore testamenti, quam quæ remaneret, si quivis alius Sacerdos non ligatus voto, quo Nostri, celebrasset gratis Missas, quarum sub stipendio dicendarum cura iuncta est executori. Et quidem si Sacerdos Sæcularis, aut voto paupertatis nostræ non ligatus ignoret, designatum esse stipendium pro Missis, quas executor procuravit, dici ab ipso gratis, & ex amicitia, tenebitur executor restituere ipsi stipendium. Quia verò nec à Sacerdote Religioso Societatis, nec à Superiore accipi illud potest, tenebitur executor in casu similis ignorantię expendere illud in alia Sacra commissa Sacerdotibus non impeditis stipendiũ ex Missis ferre, vel tenebitur expendere in opera pia, quæ cedant in bonũ animæ testatoris defuncti.

187 Quidnam verò fiet, si Sacerdos Sæcularis certior factus de stipendio designato noli post Missas iam dictas restitui sibi stipendium? Videtur, posse tunc retineri ab executore, tum quia id perinde est, acsi Sacerdos postquàm accepisset stipendium, redderet illud omnino liberaliter eidem executori, sicut potest cuiuslvis alterius rei, cuius dominium habeat, gratuitam donationem facere. Tum quia testatoris voluntas circa Missarum pro se applicationem impleta iam est, quin fiat iniuria testatori, nec Sacerdoti in retentione stipendij ab executore. Docent quidem Authores, executorem obligatum esse tradere stipendium Sacerdoti celebranti, & totum, quantum ipsi executori commissum est; docent etiam plures, etiamsi occurrat, qui sponte velit dicere Missas minori stipendio, quàm quod executori cõmissum est, debere executorem quærere alium, qui Missarum onus suscipiat ex toto stipendio, vel augere earum numerum. Tradidimus & nos vnum, atque alterum in Sectione V. At si Sacerdos sciat, esse deputatum stipendium, quantitatemque eius, & post celebratas Missas velit prorsus sponte, non tradi sibi stipendium, vel totum illud, non facilè apparet quidpiam, quod obstet, quominus totum stipendium, aut illius pars iustè retineatur ab executore. Nihilominus, me suasore, expendat executor, nisi pauper sit, integrum stipendium in alia Sacra, aut in alia opera pia, animæ testatoris defuncti proficua.

188 Respondeo quintò cum Sanchez L. 4. in præcepta Decalogi C. 11. num. 33. ad quem locum me remittit supra, num. 21. Religiosum Sacerdotem Societatis posse gratis celebrare Sacrum, quod vt dici curaret, erogato stipendio, alter voto se obligaverit, nisi æquè principaliter intenderit elargitionem eleemosynæ, ac ipsam Missam; quod in dubio non est præsumendum. Casu autem quo æquè intenderit vtrumque, & Sacerdotem nõ determinatum, debet quærere aliquẽ, qui accepta stipe repromittat Sacrum, vt in num. illo 33. docet Sanchez, aduertens, satisfactum esse voto, etsi Sacerdos sponte sua reddat postea stipẽ, quam accepit. Si verò vovens intenderit Sacerdotem determinatum, vel etiam indeterminatũ Societatis, quia ignoraverit Constitutionem, quæ in ea viget, non licebit illi, ad quem accedat, admittere stipem, fas tamen erit consequenter ad superiùs dicta suscipere

cipere onus Sacri, manebitque vovens liber ab obligatione expendendi suas pecunias, non secus ac maneret liber, si determinatus Sacerdos, quem intendisset, non esset è Societate, & ex amicitia recusarer admittere pecunias oblatas, sed non onus Missæ, nam obligatio voventis fuit tantùm, vt, quantùm esset ex se, traderet, vel offerret eas, provt cum Sanchez ibidem notat Bonacina D. 4. circa 2. præceptum Decalogi quæst. 2. punct. 6. num. 5. Quare non assentior Pellizario dicenti absolutè in numero 147. si eleemosyna sit promissa principaliter, non posse recurri ad Sacerdotem Societatis.

189 Sed assentior ipsi dicenti in num. 144. ex Sanchez num. 22. Sacerdotem Societatis posse absq; facultate Superioris suscipere onus Missarum dicendarum vice aliorum, dummodò Superior nō prohibuerit id specialiter, & Sacerdos non se reddat impeditum ad eas, ad quas ex Constitutionibus obligatur. Ratio est, quia de ijs, quæ supersunt, potest Sacerdos Societatis disponere ad libitum suum, nō secus ac quicumq; è Societate de suffragijs spiritualibus non præscriptis in eisdem Constitutionibus. Nec id est contra votum paupertatis, nam huius materia sunt solùm res tēporales pretio æstimabiles.

190 Porrò cum egerim de persolvendis à Sacerdote Missis, ad quas procurandas alius se voto adstrinxerit, dissimulare non possum, displicere mihi vehementer Consequentiam, quam ex probabili sententia de Missæ valore extēsivè infinito admittit Quartus in Appendice de Sacrificio Missæ quæst. 4. punct. 4. Difficult. 1. nimirum si Sæcularis vovisset decem Missas pro totidem animabus Purgatorij, aut in honorem totidem Sanctorum, quin intenderit æquè principaliter cultum Dei provenientem ex Missis, fore, vt Sacerdos, cui eas commēdet, satisfaceret celebrando vnum Sacrum, quod applicaret directa intentione in satisfactionem omnium decē, & singularum animarum Purgatorij, aut in honorem omnium decem, & singulorum Beatorum. Mihi quidem videtur, hoc Consequens esse valde absurdum, & contra fidelium communē persuasionē; abstrahendo ab eo, quòd liceret Sacerdoti reportare decem stipendia congrua in illo casu, vel quod Sæculari fas esset, erogare vnum tantummodò stipendium etiamsi ad decem habuisset respectum: quorum neutrum concedit Quartus. Sed vt illa opinio non agnoscitur à Quarto probabilis in ordine ad vnum, & alterum proximè significatum, sic neq; debuisset in ordine ad illud aliud. Nec plura de incidenti puncto.

191 Iam ex dictis in tota hac difficultate V. colligitur primò, non posse Generalem Societatis applicare Missas suorum subditorum, loco illarum, quas Collegium aliquod ex testamento, atque hæreditate debebat curare dici per Sacerdotes Sæculares, quibus traderet stipendium deductum è redditibus hæreditatis relictæ Collegio ipsi, quia alioquì Societas non celebraret gratis Missas illas, sed lucraretur sibi quantitatem expendendā in stipendium, vt sapienter respondit Cardinalis de Lugo Lib. 4. Responsorum Moralium dubio 30. Sed quid si Collegium, solvendo stipendium Missarum prætermissarum ex oblivione, vel inconsideratione cōmitti Sacerdotibus Sæcularib⁹, redigendum esset ad extraordinariam necessitatem? Licebitne Collegio id, quod n. 132. diximus, fore, vt fas esset particulari Sacerdoti Religioso Societatis in casu necessitatis extraordinariæ? Videtur mihi, fore, vt liceret. Consulendusq; esset P. N. Generalis, si tempus permitteret.

192 Colligitur secundò, Sacerdotem Societatis, cui commissum sit à Sæculari salarium aliquot Missarum, vt curet celebrari per alios, posse, si tardus fuerit in commendandis Sacris, facere nonnulla in satisfactionem suæ negligentiæ, quia tunc neque pro se, neque pro alio mercedem recipit; supponimus namque, commendasse, etsi serò, Missas, & tradidisse stipendium, quod ipsi fuerat commissum. Consentit Pellizarius num. 139.

193 Colligitur tertiò, præfatum Sacerdotem, si in proximo casu post traditum stipendium noscat, cum alium, cui Missas commendavit, neglexisse celebrationem, posse loco eius resarcire omissionem. Huius illationis eadem est ratio, quæ vicinæ. Et videbitur

debitur non solùm posse, sed teneri, vti de Capellano libero ad celebrandū per se, vel per alium, & tradente mercedem, commendanteque Missas alij, quas hic omittat, docet Tamburinus Lib. 3. C. 4. §. 3. num. 4, quia Capellano, & non Fundatori Capellaniæ deficit delegatus, non enim cum hoc, sed cum Capellano contraxit Fundator. Confirmatque Tamburinus ab exemplo, nam si ego pecuniâ præsenti paciscar tecum, vt mihi facias picturam, si tu eam commendes alteri, cui tradas etiam pretium, quo consumpto, & pictura non facta moriatur derepente, aut dispareat, tu debes ad constitutum diem exequi promissum picturæ.

194 Nihilominus patens est ad casum illum de Sacerdote Societatis disparitas, nam in illo casu contractus de Missis dicendis non est initus cum Sacerdote, neq; stipendium transijt in eius dominium, vti in casibus Capellani, & pictoris, sed tantùm est commissa cura Sacerdoti, vt stipendio deposito apud ipsum curaret, celebrari ab alio Missas; quare si stipendium tradidit, & Missas commendavit Presbytero, quem fidelem putabat rationabiliter, & prudenter, posteaq; sciat, non satisfeciſſe promisso, ac recepto, deobligandus est à peragendis eis Missis. Non secus ac executor testamenti non tenetur è suis facultatibus solvere stipendium Sacrorum prò testatore, pro quo Sacerdos communiter reputatus fidelis non celebravit commendata ab executore, salario tradito, pro vt moriens ipse Sacerdos declaravit, simulque se non habere bona, vnde deducatur salarium ad ea Sacra. Quo de casu memini fuisse me cum alijs consultum olim, & vnanimes respondisse pro immunitate executoris.

195 Neque retardavit exemplum illius, qui rem furatam, vel rei furatæ, aut damni iniustè illati valorem mittit per internuncium ad dominum, vel creditorem, nam si retineatur à nuncio, debitor non excusatur à restitutione nova, etiamsi miserit rem per Parochum, aut Confessarium, dūmodò creditor non consensisset expressè in id, quod committeretur Parocho, aut Confessario. Quæ est communis opinio apud Cardinalem de Lugo tomo 1. de Iustitia, Disp. 21. sect. 5. n. 59. Non, inquam, retardavit, quia in huiusmodi exemplo mittens rem erat debitor ex delicto, ratione cuius peior est conditio illius, quàm eorum aliorum, de quibus supra.

196 Vt taceam, Lessium L. 2. de Iustitia C. 16. dub. 6. num. 67. Filliucium, Dianam, Cenedum apud de Lugo præcitatum dicere, non videri omnino improbabilem sententiam contrariam, in quam non parùm propendet Castro Palao Tract. 31. Disp. 1. punct. 17. §. 9. num. 4. Ratio autem, ex qua eis videtur non omnino improbabilis, valet multò magis in Religioso Sacerdote Societatis, & in Sæculari executore testamenti, neuter enim est reus iniustæ acceptionis, & à neutro voluit, aut potuit aliud petere testator, vel committens electionem ad Missas, quàm vt curaret dici per Presbyterum fidelem, & probum.

197 Vt item taceam, si rem apud te depositam mittas per internuncium, quem prudenter existimes, sufficienterque exploraveris esse fidelem, & ille eam subripiat, te non teneri ad novam restitutionem, nisi moram feceris in reddenda re deposita, aut nisi conveneris de ea tradenda à te immediatè in manus domini. Qui est receptus Doctorum sensus, colligiturq; ex C. *Significante* 7. de Pignoribus. Et hoc exemplo posset quis vti in favorē Sacerdotis Religiosi Societatis, aut executoris testamenti, addereque, ipsum testatorem, aut qui commisit Missas, perpessurum eodem modo damnū omissionis earum, si per se ipsum tradidisset stipendium Presbytero, vti prudenter poterat, cum supponatur, fuisse communiter æstimatus fidelis; ait autem Sà V. *Depositum* 1. [Depositum perit domino :: si pereat apud depositarium :: sine culpa ad illius interitum aliquo modo ordinata; aut si perinde apud dominum fuisset perituram.] De quo aphorismo concors est permultorum aliorum Authorum iudicium. Et licet tam in exemplo, quā in additamento loquantur de eadem re individua, possitque contingere, vt non eadem numericè pecunia tradatur Presbytero, quę accepta fuerat ab executore testamenti, aut à Religioso Sacerdote Societatis, nihilominus testator, aut qui commisit stipendium ad

Missas,

Missas, nisi expressit, videbitur non curasse de tradenda eadem individualiter, vel specificè pecunia; etsi aliàs quoad contractum depositi valde referat, sit, necne eadem res in individuo, vel in specie, aut genere, vt loquuntur Iuristæ.

SECTIO XVI.

Tres aliæ difficultates, in quib⁹ agitur, an licita sit Magistris, aut Doctoribus Societatis acceptio, & retentio distributionum Academicarum?

198 SEXTA difficultas, an Societas in suis Academijs possit accipere, & retinere sibi stipendia, quę vocant præsentias, & propinas? Respondeo, non posse, debet enim, *quemadmodùm gratis docere, ita & ad Gradus gratis promouere*, vt ait S. Parens Ignatius parte 4. Constitutionum C. 15. §. 4. Vbi addit, *non nisi admodùm exiguos sumptus (licet voluntarijs sint) externis permittendos, ne consuetudo vim legis tandem obtineat, & in ea parte, temporis decursu, excessus fiat.* Admonet etiam Rectorem, *ne Magistris, vel vllis alijs de Societate sibi, aut Collegio pecuniam, aut dona quæuis ab vllo pro re quauis in ipsorũ vtilitatem facta accipere permittat; quandoquidem præmium nostrum solus Christus Dominus iuxta nostrum Institutum futurus est, qui est merces nostra magna nimis.* Vnde nec Communitas, nec particulares possunt accipere, & retinere emolumẽta temporalia ob externorum Gradus litterarios, quos conferunt, aut ob Actus, quibus assistunt.

199 Videtur aliquibus S. Patriarcha non prohibere absolutè acceptionẽ distributionum; sed retentionem in vsus Magistrorum, vel Collegij. Ast vt primum videatur, non despicio vllum in verbis fundamentum. Censent alij, S. Patrem loqui tam de stipendijs, quàm de donis, & pecunia gratis, atque in præmium donata, nec præcisè comprehendere actiones Magistrorum proprias, quibus minerval designari consuevit; sed vniversim agere de donis, quæ tribuantur pro re quavis ad aliorum vtilitatem facta in Collegijs quibusvis Societatis nostræ. Sed certè prohibitio restringenda est ad casum, de quo Sanctus Patriarcha præcipuè, & ex instituto tractabat, alioqui sequeretur, nulla omnino dona missa alicui ex Nostris, gratitudinis ergò, à Sæcularibus posse vnquam accipi, & retineri in Collegijs, dividiq; inter Nostros, & applicari Sacristiæ, aut Bibliothecæ, vel vsibus infirmorum: quod evidenter est contra mentem S. Parentis, & contra eius verba alio in loco inferiùs citando; necnon contra praxim totius Societatis. Quare prohibitio quoad dona etiam gratiosa accipienda, & retinenda procedit solummodò in casu de collatione Graduum apud Vniversitates nostras, de alijsque actionibus ibidem exhibitis à Nostris ad vtilitatem frequentantium Vniversitates.

200 Septima difficultas, an Nostri, qui in Academijs externis habent Gradum litterarium, possint accipere, vt retineant, prędicta stipẽdia? Dico, non posse. Ita P. Suarez tom. 4. de Religione Tract. 9. Lib. 5. Cap. 4. num. 11. vbi ait, [Altera conditio est, ne sumptus, qui pauperes non deceant, in Gradibus huiusmodi faciant nostri Doctores:: Et in hac conditione includitur, vel certè ex proprio modo nostræ paupertatis supponitur, non debere Doctores Societatis ex suo Gradu temporale emolumentum, aut stipendium, quod ex aliorum Actibus, aut Gradib⁹ alijs provenire solet, sperare, aut accipere.] Loquitur autem Suarez de Doctoribus tam in Vniversitatibus proprijs Societatis, quàm in alienis, vt ex contextu patet. Ipsius autem, & nostra responsio comperta est etiam tum ex Constitutionibus Societatis, tũ ex modo in ea procedendi quoad paupertatem; neque hactenus consuetudine contrarium est introductum, neque Superiores expressè, vel tacitè consentiunt in contrarium: expedietque, vt deinceps non consentiant, sed fortiter, & suaviter resistant, si prętextu aliquo, & apparenti de causa niteretur subrepere consuetudo.

201 Octava difficultas, num

ijdem

ijdem Magistri, vel Doctores possint accipere per se, vel per alios, vt Superiori tradant, præfata stipendia applicanda vsibus, de quibus postea? Respondeo, posse, vt constat ex praxi Vniuersitatum Germaniæ, & aliarum Nationum, in quibus vsque ad hoc tempus acceperunt nostri Magistri, aut Doctores modo dicto illas distributiones, quin reclamarint Præpositi Generales, alijve ex Societate. Quod est argumentum manifestum licitæ potestatis in Religione, vbi tanto cum zelo prospicitur obseruantiæ Constitutionum, præsertimque in hac re, & vbi Professi emittunt votum non agēdi quacumque ratione, vel cōsentiendi, vt quæ ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus, immutentur; nisi quando ex causa iusta rerum exigentium videatur paupertas restringenda magis.

202 Nona difficultas, eaque principalis in hoc Academicarum distributionum puncto est circa rectam applicationem illarum faciēdam à Societatis Superiore iuxta nostrarum Constitutionum normam. Et videtur, non posse illas applicari Collegio ad sustentationem Nostrorum, sed debere conferri pauperibus externis, vel insumi in alijs pijs vsibus extra Societatem. Videtur, inquam, si considerentur Constitutionum verba transcripta supra, in 6. difficultate.

203 Et addo ponderationes aliquas. Quarum prima sit, finis, qui mouit S. Parentem Ignatium, ne in Vniversitatibus Societatis Doctores, aut Magistri nostri accipiant pecuniā, donave quævis conuertenda in ipsorum, aut Collegij commodum, idem valet, & vrget in Vniversitatibus extraneis; vtrobique enim præmium nostrum solus Christus futurus est.

204 Secunda, Magistri Societatis tenentur docere gratis, legereq; absque stipendio, vt dicitur in verbis citatis ad 6. difficultatem, alijsque in locis initio Sectionis XII. Ast non docerent gratis, neque legerent absque salario, si non secus ac cæteri Magistri Religiosi, aut Sæculares reciperent didactra ob præsidentiam, vel assistentiam in Actibus, in quibus docent vel patrocinando Scholasticis, vel arguendo aduersus ipsos.

205 Tertia, etsi licitum sit in Societate, consulto Generali, admittere cathedras publicas in Vniversitatibus oblatas ab his sponte, aut ab ipsarum Rectoribus; illicitum tamen est, prælegere ex stipendio, & non gratis, vt declaratur in Congregatione 1. Generali Can. 15. ibi: *Et gratis prælegatur*. Nec pecuniæ tanquàm stipendiariæ acceptio licita erit in Societate ex fine parandi congruam sustentationem Cathedratico, aut ex fine cōpensandi sumptus factos in promouendo illum ad Gradum, si vt prælegat, opus sit, Doctoratus, vel Magisterij insulis.

206 Quarta, fas non est in Societate pecunijs expirantijs Missarum resarcire sumptus factos in alendis Scholasticis, quo tempore navabant operam litteris Humanioribus, Philosophiæ, & Theologiæ, ex eo fine, vt habiles essent ad Sacerdotium. Ergo neque fas erit, convertere pecunias distributionum Academicarum ad resarciendos sumptus factos in promotione Nostrorum ad Gradum.

207 Quinta, Societati non permittitur compensatio per aliquid, quod detur ipsi tanquam stipendium ministeriorum spiritualium. Distributiones autem Academicæ dantur hoc modo, siquidem non aliter Nostris, quàm cæteris Doctoribus, aut Magistris tribuantur; nisi fortè alicubi declararetur edicto Vniversitatis, concedi Nostris per modum puræ eleemosynæ, & non per modum stipendij, cōpensationisq; ministeriorum spiritualium præsidendi, argumentandi, quæ Nostris sunt communia cum reliquis Doctoribus, aut Magistris.

208 Sexta, non licet in Societate providere sustentationi Nostrorum per distributiones Academicas; quippe Societas debeat sustērationem suorum non quærere, neque parare ex ministeriorum spiritualium stipēdijs, quales sunt distributiones Academicę. Etsi verò *pro sustentatione eorum, qui cōmuni bono Collegiorum seruiunt, vel propter illud student, dotatio, quam Fundatorum charitas assignare in gloriam diuinam solet, admittatur*; ast neque assignatur vt stipendium à Fundatoribus, neque à nobis admittitur vt tale; idque compertum est ex Constitutionibus, ex quarum

quarum parte 4. C. 7. §. 3. sunt verba proximè exarata.

209 Septima, S. Parens Ignatius non tantùm curavit inhibere Societati stipendia, & lucra temporalia ex ministerijs spiritualibus, sed etiam quidquid talium stipendiorum speciē haberet, vt visum est in antecedentibus, & constabit amplius ex succedentibus. Porrò autem si in Societate tam minutim prohibetur, tamque radicitus tollitur quidquid præfert lucrū temporale ex ministerijs spiritualib⁹, quidni vetita erit, & adempta acceptio distributionum Academicarum, quæ in nostrorum Collegiorum emolumentum cedant?

210 Sed his non obstantibus, P. Andreas Mendo Lib. 1. de Iure Academico quæst. 16. §. 5. tuetur, posse à Societate retineri Academicas distributiones, non vt stipendia propter ministeria Nostrorum, sed vt redditus ad sustentationem eorum, qui laurea sunt donati. Quodsi opponatur, Collegiū, in quo degant laureati, habere aliunde redditus, quibus possit alere suos Professores. Respondet, fore, vt sæpe cōtingat, ad Gradus promoveri, qui nec in Collegio sint Professores Ordinarij, nec necessarij ad domesticam Scholā. Rursus redditus Collegij non esse sufficientes, vel saltem non esse designatos ad sustentandos Professores, quatenus Gradibus insignitos; qua subreduplicatione denotantur sumptus facti in promotione ad Gradus; potestque proinde Collegiū resarcire eos sumptus, acceptis, retentisque distributionibus. Sic perdoctus, & amicus Theologus.

211 Eandem causam defensauit alter amicitia, & doctrinā non impar, scilicet P. Didacus Hurtadus noster in docenda Theologia Collega, motus rationibus, quarum summa hæc est. Non apparet causa, vt nobis sit prohibita distributionum Academicarum retentio, quæ fiat, non ad captandum emolumētum aliquod temporale, sed ad compensationem sumptuum, qui facti sunt in accipiendis ipsis Gradib⁹. Ita enim quanvis vetita sit in Societate acceptio, retentioque stipendij pro concionibus, aut lectionibus; nullo autem pacto acceptio, retentioq; pecuniæ ad satisfactionem expensarum, quæ factæ sunt ad conducendū equum v. g. ad hoc, vt Concionator suum iter conficeret, & ad alia, id genus, prærequisita pro exercitio ministeriorum spiritualium, vt dicemus infrà in 10. difficultate. Videturq; non posse dubitari, quin præcipuus finis eiusmodi stipendiorum, quæ ab Vniversitatibus designantur, vel ab alijs, qui posteà lauream obtinent, penduntur, sit compensare iacturam, ac sumptus factos ab anterioribus Magistris in Gradu ipso recipiendo; spe enim compensationis alliciuntur. Et nemo esset, qui tantam nummorū aureorum summam, quanta in Vniversitate Salmanticensi, aut Cōplutensi est necessaria ad Gradum suscipiendum, prodigere vellet, nisi decursu temporis per stipendia consueta refectum speraret; atque, vt Magistri Salmanticenses vulgò loqui solent, expensione pecuniæ necessaria ad Gradum quasi quendam censum vitalitiū constitueret. Quæ consideratio, licet in alijs regionibus, vbi impendia minora multo sunt, & redditus Collegiorum multò ampliores, aut securiores, censeri possit non tam efficax; in Hispania tamen, & præsertim in Academia Salmanticensi, non potest non videri efficacissima, cum vnicus dumtaxat Gradus Magisterij in Theologia postulet ferè quatuordecim mille Regalium impendium; quę certè est magna summa, & digna, vt resarciatur compensatione aliqua, nisi aliunde expressè fuerit nobis prohibita per Institutum nostrum. Sed non constat de tali expressa prohibitione.

212 Ac sanè Constitutio exarata in Difficultate 6. & quæ in præsenti hac est Achilles, non loquitur de stipendijs, quæ conferuntur occasione Gradus accepti à Nostris in Vniversitatibus extraneis, sed de illis, quæ aliàs possent conferri Nostris occasione Gradus, quem ipsi in Vniversitatibus proprijs Societatis exhibent *alijs*. Atque id ita esse, innotescet legenti totum Caput, in quo ea Constitutio continetur. Et cogitabilis est *specialis* ratio ad interdicenda Nostris posteriora stipendia: esseque de se indecentius, si faceret quæstum Societas ex collatione Graduum, quàm sit, ex eorundē receptione, & consuetis Magistrorum distributionibus admittere illum. Imò

quanvis

quanvis çqualis, & potior adhuc ratio militaret, ne admitteretur huiusmodi quæstus proveniens de more in Vniuersitatibus extraneis, non semper valet argumentum à fortiori, nedum à pari in legibus prohibitivis, vt cõmuniter docent Authores, nominatim Thomas Sanchez Libro 10. de Matrimonio Disput. 4. num. 3. Franciscus Suarez 3. parte quæst. 67. artic. 8. in Comment. V. *Maius verò*, L. 6. de Legibus C. 3. n. 5. & seqq. Ferdinandus de Castro Palao tom. 1. Operis Moral. T. 3. D. 5. punct. 3. §. 4. n. 3. qui allegat alios, nempe Navarrum, Emmanuelem Rodriguez, Alfonsum de Castro, Salas.

213 Ad hæc: N. S. Parens parte 4. Constitutionum Cap. 6. §. 17. agens de Societatis personis, quę Gradus in aliena Vniversitate recipiunt, & proponens sigillatim conditiones ab ipsis observandas, huius, quæ valde notabilis erat, non meminit, sed aliarum, quæ multò minus referebant ad Institutum, & ad perfectionem nostrã. Non est autem credendum, omissurum obligationem adeò notandam, & præcipuam; præsertim cum eam addiderit post pauca Capita, nempe in 15. sermonem habens de Societatis personis, quæ in ipsius Vniversitatibus conferunt Gradus hominibus extraneis.

214 Præterea distributionum acceptio, quam in Academijs Societatis vetat Sanctus Patriarcha, fuit hucvsque vsitata à Nostris in Academijs extraneis, vt in VIII. difficultate obsevavimus; nec talis acceptio visa vnquam est vel latum vnguem discrepare ab Instituti perfecta obseruantia, eo quòd communiter existimatum fuerit, prohibitionem accipiẽdi distributiones Academicas non extendi vltra Societatis Vniversitates, de quibus solis in Cap. 15. tractat Sanctus Legislator. Ergo idem putandum est de retentione earundem distributionum. Sic ferè sapiens ille Theologus in MS. cuius me participem fecit humaniter.

215 Et adhuc pro hac parte adisci primò potest, si Societati fas est accipere dictas distributiones, vt fas esse, iam respondi ad VIII. difficultatem, desideratur ratio, ob quã non liceat, retinere sibi, disponereque liberè de eis, non secus ac de alijs bonis, quorum dominium licitum habet. Si dicatur, rationem esse, ne lædatur in speciem Constitutio prohibens stipendia ob ministeria spiritualia; vel ne Societas minus consulat ædificationi proximorum. Contra, quia si Constitutio non temeratur in speciem ex acceptione; cur ex retentione? Et pro ædificatione proximorum si non iudicatur necessaria recusatio distributionum, quando offeruntur Nostris; cur censeri debet necessaria dispositio in bonum pauperum extraneorum, aut in alios pios vsus extra Societatem, posiquàm iam sunt traditę nobis? Proximi enim vident acceptionem; & de dispositione dicta non ita facilè constare illis valet.

216 Rursus dici ab aliquo potest, intentionem Vniversitatum esse, offerre Nostris eas distributiones, vt accipiant, & retineant modo, quo licet in Societate, & proinde non ad instar stipendij pro ministerijs spiritualibus, sed ad instar puræ eleemosynæ, vel doni remuneratorij pro labore Nostrorum, sine vlla obligatione ex iustitia: neque enim in Vniuersitatibus præsumenda est ignorantia nostri Instituti; multòque minus voluntas, vt oblatione distributionum inducant Nostros ad aliquid, quod cum eius obseruantia stare nequeat.

217 Sic etsi Societatis Doctoribus, vel Magistris, *vt ab omni ambitionis specie, atque ab alijs affectibus parùm temperatis recedant*, iniunctum sit à Sancto Parente Nostro in Constitutionibus parte 4. Capite 6. §. 17. *ne loca certa accipiant, quamuis ea in Vniuersitate, vbi Gradum accipiunt, dari soleant, sed simul omnes extra numerum se constituant*; tamen cum Nostris iuxta antiquitatem assignantur sedes in Vniversitatibus, acceptantque illas, non præsumitur fieri talis designatio ex ignorantia nostri Instituti, neque ex voluntate, vt deficiant ab ipsius obseruantia; sed vt obediant earundem Vniuersitatum legibus, vel se vt conforment cæteris Doctoribus, aut Magistris. Et accipiendo quidem sedes certas, sed vt sibi non debitas, neque à se procuratas, non deflectunt à præscripto Constitutionis illius, vt cum

Patribus Suarez, & Castro Palao notant Mendus supra §. 4. & Pellizarius Tractatu 8. Cap. 4. sect. 2. num. 50. Idemque iudicium ferendum est, si patiantur, se ab externis vocari Doctores, vel Magistros, quanvis in Regulis Provincialis C. 7. num. 64. præscriptum sit, vt *nomine Doctoris, vel Magistri, ratione Gradus, inter se non vtantur.* Et similiter de Magisterij, aut Doctoratus insignibus, si in Actibus publicis portare cogantur ea, quæ alij Magistri, Doctoresve è Sæculari statu Clericali, etsi Congregatio 1. Generalis Decreto 131. in impressis Antuerpiæ anno 1635. cupierit moderationem aliquam, aut arbitrium Præpositi Generalis iuxta Const. parte 4. Cap. 17. §. 8.

218 Tertiò, possunt alicubi esse rationes speciales, ne admittantur distributiones Academicæ, aut vt admissæ ne retineantur à Societate, sed extra eam expendantur in aliquos pios vsus. Atque hinc extant multa RR. admodùm PP. Generalium Responsa ad materiam hanc spectantia, quorum mihi fecit copiam R. Pater Michael de Arbizu meritissimus Castellæ Provincialis, vir religione, prudentia, litteris eximiè clarus: quibus in Ordinationibus missis ad Germaniæ Provincias nonnullas approbatur vel non admissio, vel non retentio. Num verò rationes illæ vrgeant in Academijs Hispaniæ? iudicio Generalium decernendum erit post sufficientem de re tota informationem habitam; & quod illi decreverint, id etiam privato cuique placere æquum erit. Nunc enim tantùm de iure agitur, provt ex Constitutionibus notum esse potest.

219 Quapropter ad IX. difficultatem dico, considerato iure in Constitutionibus expresso, videri multis sapientissimis viris, quòd liceat per se in Societate applicare distributiones ad vsus Collegij, vbi degunt nostri Doctores, aut Magistri, vt ad libros pro Bibliotheca communi comparandos, quibus ipsi, & cæteri Socij reddantur instructiores, siue vt doceant, siue vt discant; vel ad æstimationem dependendam expensarum in Gradibus, quando de P. N. Generalis facultate contigerit alios promoueri ad eos, cum enim afferant tam ingentes sumptus, maximè apud Salmanticensem Academiam, magno erit adiumento summa illa distributionum collecta, reservataque ex aliquot annis, quorum singulis solet accedere ad mille Regales, parùm plùs, minusvè, si laureati non absint ab Academicis functionibus: & is distributionum vsus valde conduceret, vt cum modico Collegij onere, alij alijs succederent in Gradu, quoties iudicaretur expedire. Præterea dico, posse etiam defendi non improbabiliter contrariam partem ob motiva proposita in superioribº, & à me probandam eam, quàm Salmanticæ observandam iniunxerit P. N. Generalis, habita notitia sumptuum in Gradibus, & proventuum ex distributionibus.

220 Exagitatis hac Sectione difficultatibus occasionem dedit noua trium insignium virorum è Nostris ad Magisterij Theologici Gradum promotio in Academia Salmanticensi ex anno 1652. Quorum primus in laurea fuit P. Bernardus de Aldrete, sed intempestiva morte sublatus die 17. Septembris anno 1657. in hoc Collegio Salmanticensi, vbi die 17. Decembris anno 1613. & à natali apud Zamoram 19. Societati se dicaverat, innocentis iam tunc vitæ, postque multò innocentioris, magnarumque virtutum face conspicuæ, quam nullius lethalis noxæ mucula vnquam fœdasse testatus publicè est authoratissimus homo, qui eius conscientiam probè norat, facileque fuit, vt alij assentirentur, cum vel in rebus leuissimis scrupulosissimum semper experti fuerint; scirentque, post conticinium sæpè adijsse Confessarium, obversante ante somnum formidine minimæ cuiusvis labeculæ. Regularem observantiam constantissimè tenuit, mortificationi sui, orationi, pijsque alijs exercitijs non minus, quàm libris continuò intentus, recessum cubiculi auidè amplexatus cum Deo potiùs, & libris, quàm cum hominibus vivebat, nunquam vsus otiosus, nunquam non orans, aut legens, aut scribens. Hæc in summa de moribus Bernardi. Sapientiæ autem encomio maximis sua ætate Theologis

gis haud dubiè conferendus est. Exacto studiorum tempore, editisq; claris in adolescentia perspicacis ingenij documentis, Philosophiam Compostellæ prælegit, inde Vallis-oletum, subinde Salmanticam profectus, Theologiam vltra 24. annos continenter docuit tanta omnium admiratione, ac plausu, vt in tot præstantissimorum Theologorum scena communis Magister haberetur. Evolvendis, examinandisque SS. PP. præsertim Augustini, & Thomæ, Doctorumque tum veterum, tum recentium monumentis assiduus valde fuit, vt & fœliciſsimus in fulciendis ingeniosè, ac solidè opinionibus, quas aut sequebatur, aut denuò, valdeque maturè excogitabat. Testes sunt primus, & secundus tomus in 3. partem S. Thomæ luci publicæ iam dati; testesque erunt tres alij in 1. p. duoque in 1.2. quos absolutos, suaque manu vsque ad apicem scriptos reliquit, si, vt in optatis est, subdantur Typis. Tantus hic vir, tamque egregiè pius, & doctus naturę concesſit anno ætatis 63. adeòque securus de æterna sua salute; vt cum abeuntem prosequeretur lachrymis amiciſsimꝰ, Reverendiſsimusque P. M. F. Ioſephꝰ Romero publicus sacrarum litterarū Professor, Provincialisq; Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis, rogaverit paulò ante extremum halitum, ne mœreret, *Pergo enim*, inquit, *vt Deo fruar. Idque est certum. Scio, mea intereſſe, vt nunc moriar.* Ita retulit ipsemet Reuerendiſsimus P. Provincialis in concione, quam pro rostris habuit, cum de more in Æde sacra Vniversitatis parentatum est defuncto Socio à grauiſsimo Senatu Academico. Parcat Lector epitaphio prolixo pro loco, quanquam breviſsimo pro laudibus primi è Nostris laureati apud Salmanticam, & pro affectu meo erga optimum Præceptorem, sub cuius disciplina operam Theologię navaui Vallis-oleti.

SECTIO XVII.

Duæ difficultates circa gratioſas donationes Societati factas occaſione miniſteriorum ſpiritualium, & circa expenſas, vt poſsit exercere ſe in illis.

221 DECIMA difficultas, vtrum fas sit Sacerdotibus Religioſis Societatis accipere temporale aliquid, quod ipſis concedatur, nullo inito pacto, nullaque sub obligatione iuſtitiæ, ſed ex mera liberalitate, & gratitudine donantis, occaſione Miſſarum, aliorumve miniſteriorum ſpiritualium Inſtituti noſtri? Respondeo affirmativè cum Sanchez num. 2. & 17. Pellizario num. 138. & 145. Alfonſo de Leone num. 202. Bartholomæo à Sancto Fauſto quæſt. 130. num. 2. Maſcarenhas num. 90. Fagundez Lib. 3. in 1. præceptum Eccleſiæ Cap. 7. num. 3. & Lib. 7. in 7. Decalogi Cap. 7. num. 8. Layman num. 17. Perſico num. 50. & 52. Caſtro Palao n. 5. Navarra num. 184. pag. (mihi) 64. Rodriguez in quæſtionibus Regularibus tomo 3. quæſt. 29. art. 13. V. *At Petrus* in fine, & tomo 2. Summæ Cap. 31. num. 8. Concluſ. 4. pag. 71: quia id non prohibetur Conſtitutionibus Societatis, vt conſtabit perpendenti earum verba ſupra adducta. Vnde 6. parte Conſtitutionum Capite 2. §. 7. in Declarationibus littera *G.* dicitur, [Quanvis quicumque voluerint, Domum, vel Eccleſiam eleemoſynis iuvare poſsint (ſiue in ſpiritualibus ipſi ab ea iuventur, ſiue non) tamen non debet quidquam accipi tanquam ſtipendium, vel eleemoſyna, pro ijs, quæ ob ſolum Chriſti Domini noſtri obſequium eis communicantur; ita vt hoc detur, aut accipiatur pro illo.] Sic ibi. Videaturque Cap. 21. Ordinationum Prepoſitorum Generalium.

222 Sed non omittam tranſcribere verba R. admodùm Patris N. Franciſci Piccolominei in Epiſtola anteà laudata, [Stipendia, vel eleemoſynæ

synæ pro concionibus, lectionibus publicis, vel alijs Societatis ministerijs admitti non possunt :: Quare si quid vt stipendium, & eleemosyna pro his, vel horum intuitu, & non alio titulo vllo piam Nostris offeratur, vel detur, significare oportebit, dantibus, seu offerentibus, nos illud admittere non posse nisi per modum puræ eleemosynæ, & sine vllo respectu ad ministeria nostra.] Ita ille, consonans prædecessori suo R. admodùm Patri N. Mutio Vitelleschio in Epist. data anno 1622. die 31. Octobris ad Patrem Melchiorem de Pedrosa Provincialem Castellæ, cuius Epistolæ transumptum apud me habeo.

223 Sed quid sit, non habere respectum ad ministeria? Constabit id, si tam a dantibus, quam a recipientibus significetur expressè, neque dari, neque recipi propter ministeria compensanda; vel colligetur sufficienter, si probabiliter præsumatur, non dari intuitu compensandi ministeria: præsumetur autem probabiliter, si dantes soliti sint dare paria, aut credantur daturi, etsi ministeria a Nostris exhibita, aut etiam promissa non sint. Sic ferè in C. illo 21. Ordinationum Præpositorum Generalium.

224 Pater Sanchez num. 2. ait, non esse Nostris interdictum accipere eleemosynas, quas recipientes officia spiritualia elargiuntur Nostris liberaliter, & in signum gratitudinis, *quamuis ea spiritualia non recipientes minimè elargirentur.* Videturque, multos non præstituros eleemosynas, neque fundaturos Domos Societatis Professas, neque item Collegia, neque Probationis Domos, annuisque redditibus posteriores has Domos, & Collegia illa non daturos, si Societas pro Benefactoribus, & pro Fundatoribus non offerret apud Deum tot Sacrificia, ac preces. Quare indicium illud adnotatum ex Ordinationibus Præpositorum Generalium optimum quidem est, vt censeantur eleemosynæ gratis datæ, & acceptæ.

225 Sed tamen quanquam eleemosynæ tribuendæ non forent, nisi à Nostris exhiberentur officia spiritualia, poterit aliunde colligi, aut cōstare, non dari eleemosynas in compensationem spiritualium ministeriorum, neque instar stipendij, si nimirùm neque Fundatores, neque Benefactores deducant in pactum Sacrificia, & suffragia pro ipsis offerenda, neque Societas acceptet fundationes eleemosynasque sub obligatione reddendi Sacrificia illa, & suffragia, sed solùm iuxta formam, & modum in eiusdem Societatis Constitutionib⁹ præscriptum, qui longè distat à pacto illo conficiendo, & a consentiendo in obligationem ex iustitia. Id vt magis noscatur, conducet legere Franciscum Sacchinum in 3. parte Hist. Societatis Lib. 3. num. 140. Vide cum interna spes, & desiderium Fundatorum, ac Benefactorū, intentioque lucrandi Sacrificia, atque suffragia Societatis non deducatur in pactum fundationis, & eleemosynarū, sed fundatio fiat, & eleemosynæ erogentur absolutè absque expressa conditione Sacrificiorum, & suffragiorū, consequens est, vt ad hæc non consurgat obligatio iustitiæ ex parte Societatis, quanvis verum sit, Fundatores, & Benefactores non movendos ad fundationes, & eleemosynas, si carerent spe illa, seu si scirent, Societatem, non offerre, aut non oblaturam Sacra, & orationes. Nam *si repetenti, quod donabas vxori eius, quem ad proficiscendum tecum huiusmodi liberalitate provocare proposueras, nullam addidisti conditionem, remanet integra donatio*, vt dicitur *leg. Si repetendi 7. Cod. de Condict. ob caus. dat.* Circa quam legem, & doctrinam videantur Molina T. 2. de Iust. D. 286. Lessius L. 2. C. 18 dub. 16. Bardi p. 2. in Bul. Cruc. T. 4. C. 2. sect. 3. num. 28.

226 Notat autem benè Castro Palao n 5. cavendum solerter esse, ne ministeriorum spiritualium compensatio in Societate admittatur sub colore, prætextuq; eleemosynæ. Ego insuper notarim, S. Patriarcham N. p. 6. Const. C. 2. §. 7. non modò prohibere acceptionem eleemosynæ, quæ re ipsa compensatio sit, sed etiam quæ videatur. Vnde incumbit Nostris obligatio removendi omnem occasionē, & modum in acceptione eleemosynæ præferentem speciem compēsationis. Qua de causa [cum Civitas Perusina in lectione quadam publica litterarum humaniorum opera cuiusdam ex Nostris vsa fuisset, & Collegio N. Perusino,

loco

loco stipendij, quod Prælectoribus huiusmodi lectionis solvi solebat, centũ aureos singulis annis, pro eleemosyna tamen, non pro stipendio, solvisset; actum fuit,] à Congregatione 2. Generali, [an in posterùm quovis modo, vel titulo darentur, essent admittendi? Et visum est in Domino expedire, vt nec lectionis huius munus, nec centum illi aurei in posterum admitterentur.] Sic habetur Decreto 24. in impressis, & 33. in MSS. eius Congregationis, & 3. parte Hist. Societatis L. 1. num. 42. Referunturque similia L. 4. num. 189. parte etiam 4. L. 1. num. 95. Lib. 6. num. 97. & possent complura alia exempla adduci, ex quibus ampliùs dignosceretur Societatis perpetua, antiquaque cura, ne aliquid temporale pro nostris ministerijs accipiatur, quod compensationis speciem habeat.

227 Consultumque est, quando post ministeria, vel ante spe eorum aliquid offertur, declarare offerenti, si nimis instet, non licere nobis loco stipendij illud acceptare, esseque in ipsius facultate libera dare, aut non dare. Et sæpe eveniet, vt desistat dare, si se immunem ab obligatione noverit. Contingit etiam frequenter, vt pro concionibus Nostrorum mittantur nõ pecuniæ, sed alia, vt apophoreta, aut tragemata: quę commutatio, facta absque Nostrorum conventione, signum est, mitti illa ex gratitudine, ac beneuolentia, & non ex mercede, aut compensatione, mittique ab scientibus legem Instituti nostri, nec enim nisi numerata pecunia solet stipendium solvi alijs Prædicatoribus, nisi de ipsorum prævio consensu commutatio fiat in quidpiam aliud.

228 Ex dictis inferre est, si Sæcularis quispiam donet liberaliter Sacerdoti Religioso Societatis aliquos nummos, & is ex gratitudine promittat, se dicturum nonnullas Missas pro illius intentione, quin vllum præcesserit pactum, nec ab altero sit imposita vlla obligatio, non delinqui à Sacerdote contra prohibitionem de stipendio, neque vllatenus contra paupertatem, si a Superiore habeat facultatem recipiendi pecunias dono datas à Sæcularibus. Idemque dicendum est, quando Sacerdos amicabiliter pollicetur Sacra aliqua Sæculari, & hic ex benevolentia, gratitudineque mera conferat illi tot etiam nummos, quot respondeant iusto, & consueto stipendio solito conferri alijs; quanquam si summa sit maior, vel è contra minor, quàm consueta stipendiaria pro totidem Sacris, erit quoddam non despicabile indicium de non ea data vt mera mercede ad rependenda Sacra. Pro vtroque autem casu habendæ sunt præoculis notationes positæ in num. 226. vt & pro hoc tertio: Quidam inscius Constitutionis Societatis iussit moriens, vt hæres daret Titio Sacerdoti è Societate centum Regales in stipendium viginti Missarum celebrandarũ pro se post sui obitum. Adit hæres Titium, recusat hic mercedem, sed ex amicitia, & benevolentia erga defunctum promittit desiderata Sacra. Tũc si hæres sponte sua, & prorsus gratiosè donare velit illos Regales, poterit Titius accipere, salva, & integra observantia Constitutionis de non admittẽdo stipendio. Si verò Titius neque eo modo accipiat, tenebitur hæres procurare, vt ab alio Sacerdote, cui tradat centum Regales, adimpleatur onus Missarum, *neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit, leg. Et nomen 1. §. 4. Pro secundo C. de Caducis toll.*

229 Vndecima difficultas, an possit Societas accipere aliquid temporale, quod concedatur ad comparãda, emendave necessaria, vt exerceat ministeria sua spiritualia, vt si concedatur aliquid ad Operariorum spiritualium sustentationem honestam, ad viaticum eorum, qui in Missionibus versaturi sunt, aut Concionatorum, qui ex vno loco ad alium distantem vocantur causa prædicationis? Respõdeo, posse, quia id non est accipere stipendium, aut compẽsationem pro ministerijs ipsis spiritualibus, & quia Societas non se obligat ad victitandum, (vt Monachi antiqui) ex labore manuum suarum, neque ex eleemosynis sponte oblatis, & non quæsitis (vt Clerici Regulares Theatini) neq; ex miraculo (alioqui per se tentaret Deũ) cogeretur autem ad vnum ex his, nisi liceat ipsi quod asseruimus.

230 Hinc post quàm dictum esset parte 4. Const. C. 7. §. 3. [pro-

prium esse nostræ professionis nullum temporale præmium accipere pro spiritualibus ministerijs, in quibus iuxta nostrum Institutum in proximorũ auxilium occupamur; & non convenire vllam Collegij dotationem admittere, per quam ad dandum Concionatorem, aut Confessarium, aut Lectorem aliquem Theologiæ, Societas obligetur,] postquàm item dictum esset, [non recipiendas obligationes, vel conditiones, quæ sinceritatem impediant nostri in procedendo modi, qui est dare gratis, quę gratis accepimus,] subiungitur, [Quanvis pro eorum sustentatione, qui communi bono Collegiorum serviunt, vel propter illud studẽt, dotatio, quam Fundatorum charitas assignare ad gloriam diuinam solet, admittatur.] Sic ibi, loquendo de Collegijs (eademque est ratio de Domibus Probationis) non autem de Domibus Professis, quoad dotationẽ ex annuis redditibus, quam habere non possunt, licet possint accipere eleemosynam temporariam ad sustentationem eorum, qui in ministerijs spiritualibus erga proximos operam suam navant. Et ita in terminis difficultatis propositæ declaratum est sæpiùs à bonæ memoriæ RR. admodùm Generalis Præpositis Societatis nostræ Iacobo Laynez, Claudio Aquaviva, Mutio Vitelleschо, Francisco Piccolomineo; qui de prædecessoribus suis testatur in Epistola semel, & iterùm memorata,

SECTIO XVIII.

Intricata quædam obiectio dissoluitur, declarato Sacerdotum Societatis ab alijs discrimine, quoad non reportandum stipendium ob Missas, & ob munera alia spiritualia.

231 SED pullulat iam obiectio nõ levis momenti. Nam si Societati licet accipere pecunias ad sustentationem Religiosorum, qui spiritualia officia erga proximos exhibent, & sub obligatione exhibendi; quid aliud id est, quàm accipere stipendium pro spiritualibꝰ ipsis officijs? Nec enim aliter accipiunt pecunias cæteri Religiosi, & Clerici Sęculares, quando proximorum rogatu concionantur, aut Missas celebrant. Crescitque vis obiectionis ex ijs, quæ in Sect. 1. diximus de titulo accipiendi stipẽdium pro Missis, assignavimus quippe sustentationis titulum, & alios vt minus convenientes refutavimus. Crescit adhuc magis exinde, quòd Cardinalis de Lugo D. 21. sect. 1. subtiliter discusso titulo, ex quo ob Missas accipi possit stipendium, concludit, non alium esse eum titulum, quàm sustentationis Sacerdotis, & in numero 15. explicat eum ab exemplo Societatis, quæ admittit à fidelibus sumptus necessarios ad sustẽtationem suorum Religiosorum exercẽtium ministeria spiritualia, vt Concionatoris acturi iter ad locum distantem à domicilio Societatis, & mansuri eo in loco per Quadragesimam v. g. Vel ergo accipitur stipendium sustentationis ob ministeria spiritualia à Sacerdotibus Societatis, non secus ac à quibusvis alijs; vel eleemosyna, quæ à quibusvis alijs accipitur, non est stipendium ex titulo sustentationis.

232 P. Sanchez num. 4. subboluisse videtur hanc obiectionem ex censura Ferdinandi de Castro Palao n. 6. Ait enim Sanchez in eo loco, [aliud esse recipere pretium temporale pro spiritualibus, & aliud pro obligatione assignandi certi Ministri ad spiritualia conferenda; nam absque Simoniæ labe non potest pretium pro spiritualibꝰ recipi; at potest vtique pro obligatione ministrandi spiritualia in aliquo Oppido.] Quibus in verbis voluisse Thomam Sanchez exarmare eam obiectionem, quatenus Societas non admittat eleemosynam pro ministerijs exercendis, sed pro obligatione exercendi illa, affirmatur à Castro Palao.

233 Sed certè Sanchez in eis verbis subscriptis à Pellizario n. 149. non aliud intendit, quàm explicare, etsi non conveniat fini Societatis, non tamen repugnare, si admittatur Collegij dotatio, per quam ad dandum Cõcionatorem, aut Confessarium, aut Lectorem

Lectorem aliquem Theologiæ, & à fortiori Grammaticæ, aliarumque artium liberalium, obligetur Societas; quo de puncto agit in loco citato ad numerum 230. S. P. N. Ignatius, & summodò inquit, nō convenire admissionem præfatæ dotationis. De obligatione autem, quam importaret, docet Sanchez, carituram Simoniæ labe, quanquàm pro ea reciperet Societatis Collegium aliquam compēsationem, aut stipendium stabile. Minimè verò ait Author ille, non repugnare, si recipiatur pro quibuslvis alijs Nostrorum ministerijs tanquam ex obligatione obeundis, esto si reciperetur pro obligatione formaliter, & non pro ministerijs, non incurreretur Simoniæ labes iudicio Thomæ Sanchez. Et in particulari quoad Missas cautum est à S. Patriarcha, parte 6. Const. C. 3. §. 6. vbi scribit, [obligari ad Missas perpetuas in suis Ecclesijs dicendis, vel ad curam similem, quam libertas nostro procedendi modo in Dño necessaria non patitur, minimè convenit.] Anteaque dixerat parte 4. C. 2. §. 4. [In Collegijs Societatis nec curæ animarum, nec obligationes ad Missas celebrandas, neque aliæ huiusmodi admittantur, quæ à studijs distrahere admodū, & ea, quę in illis ad divinū obsequium quæruntur, impedire solent; quemadmodùm neque in Domibus alijs, vel Ecclesijs Societatis Professę, quia quoad eius fieri potest, expedita ad Sedis Apostolicę Missiones obeundas, aliaq; opera ad Dei obsequium, & animarum auxilium esse debet.] Observaturq; in Declarationibus, littera *B*. [De non admittendis obligationibus, &c. sic intelligitur, quòd Missarum obligationes, vel huiusmodi, quæ assignato redditui commensuratæ videantur, assumi nequeunt, &c.]

234 Porrò quidquid sit de Thomæ Sanchez mente, & de interpretatione ad verba Sancti Patris N. de qua feram iudicium in num. 240. certè eiusdem Thomæ Sanchez verba ęquè procedunt in cęteris Religiosis, & in Clericis Sæcularibus accipiēntibus compensationem, & stipendium Missarum, aliorumque ministeriorum spiritualium erga proximos, quatenus iuxta Sanchez ideo accipiant absque Simoniæ labe, quia non pro spiritualibus ipsis functionibus, sed pro obligatione adillas. Et hæc est sententia Innocentij, Caietani, Navarri, Valentiæ, quos sequuntur Lessius Lib. 2. de Iustitia C. 35. Dub. 8. num. 45. Tannerus tomo 3. D. 5. quæst. 8. dub. 2. num. 49. Marchinus Tract. 3. de Ordine p. 2. Cap. 25. num. 2. Alfonsus de Leone quæst. 6. de Officio Capellani sect. 2. num. 11. alijque permulti. Cæterùm Religiosis Societatis aliquid specialiter est prohibitum quoad compensationem, & stipendium. Ergo hoc eis non licet etiam pro obligatione.

235 Præterea illa sententia, si intelligatur de obligatione ad rem spiritualem præcisè, refutatur valenter à P. Suarez tomo 1. de Religione L. 4. C. 21. num. 16. Cardinali de Lugo Disp. 21. de Euch. sect. 1. num. 7. 8. & 9. Francisco de Lugo Lib. 1. de Sacramentis Cap. 5. quæst. 6. num. 57. Arriaga D. 56. sect. & subs. 1. num. 3. Castro Palao supra, & ab alijs communiter. Impugnatur etiam à nobis primò, quia cum quis Sacerdos accipit stipendium, vt dicat vnā Missam, quando, & vbi voluerit, tunc obligatio ad Missam non est quæ per se commutatur pretio, sed nascitur in commutatione, vt patet ex alijs contractibus. Secundò, quia alioqui, si Sacerdos sit legitimè excusatus à celebratione Missæ, non tenebitur restituere stipendiū acceptum, siquidem adhuc maneat obligatus, vt liquet, si cessaret impedimentum. Tertiò, quia obligatio, vt distinguitur àre, non est vtilis emenți, aut commutanti. Ergo nec est pretio æstimabilis, vel certè non meretur tātum pretium, quantum conceditur in stipendium Missæ. Quartò, quia alioquì posset Sacerdos pro obligatione dandi Sacramenta, vel resignandi Beneficia, & Episcopus pro obligatione ordinandi accipere stipendium; & sic aperiretur via ad multos contractus Simoniacos.

236 P. Castro Palao supra obviàm obiectioni it dicens, [non posse Societatem obligari obligatione iustitiæ ad spiritualia ministranda ex fundatione Collegiorum, Missionum, & similium; benè tamen obligatione gratitudinis, & fidelitatis.] Quare discrimen Nostrorum à cæteris Religiosis, & Sacerdotibus Sæcularibus con-

consistet in eo, quòd Nostri accepta eleemosyna non obligentur ex iustitia.

237 Sed contra primò, quia Sacerdoti Religioso Societatis non licet accipere eleemosynam ob Missam dicendam, etiamsi declaret conferenti, non manere se obligatum ex iustitia, sed tantùm ex fidelitate. Quòd si id liceret, forsan non multò pauciores concurrerent ad nos cum eleemosynis pro Missis dicendis, quàm ad alios Sacerdotes, sufficeret enim scire, gravari nos ex fidelitate, quæ in materia gravi, qualis est hæc, vrget penes multorum Doctorum opinionem sub pœna peccati lethalis; & quanvis penes aliorum opinionem defensam latè à Petro de Oñate tomo 2. de Contractibus D. 29. sect. 7. ex num. 88. non premat nisi sub pœna peccati venialis, at nos possemus confirmare promissionem iuramento, & tunc obligaret sub pœna peccati mortalis. Quid? quòd plures persuadebunt sibi, nos, aut saltem multos ex Nostris non commissuros venialem culpam infidelitatis.

238 Contrà secundò, quia tametsi non obligemur ex iustitia, sed ex æquitate, & gratitudine, aut etiam ex fidelitate ad ordinarias functiones spirituales, quas in Domibus, & Collegijs exequimur, & ad Missas, atque orationes, quæ communiter fiunt pro Fundatoribus Domorum, & Collegiorum, [nosque in ijs, quæ maiori cum liberalitate, & devotione fundata sunt, moveat æquitatis, & gratitudinis ratio ad serviendum maiori cum diligentia in ministerijs, quæ nostri Instituti sunt propria,] vt ait S. P. N. Ignatius p. 4. Constitutionum Cap. 7. §. 3: attamen quando recepta eleemosyna temporaria, aut perpetua suscipitur obligatio aliqua extraordinaria, & specialis, vt mittendi singulis annis Missionarios ad tale Oppidum, dandi Præceptores ad ordinarias lectiones in aliqua Vniversitate, cuius cura admissa sit à Societate (de quibus obligationibus habetur sermò in Constitutionibus loco proximè allegato, iuncta Declaratione, littera E. & rursus eadem p. 4. C. 11. §. 2. iuncta Declaratone, littera A.) videtur, eas obligationes esse ex iustitia, Societatemque teneri ad restitutionem, si per ipsam stet, quominus adimpleantur, & competere actionem civilem adversus ipsam, & in iudicio compelli posse, vt pactum seruet, vel acceptum pretium reddat.

239 Contrà tertiò, quia in his posterioribus obligationibus imponendis, & suscipiendis intercedit pactum novum, & speciale, non solùm implicitum, sed etiam explicitum, vt agnoscunt Sanchez num. 3. & 4. Dicastillus Tract. 5. D. 4. Dub. 16. n. 317. Secus est in priorib⁹ illis, vt notat Suarez tomo 4. de Relig. T. 10. Lib. 8. C. 2. num. 5. [solùm enim acceptatur fundatio iuxta Constitutiones, atque adeò cum oneribus, quæ imponunt Constitutiones, & sub tanta obligatione, quanta ab eis imponitur, & non maiori.] Ergo etsi in prioribus obligationibus nō contrahatur ex iustitia, dicendum aliter est de posterioribus, nam intercedente pacto, *Do, vt des, aut vt facias*, inevitabile videtur onus ex iustitia.

240 Et ita sensit B. P. N. Franciscus Borgia III. Præpositus Generalis, de quo Sacchinus 3. p. Hist. Soc. Lib. 3. nnm. 140. [Hanc ille formulam in admittendis fundationibus Collegiorum per cunctam Societatem seruari iussit, vt quas res Constitutiones excipiunt, in ijs, hoc est, in confessionibus, concionibus, Theologiæ doctrina, ne ipsa quidem sibi Societas ius vllum imponat; sed ei Fundatores credant, idque, propter quod condita est, vltrò præstituram confidant: de cæteris rebus aliquid pacisci, nefas non esse.] Sic B. Pater. Vnde interpretatio relata ex Sanchez, & Pellizario supra num. 233. non est omnino firma, neque quòd S. P. N. Ignatius tantùm dicat, *non conuenire*, sufficiens fuit motivum, nam eisdem verbis vtitur parte 6. Const. C. 3. §. 6. circa id, quod prorsus repugnat Instituto Societatis. Omitto alia exempla.

241 Obiectioni itaque occurrendum est alia via præmonstrata à Sāchez n. 3. in his verbis, [Secundò deducitur, non interdici recipere aliquid ex pacto pro emendis equo, ac alijs necessarijs ad eundum aliquò cautsa exercendi ministeria spiritualia, vel prosustentatione Religiosorum Societatis Iesu, qui in illis ministerijs versantur, quia expensæ hæ non petuntur pro

pro rebus ipsis spiritualibus, sed tantũ petuntur pro requisitis ad spiritualia exercenda.] Ita Sanchez, cuius sensum doctè, & eleganter interpretatur Cardinalis de Lugo Disp. 21. de Euch. sect. 1. num. 17.

242 Sed quia is omne tulit punctum, totamque dubitandi rationem radicitus evulsit, apponam integra ipsius verba: [Hominibus Societatis (sic ille) interdictum est accipere pro ministerijs spiritualibus, non omnino, sed illud, quo videntur compensari eiusmodi ministeria, vt ex verbis Regulæ constat. Dupliciter enim potest aliquid accipi. Primò, vt aliquis servet se indemnem, seu re cogatur ea occasione facere ex suo sumptus extraordinarios, & expensas novas. Secundò, ad compensandum, seu vt inter sumptus necessarios accipiendos computet victum, & sumptus ordinarios suæ personæ, qui non adveniunt ea occasione. Hoc secundum prohibetur in Societate, quia hoc videtur esse vivere ex ministerijs, seu vivere ex altari, vt dixit Paulus: quod, licet secundùm se licitum sit, voluit tamen S. Ignatius ob præclaros fines, & ad maiorem paupertatis puritatem, & libertatem in ministerijs cõservandam, hoc prohibere, quia speciem aliquam lucri ex ministerijs præsefert. Illud verò primum, quod non affert lucrum vllũ, sed solùm removet novas expensas, nõ prohibetur, quia illud nõ est accipere, sed non expendere ex nostro in gratiã alterius id, quod aliàs non esset expendendum. Quod quidem nullo modo est stipendium, sed non donare ex nostro id, quod aliàs expendendum nobis non esset. In hoc ergo differt homo nostræ Societatis ab alijs Sacerdotibus, quòd isti, licet gratis applicent Missam, conferant Sacramenta, nihil accipientes pro illis nisi necessarios sumptus; in his tamen computant sumptus necessarios ad personam Ministri sustentandam, atque adeò videntur aliquid hac occasione lucrari, scilicet sumptus illos, quos alioqui ex suo deberent facere ad suam sustentationem. Nos verò inter hos sumptus non possumus computare, quæ alioqui nobis necessariò expendenda essent, sed id solùm accipere possumus, quod ea occasione in gratiam petentis addendum esset pro viatico, pro victu in alio loco, in quo aliàs ille Minister alendus non esset, & similia, quæ solùm deserviunt ad conservandos nos indemnes, seu ad non donandum, non ad lucrandum aliquid: vnde tota opera, & actio confertur gratis absque eo, quod eius occasione Societas aliquid lucretur.] Hactenus Eminentissimus Cardinalis, consonatque Dicastillus supra.

243 Et vt ego aliquid ex meo addam, contingit non rarò, vt prohibito novo emolumento non vetetur compensatio, qua fiat, vt quis se se indemnem conservet, & sumptus à se factos recuperet. Aliud enim est lucri, & aliud non perdere, vt notant Doctores ad *leg. 2. & 3. ff. de In rem verso.* Ex quibus hanc vniversalem regulam tradunt, teste Laymano L. 3. Tract. 4. C. 27. num. 6. [Non dici versum in rem, seu vtilitatem alterius, quãdo is tantum erogat, quantum accepit.] Cuius regulæ ratio est iuxta eundem Laymanum ibi, [Quia vtilitas, seu lucrum non censetur, nisi deductis impendijs,] *leg. Hoc fructuum 1. Cod. de Fructib. l. Fundo 52 ff. Familiæ erciscũdæ, leg. Fructus eos 7 ff. Soluto matrimonio.*

244 Ad idem ipsum explicandum est pervtile exemplum Sacerdotis Sæcularis, à quo Laicus peteret, vt longum iter conficeret pro celebranda Missa in tali loco, vel postularet, vt Sacrum faceret cum multis lucernis, magnoq; comitatu ministrantium. Tunc quidem etsi Sacerdos stipendium Missæ recusaret ob amicitiam cum Laico, vel quia cum esset dives, vellet cedere iure suo ad sustentationem ex altari, posset adhuc à Laico exigere equum, & expensas longi itineris, aut sumptus faciendos in emptione lucernarum, & persolvendo ministrantium salario. Haud aliter se gerit Societas, proportione servata. Imò eadem Societas rogata, vt curaret fieri Sacrum in suo templo ab aliquo è suis Presbyteris cum ornamentis novis, valdeque pretiosis, cum magno altaris, candelarumque apparatu, etsi admitteret celebrationem, eamque susceptam deberet exequi gratis, & absque vllo stipendio, posset nihilominus postulare expensas ad emendas vestes novas pretiosas, & ad insolitum altaris, candelarũque apparatum. Discrimenque aliorum

rum Sacerdotum à Nostro esset, quòd non solùm possent petere expensas ad præfata, sed etiam stipendium pro Missa celebranda, adquirereque illud.

245 Quanvis autem in locis, in quibus aliàs Operarij spirituales Societatis alendi ab ipsa non erant, accipiatur quod opus est ad eorum viaticum, & victum moderatum, dum ibi laborant concionando, & alia spiritualia ministeria exercendo, tamen valdè curatur, vt si quid vltra necessarium detur, non admittatur, aut vt minus cautè admissum reddatur, ne lucrum aliquod videatur fieri à nobis. Atque ita ego de vno, & altero non semel viso, & audito testari possum, cum Reipublicæ amplæ, opulentæque petierunt Concionatorem, & in discessu obtulerunt, aut dederunt largos sumptus itineris, quos vel recusarunt Nostri, vel moniti Superiores iusserunt remitti ad easdem Respublicas. Et quando Nostri ibi operam suam ponunt, minimè comparant victum suum ex Missis, in has enim nunquam revocamus sustentationem nostram, neque quidquam, quod inter alimenta computetur, aut ad disciplinam pertineat iuxta *leg. Legatis 6. ff. de Alimentis, vel cibarijs legatis.*

246 Hinc cum in novo Orbe instantissimè vrgeretur Societas, vt ad suam curam reciperet Indorum Paroecias (quas vocant Doctrinas) vt notum erit legenti Iosephum Acostam L. 5. de procuranda Indorum salute C. 19. & 20. Franciscum Sacchinum p. 3. Hist. Societatis L. 8. num. 313. parte & L. 4. ex num. 275. D. D Ioannem Solorzanum L. 3. de Indiarum gubernatione C. 16. num. 68. & seqq. rursusque in Politica Indica L. 4. C. 16. pag. 643. inter alia, quæ Nostris difficile reddebant negotium illud, tenuit principem locum victitatio quærenda ex Missis, aliisque officijs spiritualibus erga Indos. Et ideò Acosta C. illo 20. scripsit, [Præter communes evangelizandi leges est illa Societati nostræ vel prima, vel maxima, vt ministerij sui impensi in proximos nullam omnino patiatur mercedem, mercedisve speciem ad se redundare. Itaque quod alijs valde & licet, & sanctũ est, eleemosynas pro Missa dicenda, pro funere, pro concione & accipere, & petere, Nostris etiam vltrò oblatas admittere nullo modo fas est :: Quare nihil est, quòd tantoperè quidam mirentur, si Parochias Indorum Camarico, & salario instructas min⁹ cum nostra professione congruere existimemus.] Sic P. Acosta; qui inferiùs subdit, vt & Sacchinus p. & L. 4. n. 276. constitutum fuisse in Regno Peruano, vt de publico ærario Sacerdotibus annui proventus tribuerentur, neque ab Indis victu, neq; à Patronis Commendarum salario repetito. Et habita à Nostris Congregatione Provinciali, subortaque dubitatione, [de oblationibus, Missis votivis, legatis testamentorum, quin etiam muneribus illis, quæ Camaricum vulgò dicuntur, recipienda, necne essent, visum est, oblationes quidem, in Ecclesia à fidelibus fieri consuetas, nequaquam prohibendas, tum ne populus sancti eius operis fructu privetur, tum etiam ne adeò antiqua, & pia consuetudo paulatim excidat : verùm res minutiores, statim distribui pauperibus, aut ad ægrotos mitti debere, nec vllo modo Patrum in domicilium importandas : res verò maioris pretij :: deponi posse penes Magistratum populi, pios in vsus opportunè distribuendas; nulla re pro Sacrificijs, nullo etiam legato admisso.] Ita refert Sacchinus num. 283. Et in novę Hispaniæ Paroecia, seu Doctrina Tepotztolana similiter observatum est, vt obventiones altaris applicentur ad vsus, & ornatum templi, necnon ad salarium Cantorum, vt tradit P. Andreas Perez de Ribas L. 12. Missionum Societatis in nova Hispania C. 8.

247 De his Paroecijs, paucis quidem numero, susceptis sat difficulter à Societate ait supra D. D. Ioannes de Solorzano rerum Indicarum fidissimus, & peritissimus testis oculatus, [Mirum est, quantum in eis vigeat, ac floreat ipsorum Indorum in religione, & vitæ politicæ institutione profectus, & defensio, ac tuitio ab iniurijs, quas ab Hispanis, Hybridis, & Æthiopibus, & à proprijs etiam Prætoribus pati solent.] Et numero 70. [In regno Peruano sunt Societatis Iesu Paroeciæ de *Santiago de Lima*, vulgò *el Cercado*, & de *Iuli*, quæ omnibus typus esse potest in Provincia de Chucuito.

Vnde

Vnde pluribus Schedulis Regijs caveatur, vt dicti Patres faveantur, & ad similes Doctrinas capessendas alliciantur, præsertim in Epistola quadam ad Dom. Proregem D. Franciscum à Toleto anno 1574. tomo 1. pag. 113. & in alia ad D. Martinum Henriquez 1583. & in alia ad D. Principem Squillacensem datam Madriti 28. Martij an. 1620.] cuius postremę Epistolæ partem quandam dignam Rege Catholico, Nostrorumque apud Indos laborātium honorificentissimam exarat prælaudatus Senator pag. citata Politicæ, & paulò anteà scribit, [Certè vbiq; Indiarum excellunt Patres Societatis in edocendis, & protegendis pauperibus Indis, vti & reliqua iuventute, cuius curam gerit.] Hæc D. D. Ioannes de Solorzano Iurisconsultorū Hispaniæ apex, ad quæ calamum deflexi, instituto sermone de cautione Nostrorum circa id, vt vel in Parœcijs Indorum à se administratis illæsum maneat Institutum de non admittendo stipendio ob Sacrificia, aliaque munia spiritualia.

248 Ex quibus omnibus manet satis enodata obiectio proposita in Sectionis principio, vt & alia, quæ addidimus ad eius augendam difficultatem. Inter quæ argumentatio Cardinalis de Lugo desumpta ab exemplo Societatis, & probata à doctissimo Hieronymo Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Dif. 10. dubio 1. n. 6. quo sensu vera sit, abundè liquet.

SECTIO XIX.

Num lex Societatis de recusando stipendio munerum spiritualium noua sit, & singularis in Ecclesia Dei? Defenditur à calumnijs Hæreticorum; ostenditur eius perfectio, & afferuntur considerationes, vt in Societate vigeat.

249 [SED rogitant multi, quid vtilitatis habeat ista Societatis Constitutio omni nouitate plena? Cum nihil fuerit in Ecclesia tam vetus, tamque vsitatum, atque receptum, quàm vt Sacerdotes Domini de altario viuant. Dignus est enim operarius mercede sua; nec conueniat os alligare bobi trituranti. Si enim spiritualia in eis seminam⁹, quid mirum est, si ab eis carnalia meamus? Esseq; videtur magis conueniens Ministris Domini, vt ob laborem, aut meritum in animarum salute impensum, victum, aut vestitum, quibus esse debent cum Apostolo contenti, à fidelib⁹ expectent, quàm si omnino liberaliter ablq; suo labore, & merito consequerentur:: Maximè, quia multi deterrentur à petendis Missis, aliisque diuinis Officijs, & suffragijs, cum intelligant, non esse eorum eleemosynas, vel stipendia admittenda. Quod si omnes de Ecclesia facerent, vide, quam frigesceret, quàmque iaceret fidelium fervor, Sacramentorum, Sacrificiorumque vsus, & denique diuinus cultus.] Totidem verbis proponitur hęc difficultas à Petro Navarra, Theologo insigni Toletano, L. 3. de Restitutione C. 1. parte 3. num. 189.

250 Et respondet num. 191. [Verum enimverò sanctissimam esse, ac sapientissimam eam Constitutionē hisce temporibus, etsi novam, ac sacra quadam novitate institutam, putamus. Singulariter enim dixi hisce temporibus, quando in Ecclesia tot sunt Pastores proprij, totque mercenarij, vt ob priuatorum, pauciorumq; hominum hanc Cōstitutionem nec deterreantur fideles, nec priventur fructibus Sacramentorum, Missarum, suffragiorumque pro vivis, & defunctis; sed omnes æqualiter admittantur sine personarum acceptione, qui eam eleemosynam facere possunt. Alijs autem priscis temporibus, vbi maior erat Ministrorum penuria, ea fortasse esset inēunda ratio, vt scilicet stipendia omnes Ministri acciperent, ne eorum voluntas laborandi in vinea Domini deferveſceret, neve fideles ipsi averterentur, vt dicebam, & non omnes indifferenter admitterentur, sed pro voluntate Sacerdotis ad specialia suffragia, Missas, Sacramenta, &c. Constitutiones autem pro ratione, & varietate temporum diversas esse debere, nemo est, qui nesciat. Adde eodēm, nam re vera, qui hanc servant Constitutio-

tutionem, tantùm abest, vt pigritentur dicta munia gratis obire, vt etiam tantò diligentius, ac suaviùs, rectiore in Deum intentione, ea præstant, quã ij, qui oculum habent ad temporalia, quantò stipendium à Deo, & denarium illum vitæ æternæ, laborantibus promissum, puriùs expectant. Is enim, quem purè imbuerit proximorum amor, ac Dei maior gloria, longè diligẽtiùs, ac perseverantiùs laborabit, quã is, qui pecuniam, licet minus principaliter, expectat. Nam re vera multi sunt, qui ea munia dimitterent, nisi sperarent vel distributiones, vel fructus, vel stipendium. Vides igitur, quãtò firmiùs, ac perseverantiùs ij laborent, qui, omni temporali præmio neglecto, Dei gloriam, & animarum salutem complectuntur. Præterea id valde conducere putamus, vt maiore cum ædificatione proximi, & voluntatis promptitudine, egregiaque animi alacritate (experientia teste) maioreque libertate, divina tractare, proximosque movere, ac veritatem docere possint, quàm si quodammodò subiecti ea perficerent. Denique vt priscum nostrorum Patrum, sanctissimumque morem toti Ecclesiæ non solùm vtilem, sed omnino necessarium, iure laudandum, & conservandum esse censemus; sic istum morem, nihil pro labore in spiritualibus seminandis impenso accipiendi, non modò non esse condemnandum in speciali aliqua Cõmunitate (quæ eiusdem Ecclesiæ mẽbrum est) sed vehementer esse probandum tanquàm perfectissimum arbitramur. Ita fiet, vt Ecclesia circumdata varietate sic existente, dum vnusquisque sic, alius autem sic, teste Apostolo, omnes, eodem adhortante, glorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.] Hucvsq; Navarra; cui plurimæ gratiæ habendæ sunt ob laudes, quib⁹ commendat Institutum nostrum.

251 Sed quoad non accipienda stipendia ex Missis nec singulares, nec primi sumus inter Religiosos, nã PP. Capuccini observabant id ipsum ante condiram Societatem, vt videre est in Annalibus eorum editis à Zacharia Boverio tomo 1. anno 1529. n. 20. pag. 118. Recollecti etiam eiusdem Ordinis Minorum ante, vel saltem paulò post, teste Antonio Cordubensi q. 15. ad C. 4. Regulæ S. Francisci, postque inceperunt observare vocati Discalceati de B. Petro Alcantarensi, cuius circa id Constitutionẽ exarat Martinus de S. Iosepho Lib. 1. Hist. ipsorum C. 6. pag. 38. Sitque fides penes laudatum Cordubensem narrantem, maximam Ordinis Seraphici, & puritatis Regulæ iacturam, sub prætextu Missarum, & eleemosynarum, Diabolo procurante, & hominum fragilitate, cupiditate, & ignorantia, introductam esse. Frater etiam Petrus Ioannes Olivi Franciscan⁹ sub mortis articulo cõtestatus est publicè, [procurare nimia aviditate propter emolumentum emergens, vt aliqui in Minorũ Ecclesijs sibi eligant sepulturas, ita vt si non expectaretur lucrum, de his non curaretur; instituere etiam annuas obligationes Missarum propter stipendia, diminuere plurimũ de statu Franciscanę perfectionis.] Sic refert Vvading⁹ in Annalibus Minorum anno 1297. n. 33. pag. 684. tomi secundi, & in num. 39. pag. 687. cum Vbertino de Casali approbat dictum illud, [quatenus contrarium sit paupertati, & perfectioni tanti status detrahat, avidè inhiare, & cupidè procurare cum scandalo Cleri, & populorum malo exemplo, vt divites, & vsurarij in Ecclesijs Minorum sepeliantur propter conceptam spem de legatis, vel eleemosynis Fratribus relinquendis, neque vllam huiusmodi curam habere de pauperibus: & omissis exercitijs spiritualibus, hinc, inde divagari, & litigijs vacare ad adquirenda funeralia.] Hæc Vvadingus, quæ nec modò contingunt, nec scio contigisse vnquam, sed de possibili tantùm enunciantur.

252 Fuere quidem iam olim inter Franciscanos diversæ opiniones, num licerẽt, necne ipsis stipendia Missarum? Constat id ex Speculo Minorum, seu ex Firmamento trium Ordinum parte 3. Tract. super quibusdam articulis ad defensionem Fratrum Observantiæ cõtra quosdam, qui sub vmbra perfectionis à veritate declinaverunt, fol. (mihi) 257. & 285. itemq; 286. Nec desunt, qui exhortationem S. Patris Seraphici in Epist. 12. de vna tantùm Missa in die apud suos Convẽtuentus eò revocent, quòd volnerit,

[Suos

[Suos Religiosos non dicere Missas venales, ne videantur amplecti, quod ille maximè abhorruit, avaritiam, & pecuniam.] Ita in Expositione Rubricæ de Celebratione Missarum parte 1. ad finem solemnissimus olim apud Academiam Salmantinam Professor Petrus Margallus, de quo cū laude memini in Disp. 27. num. 115. dubius, num fuerit Socius Collegij S. Bartholomæi, vel S. Iacobi Zebedæi, dicti Conchensis. Sed vtriusque fuisse, monuit me posteà D. D. Franciscus Ruiz de Vergara Eques Iacobæus nobilissimus, & in Supremo Castellæ Consilio litteratissimus, integerrimusque Senator, cuius de Viris insignib⁹ Collegij S. Bartholomęi expectatur in dies exultissimum Opus, tamq́; honorificum ei Sapientū domicilio, quàm ipse fuit, dum illud incoleret. Qua ergo regiminis, & cęremoniarū occasione Marg. Conchensē togā induerit ad tempus, fides erit apud expetitū Opus, ex quo noscetur quid quid eundem met Marg. cōmendat posteritati. Sed motivum illud adscriptū S. Francisco difficile est. Nos aliud assignavimus in loco præcitato, exprimiturque in Constitutionibus primis PP. Capuccinorum, vbi dicitur, [Itē statuimus, vt vna dumtaxat Missa in Conventu quotidie celebretur, iuxta antiquam Ordinis cōsuetudinem, cui alij Sacerdotes assistant; præsertim cum ea fuerit S. Patris N. Francisci mens, & admonitio. Idcirco Superiores neminem cæterorum Sacerdotum celebrare cogant, prętereaquàm in diebus solemnibus, seu in tempore necessitatis.] Quæ Constitutio varietate temporum convenientem habuit moderationem in templis religiosissimorum PP. Capuccinorum.

253 Diversa iudicia Patrum Minorum circa stipendia ex Missis in causa fuerunt, vt Franciscus Ovandus in 4. Distinct. 13. propos. 9. Corol. 3. pag. 314. scripserit, [Hinc apparet aliquorum Religiosorum extortum, aut errans iudicium, qui se credunt perfectiores, quia pitantias pro Missis non recipiunt, sed eas pro Benefactoribus generaliter applicant. Hoc annunciato populis, ampliorem recipiunt eleemosynam, putantibus, dantibus maiorem sic ex Missis fructum sibi obvenire. Nam liberior est ab obligatione, qui recepta pitantia Missam pro dante dixit; cui ampli⁹ in nullo tenetur. Neque recipere talem pitantiam est simonia, vel turpe lucrum. Neq́; qui recipiunt denarios pro Missis, desinunt ex liberè oblatis provideri; quandoque fit labor, & onus quærere alia victualia, fortè maioris pretij, quàm forent Missarum consuetæ pitantię. Idcirco neque alios iudicare, aut damnare debent, aut hoc solo se reputare sanctiores. Benè quidē evitare per hoc possunt suspicionem de nimia, & immoderata susceptione Missarum.] Sic Ovandus Minorita, quem credo respexisse ad aliquos sui sanctissimi Ordinis non admittentes stipendia Sacrificiorum, sed applicantes hæc omnia pro Benefactoribus, vt nominatim faciunt Discalceati de B. Petro Alcantarensi, & ex præscripto ipsius; ast longè absunt à damnandis alijs, qui non detrectant stipendia, longè etiam absunt ab arroganda sibi maiori sanctitate, & solùm curant de puritate in paupertate à se servanda, ad quam per se magis conducit prędictum illud.

254 Eodemque modo se gerit Societas, venerans, laudanśq́; Ecclesiasticos alios sive Sæculares, sive Regulares, qui eleemosynas quotidianas, & annuas pro Sacris acceptant; sed adducimus exempla ex tam illustribus cœtibus magnæ Religionis Seraphicæ, ne nobis singularitati, aut novitati vertatur, quòd eas eleemosynas recusemus, nos quidem ex vi voti, & illi intuitu maioris perfectionis per se in paupertate, vt de ipsis ait P. Suarez tom. 4. de Relig. T. 10. L. 4. C. 7. n. 13. Quid autem ipsis fas, nefasve sit ex vi voti? tractant Doctores, præcipuè Emmanuel Rodriguez tom. 2. qq. Regul. in 227. Sanchez L. 7. in præcepta Decalogi C. 26. Castro Palao T. 16. D. 3. punct. 9. Pellizari⁹ in Manuali Regular. tom. 1. Tract. 4. C. & Sect. 2. ex n. 35. & ex n. 96. cum alijs, quos allegant.

255 Sed vt altiùs repetamus exempla observantiæ nostrę, probabile valde est, quod aiunt Leisius de Iustitia Lib. 2. C. 35. dub. 8. n. 49. Sanchez L. 2. Consiliorum C. 3. dub. 11. num. 8. Christophorus de Anguiano

Lib. 4. de Legibus Controver. 7. ex numero 15. Alfonsus de Leone quæstione 6. de Officio Capellani sect. 4. antiquioribus temporibus Ecclesiæ prohibitum fuisse iure humano positivo paciscí de certa quantitate stipendij pro Missis, officijsque alijs spiritualibus, colligiturq; ex multis Canonibus, vbi prohibetur omne pactum in spiritualibus, vt ex C. *Pactiones* 8. de Pactis, C. *Quæsitum* 5. de rerum permutatione, C. *Tua nos* 34. de Simonia, & C. 2. *Quanquàm pio* 1. q. 2. Assentitur S. Thomas in 4. Dist. 25. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula 1. ad 4. inquiens, *Facere pactionem de Missa celebranda, est Simoniacum semper.* Videatur idem S. Doctor 2. 2. q. 10. art. 2. & artic. 3. ad 2. Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ L. 2. C. 27. n. 19. Guilielmus Autisiodorēsis in Summa aurea L. 3. T. 21. C. & q. 2. S. Raymūdus in Summa Lib. 1. §. 17. Sylvester V. *Simonia*, q. 9. & 17. Guilielmus Redoanus p. 2. de Simonia C. 27. & 28 p. 3. C. 7. alijque apud Suarez tom. 1. de Relig. T. 3. L. 4. C. 46. num. 3. Et in Concilio Eboracensi anno 1197. decretum fuit, *Ne Sacerdos aliquis pro celebratione Missarum pretio constituto pactum ineat, sed hoc dumtaxat, quod offeretur in Missa, recipiat.* In Toletano ad annum 1324. similiter prohibetur, *Ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed gratè accipiat, si aliquid per facientes Missas celebrari, oblatum sibi charitatiuè fuerit, absque pacto, & conuentione quacumque. Qui verò contrarium fecerit, à celebratione Missæ per annum nouerit se suspensum, & aliàs pro tam graui excessu ad arbitrium proprij Episcopi puniendum.* Quibus Concilijs consonant non parùm Turonense anno 1162. Can. 5. & 6. Londinense anno 1200. Decreto 8. Philippus Abbas Cap. 13. & 14. de Clericorum dignitate.

256 Etsi autem quoad Missas, & aliquas alias functiones spirituales derogatum iam sit eis luribus per cōtrariam consuetudinem, scientibus, & conniventibus Prælatis; at conforme fuit Antiquitati Ecclesiasticæ, quòd S. P. N. Ignatius prohibuerit suis Religiosis conventiones, & pacta de stipendijs pro ministerijs spiritualibus. Et ideo dixit sapienter Anguianus suprà, n. 24. [Benè verum est, (quod omnes fatentur) tutius quidē esse absque vlla conditione temporalia liberaliter dare, & rogare Ecclesiā, vt Anniversaria faciat. Ex quo fluxisse suspicor laudabilem morem Religiosorum nominis Iesu, qui etsi pro temporalibus sibi datis, piè, & religiosè deprecationibus, & suffragijs adhibitis, speciatim pro suis Benefactoribus, abundè satisfaciant: illorum nihilominus sanctissima statuta nō patiuntur, quòd se obligent ad Anniversaria, fortè quia suspectas crediderunt de iure tales pactiones, quæ solū consuetudine (vt vidimus) & vsu sustinentur.] Sic præstantissimus ille Iurisperitus.

257 Verumtamen S. P. N. indemne reliquit ius naturæ, vt si aliunde non habeamus vnde vel mendicando vivamus, debeamus sustentari ope eorum, quibus ministramus spiritualia, nec enim voluit, aut potuit S. Pater præiudicare huic iuri. Quo quidem vsi sunt veteres Pastores, & Sacerdotes, nisi quòd nō debuerint potiùs mendicare, quàm ob ministeria accipere stipendium sustentationis. [Totum verò corpus Societatis licet ex donationibus, vel eleemosynis fidelium sustentandum sit, siue in Domibus, siue in Collegijs, siue in peregrinationibus, & Missionibus; nihilominus consilium sibi observandū existimavit, non recipere has eleemosynas propter Missas, vel in compensationem aliorum ministeriorum, sed eas vel spontè oblatas accipere si solùm in eleemosynam, & non in compensationem dantur; vel, si indiguerit, eas à fidelibus postulare, qui eodē liberali modo eas tribuant.] Quæ sūt verba Eximij Doctoris Patris Suarez supra, num. 11. in tomo illo 4. de Religione. Et quod ait de licita Nostris, quando ministrant spiritualia, acceptione eleemosynarum, si vt tales, & non vt compensatio dentur, confirmatur ex C. 101. *Quid quid* cum sequentibus 1. q. 1. C. 1. *Placuit*, C. 4. *Sicut Episcopus* 1. q. 2. C. *De eulogijs* 8. Dist. 18. permittentibus munera vltrò oblata, & non exacta, neq; de pacta cum ijs, quibus spiritualia dispensantur. Iure enim antiquo reddebatur ratione pacti illicitum id, quod sine illo licebat

cebat in hac materia, Can. *Cum essent* 12. Can. *Tua nos* 34. de Simonia, Can. 4. *Sicut Episcopum* 1. quæstione 2. in quo postremo C. dicitur, *Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neq; exactus, neque petitus:: aliquid alicui ex Clero, gratiæ tantummodò causa, dare voluerit, hoc accipi, nullo modo prohibemus, quia eius oblatio nullâ culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.*

258 Vlteriùs Canones prisci, vt Can. 6. *Clericos*, C. 7. *Pastor*, C. 8. *Si quis* 1. q. 2. C. 25. *Illi autem* 12. q. 1. soliti afferri ad probandum, non fuisse olim fas Sacerdotibus, qui haberent vnde victitarent de bonis parentum, aut aliàs, sumere ex fidelibus, bonisve Ecclesiasticis stipendium sustentationis, præluxerunt ex parte S. N. Patriarchæ; cum enim Collegia, & Domus Probationis sic admitti, & fundari voluerit, vt habeant sufficientia bona tã mobilia, quàm immobilia ad moderatam Sociorum sustentationem, meritò; satisque ad veteres Canones conuenienter exclusit eam, quę peteretur ex ministeriorum spiritualium in eis Collegijs, & Domibus exhibitorum stipendijs. Domus verò Professæ etsi erigi sic debeant, vt careant immobilibus bonis, & redditibus pro Sociorum sustentatione, attamen ex incertis, & omnino spontaneis fidelium eleemosynis Socios ibi victitare, decrevit Sãctus Pater, respiciens ad eos alios Canones, de quib⁹ priori loco meminim⁹.

259 Neque silendum est, etsi ab origine Ecclesię mos fuerit, vt fideles, provt cuique libuisset, offerrent tempore Missę panem, vinum, aliaq; deservitura ad ipsum Sacrificium, & ad Sacerdotum, reliquorumque altari ministrantium sustentationem, inter quæ non deerat aurum, & argentum, seu pecuniæ, vt notum est ex Concilio Emeritensi C. 14. vbi dicitur, *In Sancta Dei Ecclesia diebus festis pro consuetudine, & mercede, communicationis tempore à fidelibus pecuniam nouimus poni*, & ex Tertulliano C. 39. Apologetici dicente, *Modicam vnusquisque stipem menstruâ die, vel cum velit, vel si modò velit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert*: quæ testimonia apertiora sunt, quàm alia eiusdem Tertulliani de Exhortatione Castitatis C. 11. de Monogamia C. 10. & Epist. 80. ad Sanctum Cyprianum scriptæ, ac S. Augustini Epist. 64. adducta à Vicecomite in Volumine 3. de Ecclesiasticis Observationibus Lib. 3. de antiquis Missę ritibus Cap. 30. Etsi item vlus primævæ Ecclesiæ tulerit, vt pro offerentibus ea munera applicaretur vniversim Sacrificium à Sacerdotibus: nihilominus de Missa pro fideli, qui singulariter data stipe, eaque pecuniaria sacrificantem obligaverit ad specialem applicationem, desideramus memoriam in prioribus illis sæculis; & solùm ex Canone *Sufficit* 53. de Consecratione Distinct. 1. qui Canon est Alexandri 11. Papæ Pontificiam Sedem adepti anno 1061. colligi potest consuetudo, quæ nunc viget, damnantur enim ibi, qui præsumebant plus quàm semel in die celebrare *pro pecunijs, aut adulationibus* (sũt qui legant *oblationibus*) *Sæcularium*. Ex quibus omnibus constat, Societatis Constitutionem prohibentem stipendia, compensationesque ex ministerijs spiritualibus, non esse omni nouitate plenam.

260 Præterquàm quòd consentanea est exemplo Sancti Pauli, vt videre est in 1. ad Corinthios Cap. 9. à V. 4. & in 1. ad Thessalonicenses Cap. 2. V. 7. ac 9. Audiatur Sanctus Augustinus, qui in Lib. de Pastoribus C. 2. fatur in hunc modum, [Apostolus dicit, Quis plantat vineam, & de fructu eius non sumit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Invenimus ergo, esse lac gregis, quidquid à plebe distribuitur Præpositis ad eorum sustentandum victum temporalem. Inde enim loquebatur Apostolus, cum hęc diceret, quæ commemoravi. Et quidem Apostolus quãquàm elegerit manibus suis laborare, nec ipsum lac quærere ab ovibus, tamen lactis potestatem percipiendi habere se dixit, & sic Dominum dispo suisse, vt qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant. Et dicit, alios Coapostolos suos vlos fuisse hac potestate, non vsurpata, sed data. Plus ille fecit, vt nec quod debebatur, acciperet. Ipse ergo donavit & debitum, sed alius non exegit indebitum; ille plus fecit. Fortasis enim illum significabat, qui ægrum cum adduceret ad stabularium, dixit, Si quid ampli⁹ erogaveris, inde redeundo red-

dam tibi. De his ergo, qui non indigent lacte gregis, quid plura dicamus? Misericordes sunt, vel potiùs ipsius misericordiæ officium largiùs impendunt. Possunt enim, & quod possunt, faciunt. Laudentur hi, neq; damnentur illi. Nam & ipse Apostolus datum non quærebat, fructuosos tamen oves esse cupiebat, non steriles sine lactis vbertate.] Hęc S. Augustinus. Cuius discipulus S. Prosper relatus C. 9. *Sacerdos* 1. q. 2. similiter ait, [Quid est aliud de Evangelio vivere, nisi laborantem inde, vbi laborat, necessaria vitæ percipere? Apostolus tamen, qui sic Evangelium prædicavit, vt nec de Evangelio viveret, sed necessaria sibi suis manibus ministraret, de se confidenter eloquitur, *Ego autem nullo horũ vsus sum.* Et quare hoc dixerit secutus aperuit dicens, *Expedit mihi mori magis, quàm vt gloriam meam quis evacuet.* Evacuare dicit gloriam suam, si abeis, quibus prædicabat, voluisset accipere vitæ temporalis expensam. Nolebat quippe in præsenti laboris sui fructum, sed in futuro recipere.]

261 His Patrum locis adiungere quis posset verba illa Eminẽtissimi, & acutissimi Cardinalis Caietani 3. p. q. 40. in Comment. ad art. 3. [Notate Domini Prędicatores, & quòd oportet Prædicatores à curis temporalium rerum esse absolutos, & nec apparere, quòd lucri causa prædicent. Et hoc quidem contra multos militat, qui stipendio prædicant, qui locum prædicandi, non vbi maior animarum fructꝰ, sed vbi maius stipendium præbetur, aut unde eleemosyna speratur, pro se, vel Conventu suo eligunt. Primum autem quantùm noceat, experientia testatur, paulatim enim prędicatiõ defertur à Religiosis habentibus possessiones, quæ iam ab Episcopis, Abbatibus, aliisque divitibus Clericis, ac Religiosis deserta videtur. Secundum autem Iesu Christi, ac Ecclesiæ præcipuum officium ad mercedem, atque quęstum abducit.] Sed hęc verba plus significant, quàm quod nos volumus, vt qui stipendium prædicationis non damnemus in aliis, sed potiùs agnoscamus, esse per se licitum, & laudabile: per se, inquam, nam per accidens potest esse vituperabile, vt si intenderetur tanquam pretium prædicationis, quæ intentio esset Simoniaca; vel si intenderetur tanquam finis principalis, ita, vt illo cessante, omitteretur prædicatio; quæ intentio est etiam Simoniaca iuxta plures citatos, & subscriptos à Moneta de Distributionibus parte 2. q. 18. n. 32: & licet negent S. Thomas in Opus. 65. Sanchez L. 2. de Consil. C. 3. dub. 12. Tannerus tom. 3. D. 5. q. 8. dub. 3. n. 66. & 67. cum Victoria, & Soto, Mendus L. 2. de Iure Academico q. 12. n. 109. sed tamen affirmant esse peccatum mortale, vt S. Thomas, & Tannerus, vel esse veniale ad minus, vt Sanchez, & Mendus. Est autem intelligendus Caietanus de prædicante pro stipendio ex vna, vel altera intentione.

262 Tandem quoad id vt Societas gratis, & sine stipendio doceat litteras divinas, atq; humanas, habuit quos imitaretur duos illos Monachos, de quibus Sangallensis Lib. 1. de gestis Caroli Magni, & S. Antoninus 2. parte Hist tit. 14. §. 12. narrant, quòd cum in Galliam appulissent, rogatiq; fuissent à Carolo, quidnam peterent pro tradendis publicè scientijs? responderunt, [loca tantùm opportuna, & animos ingeniosos, & sine quibus peregrinatio transigi non potest, alimenta, & quibus tegamur.] Sic Monachi illi, qui fuerunt institutores Academiarum Parisiensis, & Ticinensis. Extatq; Theodulphi Episcopi Aurelianensis in Epist. ad Compresbyteros suos instructio hæc, cui est admodùm conformis praxis Societatis, [Presbyteri (sic in n. 20. illius Epist. apud Baronium anno 835. n. 12.) per villas, & vicos Scholas habeant. Et si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere, & docere non renuant, sed eum summa charitate, attendentes illud, quod scriptum est, *Qui autẽ docti fuerint, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretij pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiãt, excepto quod eis parentes charitatis studio sua voluntate obtulerint.] Tãtùm Theodulphus. Id verò quod antiquioribus exemplis tuemur in Societate, fuit ab ipsa inter exempla religiosissimis PP. Clericis Regularibꝰ Scholarum piarum, emittunt enim votum erudiendi pueros *gratis, & nullo stipendio,*

dio, mercede, salario, aut honorario accepto, vt dicitur à Paulo V. Papa in Bulla de erectione huius Congregationis anno 1617. quam in veram Religionē cum emissione trium votorum solemnium elevavit Gregorius XV. Papa anno 1621.

263 Visum satis est, quàm sit antiquitati conformis Constitutio Societatis de recusando stipendio ministeriorum suorum; quod & de alijs Instituti nostri rebus, quæ vulgò notam novitatis incurrerunt, monstrare in tempore non erit difficile. Perfectio autem eius Constitutionis expenditur graviter à Suarez supra C. 7. ex num. 8. vsque ad 13. inclusivè in tomo illo 4. de Relig. à l. Eusebio Nierembergio Lib. 5. Doctrinarum Asceticarum Doctrina 3. C. 18. & 19. à PP. Provinciæ Flandrobelgicæ in Imagine primi Sæculi Societatis L. 1. C. 9. L. 3. Oratione 1. Lib. 4. Oratione 4. Laudatur insuper à perdocto I. Machado in Cōfessario perfecto tomo 2. L. 4. p. 1. Tract. 12. Docum. 8. num. 1. à sapientissimo Hieronymo Garcia in Summa de Excellentijs Sacerdotij Tract. 3. Dist. 10. dub. 1. num. 6. vt taceam alios iam antea citatos. Et quod caput est, commendatur, & confirmatur in Iulij III. Papę Bulla edita anno 1550. incipienteque *Expescit debitum*, & in alia Gregorij XIII. expedita anno 1576. exordienteque *Salvatoris*, necnon in Declarationibus Sacræ Congregationis de Celebratione Missarum anno 1625. Quæsito 18. Nec curandum est, quòd gratuita Sacramentorum, & aliarum functionum in Societate administratio appelletur ab Hæreticis turpissimus quæstus, vt referunt prælaudati Patres Provinciæ Flandrobelgicæ L. 4. C. 10. potiùs enim gratulamur nobis, quòd à fidei Catholicæ hostibus vitio vertatur in nostro Ordine abstinentia abstipendijs munium spiritualium, vt & quidquid per se Honestum, sanctumq; est nostro in Instituto. Quàm autem à quæstu temporali longè absit ea abstinentia, perspiciet cordatus quisque, qui advertat ad emolumenta ex Missis, Anniversarijs, Capellanijs, funeribus, prędicationibus, lectionibus parabilia Societati, non sec⁹ ac aliæ Cōmunitates Ecclesiasticæ, & Regulares ea licitè, iustè, laudabiliterque adquirunt, nisi Societas interdixisset sibi illud ad sustentationem subsidium.

264 Et licet hoc tempore ob tenues eleemosynas parabiles Domib⁹ Professis in multis locis, & ob reddituum stabilium in Collegijs non paucis decrementa, ac detrimenta videatur nostræ Constitutionis observantia dura, atque difficilis, oportebit tamen, vt Superior quisque in Societate perspectum habeat id, de quo Præpositus Domui Professę monetur in suis Regulis C. 6. num. 58. *Magno, & constanti animo speret à diuina bonitate suæ Domui subsidia temporalia adijcienda, si & Nostri ad quærendum Dei regnum sibi, & proximis serio incumbant, & ipse, ratione indigentiæ, Instituti nostri integritatem violari nunquā permittat.* Sic ibi. Et tam Superiores, quàm subditi debent attentè considerare ea, quæ graviter, & piè ait Pater Ribadeneyra suprà his verbis, [Optimè Societas nosci, maximum sibi commodum fore, eleemosynas ob sua ministeria, vt inde necessitates levaret, excipere; mavult tamen illo carere, ne sui Instituti fine careat, neve obicem aliquem, seu impedimentum ex se adducat, vel non apponat media ad illum magis perfectè assequendum: & subinde freta Domino est, dum se vltrò ob ipsius amorem eo privat fructu, quem hac ratione poterat obtinere, ipsum alia abundè concessurū quidquid ad ipsi inserviendum fuerit Societati opus, siquidem aeris avibus, aquæ piscibus, & terræ belluis illud elargitur. Et ita experimur, maxima Deum suavitate, singularique providentia, vti rerum omnium Dominum, nobis concedere. Et hac eadem experientia docemur, confirmamurque, vt quidquid in Dei obsequium exequimur, anxiùs exequamur, & nostram spem in ipso collocemus, dum eius amore impulsi laboramus. Quòd si fortè dignetur Dominus, maximis nos ærumnis, rērumque penuria probare, neque aliundè victitare possemus (id quod incredibile quidē apparet) media alia nostro consona Instituto, non autem dissona inquirenda forent.]

Hactenus ex Ribadeneyra. Cuius verbis claudo Disputationem hanc postremam totius Tractationis.

PANEGYRICA GRATIARVM ACTIO PRO FINE totius Tractationis de Sacrificio Missæ ad Christum Dominum in eo oblatum, & in Eucharistia latentem amanter.

265  ISTIMVS TANDEM TIBI, Divino Mysteriorum Prodigio, nō alia gratitudinis debitæ pro absoluto Opere momenta, quàm quæ è tui Numinis munificentia collegimus; nec ingrata, seu invtili cura, nam si laboris fuit, tot erga nos cumulata in te beneficiorum pondera evolvisse, beneficij fuerit, sic elaborasse. En ergo, Augustissimum Numen, non alio ingenio ingratos tibi fore refugimus, quàm quòd immensùm obstrictos nos dicimus, etiam dum sumus obsequuti, adhuc cum de supremo Supremæ tuæ Maiestatis cultu studiosis elucubrationibus insudavimus. Nec mirum, nos tantis laboribus addictos, cum laborantium diceris refectio, atque insigniris Amor. O summa ipsorum fœlicitas, non in labores descendere, quin ascendant! Nostri est, descendisse, tuum est, elevasse: à te infinito beneficiorū vrgemur, & accipimus: à nobis, quid nisi accepta adornent gratitudinem? Quod largissimé impertiris, offerimus, ardentissimū equidem Amorem sub candore tuo niveo latentem (si latere diu potest sub nive, qui ardet Amor, quin vel silens pereat, vel rumpat incendium) sed latere potest divino in Ætna. Auserim namque irasci vanissimo quorumdam errori credentium, Amorem, qui magnus sit, nunquam tegi, non dissimulari, sed igne, & luce sua sponte aperiri. Ego verissimé credidero, nunquam illum ardere fœliciore flamma, quàm cum faces suas scit altè recondere, nec amat se se expectatione quæsita extra pectus evolvere. Antiquitas hac mente Amoris arcem in Ætna constituit. Quā sæpè mons ille, ferociente intus elementorum discordia, summo vertice eructat

ctat incendia, quàm sæpe, desævientibus minis, nivibus coronatur, & floribus! Videas, modò terroribus armari rupes, modò lætissima rerum facie hilarescere: non rarò tonitribus terreri Cœlum, & impatientes custodię flammas atro fumo diem extinguere; mox mitiore tempestate altè nivibus tegi, & aboleri Syderibus ipsis formidandas flammarum iras.

Claudianus de Raptu Proserp. L. 1.

Mons, quanuis nimio feruens exuberet æstu,
Scit niuibus seruare fidem, pariterque fauillis,
Durescit glacies, tanti secura vaporis,
Arcano defensa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

Quis non magis miretur loci nobilissimum genium, quòd luctātes intus ignes nube obiecta compescat, quàm quòd hiante cacumine ad æmulationem tonantis Cœli dissplodat? Sic sanè Amor ille nobilior habebitur, qui se ipsum pati potest, & suo incendio sine ostentatione, sine luce involvi. O illam panis Eucharistici augustissimam bracteam! O quanta ibi latet Amoris flamma in mentium humanarum deflagrationem parata! O quanti Solis lucem nivea illa nubis incingit, coercetque, & quod mirere, Sol intus

quanuis nimio feruens exuberet æstu,
Scit niuibus seruare fidem ——————

Dissimulatum Maiestatis fulgorem non expediet extra nubem; collegit radios, vt fœliciùs arderet.

266 Nisi forsan suspicemur, Deum se se in eum recessum altè recepisse, vt in nos moliretur quasdam Amoris insidias. Æternùm vltra Sydera in ipso Patris sinu conceptus hic ignis, inde avidè erupit ad terras, vt arderet; sed eo fragore se se lapsus aperuit, vt iam expiraturum hoc fulmen ingentes ruinas ediderit, Sole extinguente facem, nutante terra, fatiscente natura. Visum est; tantùm descendisse, vt terreret. Sed cum mortalium pervicacia eluisset has flammas, libuit Deo, adhuc amanti commoda nostra, inire aliud consilium. Meditatus nova inventa, non se commisit in apertum bellum: sub nivea panis specie oculis nostris subduxit Maiestatem, experturus, an hoc furti genus cedat prosperiùs? Dissimulavit arma, vt insidijs intercluſos dextra certiori feriat, & missis ex occulto telis, nemo se vulneri eripiat. Quid vltra expectatis fortunatissimi mortales? Digni existimati estis, quorum prædę Deus ipse avidè incumbat. Satiate hunc Amorem. Quid vltra, tot bonis invitati, effugiatis hæc tela? Quid vltra, vestræ sortis ignari, quæratis amicam Dei ad vos vltrò venientis solertiam eludere?

Ca-

Capessite iam animos isti fœlicitati pares. Ite iam læti, ite iam audaces; audete vltroneo pectore excipere hæc gratissima vulnera, quibus posítis æternitatem vitę paciſci. Qua luce expectatis vincere periculosam mortalitatis caliginem, si contemnitis hos ignes? Quo è fonte haurietis verissimas voluptates, nisi ab hoc exoretis delitias?

267 Finxit nescio quis Vates, apes quondam siue ambitiosas, siue amantes impleviſſe Amoris pharetram nectare, & melle, vt inde ferrum, mitigata ferocia, blanditias traheret, quibus dulcissimè feriret:

Pulsum examen apum pharetra se includit Amoris,
Et nunc in pharetra dulcia mella liquat.

Bone Deus! qui te quasi sagittam electam in hac nivea pharetra occultum, ac per insidias, vt nos vulnerares, adaptasti, quibus non illam interspersisti voluptatibus? quas non miscuisti delitias? quo nectare non inde blandiris gratissimè? Adeste popinones, gulę insanientis infœlices victimæ. O quando saniora? Quid tot terræ, marisque fatigationibus vsque ad erubescentiam naturæ emitis irritam voluptatem? Adeste hic Deus sinceriſsima gaudiorum blādimenta reposuit. Quid inter lautissimos ferculorū apparatus, spumantes falerno pateras, famem, sitimque querimini, lassata magis, quàm satiata luxurie? Adeste, hoc vnum ferculum, hæc vna ambrosia, inundante Cœlestium delitiarum pelago, suavissimè satiauerit fastidium cupiditatis vestræ. Hæc erat illa fames (fas sit inferere prisca Oracula Principis Poetarum) quam per tot epularum ludibria extinguere quærebatis, hic tamen explendam:

Virgilius 7. Æneidos.

Hæc erat illa fames; hæc nos suprema manebant
Exitijs positura modum; quare agite, & læti
Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate
Æternum Genitorem, & vina reponite mensis.

268 Age verò, diviniſsime Amor, quò (da veniam quærenti) quò hæ latentis insidiæ? Quid moliris his artibus? Quid nos ita magnificè ludificas? vt apud nos adsis, & lateas, an quia amasti vsque ad zelotypiam; sicque solerter Maiestatem celasti? Monstraras, revocari te ad patria Sydera, nec abscessisti ab humana gente. Oculis nostris ereptus, sed adhuc inter nos versaris, dissimulato vultu. Quid hæc? nisi zelotypus latere velles, periclitaturus ingeniosè, an simus ingrati? Sed hæc sint sanè documenta zelotypiæ; audebo vlteriùs interrogare benevolentiam tuam: si zelotypus lates, & in insidijs, quid has in esca adornasti? Quid cō-

uiuator

uivator ipſe, & obſonium delicatiſsimis epularum telis armaſti hunc Amorem? An vt ſub hac imagine te te in intimam animã penitiſsimè inſinues? Ah! niſi ſuccurras, quod pectus pati poſſet has intus propiore flamma gliſcentes Diuinitatis faces? O vos, quos benignum Numen ad has delitias bonorum accerſit, audite novas Amoris leges.

269 Meminiſſe vos velim, quam nos Deus effinxerit ſibi mente ſimillimos, pulcherrimam Diuinitatis imaginem brevi penicillo complexus. Ornaverat præterea ingentibus bonis, penè vſq; ad impendium, & in oſtentationem vniverſæ potentiæ. Quid honoris maius, quidve nobilius homo expectaviſſet? qui Deum totum vultu, & animo referebat audaci nimiùm, & ambitioſa ſimilitudine. Quò iam altiùs vota, ſpemque intendat, ad hanc nobiliſſimam ſortem admiſſus? O Amor, quanto imperio Deum exerces! nova fatigantur inventa, maiora cuduntur conſilia. Modicæ dignitatis viſum eſt, hominem quoddam altum, ac ſublime, Dei inſtar, præferre, niſi Deus etiam Maieſtatem flexiſſet ad inſolitam humanæ formæ metamorphoſim, hominem & vultu, & natura imitatus. Ergo Verbum ſe ſe proripuit é paterno ſinu, vt mortalitatem induat in materno gremio, nec in ſuo Cœlo inter Æthereas illas mentes invenit quod eligere vellet? Ergo nos in tantũ amavit, vt naturam noſtram ad par ſibi faſtigium erexerit, initiaritq; in idem conſortium cum Diuinitate? Quid iam Deus ita victus, ita expugnatus Amori poſsit obſiſtere? Quid iam Amor animis erectior non impetraverit? Quid non extorſerit? Audet, audet Deum abducere ad funeſtiſsimum mortis ſupplicium, vt deleta divino ſanguine flagitiorum licentia, inhibeat iratam manum à vindicta, & deinde vita fœliciſsimè donatos, quaſi deſiderium noſtrum non patiens, Cœlo vendicat, vbi nobis poſt expletam mortalitatem oſtendat ſe ſe in ſuo vultu; & reliquos munificentiæ fontes ingenti bonorum inundatione aperiat. O te ſtrenuum, Amor auguſtiſsime, qui Deo ipſi vitam eripere potuiſti! Macte hac virtute. Quam iam tandem compeſce. Quid vltra magnificentius petis? aut quid moliris? Satiari iam potuiſſes his victorijs. Habes Deum victum, obſequentẽ imperijs, & amantem nos impenſiſsimè. Sed quis Amoris efferentis ſe ſe impacata flamma vim audacem impediat? Benè, perpulchrè, ô Amor; erigere in nobiliorem victoriam, pande ſinus, vires explica, ſolertiam exerce, aude, prædare; neque enim Deus beneficentiam conſumpſit, & ipſe nondum totas Imperij vires expleuiſti.

Adeſte,

270 Adeste, quæso, benevoli, & sequamur nunc Amorem nova parantem arma, quibus Deum adoriatur, nondum satiatus tot vulneribus. Quanquam enim Numen his magis, magisque superfluentibus bonis saginatos impleverat, audebat tamen Amor de munificentia queri. Quid enim iuvat (aiebat) effictos homines ad simulacrum Divinitatis; si illud scelerum labe corrumpunt? Quid iuvat, Deum ingenti benignitate, nec minori miraculo hominem factum; si honos iste vni dumtaxat homini conciliatur, reliquis naturæ ignobilitatem altè tetinentibus? Quid iuvat, Christū Servatorem morte sæviſsima emisse perennaturam fœlicitatem, qua fruantur; si grassante culparum impudentia, à destinatis Empyreę aulæ voluptatibus longè arcentur? Sic ille. Et quò spectaret hæc Dei amantis nos indulgentia, nisi novo, ac maiori munere fauisset? Favit tandem ab Amore exoratus: se se quippe obsonavit suaviſsimum cibum, quo conciliante in penitiores pectorum humanorum irreperet sinus, Amori daturus hoc extremum solatium. Iam ille plenus his bonis, reliquam beneficentiam excusat, totam maioribus incrementis in hoc beneficio complexus.

271 Clariſsimo nos quidem, ac divino genere commendabamur à nonnullis, qui finxerunt, nostram animam intellectiuam fuisse formatam de substantia Dei, esseque eius partem, radiumque, aut scintillam ab infinito Divinitatis Sole ad nos transmissam: quod commentum refellitur validè ab Augustino Lib. 7. de Genesi ad lit. C. 2. & in Epist. 28. Sed & prisci somniarunt nescio quod furtum Promethei, qui

——— *Æthereis miscens terrena* ———

Claud. de Cons. Honorij. *Sinceram animam patrio furatus Olympo*
Continuit claustris, indignantem reuinxit.

Fuerunt hæc vaniſsima figmenta. Divinus tamen Amor, si non partem Dei, si non radium, aut scintillam, vt qui sit partium expers, at totum Deum, & Hominem, vniversumque Incarnatæ Deitatis Solem in hominum pectora veriſsimè immittit. Sicque homo, qui non é Cœlo raptam animam, sed à Deo Creatore acceptam sui imaginem, & similitudinem noxarum macula deformaverat, recipit Amoris industria Deum ipsum intra se se, primumque suæ pulchritudinis decus. Cyrus Persarum Princeps vidit per quietem Solem, gentilitium Numen, sibi é manibus elabi, portendentibus fatis hac specie, Regem per summam ignominiam sceptro fraudandum. O nos pleniſsimos spei ingentis, ac bonorum! O in quantam fortunam vocamur, quorum se manibus Sol ille æternus vltrò tra-

tradiderit! O lætissimam scenam! O novum spectaculum! Ad nos Cœlum sponte præcipitatur, ruitque, & Sol, ereptus stationi Sydereæ, terris invehitur, Eucharistico illo sacrorum accidentium curru luce, & nive pulcherrimo. O Deus,

——— quis te mihi nubibus actum
Detulit in terras? Vnde hæc tam clara repentè
Tempestas? Video medium discedere Cœlum,
Palantesque polo stellas, sequor omina tanta:

& superfundentium se se donorum cumulum sinu avido, nec ingratis votis excipio.

272 Etenim, ò Deus immortalis, etsi adhuc fas fuit te solùm latentis nomine, & imagine censeri, scinde iam tamen candidum nimbum, quo Maiestatem tegis. Frustra pergas intra solitarium recessum latere, neque enim poterit nubis ista brevissima Divinitatis tuæ radios diutiùs coercere; ipsi se aperient, arctæ custodiæ irati. Neque verò benevolentia, qua nos amplecteris, pati poterit, vt nostrorum votorum spem, conspectui subductus, vltrà destituas. Si zelotypiæ consilio te recondis, ah! parce ob quasdam Amoris suspiciones punire nos tristissimo supplicio. Si te occultas, vt ex insidijs faciliùs pertinaciam nostram expugnes, noli, tela consumere vi supervacua, iam quippe dedimus victas manus, multa triumphi tui ostentatione traducti. Quid? quòd si Amoris hoc bellum est, satius erit detegere vultum venustissimum, quo conciliante, allicias blandiùs, & trahas imperiosiùs homines. Sed quid ego per hęc importuna oratione traho vocem? Impares certè essent mortalium oculi tanto splendori, si se de nube subtraheret, nobisque spectabilem sisteret Christus amans. Absoluta hęc numeris omnibus fœlicitas reservatur immortalium, beatorumque hominum oculis. Nunc itaque *ipse stet post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*, vt dicebat Sponsa Canticorum 2. V. 9. Lateat, lateat sub accidentium velamine Christus amans. Sed nobis supereſt cum Ecclesia postulare, *vt perficiant in nobis diuina Sacramenta quod continent, vt quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus*, id est, explicante S. Gregorio Magno C. *Species, & similitudo* 34. de Consec. Dist. 2. *vt corpus Christi, quod sub specie panis, & vini nunc geritur, manifesta visione, sicut re vera est, quandoq; capiatur.*

CLAVIS

CLAVIS MAGISTRI SENTENtiarum circa ea puncta, quæ in hac tertia parte examinantur.

273 RETINEO morem, quem in fine primæ, & secundæ partis tenui, tũ vt Principi Scholæ Theologicæ istud obsequij exhibeam, tum vt Lectorum vtilitati inserviam. Sed prius notabo tria de Magistro Sententiarum Petro Lombardo. Primum, fuisse Canonicũ Regularem ex S. Augustini instituto, & in Schola Genouefiana Parisiensi docuisse sacras disciplinas, vt cum Claudio Hemeræo Lib. de Academia Parisiensi C. 5. tradit Cellotius noster L. 8. de Hierarchia, & Hierarchis Cap. 17. pag. 723. Alij, vt Aubertus Miræus in Scholio ad Henricum Gandavensem de Scriptoribus Ecclesiasticis Capite 31. aiunt sine tanta distinctione, fuisse Doctorem Parisiensem, Canonicum Carnotensem, & Episcopum Parisiensem, cedente Philippo Archidiacono Parisiensi, & fratre Ludovici VII. Regis Galliarum, vt tradit memoriæ Paulus Æmilius L. 5. de Rebus gestis Francorum pag. 270. obijsseque anno 1164. vt scribunt Papirius Massonus in Annalibus Francorum L. 3. cum de Ludovico VII. pag. 249. Baronius eo anno num. 52. Sed sub annum 1159. vita functum esse, refert Miræus supra. Secundum, in Parisiensi Academia primam Doctoris Theologiæ laureã collatam fuisse Petro Lombardo. Sic ex Ioanne Gerardo, & Ioanne Linceo refert P. Andreas Mendo Lib. 1. de Iure Academico quæst. 14. num. 371. Tertium, scribi à Genebrardo in Chronographia L. 4. anno 1164. [Banduinus alter Author Librorum quatuor Sententiarum Theologicarum. Nam nescitur, vter, ipsene, an Petrus Longobardꝰ fuerit cuculus, alienum sibi supponens partum, vt fit in Plinio, & Solino. Hoc vnum scitur, Theologiam Scholasticam ab his duobus præcipuè fuisse fundatam.] Hęc Genebrardus, ad quæ respexit noster Petrus Maturus, cum in Scholio ad S. Antonini 3. p. Hist. tit. 18. C. 8. dixit, Theologiã Scholasticam duodecimo sæculo fuisse fundatam per Petrum Lombardum, & Banduinum, & alios. Sed cum ego de Banduino hactenꝰ pauca compererim, non possum iudicare, num ipse, an Petrus Lombardus fuerit plagiarius? In Petri epitaphio insculpto tumulo marmoreo ad S. Marcelli templum Parisiense prędicatur Author Lib. Sententiarum; potuit tamẽ epitaphium poni diu post eius mortem. Fortius pro Petro argumentum desumitur ex fama vbique recepta; & de Parisiensibus Theologis testatur Massonus supra, Petri memoriam religiosè semper coluisse, quotannisque ad tumulum parentalia celebrare solitos, ac post solemnes Inferias epulum dare. Hęc circa Magistrum Sententiarum, quæ si coniungantur alijs de ipso à me notatis in Clavibus ad primam, secundamque partem, & ad Tract. de Eucharistia, non parùm conducent, vt de tanto Theologorum Duce plenior notitia comparetur.

274 Igitur Magister Sententiarum in 4. Dist. 6. §. 3. seu littera *C.* agit, an si corruptè proferantur verba formæ in baptismo, sit, necne is validus? Pro qua quæst. operæ pretium erit legere n. 98. & 99. D. 28. imò & totam sect. 2. necnon 7. atque 8.

275 Mag. ibidem §. 5. seu lit. *E.* habet sermonem de eo, qui per iocum aquis immergitur, invocata Trinitate, disputatque, num censendus sit baptizatus? Proderunt pro hoc puncto num. 191. & 211. totaque Sect. 16. Disp. 29. Invitoque Lectorem, vt cõsulat Eminentissimum Cardinalem Sfortiam Pallavicinum 1. p. Hist. Concilij Tridentini L. 9. C. 6. & P. Martinum de Esparza q. 13. de Sacramentis in genere, & in specie.

Mag.

276 Mag. in 4. Dist. 7. §. 2. seu lit. *B.* ait, *Sacramentum Confirmationis à ieiunis tantùm accipi, & tradi debere, sicut & Baptismus, nisi aliter cogat necessitas.* Pro qua doctrina deseruiet num. 296. Disp. 29. & num. 294. Disput. 30. & tota Sect. 19. eius Disp.

277 Mag. ibidem inquit, *fieri iniuriam Sacramento non iterando, si iteretur.* Pro quo puncto commodum est, quod tradidimus num. 174. & 175. Disp. 29. de non iteranda forma consecrationis Eucharistiæ supra iam consecratas species Sacramentales. Videaturque Mag. in 4. Distin. 11. §. 6. seu lit. *F.*

278 Mag. in 4. Dist. 8. §. 3. seu lit. *C.* tractat de forma consecrationis in Sacramento Eucharistiæ, docetque, formam consecrandi calicis esse *Hic est sanguis meus*, seu *Hic est calix sanguinis mei.* Nos eandem sententiam fulcimus authoritate in num. 14. & 171. Disp. 29.

279 Mag. ibidem loquitur de ieiunio præmittendo susceptioni Eucharistiæ. De quo etiam nos multa dicimus in Disp. 29. præsertim ex sect. 3. Proficuumque erit legere in Disp. 30. num. 289. & alios seqq. vsque ad finem Sect. 19.

280 Mag. in 4. Dist. 9. agit de modis manducandi sacramẽtaliter, & spiritualiter, solùmque sacramentaliter cibum Eucharisticum, quorum primus competit bonis tantùm, secundus malis. Ad quam Distinctionem conducent Sect. 3. 4. & 5. Disp. 29.

281 Mag. in 4. Dist. 10. §. 3. seu lit *C.* affert quædam S. Augustini verba, quæ ex ipso in libro Sententiarum S. Prosperi adducuntur à Gratiano Cap. *Hoc est* 48. de Consecratione Dist. 2. suntque huiusmodi, *Sicut ergo Cœlestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum re vera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce est suspensum; vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi Passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio. Sic Sacramentum fidei, quod baptismus intelligitur, fides est.* Quibus verbis declarantur alia intellectu difficilia. & vsitata ab Ecclesia Romana in Collecta Missæ Dominicæ nonæ post Pentecosten, petit quippe à Deo, vt *concedat, dignè frequentare mysteria Missæ, quia quoties huius hostiæ* (inquit) *commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.* Sed quo pacto exerceatur? Certè non rei veritate, nam etsi Christus verè offeratur, & sacrificetur Deo Patri, non tamen verè patitur, moriturque, & ideo peritè cecinit apud Zachariam Chrysopolitanum in vnum ex quatuor L. 4. C. 156. quidam, quem ipse vocat insignem Verificatorem,

Mortuus ille (nempe Christus) *semel, licet vltra non moriatur.*
Idem quotidie sine vulnere sacrificatur.
Panis in altari, Deus in cruce, nihil dubitetur.

Ast significante mysterio exercetur in Missa opus nostræ redemptionis modo à nobis declarato in Sect. 5. Disput. 3. quatenus scilicet ex vi verborum corpus separatur à sanguine. Atque ita intelligit Ecclesiæ Collectam sapientissimus Raynaudus Sect. 1. de Missa prima Cap. 18. pag. 265. Et hinc lucem accipiunt verba illa Sancti Fulberti in Epistol. 2. ad Finardum, *Istud Sacramentorum quotidie nobis moritur, quotidie nobis resurgit, apparet, & comeditur.*

282 Mag. in 4. Distinct. 11. §. 2. & 3. seu lit. *B.* & *C.* explicat modum loquendi vsurpatum à Patribus Ecclesiæ, & in C. *Ego Berengarius* 42. de Cons. Dist. 2. scilicet *Panis est, fit corpus Christi.* De qua loquutione egimus nos in Disp. 6. de Eucharistia numero 24. eamque breviter, & eleganter exposuit P. Richardus Lynceus nõ magis cognomento, quàm ingenij acumine, cuius diuturno in litteris consortio gloriamur, & proficimus, tomo 2. Philosophiæ Lib. 6. Tract. & C. 4. num. 27.

283 Mag. ibidem §. 4. seu lit. *D.* recitat quoddam Sancti Gregorij Magni testimonium de præsentia Angelorum tempore Sacrificij. Contextus eius testimonij Hildebertus modulatus est in Versibus de Mysterio Missæ,

Postulat, vt sua vox laudi concordet eorum,
Quos adstare Sacris pagina multa docet.
Si verbis hominis, quem nectar vbique supernum

Eructasse liquet, vis adhibere fidem.
Tempore quo supplex assistit Presbyter aris,
Mactaturque Patri Filius ipse manēs,
Æthra patet, Cœlestis adest chorus, ima supernis
Iunguntur, fiunt Author, & actus idē.
Cœtibus his dum mens, dum vox, dum vita Ministri
Concordant, grates indubitanter agit.

Circa idem testimonium videatur S. 25. Disp. 29.

284 Magister ibidem §. 5, seu lit. *E.* quærit, exhibetque causas, cur Christus non sub propria, sed sub aliena specie præbuerit corpus suum, & sanguinem manducandum, & bibendum? Deserviet pro hac quæstione quod scribimus Disp. 29. ex num. 155. vsque ad 159. noteturque, dici à S. Eligio Episcopo Noviomensi, Hom. 8. *Manet post consecrationem similitudo panis, & vini, ne sit quidam horror cruoris.*

285 Magister ibidem §. 6. seu lit. *F.* tractat de communione sub vtraque specie à Sacerdotibus. Quo de puncto tradidimus multa in D. 29. magna enim eius pars dirigitur ad prę-cavendum defect⁹ obstantes, ne Sacerdos celebrans sumat vtramque speciē.

286 Magister ibidem §. 7. seu littera *G.* expendit fundamenta admittendi aquam vino in calice. Pro quo loco vtile admodùm est quod adnertimus Disp. 28. num. 618. vsque ad 624. & Disp. 29. Sect. 8. per totam; ad quam observetur quod in S. Cæsarij Arelatensis Homilia 7. de Pascha te lego, scilicet, *aqua ad propriam redire substantiam vino permixta non potest.*

287 Magister in 4. Dist. 12. §. 1. seu lit. *A.* docet, accidentia panis, & vini existere sine subiecto, *quia ibi non est substantia nisi corporis, & sanguinis Dominici, quæ non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Christi talem habet in se formam, sed qualis in Iudicio apparebit.* Cui doctrinæ est conformis ea, quam ex Roberto Episcopo Lincolniensi in C. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ Sancti Dionysij refert Thomas Valdensis C. 83. de Sacramentis, *Nec tamen sunt,* inquit, *illæ formæ sensibiles in corpore, & sanguine Xpi, vt in subiectis ab eis denominatis.* Consonant Marcus Vigerio⁹ Cardinalis in Decachordo Christiano Chorda 7. Cap. 32. & Author Glossæ Ordinariæ in Epist. 1. ad Corinthios C. 11. V. 24. qui breviùs ait, *Quæ remanent de priori substantia accidentia, scilicet color, sapor, forma, pondus, nec ipsū corpus Christi afficiunt, nec in eo fundantur.* Sic Strabus. Quare accidentium panis, & vini cum corpore, & sanguine Christi vnio physica formalis non est admittenda; & ex eius defectu sequitur, corpus Christi, sanguinemq; non participare ab accidentibus eas denominationes physicas, effectusque formales, quos ab illis participabant substantiæ, vt extensè probavi Disp. 7. de Euch. S. 3. Suntque tales hi effectus, vt prorsus requirant vnionem accidētium modo formarum informantium; qua vnione ad corpus, & sanguinem Christi quia carent, vt dixi, ideo ipsis non eos communicant: etsi non desint nonnullę denominationes physicę prouenientes à quasi formis, & non requirentes vnionem modo formarum informantium. De quorum effectuum diversitate qui plenè edoceri vellit, consulat P. Anton. Bernald. de Quiros in 1. p. T. 8. D. 54. S. 4. ex n. 23. vsq; ad 28. Cuius præstantissimi Theologi meminisse non possum, quin mihi gratuler, quòd fuerimus socij à tenera ætate in addiscēdis litteris Humanioribus, in capessenda Religiosa vita, in eiusque tyrocinio, in audienda Philosophia, tradendaq; Theologia, & quòd ex ipsius convictu tantum didicerim, quantum alij ex suis Magistris.

288 Hoc in loco non tacebo, Zachariam Episcopum Chrysopolitanum, Authorem sæculi duodecimi, L. 4. in vnum ex quatuor C. 156. reiecisse iam tunc cogitationem de accidentibus panis, & vini in Eucharistia secundùm apparentiam tantùm, cui⁹ cogitationis non defuere hoc sęculo quidam effossores à me impugnati D. 7. de Euch. n. 3, & 4. Ait enim Zacharias, *Visibiles species panis, & vini sensibus nostris subiacent æquè post consecrationem, vt ante. Oculis enim sine omni delusione cernimus & formam, & colorem tam panis, quā vini, gustu, & odoratu absq; fallacia probamus saporē, & odorē, tactu calidum, vel frigidū, molle, vel durum sentimus, auribꝰ fractionem percipimus. Vnde Ambrosiꝰ, Nihil falsum putandum est in Sacrificio veritatis, veluti sit Magorum præstigijs, vbi delusione quadam falluntur oculi, vt videatur esse, quod*

quod non est omnino. Et inferiùs, *Illud quoque maximè derident* sequaces Berengarij, *quòd panis, & vini species quidam dicunt in aere apparere, quidam verò sensus corporeos falli post conuersionem panis, & vini in carnem, sanguinemq; Christi.* Cũ Zacharia coniugi potest Magister Dist. 12. §. 2. seu lit. *B.* vsque ad §. 5. seu vsque ad lit. *E.* inclusivè, qui in §. 2. seu lit. *B.* citat idem ipsum testimonium S. Ambrosij.

289 Et in §. 5. seu lit. *E.* adstruit, fractionem, & partitionem hostiæ consecratæ fieri in quantitate, & accidentali forma panis. Circa id legatur num. 582. D. 28. & ex numero 268. vsque ad 273. D. 29.

290 Mag. ibidem affert verba SS. Hieronymi, & Hilarij; quæ etiam referuntur C. *Singuli* 77. C. *Vbi pars est* 78. de Consecratione Dist. 2. similiaq; alia S. Augustini habentur C. *Qui manducant* 58. C. *Inuitat* 70. eadem Distin. Et S. Hilarij verba alia subsequentia in Gratiano recitata fuerant à Magistro Distin. 12. §. 6. seu lit. *F.* Pro quibus omnibus conferent quæ dicimus Disp. 28. ex numero 638. vsque ad 641.

291 Mag. ibidem §. 7. seu lit. *G.* tractat de Eucharistia, vt est Sacrificium. Et cum totus noster labor in præsenti tractatione dirigatur ad hunc scopum, satis cuique liquebit, quantum adiumenti importare possit ad eam partem litteræ Magistri.

292 Mag. in 4. Dist. 13. §. 1. seu lit. *A.* sermonem habet de Sacerdote excommunicato celebrante. Nos in Disput. 29. sect. 3. & sequentibus inquirimus, quo pacto gerere se debeat Sacerdos, cui inter celebrandum occurrat memoria excommunicationis, qua sit ligatus?

293 Mag. ibidem ait, *in huius mysterij expletione sicut formam seruari, ita Ordinem haberi, scilicet vt sit Sacerdos, & intentionem adhiberi oportet, vt illud facere intendat.* Horum verborum explicatio quoad formam petenda est ex Disputatione 28. & 29. Quoad Ordinem videatur eius D. n. 230. & duo seqq. Quoad intentionem S. 15. eiusdem D.

294 Mag. ibidem tradit, *à brutis animalibus corpus Christi non sumi, etsi videatur. Quid ergo sumit mus, vel quid manducat? Deus nouit hoc.* Circa quam opinionem Magistri legantur S. 29. & 30. Disp. 29. P. Ripalda interpretatur Magistrum de sumptione, & manducatione Sacramentali, vt distincta à physica, & naturali. Sed verba Magistri ægrè admittunt hanc interpretationem. Pro S. autem 30, & 7. fas sit addere duo adnotamenta, primum ex vita S. Norberti 6. Iunij apud Surium C. 5. vbi narratur, quòd cùm S. Norbertus [in quadam crypta Missam solito more celebraret, contigit, vt in calicem consecratum aranea laberetur. Quo viso, obstupuit, vitam, & mortem ante oculos habens, erat enim aranea non modicæ corpulentiæ :: Ne ergo aliquod Sacrificij præparati faceret dispendium, magis elegit subire periculum, & totum, quidquid erat, hausit. Ergo peracto Officio se statim moriturum præstolabatur. Dum igitur nihil motus loco, exitum, quem expectabat, Domino precibus commendaret, pruritu nariũ prouocatus, dum scalperet, subita sternutationis commotione aranea integra per nares excussa est.] Secundũ adnotamentum sit ex Zacharia Chrysopolitano in vnum ex quatuor Lib 4. C. 156. aiente, *res Sacramentales indifferenter se habent ad communes vsus ante cõsecrationem, sed virtus nimirùm diuinæ benedictionis omnino conuertit eas ad spiritualia. Hinc est iuxta censuram Canonum, quòd chrisma, & Eucharistia pro vetustate cremantur.* Quę verba intelligenda sũt, quando species, quæ continebant corpus, aut sanguinem Christi, sunt iam corruptę. Videsis n. 357. D. 29.

295 Mag. in 4. Dist. 14. §. 3. seu lit. *C.* agit de non iterata olim solemni pœnitentia. De quo etiam nos Disp. 28. n. 827, & seqq.

296 Mag. in 4. Dist. 23. ait, non esse iterandam consecrationem eiusdem hostiæ. Ad quod facit locus ibi allegatus supra ad Dist. 7.

297 Mag. in 4. Dist. 25. §. 4. seu lit. *D.* & seqq. attingit nonnulla de Simonia. Nos etiam in Disp. 31. S. 1. & sparsim in tota ea Disp. Circa eandem Dist. vt & circa 13. excitari potest sermo de Sacerdotibus concubinarijs, agitur enim vtrobique de ijs, qui criminibus manifestis impediuntur à celebratione Sacramentorum, & ab horũ administratione, licet de delicto concubinatus nõ tractetur specialiter.

Nos in Disp. 30. num. 25. diximus, satisfieri præcepto audiendi Missam, si assistatur illi, quam faciat Sacerdos concubinarius publicus. Sed an si non adiit nisi is, censendum sit, non haberi copiam Sacerdotis, à quo liceat audire Sacrum, non secus ac censetur, quando non adest nisi excommunicatus non toleratus, aut manifestus Clerici percussor? vocari potest in controversiã. Nam C. *Nullus* 5. C. *Præterhoc* 6. Dist. 32. C. *Sacerdotes* 33. Dist. 50. C. *Si qui sunt* 15. Dist. 81. C. *Vestra* 7. C. *Quæsitum est* 10. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum strictè prohibetur, ne audiatur Missa Sacerdotis concubinarij notorij. Hæc tamen iura, aliaque similia apud Alterium tomo 2. de Censuris Disput. 15. de Suspensione C. 2. per non vsum, & per consuetudinem contrariam, necnon per Conciliũ Constantiense desierunt iam obligare, nisi concubinarius sit excommunicat⁹, suspensus, vel interdictus nominatim, & vt talis publicè denunciatus. Ita Suarez tom. 3. in 3. partem Disp. 88. sect. 6. V. *Vltimum caput*, Azor tom. 1. Lib & C. 7. q. 16. Gibalinus de Censuris Disquis. 7. quæst. 1. Consect. 25. numero 50. videndus etiam in Synopsi Censurarum V. *Concubinatus*, & C. 5. de Irregularitate, quæst. 4. Consect. 7. num. 20. Philibertus Marchinus T. 3. de Ordine parte 3. Cap. 17. num. 15. Franciscus de Lugo Lib. 1. de Sacramentis C. 5. quæst. 4. aliique passim, nosque cum ipsis num. 26. Disput. 12. Et quanvis Concilium Tridentinum Sess. 25. Decreto de Reform. Cap. 14. renovaverit multas pœnas antiquas, & addiderit novas alias contra Clericos concubinarios, sed prohibitionis audiendi Missam eorum, qui Sacerdotes sint, nullam mentionem fecit. Quanuis item vltrò concederemus, esse iure ipso nunc temporis suspensos Sacerdotes concubinarios notorios, nihilominus quandiu non sint nominatim denunciati publicè, non magis teneberis post Concilium Constantiense non audire ipsorum Missam, quàm quorumuis aliorũ, quos peccati mortalis reos esse noveris. Et Sacerdotis quidem nõ celebraturi sine sacrilegio ex malitia sua, potes Missam petere in casu necessitatis, aut vtilitatis notabilis, si ipse ex se sit ad eam paratus, aut si ratione sui officij, & muneris debeat eam peragere. Quanta autem debeat esse prefata necessitas, vel vtilitas, & anà non parato, aut non obligato fas sit petere, cum æquè possis abalio, quem instatu gratiæ operaturum Sacris existimes? Examinabitur in Tract. de Sacramentis in genere.

298 Mag. in 4. Dist. 45. §. 2. seu lit. *B.* loquitur de suffragijs defunctorum, quorum animæ in Purgatorio cruciantur. Hæc materies exornari potest multis, quæ discutiuntur à nobis Disp. 28. sect. 20. & tribus sequentib⁹, ex quibus sect. 22. magnopere conferet ad Dist. 21. in qua agit Mag. de peccatis, quæ post hanc vitam dimittuntur.

Nec plura de Magistri Clave.

FAMI-

FAMILIARIS EPISTOLA

AVTHORIS AD D. LICENTIATVM D. MICHAELEM de Aroſtegui, & Echazarreta Socium Collegij Maioris Sancti Bartholomæi cum Indicibus Canonum, & Conciliorum elucidatorum in hac tertia parte.

299 MERITO SANE (Nobiliſsime, & litteratiſsime Togate) gratitudinis, & amicitiæ noſtræ fœdera acculares, ſi huius Sacrificij lautitie amicum vſq; adeò fraudaremus. Decus erit noſtri Operis, extremum laborem tui ſaltem nominis ornamento inſignire. Etſi autem rectiùs tuo, quàm noſtris Indicibus, Iuris Canonici ſecretiora demonſtres, eorum tamen, quæ ſolerti cura congeſsimus, nefas eſſet, ab alio examinationem præoptare. Nec mirum erit, ſi ſtudijs litterarum faveas, ad ea natus,

Format enim natura priùs nos intus ad omnem

Fortunarum habitum. ——————

Hinc cum alios tuę gentis inſitus ille Cantabris bellicus ardor in Martis gloriam adegit, te ſolum ab incunabulis mitiori fato natura in Minervæ ſplendorē deſtinavit. Haud facilè poteris fortunæ vices damnare, quę in altiora te Muſarū diſcrimina lacesſivit, vt in ſapientiæ theatro Salmanticenſi præclarū doctrinæ tuę ſpecimen præberes, cooptatus ad celeberrimum Sancti Bartholomæi Collegiū, vulgò *Veras* nuncupatum.

300 Cuius iam ab anno 1401. vel 1408. fauſtè fundati parietinas dum venerabundus adſpicio, ſubeunt mihi in mentem verba illa Suetonij: *Quid memorem* (inquit) *Erycinæ Deæ templum vetuſtate collapſum, ſed gloria, & victoriis inclytum?* Intra tanti Collegij priſca monumenta, fumoſaſque imagines adſunt tibi innumeri, quorum veſtigijs inſiſtens totius teneas probitatis verticem, & omnigenæ eruditionis culmen attingas. Domeſticus eſt B. ille Ioannes de S. Facundo, cuius contubernio veſtrum Collegium, profeſsione religioſa Eremiticus Ordo Auguſtinianus, ſacro cadavere, & patrocinio Salmanticæ, miraculis Hiſpania illuſtratur. Domeſticus eſt, *qui ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne* Alfonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis. Alios virtutibus, litteris, munijſque publicis inſignes ſingillatim recenſere, non Epiſtolæ, ſed voluminis iuſſi, (quod prope diem in lucem edetur ab Authore primæ notæ) labor, opuſque eſſet, quippe veſtræ Domus toga ſex Eminentiſsimorum Eccleſiæ Cardinalium rubeſcit murice, quindecim Illuſtriſsimorum Archiepiſcoporum pallio candicat, quadraginta quinque Reverendiſsimorum Epiſcoporum mitra eminet, duorumque Graviſsimorum Inquiſitorum Generalium poteſtate præfulget vltra complures particulares, necnon vltra Canonicos ſine numero in celebrioribus Hiſpaniæ Eccleſijs. Quare cœlitùs afflatus (vt credere par eſt) divinavit, & prædixit Magnificentiſsimus Fundator D. D. Didacus de Añaya, & Maldonado Archiepiſcopus Hiſpalenſis, *Erigo Collegium in defenſionem Fidei.* Sed & regimini politico Monarchiæ Hiſpanicę quantùm profuerit, oſtendit ſatis adagium illud à Maioribus per manus ad nos traditum, *Todo el mundo eſtà lleno de Bartholomicos.* Teſtes ſint quatuor Clariſsimi Præſides Conſilij Supremi Caſtellæ, vnus Ordinum Militarium præter non paucos alios in Conſilijs Provincialibus. Teſtes etiam ſint tot Æquiſsimi Senatores Regij, & Provinciales, quot ſupputari facilè non queant. Nec deſunt Proreges pace, belloque decantati. Quòd ſi convertam oculos ad cultores Philoſophiæ, Theologiæ, Iuris Canonici, & Civilis, qui iſtinc Salmanticenſis Academiæ Cathedras meritorū ſuorum inſcenderunt gradibus, ſi ad Scriptores, qui libris editis nomen ſuum,

& famam posteritati commendarunt, ausim citra adulationis fucum appellare Collegium vestrum Regiam, Sacrariumque litterarum. Est præterea typus, matrixque Collegiorum, è vestro enim cœtu prodierunt, qui alia quinque, eaque oppidò quam illustria, condiderint, & qui alijs iam conditis cœremonias, normamque domesticæ disciplinæ institutione sua præscripserint; cæteraque, aut pleraque Hispaniæ, siue maiorum, siue minorum gentium ad exemplar vestri constructa sunt, vt iam notarunt Stephanus Garibay² L. 16. Compendij historiarum Hispaniæ C. 10. pag. 1088. Ioannes Mariana Lib. 20. de Rebus Hispaniæ C. 11. Scripsitque stylo simplici antiquo Ferdinandus Perez de Guzman in Valerio Historiarum Hispaniæ Lib. 8. tit. 6. C. 9. *El Arçobispo de Sevilla D. Diego de Añaya, como viese en Bolonia los Colegios marauillosamente dotados, y de grandes edificios, venido en Castilla despues de la vnidad de la Santa Madre Iglesia, que fue en el Concilio de Constancia, en el qual fue presente por Embaxador del Rey de Castilla, edificò vn notable Colegio en Salamanca, al qual dotò, y dexò muchas rentas para ciertos Estudiantes en Theologia, y en Canones, y en otras sciencias. Bien se puede decir vna de las meritorias, y virtuosas obras de España.* Sic in aureo illo libello. Et hæc nos cursim, atque inconcinnè de vestro Collegio, *in cuius præconijs fortè angustus sermo vulget imperitiam, manifestaret tamen, si abstineretur, infantiam. Quis mendicam narrationem æstimet, quàm vota locupletant? Sæpe in facundiæ dotibus pauper inuenitur vena prædicantis, & è diuerso thesaurus cordis irradiat in egestate verborum. Qui vice Dei iudicat, non desiderat picta colloquia, sed quæ infucatus commendat nitor ingenij, quia in his etiam sine amore blanditur eloquentia; in illis splendorem suum veritas nuda commendat. Sine phaleris est omne, quod dictat affectio: ad vnguem fabricantur illa, quæ volumus non tam speciem recti habere, quàm similitudinem,* vt aiebat elegantissimè Sanctus Ennodius in 1. Dictione.

301 Ergo tot inter sapientiæ, & nobilitatis splendore micantissimos Togatos, tibi non minori claritudine conspicuo nostros hos de Sacrificio Missæ Syllabos Canonum, & Conciliorum dicamus, vt iam te amicum dixerimus vsq; ad aras, & vt si quo soles acumine discutere Iuris Canonici arcana, & qua infatigabili diligentia assuescis incumbere in studium Ecclesiasticæ antiquitatis, velis etiam perlustrare Summorum Pontificum Decreta, Conciliorum Oracula, Patrum Effata, quæ à nobis in Operis corpore exponuntur, faciliùs possis iuvamine Indicis. Et quidem etsi ego Theologiæ Scholasticæ, ac Morali primas deferam hoc in Tract. non tamen omisi præsidium, & ornamentum, quod ex Iure Canonico sibi deposcebat, & præcipuè ex Libro Decreti. Cuius lectionem adeò necessariam Theologo existimabat doctissimus Augustinus Triumphus S. Thomæ Parisijs Auditor, vt scripserit quæst. 108. de Potestate Ecclesiæ art. 3. in Resolut. [Puto, quòd provida ordinatio esset, vt dignus magistrari in Theologia, post lecturam Libri Sententiarum teneretur legere Librum Decretorum; quatenus magis tritus, & expertus assumeretur in his, quæ sunt necessaria ad consulendum saluti animarum fidelium.] Sic ille. Tu verò pro ea, qua excellis peritia in hoc litteraturæ genere, & pro ea fiducia, quam parit antiqua inter nos amicitia, litterarumque consuetudo, monebis candidè, si quid à me erratum est, & ad vnguem ego castigabo.

Vale, & vive diutissimè.

INDEX

****

****

****

****

***

*

INDEX CANONICVS.

Cuius, & sequentium aliorum primus numerus indicat Disputationem, secundus marginalem eiusdem Disp. tertius paginam.

Ex vniverso corpore Iuris Canonici.

A

Can. Animę 28.307 34.
Ad nostrum Clementina de Hæreticis. 28.579.154.
Apostolica de Cons. Dist. 1. 28. 718. 190.
Ante viginti de Cons. Dist. 4. 28. 728 192.
Antiquos 10. q. 1. 28. 729. 193.
Accedens Distin. 50. 28. 780. 206. & 787. 208. & 830. 219. & 850. 223.
Ante omnia Dist. 35. 28. 824. 217.
Accesserunt de Cons. Dist. 2. 29. 381. 358
A multis de Ætate, & qualitate ord. 28. 905. 239.
Alma mater de Sent. excom. in 6. 30. 182. 411.
Accedentibus de Excesib⁹ Prælat. 30. 226. 423.
An putatis Dist. 88. 30. 266. 433.
Ad eius verò Dist. 5. 30. 277. 435.

B

Baptizandos de Cons. Dist. 4. 28. 728. 192.

C

Cum essent de Simonia 31. 257. 519.
Cum ex iniuncto de Novi operis nunciatione 29. 398. 363.
Cum ad celebrandas de Cons. Dist. 1. 30. 7. 367. & 28. 759. 201. & 20. 9.
Consultationi de Priv. 30. 186. 411.
Conquestus de Ferijs 30. 259. 431. & 28. 454. 123.
Communiter Dist. 33. 30. 312. 445.
Cum secundùm de Præbendis 31. 17. 452.
Clericus Dist. 91. 31. 17. 452.
Clericos 1. q. 2. 31. 259. 519.
Clerici 13. q. 2. 28. 792. 209. & 863. 227.
Clerici qui 23. q. 8. 28. 858. 225.
Clerici de Excess. Prælatorum 28. 858 225.
Cum accessissent de Constit. 31. 81. 469.
Cum M. Ferrariensis de Constit. 31. 81. 470.
Convenit de Cons. Distin. 5. 28. 1. 2. & 759. 201. & 715. 189. & 96. 31.
Contumaces Dist. 50. 28. 792. 209. & 823. 217. & 863. 227.
Canones Dist. 50. 28. 827. 218.
Confirmandum Dist. 60. ibidem.
Canones Dist. 16. 28. 906. 240.
Clementis Dist. 16. 28. 906. 240.
Consilium de Celeb. Miss. 28. 731. 193. & 722. 191, & 708. 187.
Cum Marthæ de Celeb. Miss. 28. 228. 65, & 619. 164. & 734. 194.
Cum frangitur de Consec. Dist. 2. 28. 282. 155.
Cum aliquis 11. q. 3. 28. 694. 184.
Cogitationis de Pœnit. Distin. 1. 28. 522. 140.
Cum creatura de Celeb. Miss. 28. 446 121, & 271. 75.
Consuluisti de Celeb. Miss. 28. 195. 56.

Comperimus de Conſ. Diſt. 2. 28. 157 46.
Cui licet de Regul. iuris in 6. 28. 418. 114.
Clericos 1. q. 2, 31, 258, 519.
Cum locum de Sponſalibus 29, 197, 311.
Cum omne crimen de Conſ. Diſtin. 2. 29. 115. 291, & 28. 619. 164, & 578, 154.

D

De iis, qui Diſtin. 12. 28, 1, 2, & 96. 31, & 378, 105, & 977, 260.
De his Clericis Diſtinct. 50, 28, 829, 218.
De his verò 33, q. 2, 30, 304, 442.
De homine de Celeb. Miſſ. 28, 676, 179, & 29, 190, 311.
Duæ ſunt 19, q. 2, 28, 115, 35.
De multa de Præbendis 28, 195. 56.
Dolentes de Celeb. Miſſ. 28, 534. 143. & 30, 139, 399. & 148, 401.
De hymnis de Conſ. Diſt. 1. 28, 696, 184.
De nominibus de Conſ. Diſtinct. 1. 28, 729, 193.
Decernimus de Sent. excom. in 6. 28, 806, 213.
De Presbyt. 17. q. 4. 28, 850, 223.
Dictum eſt Diſt. 81, 28, 858, 225.
De lapſis 16, q. 6, 28, 858, 225.
De eulogijs Diſt. 18, 28, 896, 236, & 31, 257, 518.
Didicimus de Conſ. Diſt. 2, 28, 905, 239.
De hoc de Conſ. Diſt. 2, 29, 155, 300.
De quibus de Baptiſmo, & eius effectu 29, 174, 305.
Decet de Immunitate Eccleſ. in 6, 30, 131, 396.
De viro 12, q. 2, 30, 302, 442.
De pœnitentibus de Conſ. Diſt. 3, 30, 303, 442.
De inceſtis 8, q. 2, & 3, 28, 719. 190.

E

Eccleſiaſticorum Diſt. 11, 28, 228, 63 & 740, 195.
Et hoc attendendum de Conſ. Diſt. 1. 28, 271, 75, & 276, 75, & 30, 7, 367.
Ex parte de Decimis, 28, 418, 114.
Ex parte de Conſt. 31, 81, 470.
Ex parte de Celeb. Miſſ. 28, 584, 155, & 589, 157.
Ego Berengarius de Conſ. Diſt. 2, 28, 582, 155, & 31, 282, 529.
Epiſcopus de Conſ. Diſtin. 1. 28, 719, 190.
Epiſcopus 1. q. 2, 31, 257, 518.
Epiſcopus de Præbendis 31, 17, 452.
Epiſcopi 7, q. 1, 28, 792, 209. & 814, 214.
Epiſcopi 11. q. 3, 28, 850, 223,
Eos, quos de Conſ. Diſtin. 4, 28, 781, 206, & 787, 208, & 801, 211, & 30, 302. 442.
Extraneo Diſtin. 71, 28, 809, 213, & 813, 214.
Evangelica Diſt. 55, 28, 784, 207.
Engeltrudam 3, q. 4, 28, 851, 223.
Etſi Clerici de Iudicijs 28, 860, 226.
Eum, qui 7. q. 1, 28, 861, 226.
Eorum, qui Diſt. 90. 28, 898, 237.
Eos, qui rapiunt 36, quæſt. 2, 28. 866. 228.
Æqualiter 35, quæſt. 2, & 3, 29, 252, 327.
Ex eo de Pœnit. & remiſſ. 30. 228. 423.

F

Frequens de Exceſſ. Prælat. 30, 31, 372.
Fraternitas 12, q. 2, 28, 824. 217.

G

Gravis in Clement. de Sent. excom. 28, 208, 59, & 216, 62, & 219, 62.

H

Hoc quoque de Conſ. Diſt. 1, 28, 508, 137, & 712, 188.
Hi duo de Conſ. Diſt. 1, 28, 705, 186.
Hæc huius 12, q. 2, 28. 844. 222.
Hi, qui 15, q. 8. 28, 846, 222.
Habeo Diſtinct. 16, 28, 905, 239.

I

Inſtitutio de Conſ. Diſt. 2, 28. 96, 31, & 977, 260.
Illud divini 7, q. 1, 28, 155, 46, & 132, 41.
Innotuit de Electione 28, 195, 56.
In quadam de Celeb. Miſſ. 28. 619. 164.
In Sacramentis de Conſ. Diſtin. 2, 28, 649, 173.
In Sacramentorum de Conſ. Diſtin. 2, 28, 736, 194.
In Sacramento de Conſ. Diſtin. 2, 28, 877, 231.

Ieiunium de Conſ. Diſtin. 3. 28. 714. 189.
Invenimus de Conſ. Diſtin. 1. 28, 731, 193.
In nomine Diſt. 73. 28. 810, 214.
In loco 5, q. 4, 28, 850. 223.
In primis 2, q. 1, 28, 858, 325.
Iacobus de Conſ. Diſt. 1, 28, 904, 239, & 910, 241.
In lectum 34, q. 1. & 2, 29, 369, 355.
In capite Diſt. 50, 30, 303, 442,
In primis 2, q. 1, 28, 858, 225.
Invitat de Conſ. Diſt. 2. 31. 290. 531.
Illi autem 12. q. 1, 31, 258, 519.

L

Litteras de Celeb. Miſſ. 28. 578. 154. & 29. 115. 291.
Licet de Feriis 30. 257. 430. & 265. 433.
Latorem 33. q. 2. 30. 302. 442.

M

Miſſas de Conſ. Diſtin. 1. 28. 20. 8. & 30. 7. 367, & 64. 381, & 66. 381, & 93. 387.
Miror 17. q. 4. 30. 302. 442.
Miniſtrare 26. q. 6. 30. 221. 421.

N

Nihil contra 7. q. 1. 29. 6. 264. & 162 301. & 28, 150, 45.
Non liceat 1. q. 1, 28. 870. 229.
Non liceat de Præbendis 31. 17. 452.
Non debet de Conſang. & affinit. 29. 252. 327.
Nullum 35. q. 2, & 3. 29. 252. 327.
Nullum Diſtinct. 71. 28. 818. 216. & 813. 214.
Nullus Diſt. 81. 31. 297. 532.
Nullus de Conſ. Diſt. 1. 28. 148. 44, & 135. 42. & 152. 45.
Nullus Diſt. 32. 31. 297. 532.
Nocte ſancta de Conſ. Diſt. 1. 28. 48, 17, & 695. 184.
Nihil contra 7. q. 1. 28. 150. 45.
Nuper de Sent. excom 28. 219. 62.
Nonne de Præſumptionibus 28. 407. 111.
Non oportet de Conſ. Diſt. 2. 28. 620. 164. & 649. 173.
Non oportet de Conſ. Diſt. 1. 28. 749. 198
Non oportet de Conſ. Diſt. 5. 28. 809. 213, & 818. 216.
Neceſſe eſt de Conſ. Diſt. 1. 28. 700. 185
Nomen 2. q. 1. 28. 738. 195.
Numquid de Conſ. Diſtin. 5. 28. 767. 205.
Nemo Epiſcoporum 11. q. 3. 28. 850. 223
Neminem Diſt. 45. 28. 850. 223.
Non ſemel 18. q. 2. 28. 896. 236.

O

Omnis vtriuſque ſex. de Pœnit. & remiſſ. 28. 858. 225, & 29. 41. 272. & 30. 173. 408.
Omnis Chriſtianus de Conſ. Diſtin. 1. 28. 729. 193.
Omnes fideles de Conſ. Diſtin. 1. 28. 716. 189. & 29. 371. 355. & 30. 6. 367, & 7. 367.
Oſius de Elect. & electi poteſtate 28. 787. 208.
Oblationes Diſt. 90. 28. 729. 193. & 898. 237.
Odia de Reg. iuris in 6. 28. 414. 113.

P

Pacem de Conſ. Diſt. 2. 28. 742. 196, & 746. 197.
Perlectis Diſtin. 25. 30. 221. 421. & 28, 897, 237.
Paſtor 1. q. 2. 31. 258. 519.
Pronunciandum de Conſ. Diſt. 3. 30. 16. 369. & 28. 454. 123.
Præter hoc Diſt. 32. 31. 297. 532.
Paſtoralis de Sacram. non iter. 29. 119 292
Paſtoralis de Appellationibus 28. 806. 213
Præcipimus Diſtin. 93. 28. 905. 239.
Presbyteros Diſt. 50. 28. 862. 227.
Presbyterum Diſt. 28. 28. 862. 227.
Presbyter Diſtin. 91. 28. 684. 182, & 313. 80.
Pervenit Diſt. 50. 28. 860. 226.
Peſſimam 23. q. 8. 28. 854. 224.
Panis eſt de Conſ. Diſtinct. 2. 28. 735. 194
Porro gloria de Conſ. Diſt. 1. 28. 707 187
Pernicioſus de Celeb. Miſſ. 28. 642. 171
Pia de Except. in 6. 28. 467. 126.
Placuit Diſt. 12. 28. 1. 2. & 96. 51, & 378. 105. & 977. 260.
Placuit Diſt. 16. 28. 906. 239. & 975. 239
Placuit Diſt. 18. 28. 850. 223.

Placuit 1. q. 2. 31. 257. 518.
Placuit 6. q. 2. 28. 850. 223
Placuit 21. q. 2. 28. 809. 213. & 858. 225.
Pactiones de Pactis 31. 255. 518.

Q

Quæsitum est de Cohabitatione Clericorum, & mulierum 31. 297. 532.
Quæsitum de Rerum permut. 31. 255. 518.
Quanquam pio 1. q. 2. 31. 255. 518.
Quanto de censibus 31. 95. 474.
Quoniam de Vita, & honestate Cleric. 31. 81. 470.
Quoniam de Privilegijs in 6. 30. 174. 409.
Quoniam Dist. 31. 28. 905. 239.
Quoniam Dist. 16. 28. 905. 239.
Quoniam 11. q. 3. 28. 807. 213.
Quando de Conf. Dist. 1. 30. 140. 399.
Quorundam Dist. 23. 30. 63. 380.
Quorundam Dist. 34. 28. 850. 223.
Qui die de Conf. Dist. 1. 30. 7. 367.
Qui scandalizaverit de Regulis iuris 29. 398. 363.
Qui benè de Conf. Distinct. 2. 29. 381. 358. & 375. 356. & 324. 344.
Quid sit sanguis de Conf. Distin. 2. 29. 335. 346.
Quia passus est de Conf. Distin. 2. 28. 902. 238.
Qui sub gradu Dist. 50. 28. 862. 227.
Qui semel Dist. 50. 28. 860. 226.
Quisquis Clericus Distin. 84. 28. 787. 208.
Quid obest 11. q. 3. 28. 738. 195.
Quando de Conf. Dist. 1. 28. 731. 193.
Quia Sacerdotes 10. quæst. 1. 28. 729. 193.
Quod à Patribus Dist. 75. 28. 699. 185.
Qui facit per alium de Regulis iuris in 6. 28. 413. 112.
Quidam Laicorum de Celeb. Miss. 28. 271. 75.
Quidquid 1. q. 1. 31. 257. 518.
Qui manducant de Conf. Distin. 2. 31. 290. 531.

R

Religiosis Clement. de Testam. 31. 80. 469.
Relatum de Conf. Distin. 2. 28. 677. 179. & 157. 46.
Retulerunt de Conf. Distin. 4. 28. 98. 31.
Rogationes de Conf. Dist. 3. 30. 16. 309.

S

Significante de Pignoribus 31. 197. 501.
Solet de Conf. Dist. 4. 29. 191. 309.
Solent de Conf. Dist. 1. 30. 290. 438. & 16. 369. & 28. 48. 17.
Si mulier Dist. 5. 30. 275. 434.
Si de terra de Privilegijs 30. 186. 411
Statuimus de Custodia Euch. 29. 379. 357. & 334. 346.
Sicut dignum de Homic vol. vel cas. 28. 858. 225.
Sicut legitur de Conf. Dist. 2. 29. 287. 335.
Sicut non de Conf. Distin. 1. 30. 222. 421.
Si per negligentiam de Conf. Distin. 2. 29. 287. 335. & 375. 356.
Si per ebrietatem de Conf. Dist. 2. 29. 350. 349. & 375. 356.
Sanè de Celeb. Miss. 29. 379. 357. & 28. 579. 154.
Sanè 24. q. 2. 28. 738. 195.
Sexaginta Dist. 16. 28. 906. 240.
Si Evangelica Dist. 55. 28. 858. 225. & 787, 208.
Si ille Dist. 50, 28, 858, 225,
Studeat Dist. 50, 28, 862, 227,
Si lapsis Dist. 50, 28, 860, 226,
Sacris de Sent. excom. 28, 898, 237,
Sancta Dist. 15, 28, 906, 239,
Sanctorum Dist, 70, 28, 731, 193, & 809, 213,
Sanctissimo Dist, 75, 28, 810, 214,
Sextam de Conf. Dist. 3, 28, 905, 239
Sextam Dist. 16, 28, 905, 239,
Sufficit de Conf. Dist. 1, 28, 192, 55, & 312, 86, & 315, 87, & 31. 259, 519.
Sacramenta altaris de Conf, Distin, 1, 28, 313, 86, & 684, 181,
Si Subdiaconus Distinct, 34, 28, 716, 189,
Symbolum de Conf, Dist, 4, 28, 728, 192,
Si Episcopus Dist, 50, 28, 784, 207, & 787, 208,
Si Episcopus Dist, 18, 28, 850, 223,
Si qui sunt Dist, 81, 31, 297, 532,
Sacerdotes Dist. 50, 31. 297, 532,
Sacerdotum de Conf, Dist, 2, 28, 779 206,
Sacerdos de Pœnitentia Distin, 6, 28, 862, 226, & 859, 225,
Sacerdos Dist, 81, 28, 858, 225,
Sacerdos 1, q. 2, 31, 260, 520,

Sa-

Sacerdote de Conſ, Diſtinct, 1, 30, 6, 367,
Si quis propter 1, q, 2, 31, 258, 519,
Si quis homicidium Diſt, 50, 28, 862, 226, & 858, 225,
Si quis Sacerdos 30, q, 1, 28, 853, 224, & 858, 225, & 862, 226,
Si quis viduam Diſtnct, 81, 28, 787, 208.
Si quis etiam de Conſ. Diſtin. 1. 30. 7. 367. & 93. 387.
Si quis obiecerit 1. q. 3. 31. 56. 463.
Si quis dederit 24. q. 1. 30. 302. 442.
Species, & ſimilitudo de Conſ. Diſt. 2. 31. 272. 527.
Sicut Epiſcopum 1. q. 2. 31. 257. 519.
Si quis Clericorum Diſt. 47. 28. 861. 226.
Si quis Presbyter 15. quęſt. 8. 28. 862. 227.
Si quis Presbyter 7. q. 1, 28. 830. 219.
Si quis Epiſcopus 37. quæſt. 1. 28. 905 239.
Si quis eorum Diſt. 32. 28. 905. 239.
Si quis Epiſcoporum Diſt. 18. 28. 850. 223.
Si quis autem Diſt. 18. 28. 850. 223.
Si quis de alterius Diſtin. 58. 28. 850. 223.
Si qui voluerint 1. q. 7. 28. 837. 220.
Si quis Laicus 11. q. 3. 28. 821. 217.
Si qui Clericorum 11. q. 1. 28. 824. 217.
Si quis Epiſcopus Diſtin. 81. 28. 787. 208.
Si quis in infirmitate Diſt. 55. 28. 606 160.
Si Dominum Clement. de Reliq. & vener. SS. 28. 920. 244.
Singuli de Conſ. Diſt. 2. 31. 290. 531.

T

Triforme de Conſ. Diſtin. 2. 28. 583. 155.
Teugualdum 11. q. 13. 28. 787. 208.
Tuæ fraternitatis de Clericis pereg. 28. 814. 215.
Tribus gradibus de Conſ. Diſtin. 2. 28. 638. 170. & 29. 359. 351. & 388. 360.
Tuæ diſcretionis de Pœnis 28. 858. 225.
Tua nos de Cler. peregrinis 28. 814. 215.
Tua nos de Simonia 31. 255. 518. & 257. 519
Tranſmiſſe de Verbor. ſignific. 31. 96 474
Tuis quæſtionibus de Præbendis 31. 17. 452.
Tabernaculum de Conſ. Diſtin. 2. 30. 222. 421

V

Virum Catholicum Diſt. 47. 31. 45. 461.
Vt ieiuni de Conſ. Diſt. 5. 30. 294. 439.
Vt Epiſcopi de Conſ. Diſt. 5. 30. 294. 439.
Volens de Purif. poſt. part. 30. 275. 434.
Vices illius Extravag. de Treuga, & pace 30. 31. 373.
Vt Dominicis de Parochijs 30. 29. 372.
Veniens de Sponſalibus 29. 197. 311.
Veniens de Presbytero non baptizato, 28. 882. 232.
Veritatis de Dolo, & contumacia 28. 860. 226.
Ventum eſt 1. q. 1. 28. 843. 221.
Vt Laici de Vita, & honeſt. Clericor. 28. 779. 206.
Vtrum ſub figura de Conſ. Diſt. 2. 28. 735. 194.
Vt quiſque de Vita, & honeſt. Cleric. 28. 716. 189.
Viſum de Conſ. Diſt. 1. 28. 312. 86.
Veſtra de Cohabit. Clericor. & mulier. 31. 297. 532.
Vbi pars eſt de Conſ. Diſt. 2. 31. 290. 531.

EX CONCILIIS.

AFRICANVM Cap. 70. 28. 1. 2. & 731. 194.
Afric. C. 8. 28. 684. 181.
Afric. C. 73. 28. 812. 214.
Afric. C. 35. & C. 36. 28. 838. 220.
Agathenſe C. 30. 28. 96. 31. & 715. 189. 759. 201.
Agat. C. 47. 28. 759. 201. & 30. 7. 367. & 12. 368. & 66. 381. & 93. 387.
Agat. C. 44. 28. 760. 201.
Agat. C. 50. 28. 784. 207.
Agat. C. 2. 28. 793. 209. & 823. 216

Agat C.52.28.812.214.
Agat. C.4. & C. 5, 28, 831, 219, & 845, 222, alijſque antecedentibus, & ſubſequentibus numeris, ac paginis.
Agat. C.43.30. 221. 421.
Agat. C.60.30.307. 443.
Agat. relatum C. *In capite* Diſtin. 30. 30.303. 442.
Agat. C.36. 31. 2. 448.
Ancyranum C.1.28.862.227.
Ancyr. C.4. 5. & 6. 28. 788. 209.
Andegavenſe C.20.28.818.216.
Andeg. C. 2. 28. 809. 213.
Anglicanum anno 1075. 28. 818. 216.
Antiochenum C. 7. 28. 813. 214.
Antioch. relatum C. *Nullum* Diſt. 71. 28. 818. 216.
Antioch. anno 341. C. 2. 28. 867. 228
Antiſiodorenſe, vel Autiſiodorenſe C. 19. 30. 293. 439.
Antiſiod. C. 12. 28. 789. 209.
Antiſiod. C. 5. 28. 754. 199.
Antiſiod. C. 10. 28. 702. 185.
Antiſiod. C. 8. 28. 649. 173.
Aquileienſe anno 1596. 28. 754. 199
Aquiſgranenſe 1. anno 816. C. 44. 28 818. 216.
Arauſicanum 1. C. 18. 28. 720. 190.
Arauſ. 1. C. 19. 30. 307. 444.
Arauſ. 1. C. 14. 30. 311. 445.
Arelatenſe 1. C. 2. 28. 809. 213.
Arelat. 2. C. 30. 28. 786. 208.
Arelat. 2. C. 12. 28. 789. 208.
Arelat. relatum C. *Qui benè* de Conſ. Diſt. 2. 29. 324. 344.
Auguſtenſe C. 15. 28. 100. 32.
Auguſt. anno 1548. 28. 227. 65.
Auguſt. C. 18. 28. 502. 135. & 532. 142.
Auguſt. C. 19. 30. 12. 368.
Aurelianenſe 3. C. 28. 28. 758. 201.
Aurel. 1. C. 28. 28. 759. 201. & 30. 12. 568.
Aurel. 5. C. 17. 28. 786. 208. & 829. 218.
Aurel. 1. C. 9. 28. 809. 213.
Aurel. 3, C, 15, 28, 812, 214,
Aurel. 4, C, 7, 28, 819, 216,
Aurel. 5, C, 2, 28, 229, 218,
Aurel. 3, C, 19, 28, 830, 219,
Aurel. 3, C, 7, & 8, 28, 861, 226,
Aurel. 5, C, 4, 28, 861, 226.
Aurel. 3, C, 6. 15, & 25, 28, 862, 226,
Aurel. 4, C, 10, 28, 862, 226,
Aurel. apud Pœnitentiale Romanum tit, 5, C, 9, 29, 357, 351,
Aurel. 2, C, 3, 31, 45, 461,

B

Baſilienſe Seſ, 21, C, 8, 28, 502, 135,
Baſilienſe Seſ, 21, C, 5, 28, 530, 142,
Bituricenſe C, 5, 28, 857, 225,
Bracarenſe 1, C, 1, 28, 96, 31,
Bracar, 1, C, 16, 17, & 21, 28, 312, 86,
Bracar, 1, C, 16, 28, 684, 182.
Bracar, 1, C, 16, 30, 293, 439,
Bracar, 1, C, 1, 28, 977, 260,
Bracar, 1, C, 13, 28, 778. & ſequent. 206,
Bracar, apud Burchardum Lib, 10, C, 21, 28, 755. 200,
Bracar, 1, C, 3, 28, 712, 188,
Bracar, 2, C, 10, 28, 684, 181,
Bracar, 2, apud Burchardum Lib, 1, C, 85, 28, 663, 176,

C

Cabiſonenſe 2, C, 41, 28, 818, 216,
Cabil, relatum C, *Viſum* de Conſ, Diſt, 1, 28, 312, 86,
Cabil, relatum C, *Solent* de Conſ. Diſt, 1, 30, 290, 438,
Cabil, ſub Carolo Magno C, 6, 31, 45, 461,
Chalcedonenſe 28, 811, 214, & ſeqq, numeris, ac paginis,
Chalced, relatum C, *Eos, qui rapiunt* 36, 2, 28, 866, 228,
Claramontanum anno 1095, 28, 731, 193,
Compoſtellanum habitum Salmanticę anno 1565, Act, 2, Decreto 13, 28, 544, 145
Conſtantinopolitanum ſub Agapeto, & Menna Actione 5, 28, 721, 191,
Conſtantinop, Act, 1, 28, 984, 262,
Conſtantinop, tempore Patriarchæ Nicolai, & Imperatoris Alexij Cõneni 28, 873, 229,
Conſtantinop, dictum Synodus ſexta C, 8, dubiæ fidei, 30, 13, 368,
Cæſarauguſtanum C, 3, 28, 776, 205,
Cæſaraug, C, 1, 28, 862, 227,
Colonienſe anno 1536, parte 7, C, 25, 28, 223, 64,
Colon, p, 2, C, 16, 28, 271, 75,
Colon, p, 2, C, 13, 28, 502, 135,
Colon. p, 7, C, 26, 28, 529, 141, & 30, 11, 363,

Colon, p, 2, C, 9, 28, 543, 145,
Coyancenſe cap. 6. 30. 12. 368.
Carthaginenſe 3. cap. 23. 28. 1. 2.
Carthag. 4. cap. 84. 28. 719. 190.
Carthag. 3. cap. 29. 28. 684. 181.
Carthag. 3. cap. 6. 28. 789. 209.
Carthag. 4. cap. 33. 28. 792. 209. & 814. 214.
Carthag. 3. cap. 20. 28. 818. 216.
Carthag. 5. cap. 11. 28. 827. 218.
Carthag. de baptizandis hæreticis 28. 843. 222.
Carthag. 3. cap. 24. 28. 877. 231. & 886. 233.
Carthag. 3. cap. 5. 28. 878. 231.
Carthag. 4. c. 93. & 94. 28. 898. 237.
Carthag. cap. 6. iuxta lectionem Balſamonis. 30. 281. 421.

E

Eboracenſe anno 1194. 28. 228. 65.
Eborac. anno 1197. 31. 255. 518.
Emeritenſe cap. 19. 28. 739. 195.
Emerit. cap. 7. 28. 850. 223.
Emerit. cap. 14. 31. 259. 519.
Epaunenſe cap. 27. 28. 96. 31.
Epaun. cap. 6. 28. 812. 214.
Epaun. cap. 2. 28. 858. 225.
Epaun. cap. 29. 30. 307. 443.

F

Florentinum in litteris ſanctæ vnionis 28. 385. 106.
Florent. in Decreto Eugenij 28. 642. 171.
Florent. in eius Actis 28. 889. 234.

G

Gerundenſe cap. 1. 28. 96. 31. & 977. 260.
Generale 6. & Conſtantinopolitanum 3. 28. 904. 239.

H

Hipponenſe cap. 5. 28. 789. 209.
Hippon. 28. 881. 232.
Hiſpalenſe modernum 28. 189. 55.
Hiſpal. antiquum 2. cap. 3. 28. 809. 213.
Hiſpal. 2. cap. 7. 30. 220. 420.

I

Ilerdenſe cap. 16. 28. 778. 206. & 792. 209. & 844. 222.
Ilerd. cap. 9. 28. 790 209.
Ilerd. cap. 1. 28. 829. 218.
Ilerd. cap. 2. 28. 850. 223.
Iliberritanum cap. 34. 28. 749. 198,
Iliber. cap. 35. 28. 751. 199.
Iliber. cap. 37. 28. 755. 200.
Iliber. cap. 81. 28. 818. 216.
Iliber. cap. 10. 28. 861. 226.
Iliber. cap. 76. 28. 865. 227.
Iliber. cap. 30. 28. 371. 355.
Iliber. cap. 21. 30. 287. 437.
Iliber. cap. 29. & 36. 30. 311. 445.

L

Laodicenum cap. 19. 28. 228. 65.
Laodic. cap. 16. 28. 718. 190.
Laodic. cap. 19. 28. 779. 206. & 306. 443.
Laodic. cap. 41. & 42. 28. 818. 216.
Laodic. cap. 14. & 32. & 49. 28. 870. 229. & 890. atque ſeq. 235. & 897. 237.
Lateranenſe anno 1139. 28. 854. 224.
Later. ſub Innocētio 3. Papa 1. 29. 252. 327.
Later. 28. 892. 235.
Later. 28. 956. 254.
Londinenſe anno 1200. 28. 532. 142.
Londin. Decreto 8. 31. 255. 518.

M

Matiſconenſe, vel Matiſcenſe apud Burchardum L. 5. cap. 32. 28. 729. 193. & 894. 236.
Matiſcon. vel Maticenſe apud Gratianum C. *Si quis homicidium* Diſtin. 50. 28. 853. 224.
Matiſcon. anno. 588. cap. 6. 29. 360. 352.
Mediolanenſe 1. 28. 502. 136.
Mediol. 1. 28. 535. 143.
Mediol. 1, 28, 623, 165,
Mediol, 6, 28, 298, 81,
Mediol, quoddam 28, 189, 55,
Milevitanum 2, cap, 12, 28, 1, 2, & 731, 194,
Milevit, 2, cap, 20, 28, 812, 214, & 818, 216,
Moguntinum ſub Ricolpho cap, 22, 28, 809, 213,
Mogunt, ſub Rabano C, 31, 28, 850, 223,

N

Nannetenſe cap, 1, 28, 29, 372,
Nannet, relatum in C, *Presbyter* Diſt. 91, 28, 684, 182,
Nannet, cap, 9, 28, 868, 228,
Narbonenſe anno 589, cap, 12, 28, 156, 46,

Narb. cap. 6. 28. 858. 225.
Neocæsariense cap. 9. 28. 850. 223. & 862. 227.
Neocæs. cap. 10. 28. 857. 225.
Neocæs. cap. 1. 28. 861. 226.
Nicænum 1. 28. 634. 168.
Nicæn. cap. 16. 28. 813. 214. & 850. 223.
Niceṇ. cap. 17. 28. 824. 218.
Nicæn. cap. 8. 28. 836. 220. & 857. 225.
Nicæn. 2. Act. 2. 28. 905. 239.

O

Oxoniense an. 1222. 28. 312. 86.

P

Parisiense anno 829. L. 2. cap. 12. 30. 141. 399.
Pictaviense sub Paschali 2. Papa anno 1109. 30, 221. 421.
Placentinum an. 1095. 28. 731. 193.
Placent. 28. 809. 213.

R

Ratisponense anno 742. 28. 819. 216.
Ravennatense 2. anno 1311. Rub. 9. 30. 12. 368.
Regense anno 439. c. 4. 28. 760. 201.
Reg. cap. 3. 28. 792. 209. & 836. 220.
Rhemense anno 1148. cap. 15. 28. 854 224.
Rhemense anno 1049. Sess. 3. 28. 857. 225.
Romanum anno 743. cap. 14. 28. 148. 44.
Romanum anno 1078. 28. 729. 193.
Rom. Concilabulum 964. 28. 857. 225.
Rothomagense anno 1581. 28. 771. 204.

S

Salegunstadiense cap. 10. 28. 271. 75.
Saleg. cap. 5. 28. 704. 186.
Sardicense cap. 2. 28. 781. 206.
Sard. cap. 9. 28. 818. 216.
Sard. cap. 14. 30. 287. 437.
Suessonicnse anno 853. 28. 780. 206.

T

1. Toletanum cap. 14. 28. 776. 205. & 29. 368. 354.
1. Tolet. cap. 4. 28. 780. 206. & 857. 225.
1. Tolet. cap. 15. 28. 821. 217.
1. Tolet. cap. 2. 28. 827. 218.
8. Tolet. cap. 6. & 7. 28. 858. 225.
7. Tolet. cap. 3. 28. 858. 225.
4. Tolet. cap. 47. 28. 858. 225.
12. Tolet. cap. 12. 28. 850. 223.
11. Tolet. cap. 11. 28. 776. 205.
4. Tolet. cap. 18. 28. 779. 206.
11. Tolet. cap. 15. 28. 850. 223.
4. Tolet. cap. 2. 28. 976. 260.
11. Tolet. cap. 3. 28. 977. 260.
7. Tolet. cap. 2. 29. 6. 264.
11. Tolet. cap. 11. 29. 368. 354.
11. Tolet. cap. 1. 30. 132. 397.
1. Tolet. cap. 5. 30. 175. 409.
13. Tolet. cap. 10. 30. 317. 447.
4. Tolet. cap. 12. & 13. 28. 1. 2.
4. Tolet. cap. 14. 28. 32, 12, & 28, 112, 35,
4, Tolet, cap, 2, aliàs 1, 28, 96, 30,
7, Tolet, cap, 2, 28, 150, 45,
11, Tolet, cap, 4, 28, 155, 46,
4, Tolet, cap. 10, 28, 221, 63,
16, Tolet, cap, 6, 28, 630, 167, & 634 168, & 650, 174,
12, Tolet, cap, 5, 28, 677, 179,
4, Tolet, cap, 13, vel 12, 28, 696, 184,
4, Tolet, cap, 11, 28, 706, 187,
4, Tolet, cap, 12, 28, 717, 189,
3, Tolet, ante Capitula, & cap, 2, 28, 723, 191, & 726, 192,
8, Tolet, cap, 1, 28, 826, 192,
12, Tolet, cap, 1, 28, 726, 192,
4, Tolet, cap, 18, 28, 757, & 761, 201 & 772, 204,
11, Tolet, cap. 11, 28, 772, 204,
Tolet, anno 1324, 31, 255, 518,
Triburiense cap, 19, 28, 642, 171,
Tridentinum, Sess, 7, Can, 13, 28, 1, 1
Trid, Sess. 22, in Doctr, de Sacrif. Miss. C, 8, 28, 100, 32.
Trid, Sess, 22, cap, 8, 28, 661, 176,
Trid, Sess, 22, cap, 7, 28, 619, 164,
Trid, Sess, 22, cap, 5, 28, 598, 159, & 502, 136,
Trid, Sess, 22, c, 7, & Can, 9, 28, 578, 154,
Trid, Sess, 22, cap. 1, 28, 555, 148,
Trid, Sess, 23, c. 1, de Refor, 28, 378, 105.
Trid, Sess, 22, cap, 2, 28, 345, 95, & 330, 92,
Trid, Sess, 22, cap, 6, 28, 226, 64,
Trid, Sess, 24, cap, 5, de Reform, Sess. 25, cap, 18, 28, 195, 56,
Trid, Sess, 13, cap, 8, 28, 774, 205,
Trid, Sess, 23, cap, 16, de Reform, 28, 818, 216,
Trid, Sess, 14, in Doctr. de Sacram. Extremæ vnctionis cap, 1, 28. 963, 257
Trid, Sess, 13, Can, 11, 29, 40, 273.

Trid.

Trid. Sef. 14. Cap. 5. 29. 41. 273.
Trid. Sef. 13. Cap. 7. 29. 43. 274. & 74. 281.
Trid. Sef. 24. in Decreto de Reform. C. 4. 29. 252. 327.
Trid. Sef. 13. can. 4. 29. 386. 359.
Trid. Sef. 22. Decreto de obſervandis, & evitandis in Celebratione Miſſæ, 28. 1. 1. & 558. 149. & 144. 145. & 509. 137. & 30. 28. 28. & 134. 397. & 140. 399. & 317. 447. & 317. 450. & 59. 464.
Trid. Sef. 2. 30. 132. 396.
Trid. Sef. 24. cap. 12. 30. 148. 401.
Trid. Sef. 23. Decreto de Reform. C. 13. 30. 294. 436.
Trid. Sef. 13. cap. 7. 30. 302. 442.
Trid. Sef. 21. Decreto de Reform. C. 1. 31. 6. 450.
Trid. Sef. 21. Decreto de Reform. C. 2. 31. 17. 452.
Trid. Sef. 25. cap. 4. 31. 76. 469.
Trid. Sef. 24. Decreto de Reform. C. 2. 31. 82. 470.
Trullanum C. 81. 30. 287 437.
Trul. cap. 69. 28. 779. 206.
Trul. cap. 83. 28. 789. 209.
Trul. cap. 17. 28. 818. 216.
Trul. cap. 82. 28. 851. 223.
Trul. cap. 20. 28. 857. 225.
Trul. cap. 26. 28. 862. 226.
Trul. cap. 82. & 92. 28. 866. 228.
Trul. cap. 52. 28. 890. 235.
De Canonibus in Trullo factis videatur 30, 995, 239,
3. Turonenſe anno 813. cap. 38, 30, 140, 399,
3. Turon, cap, 13, 28, 812, 214,
Turon, apud Burchardum L, 5, cap, 9, 29, 361, 352, & 379, 357,
Turon, apud eundem L, 6, cap, 9, 28, 854, 224, & 862, 226,
2. Turon, anno 570, cap, 4, 28, 783, 207,
Turon, anno 1162, cap, 5, 31, 155, 518,

V

Valentinum Hiſpaniæ cap, 1, 28, 719, 190,
Valent, cap, 3, 28, 847, 222,
Valent, cap, 6, 28, 809, 213,
Vaſenſe 1, cap, 2, 28, 733, 194,
Vaſ, 2, ſeu potiùs 3, cap, 3, 28, 694, 184,
Venetũ ſub Leone 1, C, 15, 28, 96, 31
Venet. cap, 5, 28, 812, 214,
Vernenſe, ſeu in Palatio Vernis C, 21, 28, 818, 216,
Vern. cap, 13, 28, 814, 215,
Vvladislavienſe an. 1568, 28, 227, 65
Vvladisl, 28, 502, 136,
Vvladisl, 28, 544, 145,
Vvormatienſe ſub Adriano 2, Papa C, 8, 30, 221, 421,

Ex Canonibus Apoſtolorum.

C. 12, 28, 811, 214,
C, 32, ibidem.
C, 14, 28, 780, 206,
C, 24, 28, 861, 226,
C, 70, 28, 755, 200,
C. 78. 30. 309. 444.

Ex Bullis Summorum Pontificum non inſertis in corpore Iuris Canonici.

B. Cum evenire Vrbani VIII, anno 1638, 28, 465, 125,
Ad hoc nos Deus vnxit, Pij V, anno 1570, 28, 10, 5, & 63; 21,
Aſcendente Dño, Gregorij XIII, anno 1584, 28, 365, 101,
Quanto fructuoſiùs, Eiuſdem an, 1581 ibidem,
Providentia Romani Pontificis, Pij V, anno 1566, 28, 385, 107,
Quo primum tempore, Pij V, an, 1570 28, 2, 2,
Paſtoralis officij, Gregorij XIII. anno 1573. 28, 427, 116,
Sacræ Religionis, Iulij III, anno 1552. 28, 46, 17,
Sub Catholicæ, Innocentij IV, anno 1254. 28, 621, 165, Videatur etiã in 28, 46, 17, diploma quoddam eiuſdem Innocentij anno 1253, circa ritus Græcorum, & in 28, 385, & 386, 107, Epiſtola quædam Leonis VIII, vulgo IX,
Intelleximus, Leonis X, anno 1517, 30, 30, 372,
In tanta, Gregorij XIII, anno 1573, 30, 31, 372,
Vniverſa per Orbem, Vrbani VIII, anno 1642, 28, 432, 117,
Vniverſi Dominici gregis, Gregorij XV, anno 1622, 29. 235, 322,
Etſi aliàs, Clementis VIII, anno 1601, 29, 213, 314,
Etſi Mendicantiũ, Pij V, an, 1567, 30, 31, 372,

Romani Pontificis. Pij V. anno 1571. ibidem.
Sacer Ordo. Iulij 2. anno 1508. 31. 87. 471.
Exposcit dilectorum. Leonis X. anno 1523. ibidem.
Exposcit debitum. Iulij 3. anno 1550. 31. 263. 521.
Salvatoris. Gregorij XIII. anno 1576. ibidem.
Officij nostri partes. Gregorij 13. anno 1574. 29. 238. 323.
Cum sicut accepimus. Vrbani 8. anno 1628. 30. 214. 418.
Cum sæpe contingat. Vrbani 8. anno 1625. explicatur per totam D. 31.

Ex Iure Ciuili.

EX quo allegantur multæ leges 28. 99. 31. & 153. 46. & 233. 67. & 378. 105. & 407. 111. 11. & 414. 113. & 418. 114. & 467. 126. & 522. 140. & 739. 195. & 803. 212. & 804. 212. & 806. 212. & 939. 250.
Item 29. 238. 323. & 243. 325.
Item 30. 62. 380. & 71. 382. & 95. 388. & 98. 389. & 243. 427. & 247. 428. & 279. 435.
Item 31. 92. 472. & 93. 473. & 95. 473. & 96. 474. & 173. 496. & 243 513. & 245. 514.
Sed quia non afferimus nisi communē sensum legum, quæ citantur, ideo, ne tempus, & papyrum consumam⁹, desistimus ab speciali earum recensione.

Ex Partitis.

20. tit. 4. Part. 1. 28. 856. 225.
50. tit. 4. Part. 1. 28. 193. 56.
50. tit. 4. Part. 1. 28. 312. 86.
52. tit. 4. Part. 1. 28. 627. 166.
52. tit. 4. Part. 1. 29. 107. 290.
35. tit. 9. Part. 1. 28. 201. 58.
10. tit. 25. Part. 4. 28. 193. 56.

Index Scriptūræ Sacræ.

LEVITICI 8. v. 33. & 34. Septē enim dieb⁹ finietur consecratio, sicut in præsentiarum factum est, vt ritus Sacrificij compleretur. 28. 937. 249.
Machabæorum 2. C. 12. v. 43. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, benè, & religiosè de resurrectione cogitans. 28. 321. 88.
Matthæi 5. v. 23. & 24. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. 28. 123. 123. 38. & 29. 28. 270.
Mat. 10. v. 8. Gratis accepistis, gratis date. 31. 4. 449.
Mat. 10. v. 10. Dignus est operarius cibo suo. 31. 1. 448.
Mat. 26, v. 29. Non bibam amodò de hoc genimine vitis vsq; in diem illum, cum illud bibam vobiscum in regno Patris mei. 28. 936. 249.
Lucæ 10. v. 7. Dignus est enim operarius mercede sua. 31. 1. 448.
Luc. 22. v. 15. Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. 28. 936. 249.
Luc. 22. v. 19. Hoc facite in meam commemorationem. 28. 736. 194.
Luc. 24. v. 30. Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. 28. 937. 250.
Actorum 1. v. 14. Hi omnes erant perseverantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. 28. 929. 247.
Actor. 1. v. 15. Erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti. 28. 940. 250.
Actor. 2. v. 1. Erant omnes pariter in eodem loco. 28. 940. 250.
Actor 2. v. 41. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ in die illa animæ circiter tria millia. Et v. 42. Erant autem perseverantes in doctrina Apost. & communicatione fractionis panis, & orationibus. Et v. 46. Quotidie quoque perdurātes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panē sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum. 28. 555. 147. & 929. 244. & 939. 250. & 940. 250. & 941. 251 & 943. 251. & 948. 253.
Pauli 1. ad Corint. 4. v. 1. Sic nos existimet homo vt ministros Xpi, & dispensatores mysterij Dei. 31. 4. 449.

1. ad Corinth. 9. à V. 7. Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? &c. 31. 1. 448.
1. ad Corinth. 11. V. 10. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos. 29. 342. 348.
1. ad Corinth. 11. V. 24. Hoc facite in meam commemorationem. 28. 555. 148.
1. ad Corinth. 11. V. 26. Quotiescũque manducabitis panem hunc, &c. ibidem.
1. ad Timotheum 5. V. 8. Si quis suorum, & maximè domesticorum curã non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. 30. 266. 433.
Ad Hebræos 7. V. 7. Sine vlla contradictione quod minus est à meliore benedicitur, &c. 28. 597. 158.
Apocalypsis 22. V. 18. & 19. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partẽ eius de lib. vitæ. 29. 396. 333.

Index Rerum, & Verborum.

A

ABBAS quasi Episcopali dignitate præfulgens num nominandus sit in Missæ Canone, & an veniat sub voce Antistitis? 28. 89. 29.

Abbates, & alij inferiores Episcopis num habeant potestatẽ consecrandi altaria, vasa, & Ecclesias? 30. 230. 424.

Absolutionis forma simulata an, & quando sit licita? 29. 281. 333.

Alfonsus Vazquez de Miranda RR. Abbas S. Anastasiæ dicit nonnulla circa volorem Missæ de *Requiem*, circa preces BB. in patria pro animabus Purgatorij, quæ discutiuntur ab Authore. 28. 300. 82.

Idem quidnam de Missa de *Requiem* in Ecclesijs Collegiatis, & Monasterijs Regularium loco Missæ Conventualis de festo, aut feria attribuat alijs Authoribus, & ipse tradat? 28. 308. 84.

Idem an benè notet Suarium de cõfusione diversorum casuum, & de varietate in eodem? 28. 314. 86.

Idem an iure culpet Paludanum ob afficta quędam verba Sancto Raymundo, quæ eius non sint? 28. 315. 87.

Idem dicit, Authorem esse meritò reprehensibilem, quia damnat Nicolaũ Cabasilam ob assertam remissionem pœnę temporalis, & expiationem peccatorum venialium in animabus Purgatorij opere Sacrificij Missæ: sed in quo alio valde diverso Author notet Cabasilam, ostenditur. 28. 330. 92.

Idem æquali certitudine loquitur de expiatione peccatorum venialium in animabus Pugatorij, ac de remissione pœnæ temporalis per Sacrificium Missæ, cum tamen vtrobique non detur ęqualis certitudo. 28. 337. 93.

Idem quibus indicijs probet tacitã concessionem ad celebrationem trium Miss. in festo Nativ. Dñi? 28. 698. 185.

Idem an benè probet, fuisse olim pluries celebratum ab eodem Sacerd. in festo Resurrect. Dñi? 28. 699. 185.

Idem num convenienter intelligat SS. Aug. & Prosp. de pluribus Missis eodẽ die ab eodẽ Sacerd? 28. 700. 185.

Idem de pluribus Missis ab eodem Sacerdote antiquitus in festo S. Ioan. Baptistę quidnam scribat? 28. 703. 186.

Idem minus suaviter inquit, P. Gabriel. Vazq. fuisse valde deceptũ. Ibidẽ.

Idem subindicat, sacrificatum sæpiùs ab eisdem Apostolis in eodem die, & repetitionem Sacrificij ab eodem Sacerdote in eodem die conformiorem esse verbis Xpi; de quibus dictis fertur ab Authore iudicium, vt & iterata cõmunione ab eodẽ Laico in eodem die. 28. 155. 148.

Alleluia ab Angelis decantatum in novo Testamento, & in Missis etiam funebribus olim dictum. 28. 706. 186.

Alleluia, & Gloria cur à Septuagesima vsque ad Pascha omittantur? 28. 705. 186.

Anathematis vox aliquando olim non vsurpata pro excommunicatione maiori etiam simplici ex iudicio Cãnonistarum. 28. 851. 223.

Eadem voce significabatur nonnũquàm sola depositio à proprio statu, nonnunquam Eucharistię privatio. 28. 866. 227.

Angeli, Cœlitesque cum V. Deipara num assistant Missæ? Num colligant deciduas specierum Sacrament. particulas? 29. 335. 346. & 31. 283.

Angeli an aliquando consecrarint Eucharistiam? 28. 581. 521.

Animæ Purgatorij vtrùm ſuſcipiant ſpiritualiter Euchariſtiam, indeque ſibi comparent fructum aliquem ſpiritualem, videlicet augmentum gratiæ habitualis, remiſſionemque pœnæ tẽporalis? 28.348.96.

Apoſtoli an ex longis formulis ſacrificarint, vel potiùs ex brevibus? 28. 556.148.& 959.255.

Ijdem proximè poſt adventum divini Spiritus primo rei ſacræ celebrandæ fuerunt accincti? 28.939.250.

Ijdem quemnam modum tenuerint in peragendis Miſsis poſt primam, & an S. Petrus, aut S. Paulus vnum, eundemque rituum ordinem vniverſę Eccleſiæ præſcripſerint? 28.953.253.

Ijdem, maximè S. Petrus, an initio tres tantùm orationes in Miſſa adhibuerint, & quænam illæ, & quo pacto in maiorem numerũ poſteà auxerint? 28.958.255.

Ijdem potuerintne conſecrare in triduo mortis Chriſti? 28. 910.241.

Ijdem quare dicantur myſteriorum duces à PP.? 28.909.241.

Ijdem faciebant in Miſſa mentionem Paſsionis Domini per verba illa, *Qui pridie, quàm pateretur.* 28.737.195.

Aquæ cum vino admixtio in Miſſa num ſit graviter debita? 28.578.154.

Conditiones aquæ admiſcendæ. 28. 623.165.

Non eſt de neceſsitate Sacramenti 29.281.333.

Aqua artificialis, vel calida ex induſtria num poſsit licitè admiſceri vino in Miſſa? 28.619.164.

Aquam, & vinum deſervitura in Miſſa fas ne ſit nive, aut gelu infrigidare? Quid circa id fecerit S. Gerardus Epiſcopus? 28.622.165.

Aqua an in calice apponenda, etſi poſt conſecrationem vini comperiatur defectus illius? 29.115.291.

Aquæ defectus ſi ante conſecrationem vini notetur proximè, an ſtatim ſupplendus? 29.104.289.

Aqua cur in Prędicatorum Ordine admiſceatur vino ad Miſſæ initium? 29.105.189.

Aqua calici infuſa an convertatur cum vino in Chriſti ſanguinem, ſi non ſit præconverſa in vinum? 29.106. 289.

Axioma illud Civilis iuris *Ignorãti non currit tempus* qualiter intelligẽdum? 28.467.126.& 474.128.

B

Baptiſmus ſit ne validus, forma prolata corruptè? 31.274.528. Quid, ſi diceretur, *Ego te baptizo in nomine Patria*, &c. vel *in nomine Matris*? &c. 28.98.31.

Baptizatus ſit ne habendus, qui per iocum immergeretur aquis, prolata forma? 31.275.528.

Beatorum preces ad Deum pro animabus Purgatorij an efficaciam, & infallibilitatem ſortiantur? 28.229.91.

Beatorũm nondum canonizatorum cultus in Miſſa, & in alijs Officijs divinis qualis futurus ſit? 28.396.109.

Benedictio præcedens Evangelium poſtremum S. Ioannis in Miſſa an olim expleret huius ſolemnitatem, & quæ de cauſa non hodie? 28.20.8.

Benedictio an, & quomodò inter celebrandum impenderetur olim adſtanti populo, & à quo? 28.757. 200. Qua Miſſæ parte quondam exhiberetur? 28.762.202.

Benedictio aquæ an ſit graviter obligatoria in Miſsis, quę non ſunt defunctorum? 28.604.160.

Benedictiones, ſiue crucis ſigna poſt conſecrationem num ſint convenienter inſtituta ab Eccleſia, num ſint graviter obligatoria, quam præſeferãt myſticam ſignificationem? 28.597. 158.

Benedictiones, aliæque actiones, & verba, quibus fit prior oblatio hoſtiæ, & calicis, quantę ſint oligationis? 28.603.160.

Bullæ Pij V. præfixæ Miſſali, & Breviario Romano quid iubeant, & prohibeant? 28.482.130.

Bulla Gregorij XIII. addita Sanctis proprijs Hiſpaniæ quonam pacto ſit inteligenda? 28.493.133. De alijs Bullis quæratur in Indice Canonico.

C

Caietanus Card. aſſerens, non requiri præviam confeſsionem ante ſuſceptionem Euchariſtię ab homine cõſcio lethalis culpę, qua cenſura aliquorum notetur? 29.42.273.

Caietani dictum de precibus publicis in lingua vernacula magis conducentibus

centibus exagitatur à nonnullis. 28. 105. 33.

Calix continens Christi sanguinem si extra stillaverit, vel inadvertenter effundatur, quid faciendum? 29. 287. 335.

Calicis elevatio post consecrationem an in vsu fuerit apud antiquos, sitque nunc apud Carthusianos? 28. 580. 154.

Calicis purificatio sitne graviter obligatoria, & semper? 28. 584. 155.

Calice purificato, an, & quando perfundendi sunt digiti, & os vino, & aqua, quidnam vsu venerit antiquitus, & præscribatur ab Ecclesia? 28. 585. 156. & 589. 157.

Calicis, & oris perfusio prior in Missa debeatne fieri solo vino? 28. 588 156.

Canones permulti contenti in Iure Canonico circa Missæ ritus explicãtur. 28. 693. 184. Qui, & quot declarentur in toto Opere, monstrat Index Canonicus supra appositus, qui est consulendus.

Canones Trullani cuiusnam sint authoritatis? 28. 905. 239.

Canones quidam difficiles Concilij Iliberritani exponuntur. 28. 749. 198.

Canon Missæ pronunciandus est accuratè; quænam eius verba extra formam etiam cõsecrationis sita, si omittantur, sufficiant ad peccatum lethaliter? 28. 11. 5.

Idem vndenam incipiat, & vbinam finiatur? 28. 219. 62.

Eius nomina, antiquitas, authoritas, veritas. 28. 219. 162.

Idem cur Secretum Missæ vocetur à Concilio Eboracensi, & cur submissa voce dici debeat? 28. 228. 65. quanta sub obligatione; quisnam hanc imposuerit, cum olim alta voce recitaretur; exempla, quæ moverunt ad submissam recitationem? 28. 510. 137. De qua parte Canonis Missæ loquatur C. *Cum Marthæ* de Celeb. Miss? 28. 734. 194.

Capellanus ægrotans deobligeturne à substituendo alio, etiamsi morbus vltra mensem protrahatur? 31. 65. 466.

Capellanus peste infectus teneaturne ad stipendium tradendum alteri, vt celebret tẽpore pestis in Xenodochio iuxta Fundatoris voluntatem? Et quid quando Fundator expressè voluisset, amitti Capellaniam, si tempore pestis Capellanus non sacrificaret in Xenodochio? 31. 66 466.

Capellanus, cui fas sit non celebrare per se, an queat commendare Missas suæ Capellaniæ alijs, quibus tradat iustum stipendiũ, & ipse quærat sibi pinguiores eleemosynas manuales? 31. 67. 466.

Capellanus Monialium non vtentium Breviario Romano num prohibitus sit celebrare nisi Missali Romano in Ecclesia earum? 28. 370. 103.

Capellanis Magnatum an liceat facere celeriter Sacrum, vt eis indulgeant? 28. 550. 146.

Cantici *Te Deum laudamus* quisnam Author? 28. 710. 188.

Caramuel impugnatur, dum arguit ab interruptione in horis Canonicis ad interruptionem in Missa. 28. 127. 39.

Catechumeni quo Missæ tempore dimitterentur extra Ecclesiam? 28. 720. 190.

Ijsdem num olim distribueretur panis benedictus? 28. 875. 230.

Num sal benedictum? 28. 879. 231.

Quem effectum spiritualem in eis causarent? 28. 888. 234.

Ijsdem an alicubi per abvsum dispensata sit Eucharistia, & quo effectu? 28. 881. 232.

Christus in Eucharistia latet amanter. 31. 265. 522.

Idem post resurrectionem suam an libaberit poculum Eucharisticum, cum in eius præsentia sacrificarẽt Apostoli? An redivivus comederit, & biberit cum Apostolis? An redivivus peregerit incruentum Sacrificium coram illis? 28. 936. 249.

Christi corpus vtrùm deficiat sub speciebus Sacramentalibus, eo ipso quòd hæ bruti alicuius ore attingantua? 29. 381. 358.

Christi corpus, ac sanguis quandiu durent sub speciebus illis? 29. 381. 358. & 388. 360.

Christi diuturnior mora sub speciebus consecratis intra stomachum vtrùm per se, vel saltem per accidens cumulatiorem pariat gratiam communicanti? 28. 641. 161.

Christus an ipsa panis, & vini consecra-

secratione vtrumque simul benedixerit; & an benedictio sit de essentia cuiuscumque Sacramenti, obliganſque graviter conficientem illud? 28.768. 203.

Christus in sacratissima nocte Cœnę vtrùm auspicatus sit aquæ cum vino mixtionem immediatè ante consecrationem, haud quaquam præcedente sufficienti tempore ad naturalem aquę in vinum conversionem? 29.111. 290.

Cistercienſis si præponatur Monasterio Ord. Milit. an idem possit ibi, ac si esset Abbas in suo? 30. 235.425.

Clericos ad communionem Laicã damnari, quid sit? 28.777.205.

Clericos ad communionem Laicã restitui, quid significet? 28.781. 206.

Clerici, quibus communionis Laicæ indicta erat perpetua pœna, an vsque ad vltimum sui exitus diem subirent illam? 28.781.206.

Clerici peregrinantes quas litteras tenerentur secum deferre, & quænam illarum distinctio, siue diversitas? 28.810. 214.

Clericorum peregrinorum genus quotuplex fuerit, & an qui non deferebant commendatitias litteras, arcerentur à sacris ministerijs? 28.814. 214.

Multa alia de Clericis peregrinis, de litteris, quas secum ferebant, de examine, quod subibant, tractantur ibidem vsque ad 819 216.

Clericis olim in scelerum gravium pœnitentiam imponebantur religiosæ peregrinationes. An exinde derivetur nomen communionis peregrinæ? Habitus talium Clericorum qualis esset, & quotuplex communio, ad quam admittebantur? 28. 853. 224.

Clericorum præfatorum pœnitentia an esset non modò publica, sed etiã solemnis. Depositio cuiusmodi esset? 28.856.225.

Clericorum amandatio ad Monasteria quam denotaret abstatu Clericali depositionem, & quàm pœnitentiã? 28.858. 225.

Clerici in pœnam depositi an excommunicarentur, privarenturq; Eucharistia? 28.861.226.

Clericorum qualis esset pœnitentia solemnis? 30 305.443.

Clericis pœnitentia solemni affictis num pateret iterùm aditus ad functiones Clericatus? Et de differentia inter pœnitentiam solemnem, & merè publicam. 28. 827. 218.

Clerici raptores rerum Ecclesiæ quo supplicio sint antiquitus puniti? 28.831.& 834.219.

Collectarum nomine quæ orationes in Missa comprehendantur, & vbinam de illis specialis mentio? 28.715. 189.

Collectam vnam, aut plures addere in Missa, quale peccatum? 28.56 20.

Collectam, *Et famulos tuos*, &c. an teneantur in Missa recitare Sacerdotes Hispani vbique terrarum? 28.68. 23.

Collecta hæc an, & quo modò in communi vsu sit habenda, & quàm varius sit iste pro varietate locorum? 28. 70.24.

Collecta hæc an, & quoties addenda in Missa, & vi cuiusnam privilegij, antiquæve consuetudinis? 28.65.22.

Collectæ huius consuetudinem quinam permiserint, aut approbaverint, & quanta de hoc punct. Authorum varietas? 28.66. 23.

Collegij Salmanticensis S. Bartholomæi encomium. 31. 300. 533.

Commemorationis vnius additio, aut illius ex scientia omissio in Missa quanam sit culpa? Quid, si plures omittantur, & in qua parte Missæ? 28.62. 21.

Commemorationem ab Ecclesia pro vna Missa confectam accommodare alteri Missæ, sitne minus culpabile, quàm novam addere proprio ex cerebro compositam? 28.62.21.

Communionis nomine antonomasticè significatur nunc susceptio Eucharistiæ. 28.788.208.

Communio olim cum oblatione, aut sine illa quidnam esset, & quid oblationis voce significaretur? 28.789. 208.

Communionem adhiberi, seu Eucharistiam apponi mortuis, & maximè Episcopis sepeliendis non fuit olim insuetum, vti nunc est, & merito. 28. 789. 208.

Communio Laica, nunc, & iam diu ea dicitur, qua suscipitur Eucharistia sub sola panis specie. 28.771.204.

Communionis Laicæ nomine, & pœna

pœna quidnam denotaretur antiquioribus temporibus? 28. 772. 204. & latè vſque ad 791. 209.

Communio peregrina quænam olim diceretur? 28. 792. 209. extenſiſsimè vſque 866. 227.

Conciliorum permultorum Canones, & Decreta videantur in Indice Canonico, ne is rerum, & verborum nimiùm creſcat.

Confeſſarius ex privilegio Bullæ Cruciatæ, vel vndecumque eligibilis approbatus ſemel ab vno Ordinario an poſsit vbique terrarum excipere confeſsiones? 30. 205. 415. & 213. 418.

Confeſſarius, excipiens confeſsiones cum conſcientia culpæ lethalis, peccet ne graviter differendo contritionem vſq; ad inſtans abſolutioni immediatum, & quid de Parocho incipiente adminiſtrare Sacramenta? 29. 59. 277.

Confeſsionis annuæ præceptum an per ſe inducat obligationem ad iterationem, ſi non fuit materialiter integra, quæ fuit facta? 29. 39. & 41. 273.

Confeſsio ante Euchariſtię ſuſceptionem, ne hæc indignè fiat, quo pacto requiratur, & quo ſenſu declaretur à Concilio Tridentino? 29. 40. 273.

Confeſsio generalis quo idiomate ſit recitanda ante adminiſtrationem Euchariſtiæ? 28. 106. 33.

Congregationis ſacræ Eminentiſſ. Cardinalium Declaratio de nominando in Miſſæ Canone à Religioſis Epiſcopo loci, & non alio. 28. 85. 28.

Item Declarationes nonnullę circa ritus Miſſæ. 28. 401. 110. præſertimque noviſsima circa celebrationem Miſſæ, & Officij de Beatis nondum canonizatis. 28. 404. 110.

Item Reſponſa circa Miſsionarios apud Sinas. 29. 222. 318.

Item Decretum de Celebratione Miſſarum, quod exponitur in tota D. 31.

Item Declaratio recentiſsima ſuper eodem Decreto. 31. 27. 455.

Conſecrationis verbum aliquod extra formam ex ſcientia omiſſum an, & quando gravis piaculi reum faciat omittentem? 28. 13. 6.

In conſecratione an exigatur ad formæ valorem particulæ *eſt* expreſſio, & an in aliquo eventu omitti poſſet citra ſacrilegium? 28. 14. 6.

Conſecrationem calicis qui conficeret præteriens ex intentione aliquod nomen, aut verbum ex ijs, *novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur*, &c. an, & cur graviter delinqueret? 28. 15. 7.

Conſecrationem redderetne invalidam, qui non ex intentione variandi ſenſum à Chriſto Dño intentum præteriret aliquam ſyllabam nimis inſipienter? 28. 16. 7.

Conſecrationis formam aliquantulùm immutare, vel ſola vnius vocis additione, an, & quale peccatum cenſeatur? 28. 73. 24.

Conſecratio, Sacramentum, & Sacrificium an conficiantur, ſi verborum formæ ſignificatio deſtruatur additione vocis alicuius? 28. 73. 24.

Conſecrationis verbis addere alia, poſsitne eſſe levis materia? 28. 73. 24.

Conſecrationis formam vel totam, vel quoad vnum verbum repetere ſuper eandem materiam an, & quando excuſetur à gravi culpa? 28. 74. 25.

Conſecratio, verbis in alia diſtinctæ ſignificationis mutatis, evadatne invalida? 28. 92. 30.

Conſecrationis verbis vltrò, vel ex levi cauſa mutatis in alia, de quibus dubitetur, an ſint eiuſdem, vel diverſæ ſignificationis, num celebrans peccet graviter? 28. 92. 30.

Conſecrationis vnicum tantum verbum in aliud eiuſdem linguæ, & ſignificationis vertere, ſit ne ſemper mortale peccatum? 28. 94. 30.

Ad conſecrationem vtrùm ita debeat dici adverbium *enim*, vt eius omiſſione, aut alterius adverbij ſubſtitutione cõtraheretur grave peccatum? 28, 13, 6, & 94, 30.

Conſecrationis forma an vna, & eadem in tota Eccleſia Romana, & an alia alicubi antiquitus vſitata? 28. 96, 30.

Conſecratio, verbis variatis quoad idioma, etſi non quoad ſignificationẽ, vtrùm fiat illicitè? 28, 107. 33.

Conſecratio ſanguinis, ſi corporis conſecrationi anteponatur, quantum, & quale committatur ſacrilegium, etſi Sacrificij ſubſtantia non deſtruatur? 28, 111, 34.

Con-

Consecratio, si transponantur verba formæ, quo cum peccato fiet, & quando cum periculo invaliditatis? 28 112.34.

Consecratio sub quo verborum tenore repetenda supra materiam denuò positam, & quando priores species dubiæ sint hauriendæ? 29.182.307.

Consecrationis materia iudicata vt dubia positivè, vel negativè, an, & cur statim alia assumenda, quæ sit certa? 29.184.307.

Consecrationi indubitatum vinum denuò apponere, vel desistere à celebranda Missa vsque ad Canonem perducta teneretur ne, qui incertus esset, an prius appositum esset acetum, aut vinum? 29.185.307.

Consecrationis verba fictè proferre, an aliquando liceat? 29.193. 310.

Consecrationis verba simulatè dicere, sitne ansam per se præbere idololatriæ? 29.202.312.

Consecrationis interruptio in verbis quæ, & qualis obstet formæ validitati, & Sacerdotem adducat in culpam lethalem? 28.113.35.

Consecrationis forma an sit proferenda voce nimis depressa; & an mente solùm recitare liceat, quæ subsilentio dicenda præscribuntur? 28.516. 138.

Consecrationis verba an sic proferenda, vt queant audiri à proferente: & quid de alijs orationibus vocalibus? 28,519.139.

Consecrationis ritibus, siue conditionibus accidentalibus mutatis notabiliter, vt si Sacerdos Romanus panem fermentatum consecraret, num haberetur reus gravis piaculi? 28.618. 164.

Consecrationis forma an repetenda super certam materiam, quando apposita censetur valde dubia? 29.179. 306.

Corporalis, & patenæ purificatio an, & quando sit graviter, vel leviter obligatoria? 28.593.157.

Crucis signatio ad quid desideretur inter celebrandum, & quid de eius necessitate ad omnia Sacramenta? 18.763.202.

D

Dalmatæ an obtinuerint facultatem ad dicendam Missam lingua patria, & an vsi fuerint Liturgia composita à S. Hieronymo? 28.462.114.

Defunctorum, & vivorum mentio in Missa fiebat olim ex diptychis. 28. 738.195.

Digitorum pollicis, & indicis ablutio in Missa, si omittatur, quale sit peccatum? 28.585.156.& 605. 161.

Diptychæ tam sacræ, quàm profanæ quidnam fuerint? 28.739.195.

Dominicis diebus apud Latinos, ac Græcos, & Sabbathis (præter sanctum) apud hos num vetitum ieiunare? 28. 890.235.

E

Ecclesiæ Patrum authoritas quantùm referat ad probationē facti, Scriptura etiam sacra tacente? 28.939. 250.

Ecclesiæ primævæ an vsus, an præceptum quotidianam, seu frequentem Eucharistiæ participationem iniunxerit primitivis fidelibus? 28.941. 250.

Ecclesiæ Romanæ consuetudo generalis de calice præparando in Offertorio an sit præferenda consuetudini aliquorum præparantiū initio Missæ? 29.113.291.

Ecclesia cur nunc non tradat pueris fragmenta residua post populi communionem, vel flammis non commendet incendenda? 29.360.351.

Ecclesia habuerit ne in vsu mortuis consepelire Eucharistiam, vel illam cum SS. Martyrum reliquijs includere altaribus consecratis? 29.362.352.

Ecclesias, altaria, & vasa sacra consecrandi quinam gaudeant potestate legitima? 30.216.419.

Ecclesias consecrare, sitne solius muneris Episcopalis nulli alteri delegabilis ex iure communi? 30.217. 419.

Ecclesiarum consecratio an aliquando licita fuerit Corepiscopis? 30. 222.421.

Ecclesiæ antiquis temporibus an prohibitum iure positivo pro Missis, alijsque spiritualibus officijs stipendiū paciſci, & an iam sit derogatum huic iuri? 31.255.518.

Ecclesiæ Cathedrales, Collegiatæ, &

& Regulares profitentes Chorum án, concurrente festo cum feria privilegiata, teneantur ad Missam vnam de festo, & ad alteram de feria? 28.308. 84. & 447. 121.

In ijsdem debetne Missa solemnis quotidiana esse conformis Officio Canonico, quando Rubricę aliud nō permittunt, aut præscribunt? 28.446. 21.

In ijsdem vtrùm Missa de feria sit peragenda, cum nequeat expleri duarum obligatio, & quid de dicendis sub cantu? 28.450. 122.

Ecclesiæ à cantu Missæ deobligatæ ad quam teneantur, cum votivæ ad libitum possunt peragi? 28.451.122.

Ecclesia quonam rigore tria tempora mentaliter orandi in Missa præscribat, & an citra culpam aliquam longiùs Missa queat protrahi publicè? 28. 116. 36.

Ecclesia in animarum Purgatorij subsidium permisit plura circa celebrationem Missarum pro eis, 28. 312. 86.

Ecclesijs Hispaniæ an, & quibus indultum fuerit die Commemorationis defunctornm duas, aut tres Missas ab eodem Sacerdote peragi? 28. 316. 87.

Ecclesia præcipiatne actus internos, aut de illis iudicium ferat? 28. 522. 140.

Ecclesiæ foribus an, & cur olim apponeretur vas plenum aqua, & an inde originem trahat vasculum aquæ benedictæ in Ecclesiæ ingressu? 28. 609. 161.

Ecclesia quibusnam de causis vnicā tantùm communionem in die permiserit Laicis? 28.641. 171.

Ecclesia an, & cur prohibuerit olim ieiunium feriæ quintæ, & Dominicæ Resurrectionis, & aliqua alia, quæ veniebant in hæreticorum vsum? 28. 714. 189.

Ecclesia cur sublimiora Missæ mysteria prohibuerit videnda infidelibus, & Catechumenis? 28. 743. 196.

Energumenis Eucharistiam, & Cōfirmationem ministrari, vsitatumne in veteri Ecclesia, & an hæc requireret immunitatem à lethali noxa in adstantibus Missæ? 30. 31. 445.

Episcopis quantùm iniungat Tridentina Synodus, vt caveant, ne Sacerdotes novis cœremonijs Romanum ritum corrumpant notabiliter? 28. 1. 1.

Episcopus an prohibeatur ante Missam solemnem defunctorum preces præparatorias recitare, queantne ab alijs Sacerdotibus dici? 28. 30. 12.

Episcopus queatne Regulares cogere, vt sui in Collecta Missæ faciant mentionem? 28. 71. 24.

Episcopi cuiusnam mēnio in Canone sit habenda, si locus ille, cui præest Abbas gaudens quasi Episcopali potestate, pertineat ad duos Episcopos exæquo, quid verò, si aliquis eorum sit vicinior? 28. 90. 29.

Episcopus vt verè alicuius loci, seu territorij iudicetur Episcop⁹, quid requiratur, sufficiatve? 28. 91. 29.

Episcopi nomen an prætermittendum in Missa, si fato suo iam sit functus? 28. 91. 29.

Episcopus an queat Missæ celebrationē mutare, addendo ritum de Simplici, Duplici, aut Semiduplici, & quid de alijs casib⁹ vltra præscripros in Missalis Rubricis? 28. 422. 115.

Episcopi potestatem an excedat anticipatio Missæ, aut Officij de Vigilia alicuius Sancti, vel Officium vnius diei differre in alium? 28. 452. 122.

Episcopus potens suis subditis aliquod ieiunium indicere, num eodem pacto possit Missam de Vigilia cuicūque Sancto addere? 28. 453. 122.

Episcopo an liceat iniungere suo populo cultum alicuius Sancti, cuius insignis Reliquia in veneratione habeatur, eius obitus die penitus ignorato? 28. 454. 122.

Episcopus num gaudeat potestate transferendi Missam cum Officio de aliquo Sancto, iniuncta obligatione sub præcepto audiendi Sacrum? 28. 464. 125.

Episcopus an possit quoad ieiuniū, & Missam cum Officio anticipare Vigiliam de Sancto, si occurrat festum valde celebre? 28. 465. 125.

Episcopus, vel qui potestate quasi Episcopali gaudeat, vtrùm possit addere in Missa de Duplici orationem aliquam, sed quæ habeatur in Missali Romano? 28. 480. 130.

Episcopis, & alijs Prælatis Ecclesiasticis quanam sub obligatione incūbat corrigere nimiam præcipitationē, &

& è contra nimiam tarditatem in peragendis Sacris? Sed accelerandi, & è contra prolongandi Sacrum intervenire potest aliquando iusta causa. 28. 558. 149.

Episcopus si celebrans in Pontificalibus corriperetur subita morte, quis, & quomodo perfecturus esset inceptam Missam? Itē si deficeret post prolata cum noviter ordinatis verba consecrationis? 29. 20. 268.

Episcopi solius an sit dispensare Sacramentum Confirmationis? An ex privilegio possint alij inferiores dignitate? 30. 224. 422.

Episcoporum è potestate ordinaria an sit quidquid ex speciali privilegio concedatur à Romano Pontifice alijs inferioris dignitatis Sacerdotibus? 30. 226. 422.

Episcopali quasi potestate gaudentibus privilegia nonnulla cōcessa à Romano Pontifice afferuntur, & expenduntur. 30. 226. & 227. 423.

Epistola Catholica cui S. Iacobo Apostolo sit tribuenda? 28. 979. 261.

Epistolæ vnius omissio in Missa, in qua plures recitandæ erant, quanta sit culpa? 28. 18. 7.

Epistolæ, & Evangelij si partes omittantur in Missa, quantum sit peccatum? 28. 23. 10.

Epistolæ lectio in Missa quàm sit antiqua? 28. 716. 189.

Evangelium vltimum, seu S. Ioannis an olim diceretur in Missa, an peccet Sacerdos, si non reciret, an fidelis, si in die præcepti non audiat illud, an nunc spectet ad perfectionem Missæ? 28. 20. 8.

Evangelium primum si non diceretur à Sacerdote, aut non audiretur à fideli in die præcepti, quænam esset culpa? 28. 20. 9.

Evangelij vnius in alterius lectionem commutare advertenter in Missa, quale sit peccatum? 28. 496. 134.

Euangelij lectionem quidnam olim subsequeretur in Liturgia Hispana? 28. 717. 189.

Evangelij lectio in Missa quàm sit antiqua? 28. 718. 190. Vbi de alijs ad eam lectionem, & ad auditionem eius pertinentibus.

Eucharistiæ Sacramentum an suscipiatur spiritualiter ab animabus Purgatorij, & inde consequantur fructum aliquem? 28. 848. 96

Eucharistia an susciperetur à fidelibus tempore S. Dionysij Areopagitę, celebrareturque Missa, dum peragebatur Officium defunctorum? 28. 633. 181.

An quondam sub specie panis asservaretur, & vbi pro peregrinis adventantibus? 28. 794. 210.

Eius susceptio ab homine conscio peccati lethalis an prę requirat confessionem Sacramentalem, vel satis sit contritio? 29. 42. 273. Et exinde tractantur complura ad id pertinentia.

Eius susceptio in statu cognito peccati lethalis an aliquando excusari queat à novo peccato? 29. 60. 277. Et exinde multi casus circa id examinantur.

Eius susceptio cum nimia distractione, vel affectu ad peccatum veniale, quale sit peccatum? 30. 165. 406.

Eam ministrare cœco, surdo, & muto à nativitate fas ne sit? 30. 95. 388.

Eam renovari cur providerit Ecclesia? 29. 361. 352.

Eam asservari, ne patiatur quidpiā indecens, quanta cura providerit Ecclesia? 29. 375. 356.

Ea an sit administranda patienti tussim assiduam, vel vomitus frequētes? Quid, si hi cessent per spatium vnius horæ? 29. 363. 353.

Eam regerere movendo vomitum, an aliquando liceat? 29. 366. 353.

Eam evomentes, projicientesve ex ore (vt de aliquibus proditum est) quomodò antiquitus punirentur? 29. 368. 354.

Eulogiarum nomine quid significetur, & quinam deberent non distribuere, aut non accipere illas? 28. 895. 236.

Excommunicationis nomen multipliciter vsurpatum. 28. 850. 223.

Excommunicatio stricta quorum donorum mutuam prohibeat communicationem? 28. 896. 237.

Extrema vnctio an conferat primā gratiam habenti attritionem, quæ existimetur contritio? 29. 66. 279.

F

Fideles an olim contribuerint Sacerdotibus determinatam stipem pro Missis

Missis applicandis iuxta eorum intentionem, sicut offerebant panem, vinũ, aliaque deservitura in Missa? 31. 259. 519.

Fideles quondam quænam in templis haberent loca, vnde interessent Missis? 30. 318. 447.

Fidelium vlli an liceat ex timore comminatæ mortis simulare falsam sectam, offerre Sacrificium Idolo, comedere Idolothyta, &c? 29. 214. 315.

Franciscani Religiosi an antiquitus recusarint stipendia Missarum, & quinã illorũ nunc recusent? 31. 252. 516.

G

Genuflexiones in Missa quàm sint obligatoriæ? 28. 605. 160.

Gloria, vel *Credo* si omittatur in Missa, in qua debet dici, quale sit peccatum? 28. 17. 7. Et quale sit, si è contra addatur, quando debet non dici? 28. 59. 20.

Gloria in quibus Missis dicenda? 28. 707. 187.

Græci quidnam olim facerent de particulis Eucharistiæ residuis ex populi communione? 29. 357. 351.

Quàm longo tempore servarent Eucharistiam, & in suis domibus? 29. 362. 352.

Num licitè vtantur forma consecrationis diversa abea, qua vtitur Romana Ecclesia? 28. 96. 30.

Num eis fas sit more patrio celebrare in Ecclesia Occidẽtali? 28. 101. 32.

Eorum mos injiciendi aquam calidã speciebus vini consecratis. 28. 588. 156. & 621. 164. & 925. 246. Vbi de illius cœremoniæ significatione mystica apud eos.

Græci multi perperàm existimant, consecrationem non peragi, quoadvsque verbis Christi prolatis succedant invocationes quædam Spiritus S. quæ tamen apud antiquiores PP. non succedebant, sed præcedebant. 28. 931. 247.

Græcis multis Sacerdotibus est in vsu (de quo iudicium fertur) administrare Extremam vnctionem benè valentibus. 28. 682. 181.

Gratiarum ad Deum actio post Missam quàm conveniens? 28. 903. 238.

H

Hispanica adagia quædam explicantur, vt *Alla van leyes, do quieren Reyes.* 28. 974. 259. *No sabe de la Missa la media.* 28. 984. 262. *Callar como en Missa.* 30. 134. 397. *Por oyr Missa, y dar cebada, nunca se perdio jornada.* 30. 254. 429. *Hazer, ò decir lobadas*, vnde dicatur? 30. 263. 432. *Todo el mundo està lleno de Bartholomicos.* 31. 300. 533.

Hispaniarum Regem nominari in Missæ Canone, an non solùm permittatur, sed etiam præcipiatur Sacerdotibus Hispanis? 28. 63. 21. Quid, si hi celebrent in ditione alterius Regis? Quid extra Hispanias, sed in Regnis Regi Catholico subiectis? 69. 23. De eiusdem mentione in Collecta Missæ. 65. 22.

Hispanica Liturgia extempore Apostolorum, & an à S. Iacobo Maiori primùm tradita? 28. 960. 256.

Hispaniarum multa indulta circa celebrationem Missæ, & recitationem horarum Canonicarum. 28. 427. 116.

Horarum Canonicarum cantui assistens in Choro an per se sit recitaturus Lectiones, Capitula, & Orationes cãtatas ab alijs, an potiùs attentè auditurus? 28. 28. 11.

Iplarum de B. aliquo nondùm canonizato recitatio privata an cõcedatur tacitè ei, qui ex expressa concessione in Ecclesia Regulari faciat Sacrum de illo B? 28. 417. 114.

Hostiæ consecratæ elevatio quàm ab antiquo sit vsitata, & quàm obligatoria? 28. 579. 154.

Eius fractio quàm sit præcipua Missæ cœremonia, & quàm obligatoria? 28. 582. 155.

Eius fragmentum immittere calici, quantæ sit obligationis? Varij casus circa illud. 28. 583. 155.

Eius conditiones, vt quod sit sana, integra, candida, munda, rotunda, cõvenientis magnitudinis, & cum imagine crucis, vel Christi crucifixi, similive alia. 28. 624. 165.

Hostiam inconsecratã, simulando esse consecratã, an aliquando liceat cõferre occulto peccatori? 29. 194. 310.

Hostia consecrata, si ante fractionẽ in calicẽ dilabatur, quid faciendũ, & quo modò supplendus is defectus? 29. 268. 331.

Si non fuerit admixta cõsecratis speciebus vini, si non integra, si nõ munda, si non azyma, si non elevata, vt adoretur, si post oblationẽ, & ante consecrationem fracta, quid faciendum in his, & similibus casibus? 29. 270. 332.

Si in locum extraneum decidat, quid factu opus sit? De quo agitur latissimè. 29. 287. 335. vsque ad 334. 346.

Hostiæ consecratæ vomitus quàm solicitè præcavendus, & quid faciendum, si acciderit? 29. 350. 349. vsque ad 374. 356.

Plures erga eandem negligentiæ notantur. 29. 375. 356. vsque ad 380. 357.

Hostia consecrata, si dispareat in Missa, quid faciendum? 29. 149. 298.

Quid item, si sub speciebus hostiæ consecratæ appareat caro, aut sanguis sub speciebus vini? 29. 155. 300.

An in his eventibus, si alia hostia siue magna, siue parva consecranda haberi non possit, fas sit Sacerdoti sumere vnam formulam consecratam, quæ ex alia Missa sit reposita in Sacrario? 29. 160. 301.

Hostia ad Laici cõmunionem quãtæ magnitudinis sit futura? 28. 638. 169.

Hostiam tantæ magnitudinis præbere Laico ad communionem, quantæ à Sacerdote celebrante consumitur, an liceat, & an plures præbere formulas? Rursusque an id fas sit ob diuturniorẽ in stomacho perseverantiam Christi sacramentati, proindeque ob maiorem gratiam inde comparandam, si homo continuè proficiat in actuali dispositione, ac devotione? 28. 639. 170.

Hymni trisagij quàm antiquus vsus in Missa? 28. 732. 194.

Hymnus glorificationis, id est, *Gloria Patri*, &c. & illius additamentum, id est, *Sicut erat in principio*, &c. quantæ sit antiquitatis, & authoritatis? 28. 733. 194.

I

S. Iacobus Apostolus, dictus Maior, & Patronus Hispaniarum num Author alicuius Liturgiæ, num eius, quæ antiquitus in vsu fuit apud Hispanos, nũ scripserit Epistolam Catholicam, num vocatus frater Domini, num S. Stephanus fuerit Diaconus illius, quot Iacobi Apostoli, aut Discipuli extiterint? 28. 960. 256.

Indulgentiam concessam visitantibus determinato die talem Ecclesiam possitne lucrari, qui ignoret diẽ prescriptum, aut in eo non visitet illam? 28. 474. 128.

Indulgentiarum, & qualium concessio competat nonnullis ex priuilegio speciali, & Episcopis ex iure communi? 30. 226. 422. & 228. 423.

Intentio quænam in celebrante requiratur ad conficiendum Sacramentum, & Sacrificium? 29. 190. 309.

Intentio satisfaciendi præcepto auditionis Missæ qualis debeat esse? 30. 104. 390.

Intentio audiendi Missam qualis item debeat esse? 30. 109. 391.

K

Kyrieeleyson deprecatio quam originem, & antiquitatem habeat? 28. 694. 184.

L

Laicis vtrùm olim fuerit permissum communicare sæpiùs eodem die, vel toties obligatorium, quoties interessent Missis? 28. 555. 147. Exemplum singulare de iterata à Laico cõmunione in eodem die extra casum Viatici. 30. 312. 445.

Laico statim post sumptionem euomenti Eucharistiam sit ne licitum eodẽ die rursus sumere eam? 29. 355. 350.

Laicus, occurrente festo Annunciationis in die Parasceves, an teneatur assistere consumptioni hostiæ præconsecratæ die præcedenti? 29. 76. 282.

Laico non potenti sine nota tam diu differre communionem, quamdiu se excitet ad contritionem de peccato lethali, cuius memoria repentè occurrat, fasne sit suscipere Eucharistiam? 29. 67. 279.

Laicus communicaturus inconfessus de peccato conscientiam aggrauãte, quando careat copia Confessarij, an peccaret graviter, si, potens, nolet excitare se ad contritionem, vsque dum ad altare accederet? 29. 58. & 59. 276 Vbi de Confessario, qui in simili casu differret contritionem vtq; ad instans proximum absolutioni pœnitentis, & de Parocho, qui in peccato inciperet abluere infantem, aut vngere ægrotum.

Laicus positus ad altaris gradum, vt Eucharistiam suscipiat, an teneatur recedere inde, si memoriæ occurrat peccatum graue non confessum? 29. 28. 270.

Laicus communicans an obligetur ad

ad oris perfusionem post susceptam Eucharistiam? Et quid de Sacerdote celebrante? 28.591.157.

Laicus, qui Missam siccam ageret, quomodò puniendus? 28.690.183.

Laici an olim susciperent Eucharistiam sub vtraque specie, an permitterentur deferre eam in domos suas, an tangere calicem continentem species consecratas vini? 28.772.204.

Laica communio, vide V. Communio.

Laudes an, & quando præmitti debeant celebrationi Missæ? 28.42.15.

Laudum nomine quid significetur in Concil. Tolet. 4. C. 12? 28.717.189.

Legis verbis quo pacto standum sit? 28.7.4.

Legis finis an cadat sub legem, & an legislatoris mens magis sit attendenda, quàm verba? 29.238.323.

Liberius Papa an rectè nominetur Sanctus. 30.290.438.

Litanijs siue publicis, siue privatis nomen alicuius Sancti addere propria authoritate, an liceat? 28.64.21.

Litaniæ recitatæ in Monasterijs Prædicatorij Ordinis fuerunt valde celebres; quodnam ex eis proverbium ortum? ibidem.

Lucernarum accensio antiqua in cœmeterijs, in templis. 28.749.198.

Luitprandus, & Iulianus Petri quinam Authores? 28.961.&962.256.

M

Matutinum, & Laudes an debeant præmitti celebrationi Mis? 28.33.13.

Missę ritꝰ quā sint obligatorij? 28.1.1.

In ritibus omissio verborū, & quorū sit, necne peccatum mortale? 28.11.5.

Prævias, & subsequentes ad Missam preces omittere, quale sit peccatum? 28.30.12.

Additio verborum, & quorum an, & quale sit peccatum? 28.58.19.

Missas integras vltra approbatas dicere, quantū sit peccatum? 28.76.25.

Mutatio verborum, & quorum in alia significationis diversę num sit peccatum, & quale? 28.78.26.

Quid, si in alia eiusdem significationis, aut diversæ linguæ? 28.93.30.

Quid, si transponāturverba? 8.108.34

Quid, si fiat mutatio verborum per interpositionem, & de ea, quę fiat oratione mentali? 28.113.35.

Missæ interruptio per actiones extraneas ab ipsa an sit licita? 28.122.37.

Quibusnam ex causis honestetur? 28.130.40.

Missa interrupta absolvi à quo debeat? 28.148.44.

Intra quod tempus? 28.162.42.

Missam incæptā relinquere, & inchoare aliā, fas ne sit aliquando? 28.181.52

Missam incæptam relinquere, non inchoata alia, an liceat, & quas ob causas ante consecrationem? 28.197.57. An post consecrationem, & quibꝰ de causis. 28.230.66.

In Missæ ritibus mutatio, qua loco vnius celebretur alia, an liceat, & an semper sit peccatū, si non dicatur Missa diei præscripta in Missali? 28.258.72.

Missam prohibitā tali die in Missali an sit peccatū, & quale dicere? 28.270.75

Missam votivam, aut de *Requiem* dicere, omissa Missa diei non Dominicę, aut Officij non duplicis, an, & quibus de causis liceat? 28.290.80.& 309.85

In Missæ ritibus mutatio sitne permissa, quādo Sacerdos sacrificet in Ecclesia, vbi in vsu sunt ritus diversi ab ijs, qui apud Ecclesiam propriam Sacerdotis? 28.368.102.

Missa de Beato aliquo nondum canonizato an eo ipso quòd concedatur fieri à nonnullis, sit permissa omnibus alijs? 28.396.109.

De Missarum in ritibus penes verba mutatione multiplici præter indicatas agitur copiosè per decē, & novem qq. 28.419.114. vsque ad 498.135.

In Missa dicere quædam voce clara, & quædam secretò, quanta sit obligatio? 28.499.135.

In Missa pronunciatio verborum quam exacta debeat esse? 28.530.142.

In Missa num longum, vel breve tempus sit insumendum? 28.540.144.

In ea quodnam medium sit seruandum? 28.564.151.

In Missæ ritibus quoad actiones, & quoad sacra instrumenta mutatione quando graviter, vel leviter peccetur? 28.575.153. vsque ad 617.163.

In Missę ritibus accidentalibus quoad materiam consecrationis an, & quatenus vetita sit mutatio? 28.618.164. vsque ad 649.173.

In Missæ ritibꝰ mutatio ob impotentiā an aliquando queat excusari à culpa, an etiam ob aliam causam? 28.650.174.

Missa sicca, & nautica an sit licita? 28.665.176.

Missa sicca an comprehendatur nomine Officij divini; & an tempore Interdicti debeant Laici non privilegiati

Aaaa excludi

excludi abea? 28.689.183.

Missæ defunctorum pro vivis, quasi mortui iam essent, num convenienter celebrentur? 28.681.180.

Missæ ritus expressi in Canonibus permultis iuris Canonici: qui ritus, & Can. fusissimè explicantur. 28.693.184. vsque ad 984.262. Videndique sunt Canones in Indice Canonico.

Missa prima celebrata ab Apostolis. 28.904.239.

Missa Hispanorum ex tempore Apostolorum. 28.960.256.

Missa Muzarabica, vide in V. Officium Muzarabicum. Missæ ritus scire non est tam facilè, quàm indicat adagiũ Hispanum *No sabe de la Missa la media.* 18.984.262.

Missæ defectus quo pacto sint supplendi, si contingant, vide in V. Sacerdos, & in alijs VV.

Missæ audiendæ præceptum, vide in V. Præceptum. Missæ stipendium, vide in V. Stipendium. Missarum reductio ad minorem numerũ, vide ibidem.

Missæ funebres, vide in VV. Animæ, & Purgatorium.

Et hæc summariè de V. Missa, insinuando contenta in titulis Sectionũ, vt inde excitetur Lector ad spem inueniendi quod quærat, si legat indicatum numerum, & sequentes proximè: nam singula tractata in numeris circa Missam non possent in Indicẽ redigi, nisi is euasurus esset longissimus. Quæ adnotatio, vt erga quædam alia verba deseruiat, optat Author; simulq; vt Lector sciat, non in solo designato numero, sed in alijs etiã immediatè succedentibus agi sæpè de re, quam monstrat Index.

Missale ad vnguem esse observandum, quibus verbis significetur à quadam, quæ circumfertur, Declaratione Eminentiss. Card. 28.667.23. & 79.26.

Mus si hostiam consecratam commederet, & capi posset, quid faciendũ? 29.85.284 Vide alia in V. Hostia.

Musca si decidat in species consecratas vini, quid faciendũ? 29.87.284

Musca, vel aranea si in præfato casu inficiat species cõsecratas vini, quarum sumptio non posset fieri sine nausea, aut etiam sine mortis periculo, qualiter se geret Sacerdos? 29.89.285. & 99.287. & 31.294.531.

O

Offertorij tempore recitabantur publicè à Diacono nomina offerentiũ; qui mos detortus fuit à multis in vanitatem. 28.730.193.

Officium Romanum cur olim dictũ Franciscanorum? 28.978.260.

Officij divini, cui per Interdictum prohibentur Laici assistere, nomine quidnam intelligatur? 28.690.183.

Officium Muzarabicum, seu Gothicum quo miraculo fuerit comprobatum? 28.973. & 974.259. Cur nuncupatum sit Isidorianum, & quas correctiones habuerit? 28.976. & 977 260. In Officio Missæ Muzarabicę post Epistolam sequebatur immediatè Evãgelium, quin interijceretur quidpiam aliud. Et Concilium Toletanum IV. Can. 12. vocat Laudes id, quod post Evangelium canebatur: disquiritur, quidnam significetur voce Laudum? 28.717.189. In eodem Officio quãdo exhiberetur populo benedictio solemnis? 28.757.200. Quænam verba ad consecrationem in eo adhibeantur? 28.975.259.

Officia à Summo Pontifice non approbata num in vsu haberi possint, etsi immunia sint ab omni falsitatis suspicione? 28.481.130.

Officium alicuius Sancti approbatũ pro vno loco an possit dici in alio sine noua concessione, si ibi antiqui moris fuerit recitare de tali S? 28.489.132.

Officia de Sanctis propria, quæ post Bullam, & Rubricam Pij V. recitantur apud Ecclesias, Religiones, vel Congregationes, exigantne necessariò approbationem Pontificiam, & an hæc sufficienter præsumatur ex vsu diuturno? 28.491.132.

Opinio, quæ vno tempore fuit communis, potest postea sine temeritate deseri, & refelli, si veritas magis pateat fiat. 28.47.17.

Opinio, vt dicatur communis, quid sufficiat? 30.112.418.

Opiniones aliorum censurandi, & anathematizandi quanta sit prurigo, & cacoethes in nonnullis? 29.64.278.

Opiniones novas tradunt aliquando sapientissimi etiam Doctores Dominicani. 28.38.14.

Opinio de adimpleto præcepto à Sacerdote, aut Beneficiario voluntariè distracto recitante Officium divinum an sit aliquorum è Societate? Si sit, habuerintne è Dominicana Religione aliquos, quorum vestigia præmerent? 30.156.403.

Oratorij, in quo fiat Sacrum, an ce-

cedatur

cedatur facultas per Bullam Cruciatæ sub conditione designationis, & visitationis faciendæ ab Ordinario & a quo Ordinario, an à quocunque, an a solo loci? Et quid de ea facultate post Decretum Vrbani VIII? 30. 205 415.

Pacis osculum quando præbeatur in Missa Muzarabica? 28. 742. 196. Quando in Missa Romana, & a quo sit institutum, quidnam successit loco illius inter fideles adstantes Sacro solēni, omittereturne in Missis defunctorum, & an qui extra Missam communicabant causa Viatici, non omitterent illud? ibidem.

Palla quotuplex debeat in Missa adhiberi? Qualis sit illa, quam specialiter addunt PP. Theatini? 28. 616. 163.

Pallæ Corporalis materia linea an benè illustretur a quodam Iurisconsulto Moderno ex vsu Sacerdotum Hebræorum sacrificantium in vestibus lineis? 28. 617. 163.

Panis benedicti antiquus vsus exornatur latissimè. 28. 867. 228. vsque ad 902. 238.

Parochus an, & quando teneatur sub gravi obligatione providere moribundo de Viatico, & de Extrema vnctione, etiamsi interrupturus esset Missam? 28. 137. 42.

Parochus, cuius incuria reservatæ non sint formulæ consecratæ in Sacrario pro moribundis, possitne administrare inconsecratam, proponereque adorandam, ne suæ negligentiæ gravē notam patiatur? 29. 194. 310.

Passio Domini recitanda est secretè à Sacerdote diebus illis, quibus a Diacono cantatur. 28. 27. 11.

Passionem Domini quo tenu miscendam in Missa iusserit S. Alexander Papa I. relatus à Gratiano C. *In Sacramentorum* de Cons. Dist. 2. 28. 736. 194.

S. Patronus Ordinis, vel Ecclesiæ, vt in Confessione ad Missam nominari posset à Sacerdote in Hispania, concessit Pius V. Papa. Et vbi non favet huiusmodi privilegium, an in vsu sit Religiosis nominare S. Patriarcham? 28. 64. 21.

S. Patronus quo ritu possit, aut debeat coli in Missa? 28. 432. 117.

Peregrina communio vide in V. Com.

S. Petrus Princeps Apostolorum num post Christum D. celebrarit primam Missam? 28. 910. 241.

S. Philippus Nerius longam valde moram trahebat in Missa, vt & alij insignes pietate, quorum fit mentio. 28. 117. 36. Idem S. habuit in vsu consecrare calicē ferè plenum. 28. 643. 172.

Philippus IV. Rex noster Catholicus pijssimè in optatis habet, vt die Commemorationis omnium defunctorum celebrentur tres Missæ à singulis Sacerdotibus in suis Regnis, si annuat Summus Pontifex: quod votum commendatur multis exemplis. 28. 320. 88. vsque ad 330. 91.

Pœnitentia solemnis antiqua explicatur latè. 28. 827. 218. & 30. 299. 441.

Pontifex Summus in munere suo habet præscribere cultum, qui exhibendus sit canonizatis, siue beatificatis tātùm. 28. 406. 111.

Pontifex Summus an possit dispensare, ne quis vnquam audiat Sacrum? 30. 4. 366.

Præceptum audiendæ Missæ num detur, an sit merè Ecclesiasticum, & quando latum? 30. 2 365.

Quibusnam diebus obliget, & quibus horis? 30. 18. 369.

Ad quam, & ad cuius Missam obliget, & vbinam ea audienda? 30. 25. 371. & 31. 297. 531.

Ad quantum Miss. obliget? 30. 35. 373.

An obliget ad audiendam continuatè vnam Missam, & num aliquando ad multiplicem? 30. 63. 380.

Quæ præsentia requiratur in audiēte Missa? 30. 92. 387. Quæ intentio? 30. 104. 390. & 109. 391 Quæ attētio externa. 30. 114. 392. Quæ attentio interna? 30. 135. 397. Vbi de attentione Sacerdotis celebrantis.

Quænam personæ obligentur hoc præcepto? 30. 172. 408.

Quænam personæ non obligentur, & quibusnam de causis? 30. 177. 409.

Præcepto hoc num obligetur Laicus, qui causam Interdicto non dedit, & qui privilegio Bullæ Cruciatæ, similive alio gaudet? 30. 186. 411.

A præcepto hoc adimplendo multę aliæ excusationum causæ. 30. 237. 426. vsque ad 285. 436.

Præcepti huius transgressor, aut impotens adimplere an teneatur compēsare alio religioso actu? 30. 286. 437. & 319. 447.

Eius transgressori num iure Communi Ecclesiastico sit imposita aliqua pœna? 30. 287. 437.

Illud qui exequitur an debeat ieiunus assistere Missæ? 30. 289. 438. Vbi multa de vsu antiquo, vsque ad 294 439.

Illud qui exequitur an debeat in statu gratiæ audire Sacrum? 30. 295. 439. Vbi plura de ijs, quibus olim interesse Missæ fas, aut nefas erat, vsque ad 319. 447.

Præcepti cuiusvis siue divini, siue humani transgressio orta ex formali contemptu lethalitue sit? 28. 4. 2. Multa alia pertinentia in genere ad Tractatum de Præceptis attinguntur in Disp. 30.

Prædicatores Fratres Provinciæ Aragoniæ quonam privilegio potiantur ad plures Missas à singulis Sacerdotibus in die Commemorationis omniũ fidelium defunctorum? Et alibi quam consuetudinem habeant ad plures tum eo die, tum omnium Sanctorum? 28. 317. & 318. 87. Litaniæ ab ijsdem recitatæ vide in V. Litaniæ.

Præfationum in Missa antiquitas, & authoritas. 28. 731. 193.

Prælati, communicantes vt cumque in privilegijs Cistertiensium, an hoc ipso communicare censeantur in priuilegio consecrandi altaria, & vasa concesso Abbatibus Cistertiensibus? 30. 232 424.

Prælati gaudentes iurisdictione quasi Episcopali in vtroque foro num possint absque privilegio speciali consecrare Ecclesias, altaria, & vasa? 30. 216. 419. vsque ad 236. 425.

Præmonstratenses quodnam statutum habeant de pinsentibus hostias ad Missas? 28. 627. 166.

Preces quæ, & quot, si negligenter omittantur intra celebrationem Missæ, reum faciant Sacerdotem peccati lethalis? 28. 19. 8.

Preces aliquas prævias, & subsequentes ad Missam omittere, quale sit peccatum? 28. 30 12.

Precis nomine an Canon Missæ significetur? 28. 730. 193.

Privilegium non extenditur nisi ad personas in eo expressas. 28. 414. 112.

Prophetias omnes præter vnam qui omitteret in Missis Sabbathi Quatuor temporum, qualiter peccaret? 28. 18. 7.

Prophetiæ in Sabbatho sancto dici debent integrè tam in Choro à Clericis, quàm in altari à Sacerdote. 28. 27. 11.

Psalmus *Iudica me Deus* si omittatur in Missis non funebribus, an peccetur? 28. 18. 7.

Purgatorij animas an, & quomodò adiuvent orationib⁹ suis Sancti è Cœlo? 28. 306. 82. & 329. 91.

Purgatorij animabus an æquè prosit Missa de *Requiem*, ac de Sancto, & an pro eis fas sit celebrare Missam de Sancto, si acceptum sit stipendium ad Missam de *Requiem*? 28. 299. 81.

Purgatorij animabus iuvandis per Sacrificia quam sit Ecclesia intenta? 28. 312. 86.

Purgatorij animabus an, & quomodò sit magis proficua Missa solemnis de *Requiem*, quam privata? 28. 461. 124.

Purgatorij animæ quo pacto liberentur à culparum venialium reatu, cũ quo separentur à corpore? 28. 337. 93.

Purgatorij animę an crescant in gratia habituali, & iniure ad gloriam? 28. 357 98.

Purgatorij animabus statim post discessum à corpore per quæ Officiorum divinorum suffragia auxiliaretur olim Ecclesia? Quando incæperint peragi Sacrificia in funeribus, sed cum prohibitione ne ab inieiunis Sacerdotibus; an in eis Sacrificijs Laici fideles susceperint Eucharistiam? 28. 683. 181.

R

Religiosi num possint nominare suum Generalem in Collecta Missæ? 28. 71. 24 An in Missæ Canone? 28. 79. 26. Num siue Religiosi, siue alij Sacerdotes subditi possint nominare in eo Prælatum suum iurisdictione quasi Episcopali præditum penes vtrumque forũ? 28. 88. 28.

Religiosus qui servat ritum Romanum, si per aliquot dies hospes admittatur in Monasterio, vbi alius ritus viget, num expleturus sit horarum Canonicarum obligationem recitans iuxta eum alium ritum, & num possit eo alio ritu Missam facere? 28. 369. 102.

Religiosus servans diversum ritum à Romano num possit agere Sacrum, & recitare horas Canonicas iuxta ritũ, non quidem privatum alterius Religionis,

gionis, sed communem Ecclesiæ (ad quam accedat) cum pleriſque aliis totius Civitatis? 28. 376. 104.

Religioſus peregrinus Mediolani an in Eccleſijs ſervantibus ritum Ambroſianum poſsit iuxta eum ſacrificare, quanquàm non poſsit in ſui Ordinis propria ſervante ritum Romanum. 28. 374. 104.

Religioſi, & quivis alij obligati ad Miſſale Romanum an debeant celebrare Miſſas Conventuales iuxta illud, ni aditer privilegium in contrarium, aut conſuetudo ducentis retrò annis aſsiduè obſervata? 28. 382. 106.

Iidem, ſi ſint deobligati à Miſſali Romano, num queant peragere Miſſas Conventuales iam ritu Romano, iam ritu ſuo ſingulari? 28. 383. 106.

Iidem, ſi ſint ad Romanum in Miſſis Conventualibus ritum pro ſuis Eccleſijs obligati, an poſsint dicere priuatas Miſſas iuxta alium ritum permiſſum, & an iuxta eum poſsint agere tam Conventuales, quàm privatas Miſſas in Eccleſijs deobligatis à Miſſali Romano? 28. 384. 106.

Reliquia Sancti, vt inſignis ſit, & vt liceat quod conceditur in Decretis Sacræ Congregationis Rituum adiectis Breviario, quid requiratur? 28. 423. 115. & 426. 116. An quod in eis Decretis conceditur, valeat, etiâſi Reliquia ſit Sancti beatificati ſolummodo? 28. 430. 116.

Ritus, & Rubricæ Miſſalis vide in V. Miſſa.

Ad ritus Rubricæ Miſſalis quam vim habeant obligandi? 28. 1. 1. & 29. 401. 364.

Rituum mutatio ſitne licita, quando Sacerdos celebret in Eccleſia, vbi in vſu ſint alij ritus diverſi ab ijs, qui in Sacerdotis propria? 28. 368. 102. vſque ad 395. 108. Vbi de Sacerdote accedente ad Eccleſiam ſervantem in celebratione ritus diſsimiles Romanis, item de Sacerdote Latino tranſeunte per Eccleſiã Græcam, & de Græco tranſeunte per Latinam.

S

P. Sà in quodam loco noviter correctus ſequutus eſt Navarrum, qui nõ corrigitur. 28. 26. 10

Item in alio ſequutus eſt Dominicum Sotum, qui non corrigitur. 28. 171. & ſeqq. 50. & 51.

Item in alio ſequutus eſt Caietanum, qui non corrigitur. 29. 179. 306.

Item in alio ſequutus eſt, aut retulit ſenſum Dominici Soti ſubſcripti à Ludovico Lopez, & Ioanne de Cruce, qui non corriguntur. 30. 53. & 54. 378.

Sacerdos qui exorſus eſt Miſſam, ſi nequit abſolvere eam, quid faciendum? 29. 2. 263.

Si inchoata Miſſa recordetur, ſe eſſe cum aliquo obice, quo alias impediretur ab ea inchoanda? 29. 24. 269.

Si in hoſtia, vel in calice deprehendat aliquid nocivum? 29. 83 283.

Si inter celebrandum deprehendat defectus aliquos materiæ requiſitæ ad conſecrationem? 29. 102 288. & 258. 329.

Quid præſtabit, vt emendet defectus, qui in forma contigerint? 29. 166. 302. & 258. 329.

Quid in caſibus dubij de defectu in forma, aut materia, aut intentione? 29. 177. 305.

Quid, quando hoſtia conſecrata dilapſa fuerit in calicem? 29. 268. 331. Vbi de modo ſupplendi alios defectus accidentales.

Quid, quando ſanguis, aut corpus Chriſti dilabitur in locum extraneum? 29. 287. 335.

Quid in caſu evomitæ Euchariſtiæ? 29. 350. 349.

Sacerdotis negligentiæ aliquæ circa Euchariſtiam quomodò puniendæ? 29. 375. 350.

Sacerdos quid faciet de mure, aut animali, quod comederit hoſtiam conſecratam? 29. 85. & 86. 284. & 390. 361.

Et quid de ſpecierum conſecratarum portione corrola à bruto? 29. 390. 361.

Sacerdotis attentio in celebratione Miſſæ quanta debeat eſſe? 30. 158. 404.

Sacerdos celebrans cum conſcientia peccati mortalis an pluribus ſe adſtringat ſacrilegij peccatis, vel vno æquivalente pluribus; & quo pacto in confeſsione debeat explicare ſe? 30. 316. 446.

Sa-

Sacramentorum in negotio quanti dispendij sit mutatio vnius litterulæ, si varietur significatio? 28. 99. 31.

Sacrificij Missæ essentia num exigat simultaneam vtriusque speciei cõsecratæ existentiam? 29. 129. 294.

Num eius essentia, aut substantia peratur, vt consecrationes hostiæ, & calicis fiant eo ordine, quo solent? 28. 111. 34. & 29. 133. 295.

Sacrificio Missæ quoties commemoratio Christi celebratur, quo pacto toties opus nostrę redemptionis exerceatur, vt ait Ecclesia? 31. 281. 529.

Salutationes *Dominus vobiscum*, & *Pax vobis* quem originem, antiquitatemq; habeant; & an posterior reprobetur a Concilio Bracarensi 1. Can. 3? 28. 712. & duobus seqq. 188.

Scriptorum aliquot nobilium elogia, vt Pauli Mariæ Quarti. 28. 89. 29. Danielis Bartholi. 28. 118. 37. Francisci de Lugo. 28. 163. 48. Ferdinandi de Castro Palao. 28. 310. 85. Theophili Raynaudi. 28. 77. 26. & 367. 102 & 917. 243. Antonij de Honcala. 28. 462. 125. Gillij Gonzalez Davila. 28 580. 154. Iosephi Fernandez de Retes 28. 617. 163. & 803. 212. Nicolai Antonij, ibidem. Nicolai Rodriguez Fermosini. 28. 851. 223. Petri de Alba, & Astorga. 28. 875. 230. Amalarij Fortunati. 29. 110. 290. Martini de Elparza. 29. 282. 334 Francisci Victoriæ, & Dominici Soti. 30. 156. 403. Sforziæ Pallavicini, ibidem. Francisci Ramos del Manzano. 30. 222. 421. & 424 422. Ioan. Benaventani. 30. 301. 441. Antonini Dianæ. 31. 147. 487. Martini Frias. 31. 162. 492. Andreæ Mendo. 30. 205. 415. & 31. 210. 504. Bernardi de Aldrete. 31. 220. 506. Petri à Navarra. 31. 249. 515. Petri Margalli. 31. 252. 517. Francisci Ruiz de Vergara, ibidem. Richardi Lyncei 31. 282. 529. Antonij Bernaldi de Quiros. 31. 287. 530. Alfonsi Tostati. 31. 300. 533.

Sententiarum Magister cuius professionis fuerit, an primus, qui Doctoris Theologi laurea fuerit donatus, an ipse, vel Banduinus composuerit libros Sententiarum? 31. 273. 528.

Sequentia in aliquibus Missis quàm sit obligatoria? 28. 18. 7.

Societatis Iesu Præpositus Generalis P. Everardus Mercurianus quidnam testatus sit de Summi Pontificis mente circa obligationem ad Rubricas Missalis? 28 7. 4.

Eiusdem Societatis Præposito Generali, & singulis Sacerdotibus quodnam privilegium concessum sit à Iulio III. Papa, vt horas Canonicas postponere Missæ valeant? 28. 46. 17.

Eiusdem Sacerdotes an possint absque vllo recursu ad Superiorem anteponere Missam Matutino? 28. 56. 19.

Eiusdem Sanctus Franciscus Xaverius recitare solebat in Missa quandam pro infidelibus orationem à se compositam. 28. 61. 21.

Eiusdem Provinciarum in Hispania mos est addere in Litanijs SS. Patriarcham Ignatium, & Franciscum Xaverium. 28. 64. 22.

Eiusdem P. Emmanuelis Bionę duas tenenti horas in Sacrificijs quotidianis moderatio est adhibita; quæ tamen non solet adhiberi sacrificantibus secretò, & ex devotione extraordinaria, vti faciebat inter alios V. P. Vincentius Carrafa VII. Præpositus Generalis. 28. 118. 36.

Eiusdem simplicia vota Religiosa post biennium emissa componuntur rectè cum dominio bonorum temporalium. Reddebant Religiosos verè eos, qui emittebant, etiam ante Gregorium XIII. Papam. 28. 365. 101.

Dirimunt ex peculiari privilegio Pontificio Matrimonium contrahendum. 28. 366. 101.

Eiusdem Sacerdotes qua de causa à celebratione de Beatis suis cũ Octaua cessaverint post quandam Sacrę Cõgregationis Rituum Declarationem? Approbandine sunt, qui volebant continuare? 28. 404. 10.

Eadem celebratura cum Octava de Patriarcha suo, quando tantùm erat beatificatus, obtinuit à Papa specialem facultatem, etsi iuxta aliquos, quia erat Patronus, vtpote Fundator, non indigeret dispensatione. 28. 404. 111.

Eadem adepta est privilegium, vt de suis Beatis in suis Ecclesijs possint Sacerdotes extranei in diebus obitus celebrare. 28. 405. 111.

Eiusdem B. Stanislaus Kostka non potest Officio, & Missa à Sacerdotibꝰ siue domesticis, siue extraneis coli nisi in Provincijs determinatis, vbi concessit Papa, ibidem.

Eiusdem

Eiusdem Sacerdotes debent in faciendo publicè Sacro nō ita longi esse, vt semihoram multùm excedant, neq; ita breves, vt illam non expleant. Quātum invigiletur à Superioribus observantiæ huius regulæ? 28. 567. 151.

Et quanvis ordinariè maius immineat periculum, ne deflectatur à tepidis in extremum brevitatis, attamen quandoque zelavit Deus (vt piè putatur) ne V. P. Ioannes Fernandez declinaret in extremum longitudinis. 28 569. 152.

Eandem commendat Ioannes Arboleda ob reverentiam, & decentiam in administrandis Sacramentis, ob cultū, reverentiamque in Sacrificio Missæ; & Vrbanus VIII. Papa S. Ignatium Patriarcham, eo quod ab ipso in Ecclesia Dei nitor templorum accreverit. 28. 568. 152.

Eiusdem Sacerdotibus quantùm iniunxerit S. Patriarcha vsum Romanū, aliaque pertinentia ad modum Missæ dicendæ? Quantùm iniungat nuper Congregatio IX. Generalis? Quid de examine Neopresbyterorum, & eorū, qui iam ordinati admittuntur in Societatem, præscribat S. Patriarcha? 28. 570. & seqq. 152.

Eadem communicat cum Monialibus S. Claræ in privilegio celebrandi festum vndecim mille Virginum sub Officio Duplicis, & gaudet speciali indulto, vt de suis BB. Confessoribus Aloysio Gonzaga, Francisco Borgia & BB. Martyribus Paulo, Ioanne, ac Didaco possint in suis Ecclesijs, diebus obitus, celebrare Sacerdotes extranei. 28. 573. & 574. 153.

Eiusdem Æditui incumbit ex regula providere de aqua in Sacristia, vt Sacerdotes lavent manus ante, & post Missas. Qui mos lavandi manus post Missam est valde antiquus. 28. 608. 161.

Eiusdem PP. in Æthiophia non fuerunt primi, qui aggressi sint consecrare in succo expresso ex vvispalsis. 28. 645. 174.

Eiusdem Præfectus rebus Ecclesiæ tenetur ex regula curare, vt in cœremonijs Missæ instruantur initiandi Sacerdotio, & vt initiati easservent. 28. 662. 176.

Eiusdem Scriptoribus quàm calumniosè affingatur, quòd absolutè doceant, licitam esse communionem in peccato mortali? 29. 72. 281. Id autem quod in casu quodam docent nonnulli ex eadem, traditur à multis alijs externis. 28. 63. & 64. 278.

Eiusdem Sacerdotibus ex regula non inest obligatio, vt cōfiteantur, nisi vt minimùm octavo quoque die. Sed commendantur, qui vnoquoque. 29. 82. 283.

Eiusdem PP. Missionarij apud Sinas liberantur à calumnia de doctrina liciti Sacrificij simulatè oblati Idolis, de Passione Christi non prædicata Catechumenis, & de imagine Christi patientis occultata Neophytis. 29. 214. 315. vsque ad 230. 321. Vbi referuntur duo Decreta Congregationum de propaganda fide, & Vniversalis Inquisitionis Romanæ, quorum secundo, & novissimo tota patefit veritas.

Eiusdem PP. apud Provinciam Paraguayensem vindicantur a falso crimine de secretis auri fodinis. 28. 221. 317.

Eiusdem VII. Præpositus Generalis V. P. Vincentius Carrata statuerat sumere formulam consecratam extractam ex spurcissimo defuncti ore, nisi ex prudenti metu contagij dissuasissent alij. 29. 353. 350.

Eiusdem S. Patriarcha silentium præcipuè in Missa tenendum iussit. 30. 134. 397.

Eiusdem non Sacerdotibus, aut non celebrantibus quæ frequentia in Missa audienda iniungatur in regulis? 30. 176. 409.

Eiusdem Domibus, atque Collegijs quodnam privilegium concessum sit à Gregorio XIII. circa Oratoria? 30. 208. 417.

Eiusdem qui Rectores præficiuntur Seminarijs, aut Convictorijs Sæcularium iuvenum, an fruantur privilegio benedicendi ornamenta sacra, nō secus, ac Præpositi Domorum, Rectoresque Collegiorum aliorum? 30. 236. 426.

Eiusdem Sacerdotibus an, & quib⁹ de causis stipendium Missarum, ministeriorumque aliorum spiritualium sui Instituti prohibitum sit? 31. 119. 480.

Eiusdem Superiores, & Præpositus etiam Generalis hac in materia dispensare vetatur à Congregatione V. Generali.

nerali. 31. 121. 480.

Eiusdem Sacerdotes an ex voto paupertatis, vel ex Constitutione tantùm arceantur ab stipendio. 31. 122. 481.

Et vtrumvis dicatur, acceptio stipendij ob defectum facultatis à Superiore erit contra votum illud. 31. 125 481. Sed etsi primum dicatur, acceptio duorum Regalium pro vna Missa non erit peccatum lethale. 31. 126. 481. An saltem in quantitate notabili acceptio sit peccaminosa graviter, quia opposita vni è substantialibus Instituti, quanuis non esset prohibita ex voto. 31. 130. 482.

Eiusdem Sacerdos, si careat necessarijs ad vitæ sustentationem, possitne tunc ex stipendijs Missarum providere sibi? 31. 132. 483.

Eiusdem cautiones, & leges eo directæ, vt exactè observetur Constitutio, aut votum. 31. 133. 483. Vbi de Capellanijs erectis in eiusdem Collegijs, & de Beneficijs, quæ sint ipsis annexa.

Eiusdem Sacerdos an teneatur restituere stipendium iam acceptum ob celebratam, aut celebrandam Missam? 31. 134. 484. Vbi de modis paupertatis in Societate iuxta gradus Religiosorum, & habitationum.

Num, consumpto ante celebrationem stipendio, & deficiente restitutionis copia, possit, aut etiam teneatur ad Missam? 31. 142. 486.

An in proximo casu tam strictè teneretur celebrare pro eo, à quo accepisset stipendium, vt hæc obligatio esset præferenda alteri Constitutionum Societatis? 31. 143. 486.

Eiusdem Sacerdos quantam habeat obligationem celebrandi pro Fundatoribus, & Benefactoribus Domorum, & Collegiorum? ibidem. Pro Socijs defunctis. 31. 165. 493.

Eiusdem Sacerdos an in præfato casu celebrans vnicam Missam satisfacere posset obligationi tum ortæ ex stipendio, tum alteri derivatæ ex ordinatione simplici regulæ, aut Superiorũ, vel etiam ex fidelitate? 31. 145. 487.

Eiusdem Sacerdos an peccet, si Sacra faciendi pactum ineat cum Petro, dummodò hic stipendia conferat Paulo pauperi consanguineo ipsius Sacerdotis? 31. 171. 495.

An item, si in se suscipiat onus Missarum, quas dicere debebat alter per se, vel per alium ob acceptum, vel ob commissum sibi stipendium, quod distribuat? 31. 176. 496.

Eadem possitne in suis Academijs accipere, & retinere sibi stipendia, seu quas vocant præsentias, & propinas? 31. 198. 502.

Eiusdem Doctores, aut Magistri possintne in Academijs externis accipere, vt retineant prædicta stipendia? 31. 200. 502.

Num saltem possint per se, vel per alios accipere, vt Superiori tradant ea stipendia? 31. 201. 502.

Quibusnam vsibus debeant applicari ea stipendia? 31. 202. 503.

Eiusdem Sacerdotibus fasne sit accipere temporale aliquid, ipsis concessum, nullo inito pacto, nullaque sub obligatione iustitiæ, sed ex mera liberalitate, & gratitudine donantis, occasione Missarum, aliorumvè ministeriorum spiritualium sui Instituti? 31. 221. 507.

Eadem queatne accipere aliquid temporale concessum ad comparanda, emendave necessaria, vt exerceat ministeria sua spiritualia? 31. 229. 509.

Eiusdem Sacerdotum discrimen ab alijs quoad non reportandum stipendiũ ob Missas, & ob munera alia spiritualia? 31. 231. 510.

Eadem quàm difficulter susceperit sub sui cura aliquas Doctrinas, seu Parœcias Indorum, & quomodò se gerat in ipsarum administratione? 31. 246. 514.

Eiusdem lex de recusando stipendio munerum spiritualium nova non est, nec singularis in Ecclesia Dei. Occurritur calumnijs hæreticorum contra hanc legem; cuius perfectio ostenditur, & afferuntur considerationes, vt in Societate vigeat. 31. 249. 515.

Solicitans Confessarius ad inhonesta affertur in iudicium, discutiturque eius causa iuxta novas opiniones Thomæ Hurtadi. 29. 231. 321. vsque ad 257. 328.

Species Sacramentales non efficiunt physicè corpus, & sanguinem Christi in Eucharistia. 31. 287. 530.

Species Sacramentales, seu accidentia panis, & vini existunt verè in Eucharistia, & non secundùm apparentiam

tiam tantùm. 31. 288. 530.

Cætera vide in V. Eucharistia, & in V. Sacerdos.

S. Stephanus an fuerit Diaconus S. Iacobi Minoris, & an fuerit occisus ante huius creationem in Episcopū Hierosolymitanum? 28. 908. 241. & 981. 261. Quorum locorum in priori agitur, num S. Iacobus Minor celebraverit Hierosolymis primam Missam post Christum?

Stipendium Missæ est licitum per se, caret Simoniæ labe, & debetur ex iustitia. 31. 1. 448.

Accipine queat à Sacerdotibus habentibus aliàs, vnde sustententur? 31. 10. 451.

Stipendia tria in die Natalis Domini pro tribus Missis, quæ dicat, an possit accipere Sacerdos? 31. 14. 451.

Sipendium tantum pro vna Missa, quantum sufficiat ad congruā sui diurnam sustentationem num possit reportare Sacerdos extra casum extremæ, aut valde gravis necessitatis? 31. 15. 452.

Stipendijs duobus, non conficientibus nisi vnum iustum, num satisfaciat Sacerdos per vnam Missam, si duas dicendas acceptavit? 31. 20. 453.

Quid, si accipiat pecuniam charta involutam, quam posteà comperiat nō pertingere ad iustum stipendium duarum Missarum? 31. 22. 454.

Sipendia duo accipiens pro duabus Missis non satisfacit, si vnam celebret in die festo, aut ritu solemni. 31. 23. 454.

Stipendijs duobus non satisfacit Sacerdos, si pro vna persona applicet partem fructus à Christo relictam Sacerdotibus, vt eam applicent, & pro altera fructum, quem ipsemet ex opere operato Sacrificij participare valeret. 31. 24. 454.

Sipendio vni accepto, vt fiat Sacrū in honorem alicuius Sancti, aut obimpetrandum fœlicem aliquem successum, & alteri stipendio accepto, vt fiat Sacrum pro defuncto, non satisfacit Sacerdos per vnicam Missam, cuius impetrationem applicet intuitū vnius stipendij, & satisfactionem intuitu alterius. 31. 30. 457.

Stipendium duplex pro vna Missa vendicare sibi an possit Sacerdos, si vnum assumatur pro obligatione applicandi fructum fideli vivo, & alterum pro obligatione applicandi Indulgentiam fideli mortuo? An item possit, si celebret in altari privilegiato, aut cū applicatione Indulgentiæ? 31. 31. 457.

Sipendij fixi, vel Beneficij, seu Capellæ, aut legati ratione qui tenentur celebrare, an possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, & vnica Missa satisfacere vtrique oneri? Si vnicam dixerint, an teneantur ad restitutionē, & ad quem huius modum? 31. 32. 458.

Stipendio certo accepto, qui Missam suscepit celebrandam non potest eandem Missam alteri, parte eiusdem stipendij sibi retenta, celebrandam cōmittere. Si retineat, qualiter peccet?

An aliqui excipiendi sint ab hac regula? Quæ an intelligatur tum in casu stipendij non maioris iusto, & taxato, tum in casu stipendij superexcedentis iustum, & taxatum? 31. 34. 458.

Stipendij iusti excessum num possit Sacerdos retinere sibi, si alter, cui Missas committat, condonet illum omnino spontaneè? Si amicus aliquis non præcisè intuitu suffragij Missæ, sed etiam personæ det stipendium maius iusto? 31. 47. 461.

Stipendij dominium si detur tibi cum obligatione quærendi Sacerdotes, qui tot Missas dicant, & quibus solvas stipendium, possisne aliquo titulo retinere tibi aliquam partem? 31. 49. 461.

Stipendij partem possitne retinere sibi testamenti executor, qui per industriam extraordinariam curet, vt Missæ à testatore relictæ dicantur in alia Diœcesi stipendio minori, quàm dicerentur in ea, in qua testator obijt? Si reperiat Sacerdotem, qui cum sciat, testatorem reliquisse pro singulis Missis duas drachmas, velit vltrò suscipere onus Missarum sub stipendio vnius tantùm? 31. 30. 461.

Stipendium pro Missa si relictum sit à testatore, an possit executor testamēti consentire, vt pro eadē Missa aliud stipendium accipiatur à Sacerdote? 31. 52. 462.

Stipendia manualia accipi non pos-

sunt

sunt pro Missis dicendis, nisi satisfactū sit oneribus ante susceptis, vel nisi intra modicum tempus possit satisfieri, vel nisi qui dat ea stipendia, sciat, & consentiat, vt differatur celebratio vltra modicum tempus. Quodnam illud sit? 31. 53. 462.

Stipendium iustum Missæ quodnam sit? Librandum est respectivè ad sustentationem Sacerdotis, sed non ad eā totam. Definiri non potest, considerato labore, & tempore insumpto à Sacerdote in celebratione Missæ, sed lege Superioris, vel æstimatione communi. 31. 56. 463.

Stipendij lex taxativa obligat, ne Sacerdos exigat maius vt debitum, & ne fidelis tribuat minus vt non vltrà debitum; sed tamen non obligat, ne Sacerdos, si spontaneè velit, condonet partem, & ne fidelis, si gratis velit, donet maius. 31. 59. 464.

Stipendium iustum Missæ si sint duo Regales v. g. an decedente aliquo intestato, & recidente in Ecclesiā quinta parte bonorum ipsius, possit Parochus singulis Missis dicendis pro defuncto designare octo Regales? 31. 62. 465.

Stipendium ob Missas dicendas ex obligatione Beneficij, aut Capellaniæ possitne esse maius solito manuali? 31 63. 465.

Stipendium totū non tenetur Beneficiarius tradere illi Sacerdoti, cui ipse committat Missas, quas potest per alium celebrare. Idem de Capellano sentiendum est. Quid si teneatur celebrare per se determinatè? 31. 63. 465. Vide alia in V. Capellanus.

Stipendij augmentum possitne fieri ex Summi Pontificis dispensatione respectu aliquorum, qui, & non alij, satisfaciant duplo, v. g. accepto stipēdio, si celebrent vnam Missam? 31. 68. 407. Vbi de privilegijs antiquis iam revocatis, & de alijs post Decretum de Celebratione Missarum concessis à Summo Pontifice.

Stipendio dotatas Missas reducere ad minorem numerum, quibus ex causis liceat, & quisnam posset iuxta Cōcilium Tridentinum, nuncque possit iuxta Decretum de Celebratione Missarum? 31. 76. 468 Vbi decidūntur multi casus, in quibus authoritate privata non potest fieri reductio Missarum ad minorem numerum.

Stipendia perpetua Missarum quibus sub conditionibus suscipienda sunt iuxta Decretum illud? Quod an sit receptum, & acceptatum, & præsertim in Hispania? Quanti habeatur ab Authore? 31. 108. 477.

Stipendio accepto pro vna Missa num satisfaciet Religiosus, si eandem Missam applicet pro obligatione deriuata ex ordinatione simplici regulæ, aut Superiorum, vel ex fidelitate erga homines, aut erga Deum, vel pro defunctis Ordinis? 31. 145. 487. Vbi expenditur obligatio Religiosorum ad sacrificandum pro præfatis defunctis, item ad dicēdas quasdam Missas votivas, de quarum applicatione agitur, & an fas sit ob eas ferre stipendium, si simul applicentur pro Sæcularibus?

Stipendij multiplicis acceptio ex multis, pro quibus eadem Missa offeratur, sitne licita, & an sit probabilis assertio, quæ ait, licitam esse? 31. 158. 490.

Stipendij Missarum accepti ab executore testamenti, aut à mero dispensatore quàm obligatoria sit distributio? 31. 183. 498.

Stipendia decem liceatne Sacerdoti reportare, quando Sæcularis petat decem Missas pro totidem animabus Purgatorij, quin intendat æquè principaliter cultum Dei provenientem ex Missis, & Sacerdos celebret solummodò vnum Sacrum, quod applicet directa intentione in satisfactionem omnium decem, & singularum animarum? 31. 190. 500.

Stipendium pro Missis, quas vt per se, vel per alium Sacerdotem celebraret Capellanus, erat liber, si tradat alij, quem prudenter putet fidelem, & is non celebrarit, ad quid teneatur Capellanus noto defectu? Quid in pari casu de executore testamenti? 31. 193. 501.

Stipendium Missarum quo ex titulo accipiatur? 31. 3. 449. & 231. 510.

Stipendium Missarum non accipiunt Fratres Minores Capuccini, Recollecti, Discalceari, seu de B. Petro Alcantarensi. 31. 251. 516. Vbi multa alia ad id spectantia inuenies, & quam ob causam

causam exhortatus sit S. Franciscus in quadam Epist. vt vna tantùm Missa In die apud suos Conuentus celebraretur?

Stipendij certi pactum pro Missis, Officijsque alijs spiritualibus an olim fuerit vetitum? 31.255.517. An si munera darentur sine pacto, liceret Sacerdotibus, accipere illa? 31.257. 518.

Stipendium sustentationis ex fidelibus, bonisve Ecclesiasticis sumere, an quondam fas esset Sacerdotibus habentibus vnde victitarent ex bonis parentum, aut aliàs? 31.258.519.

Stipendio dato obligare Sacerdotem ad Missæ applicationem specialem pro aliquo, num moris fuerit antiqui? Et an tantùm obtulerint fideles olim panem, vinum, aliaque deservitura ad Sacrificium, & ad Sacerdotum, reliquorumque altari ministrantium sustentationem, inter quę non deesset aurum, & argentum; sed pro offerentibus ea munera applicaretur vniversim Sacrificium? 31.259.519.

Stipendij manualis pro Missa vsus an colligatur ex C. *Sufficit* de Consec. Distinct. 1? ibidem. De quo Canone ait Baronius anno 1063. numero 38. putari sancitum ab Alexandro II. Papa in Concilio Romano; atq; hinc Alfonsus Vazquez de Miranda Discursu 2. de tribus Missis Cap. & num. 1. reijcit Vazquium, vt qui non afferens fundamentum dicat tomo 3. in 3. partem D. 233. C. 5. n. 42. & 43. extractum eum fuisse ex Epistola quadam Illius Pontificis. Sed fundamentum potuit esse, quia P. Vazquez viderit Epistolam, in qua extaret, nonnullæ quippe Alexandri à Gratiano referuntur, quæ communiter desiderantur, vel legerit aliquem Authorem antiquum, qui ex Epist. alleget; aut quia loquutio in singulari ad finem Canonis non quadret cum eius confectione in Concilio multorum. Et quidem Canones Concilij Romani, cui præfuit Alexander, recẽsentur ab ipso in quadam Epist. Synodica, quin faciat vllam mentionem Can. *Sufficit*. Quare latius fuisset Alfonso Vazquez de Miranda in medio relinquere dicta magni vtriusque Viri, & præsertim circa rẽ parvi momenti, vbi authoritas Can. vtrique erat in confesso.

Stipendij pro ministerijs spiritualibus erga proximos non accipiendi quodnam exemplum præbuerit S. Paulus? 31.260.519.

Stipendium pro prædicatione verbi Dei quam censuram à Card. Caietano habeat? 31.261.520.

Stipendij pro ministerijs spiritualibus intentio qualis debeat esse, ne Simonia mentalis, vel peccatum mortale, aut veniale incurratur? ibidem.

Stipendia pro tradendis litteris recusarunt primi Fundatores Academiarum Parisiensis, & Ticinensis; hortaturq; olim Theodulphus Episcopus Aurelianensis Presbyteros suę Diœcesis, ne quid reportarent pro erudiendis pueris in lit. excepto quod eis parẽtes charitatis studio sua voluntate offerrent. Id quod nunc obseruant PP. Clerici Regulares Scholarum piarum, & ex voto, aut const. S. Iesu. 31.262.520

Stipendium restituendumne sit examinato, si recusetur ab examinatore Synodali? Quid, si is sit è Societate Iesu? 31.179.497.

Subdiaconus, qui secundam vxorem duxerat, vetabatur olim legere publicè in Missa Epistolam. 28.716.189.

Symbolum fidei in Missa dicere, quantæ sit antiquitatis? Quando cæperit dici in Hispania, & in qua parte Missæ, & à quibus? Quando cum additione professionis de processione Spiritus sancti à Filio, an ea additio grata fuerit Leoni I. Papæ, an ingrata Leoni III. Papæ, quando Romæ cæperit illud dici, & cum ea additione? 28. 722. 191.

Symbolum fidei tradebatur, & explicabatur olim Catechumenis, qui illud recitabant in cætu fidelium. 28. 728. 192.

Symbolum fidei an olim siue ante, siue post communionem recitaretur à fidelibus? ibidem.

Synarum in Regno an ex privilegio Pontificio celebretur Sacrum lingua Mandarinorum, seu Magistratuum? 28.103.32. Post ibi scripta comperi ex quodam è Nostris, quem allego 29. 218.316. & qui aliquot annis eo in Regno vixit, non esse Nostris ibi in more ad Missas nisi linguam Latinam, & de privilegio illo nihil vnquam se audisse dixit. T

S. Telesphorus quo anno fuerit assumptus ad Sedem Apostolicam, sitne

IX. vel VIII. vel VII. numero Papa, quo anno Martyrium subierit? Editus ab eo Canon *Nocte sancta* de Conf. Dist. 1. latè elucidatur. 28.695.184.

Theologi Parisienses quantum colant memoriam Petri Lombardi Mag. Sent? 31.273.528.

Theologi Magisterio donandi debèrent ex iudicio Augustini Triumphi legere publicè librum Decretorũ post librum Sententiarum. 31.301.534.

Theologi moderni an possint apponere aliquid ad verba antiquorum, & diminuere aliquid de eis? An sint sicut culices in capitibus elephantum videntes priora, & posteriora? 29. 396. & 397.363.

Theologorum iuniorum sententiæ consulendæ sunt, & antiquis proprius honor deferendus. 28.47.17.

Theophilus Patriarcha Alexandrinus an absolutè sit appellandus titulo *Sancti*? 28.875.230.

S. Thomas Aquinas, vt qui meliùs, quàm cæteri Theologi antiqui, egerit de defectibus occurrentibus in Missa, habitus est præoculis ad conficiendas Missalis Romani Rubricas de eis authoritate Pij V. Papæ. Sed illæ non concordant cum S. Doctore in omnibus, quin inde præiudicetur magnæ ipsius authoritati. 29.395.362.

Eiusdem S. Theologica Summa an quibusdam Summis Pontificibus celebrantibus Sacrum deservierit loco aræ consecratæ? ibidem. Eundem Sanctũ aliqui, indiscussa re, citant pro suis opinionibus, vt suis cogitationibus gratiam, & authoritatem comparent ex tanti Doctoris nomine, & vmbra. 29. 399. & 400.364.

S. Thomas attribuit S. Hieronymo Homilias in Leviticum, quæ an sint Origenis? 29.155.300.

Thomas Hurtadus probabilem reputans communionem spiritualem in animabus Purgatorij, & remissionem peccatorum venialium inde in eis prouenientem impugnatur, simulque Nicolaus Cabasilas inventor eius cogitationis. 28.352.97. Quisnam fuerit Nicolaus ille, & Simeon Thessalonicẽsis? 28.333.92. & 361. atq; seq. 100.

Eidem noviter alleganti Barthol. Valverdium pro eadem cogitatione respondetur. 28.354. & 355.98.

Idem scribens, animas Purgatorij consequi communione spirituali ius ad vitam æternam, & ad resurrectionẽ corporum refutatur. 28.357.98.

Eiusdem verba contra Theophilum Raynaudum, & pro cogitatione illa eventilantur. 28.358.99.

Eiusdem alia adagijs plena contra Authorem huius Operis. 28.363.100. vsq; ad 367.102.

Eidem minus congruè loquenti de Missionarijs Societatis Iesu apud Sinas itur obviàm. 29.217.316. vsque ad 230. 321.

Idem accusans præfatos Missionarios de novitatibus in prædicatione Euangelij, & passim suorum Operum Scriptores è Societate traducens tanquàm novitatum in opinando fabricatores non se præstat extra illam culpã, vt latè ostenditur. 29.231.321. vsq; ad 257.329. producto in mediũ vnoto lo eius T; & adnotatis permultis novitatibus ibi traditis, sed non omnib⁹, in materia de Confessario solicitante ad inhonesta.

Idem ex vna parte ait, esse certũm apud se, quòd Sacerdos possit alteri applicare eam fructus partem, quæ sibi obventura esset ex opere operato Missæ, & pro ista applicatione assumere novum stipendium, ex alia autem simul inquit, se retractaturum eam sententiam, quam meritò iam reprobavit Sacra Congregatio Cõcilij. 31.26.455

Idem scripsit, non esse contra iustitiam, neque contra fidelitam accipere ab vno decem stipendia, ab alioque alia decem, & pro vtroque offerre decem tantùm Missas. Additque, iuramentũ de non applicando alteri decem Missas non obligare, quia est de re illicita, & contra charitatem fraternam. Sic ille post Decretum de Celeb. Missar. editum à Sacra Congregatione Concilij; cui Decreto quàm sit contrarius, expenditur. 31.158.490.

Idem nihilominus affirmat, motum forsan fuisse ex quadam sua consultatione Vrbanum VIII. ad illud Decretum, & suo patrocinio liberatum fuisse à censura Iesuitarum Ioannem Dominicum Montagnolum, qui scripto publicarat, posse sine peccato accipi à pluribus plura stipendia pro vna Missa, vbi non oriatur scandalum de Sacerdotum avaritia. Examinantur hæ narrationes. 31.159.490.

Tract.

Tractatus, qui intitulatur Compendium Theologicæ veritatis in editione nova Operum Alberti Magni, num huius sit Doctoris, vel Alexandri Alēsis? 29. 393. 362. Alensi tribuitur ab Adriano in 4. tit. de Sacram. Euch. in q. An cibus, aut potus præstet impedimentum ad communionem? V. *Pro responsione*, fol. (mihi) 26. Inuenitur etiam inter opera S. Bonaventuræ tomo 7. in Appendice, & legere oportebit adnotationem ibi præfixam. Vnum etiam ex Opusculis adscriptis S. Thomę inscribitur Compendium Theologiæ, estque ordine 2. aut 3. Negatque esse S. Thomæ Henricus Kalteisen Dominicanus in Replica de libera prædicatione verbi Dei pag. 346. partis 1. tomi 4. Conciliorum editionis Binianæ, §. *Restat*, & ait, credi compositum fuisse ab Vlrico de Argentina.

Tractatus de laudibus B. Mariæ Virginis diuisus in 12. libros, & positus tom. 20. Operum Alberti Magni, num sit huius, vel Richardi de S. Laurentio? 29. 393. 362. Notetque Lector, Sermones de Euch. Sacramento positos in tomo 12. extare inter Opuscula S. Thomæ, esseque 58. de Sacramento altaris.

Tractatus de Sacramentis sub nomine Guilielmi Parisiensis quem habeat Authorem? 29. 14. 266.

Tribunal S. Inquisitionis Hispanæ in Expurgatione cuiusdam sententiæ, quam probabilem dixit Petrus Cornejo Theologus Carmelitanus, quo pacto sit intelligendum? 29. 46. & 48. 274. & 275.

V

PP. Vazquez, & Suarez quàm diligentes fuerint in legendis Authoribus, quos citant? secus ac faciunt nonnulli Theologi moderni. 28. 251. 70.

Verba Missæ sita extra consecrationem si in alia eiusdem significationis, & linguæ mutentur, qualiter peccetur? 28. 93. 30. Et an magis peccabitur, quò maior fuerit mutatio? 28. 95. 30.

Verba consecrationis vsitata quondam in Liturgia Muzarabica num possint nunc licitè revocari ad vsum? 28. 95. 30.

Verba consecrationis diversa ab vsitatis in Ecclesia Romana, etsi eiusdem essent significationis, non licet assumere nisi ex licentia, aut permissione Summi Pontificis, vt in Ecclesia Orientali. 28. 96. 30. Vbi, & antea in 1. 1. atque 2. quantùm curæ fuerit Concilijs, & Patrib^s circa vniformitatem in Officijs, ritibusque Ecclesiasticis?

Verbi vnius, syllabæ, aut litteræ voluntaria mutatio, quæ diversum sensum non reddat, quale sit peccatum tā intra, quàm extra consecrationem? Et quidnam censendum sit de valore consecrationis, quando non ex industria, neque ex negligentia, sed ex impedimento linguæ, vel ignorantia inculpata legum Grammaticę mutetur ad cōsecrationē sanguinis vox *calix* in vocem *calis*, quæ aliàs potest significare quid diversum? Quid, si ad formam baptismi vox *Patris* mutaretur similiter in vocem *Matris*? 28. 97. & duobus seqq. 31.

Verba Missæ, retento etiam eodē sensu, quantum sit peccatum mutare ex lingua Latina in aliam? 28. 100. 31. Exceptiones, vt in Ecclesia Græca, & in alijs, cum quibus dispensavit Papa, de quibus agitur extensè. 28. 101. 32. vsque ad 104. 33.

Verborum transpositio in Missa quale sit peccatum? 28. 108. 34.

Verborum interpositio, quæ in Missa fiat, immiscendo diversa, vel nimiùm dividendo syllabas, quale item sit peccatum? 28. 113. 35.

Verba quædam Missæ debent dici voce clara, & quædam secretò. Quanta sit aduertumque obligatio, & respectu quorum verborum, & quomodo tā in vno, quàm in altero peccetur siue per excessum, siue per defectum? 28. 499. 135.

Verba Missæ præter formam consecrationis, vt recitari possent mentaliter, an concesserit privilegium Summus Pontifex? 28. 524. 140.

Verba Missæ pronuncianda sunt distinctè, & appositè, non admodùm festinanter, nec nimis morosè. 28. 530. 142. Vbi quale sit peccatum, si transglutiantur, aut syncopentur verba?

Verba Missæ, seu potiùs Missa dicenda est cum *A. B. C. D. E.* id est, altè, breviter, clarè, devotè, & exactè. 28. 534. 143.

Verborum accentus in Missa quàm sint curandi? 28.538.143.

Verba orationis Dominicæ pronuncianda sunt accuratè in Missa. Cur olim ea oratio vocata sit *periculosa*? 28.536.143.

Verba consecrationis, & alia Canonis quàm item accuratè sunt pronũcianda? 28.535.143.

Verba consecrationis dicere altè in Missa an de more fuerit antiquo? 28.511.137.

Verba consecrationis ne addiscerentur, proferrenturque à non Sacerdotibus, olim vetitum. 28.512.138.

Verba consecrationis debent sub sensum posse cadere. Vnde mutus non potest consecrare; & Sacerdos invalidè omnino, atq; illicitè recitabit mẽte solà formam consecrationis cum intentione efficiendi quod per eam significatur. 28.516.138.

Verba consecrationis si non ita proferantur à Sacerdote in Missa, vt possint audiri ab ipso, qui profert (dummodò nec surdus sit, nec detur impedimentum aliquod extrinsecum) peccabitur lethaliter. 28.519.139.

In verbis consecrationis si omittatur advertenter adverbium *enim* tam circa corpus, quàm circa sanguinem, an peccetur lethaliter, etiamsi nõ peccaretur nisi venialiter, si omittatur semel? Quid si bis, aut ter, quando Sacerdos bis, aut ter celebret, vt in festo Nativitatis Dominicæ? 28.24.10.

Verbo *Est* solùm prolato non fit consecratio siue hostiæ, siue calicis, neque pronomine *Hic*, aut *Hoc* solùm prolato. 29.14.267.

Verbum *Est* si omittatur, non fit consecratio. Et permisso fieri, non carebit culpa gravi omissio voluntaria. 28.14.6.

Verba *Hic est calix sanguinis mei* sunt præcisè necessaria ad validam calicis consecrationem. 29.14.267.& 171.304.

Plura alia de verbis consecrationis vide in V. Consecratio. Et de alijs verbis Missæ vide in V. Missa.

Verborum in horis Canonicis inuersio, qua postponatur, aut anteponatur vna hora alteri, quale sit peccatum? 28.109.34.

Verborum in horis Canonicis interruptio quam culpam contineat? Et an detur maior obligatio ad evitandã interruptionem in Missa, quàm in horis Canonicis? 28.127.& 128.39.& 40.

Verba horarum Canonicarum si tantùm mentaliter dicantur, an satisfiat præcepto earum? 28.523.140.

An item, si præcisè formentur inter labia, & dentes sono tam submisso, vt qui profert, non posset audire se, tametsi attenderet, & abessent impedimenta surditatis, & strepitus? 28.517.139.

Verba horarum Canonicarum si non rectè pronuncientur, quantùm peccetur? 28.530.142.

Verba Canonis cuiusdam Iliberritani sintne merito mutata, & duo Canones translocati à Iurisperito moderno? 28.751.& seqq.199.

Vestium linearum vsus in Sacerdotibus sacrificantibus apud Ægyptios, Africanosque Gentiles, & Albæ lineæ apud Christianos derivatus sit è Sacerdotibus Hebræis. 28.617.163.

Veteres Gentiles religiosissimè curarunt, ne interrumperentur Sacrificia. 28.123.& tribus seqq.38.& 39.

Ne à Sacris incæptis desisteretur. 28.199.57.

Ne Sacrificia dimitterentur imperfecta. 28.233.67.

Ne verba certa, & solemnia malè pronunciarentur. 28.537.143.

Abluebant manus ante Sacra, & preces. 28.609.161.

In suis Sacris studiosissimè servabant silentium. 30.133.397.

In ijsdem adhibebant lucernas cereas. 28.756.200.

Veterum Romanorum qualis esset pœna deportationis? 28.803.212.

Apud eos habebantur vt peregrini, qui ob delicta quædam civium ioribꝰ, & numero eximebantur. 28.804.212. Et non solùm per deportationem, sed etiam absque ea ius civitatis Romanæ fuit amissum, & de peregrinitate damnatio inflicta. 28.805.212.

Peregrinitatis, & exilij pœna non raro fuit imposita multis relegatis in patriam, in portionem, vicumve vrbis suæ, in domum propriam inde non excessuris. 28.806.212.

Vbi

Vbi cur excommunicatio vocetur à S. Alexandro Papa 1. exilium finitimum, cur æquiparetur relegationi, & deportationi, cur conferatur cum interdictione ab aqua, & igni?

Veteris testamenti Sanctos non licet publico in Sacrificijs, Officijsque alijs Ecclesiasticis cultu non approbato ab Ecclesia prosequi. 28. 77. 26.

Vigiliæ Missam, quæ debuisset transferri ad Sabbathum, quale esset peccatum dicere in Dominica? 28. 452. 122.

An possit Episcopus propria authoritate dispensare ex causa rationabili in anticipatione Missæ, & Officij Canonici de Vigilia alicuius Sancti? ibidem, & 465. atque seq. 125. ac 126.

De Vigilia Missam, & Officium non potest Episcopus propria authoritate addere alicui Sancto, etsi possit indicere ieiunium. 28. 453. 122.

Vigiliam v. g. S. Petri qui per errorem putet esse hodie, & ieiunet, non ideo excusabitur cras à ieiunio, si Vigilia cras incidat. 28. 476. & sequenti, 129.

Vigilias fœminarum in cœmeterijs qua de causa prohibuerit Canon 35. Concilij Iliberritani? 28. 754. 199. Vbi nonnulla de Vigilijs antiquis ad sepulchra Martyrum.

Vini consecratio an aliquando facta sit ab Angelo per potestatem à Deo extraordinariè collatam? 28. 581. 155.

Vini speciebus Sacramentalibus Theodorus Papa scripsit damnationem Pyrrhi hæretici Monothelitæ, & Synodus Cõstantinopolitana octava damnationem Photij Pseudo Patriarchæ Constantinopolitani. 29. 307. 339.

Vinum, quod assumatur ad consecrationem, quas qualitates habere debeat? 28. 623. 163. & 29. 286. 335.

Vini quæ quantitas sit infundenda calici ad consecrationem, & quæ aquæ quantitate sit temperandum? 28. 642. 171. Quam vini quantitatem infuderit S. Philippus Nerius? 643. 172.

Vinum ne sit, quod ex vvis non admodùm passis, neque exsiccatis exprimitur superinfusa modica aqua, & an queat inservire validæ, licitęque consecrationi in illis regionibus, vbi desit copia eliciti ex vvis recentibus, atq; maturis. Quænam sint regiones, vbi inservit, & quidnam de tali vsu sit censendum? 28. 644. 172. vsque ad 648. 173.

Vinum ne sit, & validè, licitèque consecrabilis succus ex vvis maturis aut acinis non omnino compressis elicitus ope modicæ aquæ? 28. 648. 173.

Vino consecrando admiscere mel, aut aliquid alieni liquoris præter aquã an liceat? 28. 649. 173. Vbi, & 29. 189. 309. de sale non injiciendo in panem, qui ad consecrationem sit assumendus.

Vini species Sacramentales quomodò à Sacerdotibus Græcis deferrentur in Processionibus? 28. 876. 231.

Vinum esse venenatum, si animaduertat Sacerdos post consecratam hostiam, quid facturus sit? 29. 91. 285. vsque ad 101 288. & 148. 298. Vbi de modo, quo se geret in alijs casibus specierum Sacramentalium infectarum veneno, narrantur que multæ historiæ circa id.

In vinum etsi non fuerit conversa aqua iniecta calici, an simul cum vino convertatur in Christi sanguinem per verba consecratoria? 29. 106. 289. vsque ad 110. 290. & 31. 284. 530.

Vino infusa aqua in calicem an sit necessaria ad consecrationem? Quid censuerit Hugo de S. Victore, Richardus Radulphus Archiepiscopus Ardmachanus (de quo nonnihil dicitur) & S. Bernardus? 29. 282. 334.

Vino aquam miscuit Christus consecraturus in nocte Cœnæ, & statim post mixtionem consecravit. 29. 111. 290.

Vino miscere aquam tempore, quo solet iuxta ritum Romanum, an sit minus consultum, quàm initio Missæ? 29. 105. 289. & 113. 291.

Vinum si congeletur ante consecrationem, aut si species Sacramentales vini post eam congelentur, quid faciẽdum? 29. 274. 332, vsque ad 280. 333.

Vini in calice defectus si comperiatur siue ante, siue post consumptas panis species, quid faciendum? 29. 102. 288. vsque ad 148. 298. & 281. 333. vsque ad 285. 335. Vbi quid in hoc casu faciendum esse existimarit S. Bernardus, cuius verba adducuntur, & expenduntur?

Vino si admistam non fuisse aquam notetur post consecrationē illius, quid faciendum? 29. 102. 288. & 281. 333. Cuius efficaciæ sit ratio S. Thomæ, ne post vini consecrationē infundatur calici aqua? 29. 104. 289.

Si vinum esse dubitetur de liquore, qui positus fuerit in calice, quid faciēdum? 29. 179. vsque ad 188. 308. Vbi & de materia dubia panis, vt de confecto ex aqua rosacea, vel alterius distillationis, aut de confecto ex spelta, neutrum enim esse habilem ad consecrationem censet S. Thomas, & multi cum ipso; sed esse habilem existimant non pauci; & Authoris iudicio, sit materia valde dubia.

Si vini species consecratæ dispareant, quid faciendum? 29. 153. 299.

Si in vini speciebus consecratis appareat sanguis, quid faciendum? 29. 155. 300.

Si vini species consecratæ effundātur, quid faciendum? 29. 142. 297. & 287. 335. vsque ad 306. 339.

Violatione Ecclesiæ contingente ante incæptum à Sacerdote Canonem, dimittitur Missa, quando non potest breviter reconciliari vel ab ipso Sacerdote celebrante, vel ab alio habente potestatem; sed si violatio accidat post inceptum Canonem, non dimittitur Missa. 28. 200. 57. vsque ad 218. 62.

Vbi enodantur graves difficultates, quæ contra vnam, & alteram propositionis partem militant.

Virgo Deipara quando primò accesserit ad Eucharistiam, an in postrema sacratissimi sui Filij cœna, an proximè antè, vel proximè post Spiritus sancti adventum? 28. 942. 251. vsq; ad 946. 252. Et priùs in 941. 250. expenditur locus Actorum 2. V. 46. discutiturque censura Alfonsi Vazquez de Miranda contra Ioannem Lorinum, quòd non intellexerit cum locum de Eucharistia quotidie susceptā à primitivis fidelibus.

Virgo Deipara quàm frequenter in decursu vitæ susceperit Eucharistiam? 28. 946. & 947. 252.

Virgo Deipara num miraculosè præsens sit Missis, quæ celebrantur? 29. 339. 347.

Virginis Deiparæ dies Conceptionis est festus pro Hispaniarum Regnis. 30. 17. 369.

Vomitus Eucharistiæ si contingat, quid faciendum? 29. 350. vsque ad 374. 350.

Vomitiones patienti infirmo liceat ne dispensare Eucharistiam? 29. 363. & duobus seqq. 353.

Vomitu regerere Eucharistiam, fas ne sit, si post eam susceptam noscatur fuisse venenatam? 29. 97. 286. & 366. 353. Vbi an detur obligatio ad provocādum vomitum in præfato casu? Et an possit quis non effugere mortem propriam ob tuendam vitam amici, vel consanguinei præhabitam vitæ suæ ex actu honesto virtutis amicitiæ, an item possit exponere se periculo mortis ob finem honestum, & ob exercitium alicuius virtutis?

HACTENVS

De Indice Rerum, & Verborum, non expressis omnibus in Opere contentis. Sed curatum est non conficere nimis prolixum Summarium, Lectorque sagax conijciet facilè ex indicatis cætera, quæ omittuntur.

PROTES-

IESVS, MARIA, IOSEPH.

PROTESTATIO AVTHORIS.

QVID IN HAC TERTIA PARTE, VEI in prima, & secunda de Sacrificio Missæ, vel i alijs Operibus hactenus editis tradiderim, quc citra meam mentem deviare deprehendatur à re cta fide Catholica, Apostolica, Romana, bonis moribus, illud ex nunc revoco, deletumq; cupio Et quanuis non modicam diligentiam adhibuerim in legendis Sanctissimorum Ecclesiæ totius Præsulum Decretis, & Eminentissimorum Cardinalium Declarationibus pronunciatis authoritate sibi per Apostolicam Sedem specialiter attributa, consensu, & iussu Pontificio circa spectantia ad Sacrificium Missæ, & ad alia, de quibus incidit sermo, procuraverimque, meas assertiones eis, quæ authenticę sint, & vim legum habentes, conformare; si tamen aliquę me latuerint, vel minùs aptè intellexerim, interpretatusve sim, vel in posterum prodierint discrepantes à meis opinionibus paratus promptissimè sum ad emendationem. Protestatio ista visa est mihi necessaria, cum in hac materia, & in alijs allegentur passim ab Authoribus Declarationes Eminentissimorum Cardinalium, & quam vnus authenticam, promulgatam, & habentem vim vniversalis legis agnoscit, alius negat, etiam intra Italiam, vel propè: & non semel citantur pugnantes inter se Declarationes. Vnde, qui in remotioribus Provincijs scribimus, hęremus sæpe; condonandumque nobis est, si interdum labamur inviti. Legantur Diana parte 11. Tract. 2. Res. 42. Tract. 8. Res. 53. Pellizarius in Præfatione ad Manuale Regularium, Francisc. Valens in Concordia Iuris Pontificij cum Cæsareo, & cum Theologica ratione, tit. 2. de Constitutionibus Disp. 1. q. 5. sect. 4. ex pag. 133. Petrus de Tapia in Catena Morali tomo 1. lib. 4. q. & art. 8. Marcus Vidal in Arca Vitali Inquis. 1. de Casibus reservatis ex num. 90. Inquis. 4. de Iurisdictione ex num. 27. Inquis. 2. de Monialibus ex num. 71. Inquis. 4. de Matrimonio num. 47. Ioannes Caramuel in Theologia Fundamentali, fundamento 5. ex num. 171. & fundamento 13. ex num. 329. necnon in Theologia Morali ex numero 172. Amadeus Guimenius in Opusculo adversus quorundam expostulationes contra nonnullas Iesuitarum opiniones Morales, ex Tract. de Sacrificio Missæ propositione 2. numero 3. Quos ex innumeris alijs Recentioribus passim occurrentibus designasse sufficiat. Eandem animi mei declarationem extensam opto, & volo ad Sanctæ Inquisitionis Edicta, & ad propositionum expurgationes, quas solita maturitate fäciverit. Imò & Opuscula mea subijcio censuræ virorum doctorum, qui iuxta Cap. 70. *Summopere* 11. q. 3. *In dictandis sententijs nullatenus levitate, aut furore ducti sint præcipites; sed causis priùs diligenter ventilatis :: & remota personarum acceptione sententiam proferant.* Et quanvis ego vix vlli opinioni adhæream, quam ante me alios tradidisse non ostendam, tamen non existimo, damnandos cæcè, qui novam aliquam excogitarint, sed prudenter inspicienda esse motiva, & ex eorum meritis probandam, aut improbandam. S. Thomas multa scripsit, & docuit contra

alios,

alios, qui ante Ipsum scripserunt, vt fatetur Barnabas Gallegus in Tractatu de Conscientia probabili dub. 21. Bañez etiam 2. 2. q. 60. art. 6. dub. 2. apertè ait, videri sibi verosimiliorem quandam opinionem, pro cuius contraria dixerat stare doctrinam S. Thomæ, totamque Theologorum Scholam; & q. 78. art. 2. pagina 598. loquens de alia opinione, quæ communis fuerat præceptoribus ipsum antecedentibus, notat, Dominicum Sotum fuisse singularem in discessu ab illa. Sic ante nos gesserunt se hi præclarissimi Theologi Dominicani; cur nunc, & in posterum capirali iudicio erunt sine discussione destinandi, qui instructi litteris, multo, magnoque Theologiæ vsu exercitati eos quandoque imitentur? Vtvt sit de novis opinionionib⁹, ego ad fulciendas ab authoritate eas, quibus subscripsi, non alligavi me vni, aut alteri Doctori, vni, aut alteri Scholæ, sed consului plures, modòque placuit huius, modò illius ratio, & siue domestici, siue extranei Scriptoris fundamenta confirmavi, aut impugnavi sine discrimine. [Et modernos quidem Scriptores (de quibus est sermo, & qui ipsi mutuò se reprobant publicè, & occultè) non est inconveniens negare, nihil enim quod dicunt, est recipiendum, nisi quod possint probare per rationem evidentem, vel per authoritatem Scripturæ, vel per determinationem Ecclesiæ, vel per Doctores approbatos ab ea,] vt monebat Guilielmus Ocham q. 3. prævia ad T. de Sacramento altaris. [Sunt quidam (vt iam suo tempore observabat Ambrosius Catharinus in præfatione ad libros de Præscientia, provid. & prædest.) qui nihil audire volunt, nec probare quidquam, quod in vno quopiam Authore non legerint, quem ipsi probent; indeque Catharinus existimat, oriri nonnunquam sectas, & hæreses pravas; hortaturque, vt potiùs credant S. Augustino, qui nec sibi, nec hominum cuiquam, quantallibet sanctitate præpolleat, credendum esse per omnia censet, nisi vel per Scripturas Canon. vel certa ratione id, quod docuerit, etiam comprobauerit.] Sed quidquid sit, an sequatur, necne incommodum illud indicatum à Catharino, ego eius exhortationi morigerum me exhibui, seu magis exemplo S. Augustini relati C. *Ego solis* V. Distinct. 9. & laudari ab Eminentissimo Card. Caietano in præfatione ad Pentateuchum. Eos verò Authores, quos sequutus sum, ita prætuli, & opinionibus, quas sum amplexatus, ita detuli, vt præ oculis habuerim prudentissimum hoc Dominici Bañez documentum 1. p. q. 1. art. 8. pag. 126. [Quando sunt duæ opiniones inter se pugnantes, quarum quælibet rationibus nititur probabilibus, & argumenta adversariorum solvit, habetque defensores viros doctos, non est, cur huic, aut illi parti pertinaciter quis adhæreat propter aliquorum authoritatem; sed ponderandæ sunt rationes, & secundū vires earum huic, aut illi parti adhibenda est fides. Nec interest, quòd plures in vnam partem inclinent, si pauci graves, & docti oppositum sentiant. Non enim numero hæc iudicanda sunt, sed pondere. Vnde meritò reprehendendi sunt aliqui Theologi, qui, opinionibus proprijs, vel etiam aliorum nimis adhærentes, statim contraria dogmata præcipiti quadam sententia absque sufficientibus rationibus damnant; atque omnia, quæ eorum iudicio non consonant, gravioribus censuris invrunt, idque tanta facilitate, vt meritò irrideantur.]

***

FINIS OPERIS TOTIVS

DE SACRIFICIO MISSÆ DIVINO, ATQ; TREMENDO.

Ad Dei Opt. & Max. Deiparæque Virginis conceptæ sine labe noxæ Originalis, Archangeli Gabrielis homonymi mei, & Patroni, S. Ignatij Patriarchæ S. Iesu, & S. Francisci Xaverij Apostoli Indorum laudem, & gloriam.

SALMANTICAE. ANNO 1661.

261 *Id quod Amymonides videm.* His lepidum dilichis decem ceci enumerantur hoc ordine. Phœnix Amyntoris filius, Comes, aut potius pædagogus Achillis (cuius apud Homerum honorata est mentio) nõ fingitur ab Homero cæcus, sed interpres Lycophronis narrat cum in patriam reuertisset potuisse cognoscere fuorũ neminem, quia cæcus esset, Propert. lib. 2.

Tarda Philoctetæ sanauit cruna Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides.

Œdipus de quo multa dix mus in emblem. Tyreſias Thebanus vide Pollux. Mitcella 80. & Ouid. lucc in Metamor. Phineus, qui Argonautas monuit vt colum bam dimitterent, De quo Orpheus, & Apollo. Rhodius, & Valer. Flac. in Argonau. Polymnestor, quem excæcauit Hecuba. Virgil. hæc lic. 3. Acneid. & multis carminibus Ouid. in Meta. & alij. Polyphemus, quem Vlyſſes excæcauit, de quo multa nos in emblem. & Ouid. lib. 13. Vide Adæ. vates Iecum auferat omen. de Telemo vate. Hinc filij ex vxore Cleopatra vim inuilerunt Idæ nouercæ, qua de causa ab ipſo parte exæcærati fuerunt. Thamyras vates, & cantor extimius hunc multæ excæcarunt in arte canendi superauꝰ vt ait Homer. 2. Iliad. Demodocus cantor egregius in Alcinoi domo, hunc Homerus laudat, se ipsum (vt alij interpretantur.) intelligens.

qui

275 *Sic aliquis tua membra secet, Saturnus vtillas.* vt. de Macrob. Satur. lib. 1. c. 8.

277 *Nec tibi sic vnquis melior Neptunus.* Ceyx, & Alcyone vxor, & frater Dædalum verti iunt in aues.

aues. Ouid. 11. Metamorphoseos.

Solertiq; viro. Id est, Vlyſsi, cui nuſragio Ino torori Semeles in aucm Gauiam : conuerſa vdum dedit, quo iuccin ctus enatauit. Homc. Odyſſ.

279 *Vel una pœna geminabor.* Metius Suffetius dux Albanorum quadrigis illigatus diſtractus fuit. Tit. Liu. & Virgil. 8. Æneid. quod autem ait Poeta:

Ne genus hoc pœnæ cognouerit vnus.

Videtur innuere solum Metium ſuſſerium fuiſſe hoc genere pœnæ multatum. Plinius in Panellis dicit etiam Pyrœcynem ſubiocæ Regem Hercule uente à quadrigis fuiſſe dilacerarum.

283 *Vidque, qui retinet.* De Marco Attilio Regulo plenius hæc libri. Vide elegantiſsimam Odem Horat. lib. 3. od 5. A. Gell. lib. 6. cap. 4 Cic. 3. offic. Valer. Max. xi. lib. 9. cap. 2. Aurelium de Ciuit lib. 1. ca. 15.

285 *Nec tibi subsidio.* Priamum dicit, quem Pyrrhus occidit iuxta aram Iouis Herceꝰ. Virg. 2. Aeneid. Vide annot. Egna.

287 *Vtque dedit ſatus è ſummo Thessalus ossa.* Alcatus in tres libros poſteriores Codicis legit, Thellalis, & intelligit Agesilaum Thellali filium, de qua Plutarchus in præceptis conubialibus in fine. Sed ille legitur Agesilae Hegetoris Thellali filia Alcioge perita. De ſatu vero nulla mentio : quare aliud quærendum. Caldetinus ſic exponit. Hemon filium habuit Thellalum, qui quum Thellaliam Imperio teneret, ab Euryalo aduena (nam erat Corcyreus) ex Olia monte præcipitatus eſt. Necato etiam Nelone filio,

Pauſan. lib 8. & Apollod. lib. 3.

351 *Nec tibi contingat matr.* Leonicus lib. 3. c. 76. Ægialen intelligit ; fuit autem Ægiale vxor Diomedis, quæ absente viro ad Troiam nupſit Cillaboro Stellepi filio. Cæt.

353 *Quæque ſui Venerem iunxit.* Domitius Hypermestram dicit, quæ poſtquam cum fratre mariti concubuit, vt adulterium celaret, ancillam occidit : eſt quærendum, aut eſt Hypermeſtra Locrenſis, verſus eſt luxatus. Porrò hæc decem diſtricha continent vxores, & filias impudicas.

355 *Tam quoque dij faciant.* Eryphile, quæ maritum Amphiaraum prodidit, hæc erat Talai filia. Virgil. Homer. Clitemneſtra Tendarei filia Agamemnonem maritum ſuſtulit. Atque etiam Helene Deiphobum maritum (vt eſt apud Virgil.) lacerauit.

357 *Quæque parare ſuis.* Id eſt, talis tibi contingat conſux, quales illæ fuere, quæ ſuis patruelibus mortem parauerunt : nota fabula eſt apud Ouid.

359 *Biblidos & Canaces.* Ouid. Metam. 9. Biblis Caunum amauit : Canace Macareum.

361 *Filia ſi fuerit.* Pelopeia cum patre Thyeſte concubuit, vnde natus Ægiſtus: Myrrha cum Cynara patre Rege Cypriorum. Ouid. 10. Nyctimine cum patre Nycteo Æthiopum Rege.

363 *Filia neve magis.* Pterelas Neptuni filius, filiam Cymetho genuit: quæ quum Pterelas ab Amphitrione, & Cephalo obſideretur, amore Cephali capta patrem, ac patriam hoſti prodidit. Ex comment. Apollonij

Sic tua comectis fodiantur corpora telis,
Sic precor auxilijs impediare tuis.
Qualis equis pactis, quos fortis agebat Achilles,
630 *Acta Phrygi timido eſt, nox tibi talis eat,*
Nec tu quam Rhæſus ſomno meliore fruaris,
Quam comites Rhæſi, tu necis ante diem:
Quam quos cum Rutulo morti Rhamnete dederunt
Impiger Hyrtacides Hyrtacidæque comes.
635 *Cliniadæque modo circundatus ignibus atris,*
Membra feras Stygiæ ſemicremata neci.
Vtque Remo muros auſo tranſire recentes,
Noxia ſint capiti ruſtica tela tua.
Denique Sarmaticas inter Geticaſque ſagittas
640 *His precor vt viuas, & moriare locis.*
Hæc tibi tantiſper ſubito ſunt miſſa libello,
Immemores ne nos eſſe querare tui.
Pauca equidem fateor ſed dij dent plura rogatis,
Multiplicentque ſuo vota fauore mea.
645 *Poſt modo plura leges, & nomen habentia verum.*
Et pede quo debent acria bella geri.

à quo Neleonus locus dictus est, vt scribit Strabo. Hæc ille, quæ mirificè quadrarent, si apud illum legerentur. Ego donec aliam interpretationem inueniam meliorem, hanc obtrudo: Quemadmodum, inquit, altissimus Olla mons fuit ab Olympo diruptus, & præcipitatus, sic tu quoque præcipiteris ab alio excelso montis ingo. Strabo lib. 9. Antiquis, inquit, fæcundis, vt Emathous campus flagnabat, quem aliis ex partibus mõtes coercebant, quum etiam litus altiora cæpisset habere. Terræ autem motibus factis abrupta sunt, quæ nunc vocantur tempe: & ab Olympo abscissus Olla, & hæc Peneus fluxit in mare, & oram illam fecerat nunc vocantur tempe: & ab Olympo abscissus Olla, & hæc Peneus fluxit in mare, & oram illam fecerat reddidit. Hæc Strabo. Syntaxis est: quemadmodũ Olla mons Thessalus dedit ruinas ab Olympo, sic tu præcipitaberis à Ioue. Virgil. 1. Georg. Ter sunt conati, &c. Ter pater extructos deiecit, &c.

289 *Aut vetus Eurydi.* Incerta, & vana proferri hic Callerinus. Ego quærendum censeo. Homerus Odyss. 12. in fine. Eurypili meminit filij Thelephi filij Herculis Cetiorum ducis à Pyrrho occisi, cui Telephus Regnum Myliæ tradiderat.

290 *Vel tua mauvret sicut Minoia.* Minos in Thermis Cocali Siciliæ Regis extinctus fuit, dum Dædalum insequeretur Zezes Chilia. 1. hilia. 19. & Diodor. Sicul. paulo aliter narrat. Eudebius in Chron. tradit filiarum Cocali occisum fuisse ait Stilius. *Posiquam perpetuas iuc dex contexisti ad undas Cocalidum insidijs.*

293 *Vtque parum mitis.* Prometheus inuitis distractus ignem ab altris deduxit, & in quodam sacrificio Iouis

uertatur. Iupiter est calidus & humidus, aereus, flauigineus, bonefous, & dicitur fortuna maior, quoniam vtraque eius qualitas vincentium naturam fouet. Mars calidissimus est, & siccissimus, igneus, cholericus malefcus, & dicitur infortunio minus, quia vna tantũ eius qualitas nocere adsectatur naturæ. Sol calidus est, & moderate siccus, est fortuna per aspectum, & infortunium per corporale coniunctionẽ. Venus est humidi ma, benefica, & dicitur fortuna minor. Mercurius cõmunis est, cum frigidis frigidus, cũ bonis bonus, & fortuna cũ fortunatis per coiunctionem, vel per felicẽ aspectum. Luna frigida est, humida, ac ideo aquea.

215 *Quamtaque elanigeri Pantius.* In his sex carminibus enumerantur, tres infignes claudicatores, Philoctetes Pœatis Regis filius, qui vna cum Hercule Oetæo. Thelephus à cerua nutritus fuit, perculfusque in fœmore ab Achille, ab eode postea fuit sanatus. Paulan. lib. 8. Plin. lib. 26. cap. 5. & lib. 34. cap. 17. verficaliam hic emendauit Iacob. Mycill.

Armatique tulit vulnus, interuis opem.

219 *Quique ab equo praceps.* Belloropbon de quo multa diximus in emblem. Porro verficulum hic emendauit Egnatius.

Quique ab equo praceps in Aleis decidit arvis.

Sunt autem Alei campi in Cilicia. & Alei ab errore di-

FRANCISCI SANCTII BROCENSIS IN INCLYTA SALMANticensi Academia Rhetorices, Græcæque linguæ primarij præceptoris, in Ibin Ouidij breues, perutiles tamen adnotationes.

QVID sit lustrum, quid Olympias non video adhuc inter doctos liquere. In hoc tantum conueniunt, lustrum ab Olympiade in annorum spacio non differre: sed alij quinque annos Olympi. di assignant, alij quatuor, Anton. Nebrissensis in quinquagenis grauiter errare contendit eos, qui quinque assignant: hi laudant pro se Lucanum, qui de Cæsare sic ait.

Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris.

Ouid. item decennale bellum Troianũ bilustre appellat. Varro de ling. Lat. lib. 5. lustrum nominatur tempus quinquennale, à luendo, hoc est soluendo, quòd quinto quoque anno vectigalia, & vltro tributa per cẽsores persoluebantur. Ouid. lib. 4. Pont. Eleg. 6.

In Scythia nobis quinquenis acta est,
Iam tempus lustri transit in alterius.

Idem lib. 4. Pont. Eleg. 10. de Vlyssis absentia.

Iactatus dubio per duo lustra mari.

Innumera sunt testimonia, quibus quinquennale spatium

Homer. Iliad. 22. in Comment.

335 *Vel qua, quæ fuerat tutatus.* Hector tractus ab Achille. Homer. vlt. Iliad.

337 *Vtque nouum pass.* Vide adag. Hippomenes magis impius. Suidas in Limone, Ælianus, versiculus debet emendari, vt conueniat cum districho sequenti.

339 *Sic vbi vita tuos.* Pendet à superiore districho:

Viscera sic aliquis scopulis tua figat, vt olim
Fixa sub Euboico Graia fuere sinu.

Hoc nõ de Aiace Oileo dici existimo: sed de tota classe Græcorum in Nauplij vindicta. Vide Seruium in Iliad Virgil. vnius ob noxam, & fur.

343 *Vtque ferox perijt.* Hoc de solo Aiace, qui fulmine correptus in aquis perijt. Seruius ibidem.

345 *Mens quoque sic furijs.* Septem furiosi enumerantur, Aiax Telam. Lycurgus, Hercules, Athamas, Orestes, Alemæon. Hic fit mentio de Aiace Telamonio, de quo Ouid. non de Martia. de quo infra Telamonius autem inuulnerabilis fuit propter pellem Leoninam, vt ait Didymus Iliad. penul. quam ei puero circundedit.

347 *Vtque Dryantidæ.* Egnatius Lycurgum intelligit, qui crura succidit, dũ vitem vellet amputare. Iliad. 6. Diod. Sicul. lib. Codrus sermone. 1. pag. 25.

349 *Vtque fuit Oëteo.* Herculi: genero draconum, id est, Athamanti Cadmi genero. Thysameniáque patri, id est, Oresti, qui Thysamenum genuit. Pausan. in Corinth. Calligonesque viro, id est, Alemæoni, vt notat Egnatius, & Nicol. Leon. lib. secundo. cap. 78.

Pau-

Simile quiddam Val. Max. lib. 9. c. 2. in calce. Ad domi num E. Mentionem intelligit.

323 *Inque tuo tbalamo.* Alexander Pheræus. Cicer. 2. offic. Xenoph. lib. 6. Plutarch. in Pelopida Egna tius alter.

225 *Quosque pudis fidos.* Multi multa commenticun tur. Vide Alciatum lib. 6. Parerg. cap 2. Ego ex Diodoro Siculo in anna. Philippi petendam puto interpretationem.

327 *Vtque Milo, sub quo.* Alij legunt, Philo, alij, Pilus: dicunt hunc tyrannicidam Pilis exercuisse. Sunt autem Pilæ iuxta Alphæum litæ, vbi ludi Olympici celebrabantur. Alpheus amnis est, qui fluxerat maria occultas agit aquas in Sicilia Arethusam. Hunc igitur illetyrannus vinus fuit præcipitatus, & forte legendum hic. *Vtque ille, sub quo.* & intelligendum de Pantaleonc, Paulan. pag. 240. 242.

329 *Quaque in Adimanto.* Adimantus Philenorum Rex, quum nec loui sacrificaret, nec Deo ferminorum crederet, fulmine ictus est. Domit.

331 *Aut vt Amafinio.* Amatrix vrbs est in Ponto, ex qua Mitridates expulit Bacchii, qui etiam Lucullus dicitur, quem expoliatum in linteam Ponti Achilleam fugerunt, & deterruerunt.

333 *Vtque vel Eurydamas.* Eurydamas somniorum interpres, quid Homerum. Rap. Egnat. sic air. Hic Medus fuit ex Homeri interpretis collimonio, qui citra Thraciam cumulum à Simone Laritheo transeli: Vide Vicenum Codrum sermone primo, & Homer.

ratum fig uicatur: nihilominus tamen certo certius est, Lustrum, vel Olympiadem quatuor annis absolutis nec aliter accipiunt, qui Chronica, Annales scripsere. Vt fi dicas, Plato natus est Olyadis 88. anno. Pompe. Mag. Olymp. 169. anoprimo. Quidam Fal. lib. 3.

Is decies senos terentum, & quinque ebus
Iunxit, & explcto tempora quinta die.
Hic anni modus est, in lustrum accidere debet,
Quæ consumatur partibus vna die
In codicibus emendatis legitur:
Iunxit & plenotempora quarta die.

& ita necessario legendum: annus enim constat 365. diebus, & fex horis, & illæ fex horæ quarto quoque anno integrum complent. Ita docè dicente Solinus, & Censorinus de die natali, & Pllib. 2. cap. 8. sic assidende foliis mesium esse partium quidem trecentum sexaginta, sed vt obseruatio vmerarum eius ad notas redeat, quinos annis dies adijci, vtque quaretam partem dicit. Quam ob causam quinto anno vnus intercalaris dies additur, vt temporum ratio soli rinque congruat. In his Plin. verbis, quæ multos fefellerunt, cemendo pro quinto anno, quarto quoque anno ex Macrob lib. 1. Satur. capit. 14. Iulius ergo Cæsar inquit, decem dies obseruatione veteri super additum, vt annum 365. dies quibus Sol luftrat Zodiacum, efficeret, sed ne quartanis decesset, statuit vt quarto quoque anno Sacerdotes, qui curabant, vnum intercalarent dicm. Iam igitur hunc Gordia-

Mineruam lib. 4. in ephemismo.

101 *Ominibusque mis.* Sic lege, non omnibus. Sæpe in Virgilianis Codicibus hic est error. Sic dirig omnia Chalcas; lege, omnia, & omina ni repetant Argis, lege, omina.

121 *Sitque, (quod est rarum) solio defecta fauore.* Id est, destituta. Quintilia. necio quomodo omnis pro laborante fauor est.

125 *Luctatusque diu, cruat.* Suetonius in Tiberio. 61. Mori volentibus vis adhibita viuendi nã mortem leue suppliciũ putabat, & precanti cuidã pœnæ maturitatem, respondit: nondum tecum in gratiam redij.

137 *Pugnabunt iaculis dum Thraces lapides acu.* Ignatius emendat Iaziges, & recte. Nam sic legitur in Valerio Flacco lib. 6 & Ouid. Trist. & 1. de Pont. Eleg. 3. & Ammia Marcel. lib. 22.

140 *Dum Tiberis liquidas.* Lege flauas, ex Horat. Vidimus flauum Tiberim & ex Ouid. lib. 5. Trist. Eleg. 1. Quot flauus Tibris arenas.

142 *Sæua Sed immanis manibus.* Lege sæua, sed in Manes manibus, id est, apud inferos.

144 *Exanimis manes oderit vmbra tuos.* Lego mores tuos, nam animæ malorum, non dicuntur manes, sed lemures.

214 *Non Venus affulsit.* Septem hic planetæ numerãtur, quorũ qualitates breuiter exponi possunt: Saturnus enim frigidissimus est, ac siccissimus, terreus, melãcholicus, maleficus, & dicitur infortuniũ masus, quia secundum vtramque qualitatem mortalium naturæ aduersatur.

uem ipsum fefellit, vt ait Hesiodus, sed non impune, nam acerrimas pœnas luit, vt latè diximus in Emblematis. Lego, *parum Metes* non mitis id est, parum prudens, aut parum Prometheus, *metima* enim apud Græcos est consilium, prudentia, consultatio, & Iupiter sæpè apud Homerum vocatur *Metietazeus*.

295 *Aut velut Etracides.* Nugantur interpretes: Lego Ætracides, & de Theseo intelligo, qui filius Ægei, & Æthræ fuit. Hinc quũ Athenis annos 19. regnasset, pulsus à suis in Scyrum insulam cõcesit, ibiq; in mare fuit præcipitatus. Verba Plutarchi in Theseo hęc sunt: Ipse post execrationem in Athenienses peractam Scyrum nauigauit, quod sibi cum eius insulæ hominibus amicitiam, ac prædia ibi paterna esse putaret. Scytorum Regnum eo tempore Lycomedes habebat. Ad hunc se Theseus contulit, agrosque sibi reddi, vt habitaturus ibi, poposcit. Alij auxilium contra Atheniensis petijsse aiunt. At Lycomedes, siue gloriam viri suspectam habens, siue vt rem Menesteo gratam faceret, in promontorium regionis Theseum produxit, tanquam inde commonstraturus agros; perturbatumq; de saxis perdidit. Quidã lapsum fortuito nemine impellente perhibent: quum more suo post cœnam deambularet. Hæc Plutarchus: *Magno ter ab Hercule quintus.* Id est, qui quintus Hercules vocatus est post ter magnum illum Herculem, cuius ingentia fa[illegible] ta Theseus est æmulatus: vt refert Bocatius in vita The[illegible]sei: *Cæsus in immens.* mal[illegible] legere, Cœcus, id est, in[illegible]cautus, vel falsus, id est, *deceptus*, vel simile aliquid.

Henao d'Ac[illegible]

9
152

8.317